NOVA ET VETUS APHORISMORUM DIVI SENIS HIPPOCRATIS INTERPRETATIO IUXTA MENTEM VETERUM...

Johann Franz : von Erlsfeld Loew, Hippocrates



IOAN FRANC LOEWSRI [illegible] rovinc Hæred Eques
ab Erlsfeld et Loyowitz Phil [illegible] et Med Doct ejusd in Alma
Cæſar Reg et antiquiſs Univer [illegible] o Ferdinandea Prag Profeſ
ſor Primar Facult Med Senior S C R Mayest Conſiliar Sac Lat
Palat Aulæq Cæſar Comes et Medicus Bis Rector Magnificus
Ætat 63 A° 1711.

NOVA ET VETUS APHORISMORUM DIVI SENIS HIPPOCRATIS INTERPRETATIO

IUXTA MENTEM

VETERUM ET RECENTIORUM IN PUBLICA CATHEDRA

INGENUÆ JUVENTUTI MEDICÆ PRAGENSI EXPLANATA

A

JOANNE FRANCISCO LEONE ab ERLSFELDT,

Philoſophiæ, Juris Utriusque & Medicinæ Doctore, ejusdemque in Antiquiſſima & Celeberrima Univerſitate Carolo-Ferdinandea Pragenſi, Profeſſore Regio, Primario, Publico & Ordinario, Facultatis Medicæ Seniore, Sacræ Cæſareæ, Regiæque Majeſtatis Conſiliario, Sacri Lateranenſis Palatii, Aulæque Cæſareæ Comite & Medico, p. t. RECTORE MAGNIFICO.

ANNO

In qVo AphorIsMI HIppoCratIs LeonIno ardore
NoVIter InterpretatI sVnt IngenVæ IVVentVtI Pragenæ.

]*****[

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,

IMPENSIS JOHANNIS ZIEGERI, BIBLIOPOLÆ NORIMBERG.

ANNO M. D. CC. XI.

Noſcitur ex ungue Leo : Legendo enim & ſedulo revolvendo præſentem in Aphoriſmos Hippocratis fundatiſſimum Interpretem , novaque cum vetere ſententia accuratiſſimum Conciliatorem , nil vidi , nil reperi , quod ſolidiſſimam in re Medica non ſaperet doctrinam. Digniſſimus proinde cerebri Leonini fœtus , qui , obſtetricante prælo , quantocius lucem publicam , in ſingulare publici emolumentum , videat , eoſque , pro more aliorum partuum Leoninorum , apud docentes & diſcentes ſolitos fructus abunde ferat. Dabam è Muſæo Meo Pragæ , Die 26. Ianuarii Anno 1709.

Leonardus Ferdinandus Meisner,
de Löwenberg /
Philoſophiæ & Med. Doctor, Inclyti Regni Boemiæ Regius Phyſicus Juratus.

PRÆFATIO.

In Nomine Domini Noſtri JEſu CHriſti.

INcipit Lectio & Interpretatio Aphoriſmorum Hippocratis, juxta unanimem Veterum & Recentiorum mentem: Priusquam autem ad ipſius textûs explanationem deſcendamus, nonnulla præloqui & præmittere operæ pretium duximus, quæ

faciliorem aditum & captum ad futuram doctrinam efficient.

Arduam inimus Provinciam Doctiſſimi Domini Medicinæ Auditores, dum Viam ad antiquiſſimum Hippocratis Sanctuarium, ſeu ad oraculoſa Divini Hippocratis Aphoriſtica Dicteria, ſternimus, in qua Via tot obſcuritatum ſcopuli, tot difficultatum ſyrtes obtingunt.

Ac præprimis in magni hujus Sanctuarii Aphoriſtici Authoris Divi nempe Hippocratis laudes excurrere, idem mihi fore videtur, ac juxta magnum fluvium, puteum fodere. In ejus Encomia æternum duratura, jam olim & hodie diſertiſſima primariorum Medicorum diffluxerunt ingenia, & ſuperabundantia undique, quotquot de re Medica ſcripſerunt, ſcripta & impreſſa extant teſtimonia.

Galenus, poſt Hippocratem Medicorum Coryphæus, hunc Divum Senem *Medicorum Principem* appellat; *Veteres*, *Deitatis Simulacrum* nominant: *Duratus*. Hippocratis Scripta, *Medicorum tribunal* palam profitetur. *Recentiores*, ut *Paracelſus*, Priſcorum omnium cenſor ſeveriſſimus, ita & *Helmontius*, ejus dicteria reverentur & commendant, eundemque rariſſimi Doni Virum, intitulant: Imo *Macrobius* de eo ſcribit magnifice, & dicit, eum tam fallere quàm falli neſciviſſe, ejusque ſen-

ſententias cum Galeno, DEI vocibus æquiparat, & Divum appellat. Ego ut paucis dicam omnia, quod *Theologis* eſt *Divus Thomas*; *Juris-Conſultis Juſtinianus*: *Philoſophis Ariſtoteles*, hoc nobis Medicis eſt *Hippocrates*. Nam ſicut Theologis & Juris Conſultis ſentire & diſſentire prohibitum eſt, ubi Sacra Pagina & Lex loquitur: ità apud Medicos ſentire & diſſentire non licet, dum Divinus loquitur Hippocrates; cujus ſcripta veluti oracula habentur, quæ in dubium vocare, aut publicò calamò impugnare, nefas eſt.

Inter hæc Hippocratica Scriptorum oracula, primum locum obtinent Libri Aphoriſtici, in quibus generalis Doctrinæ Theorico - Practicæ continetur compendium, & breviſſima inibi memoriæ localis comprehenditur ſententia, nam teſte Horatio:

Quidquid præcipies eſto brevis, ut citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.

Et teſte Tullio: nihil difficilius & rarius eſt, quàm reperire parvum ex omni parte abſolutum: Nam teſte Seneca, nihil parum & parvum eſt, quod ſatis eſt. Atque ut verbò dicam, Aphoriſmi Hippocratis ſunt quaſi Sacer textus & Regulæ Juris in Medicina: unde maxima omnibus ſæculis ſuit dignitas & æſtimium *Aphoriſmorum Hippocratis*. Cujus tanquàm Medicorum Primatis, tum alia ſcripta, ſum-

mâ referta ſunt ſapientiâ, & Artis Medicæ genuinis arcanis: tum Aphoriſmi illi velut reliquorum omnium, rerumque Theologicarum, Moralium & Politicarum, quoddam compendium ſiſtunt. Sane ut verum fateamur, quoties *Hippocratem* legimus, toties doctiores recedimus, tam inexhauſtæ doctrinæ fonte imbuti, quàm ad ulteriorem meditationem invitati. Adeoque Author eſt Medicinæ Parens, magnus Hippocrates, Patriâ Cous, ex familia Aſclepiadeorum oriundus, Vigeſimus à Jove, decimus octavus ab Æſculapio, & Nonus à Chryſanide Rege; cujus vita undique patet, & cujus dicta omnibus Medicis ob ἀξίαν ſuam debent eſſe commendatiſſima, nec Medicus dicendus vel habendus eſt, qui non hos Aphoriſmos aliquoties & legent & relegerit, in uſum trahere eosdem gnarus.

Inter omnes Hippocratis libros, nulli magis quam Aphoriſtici, interpretatione egent, in quibus enodandis, maxima quæque Veterum deſudârunt ingenia, ſed ex Recentioribus hactenus, quantum huc uſque ſcio, repertus eſt, vix unus aut alter qui Hippocratis Aphoriſmos interpretatus fuiſſet. Conabor ego favente Numine, ad DEI Gloriam, publicam, & veſtram Doctiſſimi Auditores, ac meam propriam utilitatem, primus glaciem frangere, & hanc doctrinam Aphoriſticam ad mentem Veterum & Recentiorum

ex-

explicare: in quo arduo opere ſi exſpectationi aliorum minus ſatisfecero, cum Ovidio me excuſo:

Quod ſi deficiant vires, audacia certe
Laus erit: in magnis & voluiſſe ſat eſt.

Tanta enim ho:um aphoriſmorum in Republica Medica eſt authoritas, ut vulgo. *Conſiliorum condimentum*; *Scriptorum Sal*, & *Praxeos fundamentum* audiantur. Et ſicut Juris Conſultis indecorum eſt ſine Lege, ita pudoris eſt Medico ſine aphoriſmo loqui: Loquar & ego aphoriſtice, id eſt vere & ſerio, non tamen intermittam ſeriis quandoque curioſa quædam & rara, ad animos veſtros erigendos, intermiſcere, ſequatque conſilium Horatii:

Miſce ſtultitiam Conſiliis brevem.

Nam Macrobio teſte:

Amœnitas intertexta, faſtidio narrationum medetur.

& juxta illud:

Omne tulit punctum qui miſcuit utile dulci
Lectorem delectando, pariterque movendo.

ſic enim cum delectamento utilitatem haurient.

Nunc ergo ante alia ſciendum eſt, quid ſit aphoriſmus? Aphoriſmus à verbo ἀφορίζω, id eſt divido, definio, breviter rem explico, concludo; ſinitore *Galeno* 1. aph. 1 omnes rei proprietates quàm breviſſimis verbis circumſcribit: ceu regula in morbis obſervata & ex praxi deſumpta, brevis conciſa, paucis multa dicens *Philotheus* antiquiſſimus Aphoriſmorum Interpretes dicit: Aphoriſmum eſſe, *Sermonem verborum inopem, ſenſibus autem locupletem.*

)( )(　　　No-

Præfatio.

Noſtro ore vocari poteſt, ein kurtzer Lehr-Satz/Lehr-Spruch. Breviſſima hac loquendi ratione, nuda quaſi veritas, & ſine veſte, proponitur, unaque acumen non leve inibi continetur, ut citra ambages, quidquid eſt rei, emicet palàm. Vel Aphoriſmus eſt ſententia univerſalis, gravis, brevis, ſeparata & vera.

Enim verò eſt ſua laus quoque deductiori loquendi vel ſcribendi generi; quis enim ſatis eloquatur vaſtum ſcientiæ naturalis, nè Medicæ dicam, pelagus? Interim tamen & ex Aſiatico ſtylo eruendum eſt, quod intellectus breviter & accuratè velut in theſi aſſequatur. Quia Hippocrates in aphoriſtica ſua Doctrina, aliud non intendit, quàm docere artem Medicam in compendio, & in hoc imitatus eſt Coſmographos, qui univerſum Orbem in anguſtiſſimam Mappam contrahunt: Idem fecit Hippocrates, dum vaſtiſſimam & longam artem Medicam, ob vitæ noſtræ brevitatem in compendium redegit. Eſt enim hæc Doctrina brevis, ſed plena nectareo ſucco & omnibus abſoluta: & in hac, ſumma Medicinæ capita comprehenduntur, & quæ graviora ſparſim alibi Hippocrates docuit, in hoc uno opere collegit omnia generaliora & principaliora Medicinæ Theoremata; certumque eſſe exiſtimo, Hippocratem Aphoriſmos, non in juventute, ſed in ſumma Senecture, tanquam cumulum ſui laboris & Experientiæ, eoſque partim ex infuſione Divinâ, partim ex propria induſtria, partim ab Anteceſſoribus ſuis, ex genere materno, *Hercule & Jove*: ex paterno Æſculapio,

lapio, ſuoque Patre Heraclite, aliisque, ſcripſiſſe & hauſiſſe. Conſtat pariter, Hippocratem multa practica collegiſſe ex tabulis templi Æſculapii, in quo multi ægri convenerunt curandorum morborum causâ, illa autem, quibus curati fuerunt, remedia, parietibus templi affigebantur, quas utpote nudas & ſimplices morborum obſervationes, præceptis & documentis firmiſſimis ſtabilivit. Noſtræ autem morborum tabulæ non ſunt parietes templi Æſculapii, ſed Authores noſtri.

Traduntur aphoriſmi ſeptem libris, octavus enim utpote ſuperfluus ferè, & interjectos continens, minùs attenditur, nec à Galeno nec aliis æquè agnoſcitur. Et hujus quoque diviſio concinnior ac receptior eſt præ aliis, ità ut 404 aphoriſmi numerentur in univerſum, quamvis repetitus viſatur unus & alter.

Primus liber Victum, ſeu immittenda & emittenda deſcribit. *Secundus*, *Sextus* & *Septimus* ſigna morborum conquirunt. *Tertius* morbos juxta anni tempora & ætates diſtinguit. *Quartus* excrementorum, evacuationum & Criſium rationem affert.

Utut verò connexio quædam videri poſſit deſiderari in aphoriſmis hiſce primo intuitu, ex contextu tamen ipſo ſymbolica quædam tractandi ratio emicat, vel ſub certis claſſibus ordinatè concipi poteſt. Hinc quod in proverbio eſt, velut ex ungue leonem, ex aphoriſmis de reliquis Divini *Coi* fontibus, imò amplius judicare fas eſt, quorum ſunt rivuli & deſectæ portiones. Sunt hi

)( )(2 apho.

aphoriſmi magiſterium quoddam artis, non niſi longo uſu & experientia, à Viri ſummo ingenio, maximo cum judicio, in ætate ſua provecto ut dixi, exaſciati, & ceu ſtatuæ quædam mercuriales propoſiti.

Quamobrem & in examinibus ſolennibus aphoriſmorum reſolutio eſt è præcipuis, & Hippocratis effata, fundamentum primum omnis Medicæ Scientiæ, ſeu antiquitatem ſpectes, ſeu veritatem, ſtruxêre, in nova etiam ſententia.

Neque enim audiendi ſunt, vel mitius interpretandi, qui in dubium vocare fidem aphoriſmorum, ſategêre. Cum enim ex praxi & longâ experientiâ ut dixi, nati ſint, non ex vana & ſterili ſpeculatione, ſiſtunt reverà hiſtorias ac caſus, obſervationes factas, vel lemmata & regulas indè ductas. Neque etiam veritas vel illuſtratio æquè apud interpretes invenitur, quàm in genuino examine textûs & re ipſa.

Non potuimus, licèt in praxi ſat diu exercitati, ſæpe aſſequi hujus vel illius aphoriſmi rationem priùs, quàm ſimilis aliquis caſus nos manu ad aſſenſum plenarium duxit: Exemplo ſit 7. aph. 36. Si quibus verò è renibus laborantibus, præter ſuprà dicta ſigna, dolores etiam circa ſpinæ muſculos fiant, ſiquidem ad loca exteriora ſentiantur, extrinſecùs abſceſſum quoque fore exſpecta: Si verò dolores ad interiora magis vergant, abſceſſum etiam intrinſecus futurum potiùs exſpectandum & ſperandum eſt.

Quem

Præfatio.

Quem aphoriſmum optimè intelleximus ex obſervatione: Fœmina 24. annorum, ante quatuor hos annos, à tribus menſibus ἄμηνος, unde gravidam ſe putabat, nobis renuentibus, offerebat circa ſiniſtram lumborum regionem, tumorem grandem, quaſi fungoſum, durum & ad natem ac coxam vergentem, occaſione caſûs ante biennium, prævijs ſignis ab Hipp. laudatis, ſenſim enatum & neglectum, cum ariditate quadam corporis reliqui, & pulſu frequenti.

Hic cum diſcuti non poſſet, rubore & dolore prævio in abſceſſum abibat, ſuppuratus, apertusque. Inde parumper levata viſa, calore hectico perdurante cum diarrhæa aliqua, ſenſim conſumpta, vitam cum morte commutabat. Opinione graviditatis oblata ſectione cadaveris, deprehendimus inter alia, hepar calidum & exſangue, lienem maximum, lividum & ad putrilaginem pronum, pancreas totum ſcirrhoſum & durum, renem dextrum majorem & bene habentem, ſiniſtrum vero vix ſui veſtigium relinquentem, inſtar ovi columbini ad ſummum, glandoſum, durum excarnem, ſuppuratum & pus fundentem, ut & veſtigia trium vel quatuor foraminum, circa hujus clima, ex quibus foras ad lumbos progreſſus puris factus, quorum unum ſtylum adhuc foras ad abſceſſum jam fere ſanatum admittebat; uterum parvum, durum & quaſi ſcirroſum; circa pulmonem ſiniſtrum aquam purulentam copio-

ſam, & pleuram conſumptam, aquam pericardii itidem corruptam & quaſi purulentam.

Accuratiſſimus igitur fuit obſervator Hippocrates nec temere quicquam prætervidit. Sicque occurrunt dubia vel aliter ſe habentia afferta, ſupplendum eſt, intelligenda utplurimum & ordinarie, cæteris paribus, confirmanda ex praxi, cujus ſunt cynoſura, ſecundum quam tuto procedit, & feliciter medendi artifex, ſublatitudine illa temperamentorum, ætatum, ſexus, regionum, & circumſtantiarum aliarum.

Offert ſe hic ad explicandum ampliſſimus campus, ſi ſenſus verbalis & realis eruatur, ut verba examinemus, maxime verò rem ipſam, ſi rationes & cauſæ, ſi ſubjecti & prædicati ambitus ac connexiones, ſi methodum analyticam & demonſtrativam, cujus callentiſſimus artifex fuit Hippocrates, in ſubſidium vocemus; ſi in partes ſuas locemus & diſtribuamus textus ſingulos, penitiùs ſic in emphaſin cujusvis penetrantes.

Adde ſi exempla, ſimilitudines, contraria, & ex Chimia, anatome, mechanica, diæta, vita communi, huc pertinentia penſitemus, quæ omnia experti loquimur, emenſi illud latifundium, & quaſi pelagus Medicum. Sint etiam quædam exoleta, prorſus, nec amplius in uſu, vel aliter ſe habentia, nil obſtat: dies enim diem docet, mitius explicari poſſunt & debent ſingula, quorſum & ſpectant Georgii Friderici Laurentii Exercitationes,

nes, in nonnullos minùs abſolutè veros Hippocratis Aphoriſmos, eorumque rationes à Commentatoribus adductas. Non poſſumus hinc quin & Commentatorum mentionem aliquam faciamus. Nullus fortè liber fuerit ex Medicis in univerſum, vel Hippocratis ſeorſim, qui tot Commentatores fuerit ſortitus, quàm libri hi aphoriſmorum, non ſolùm Veteres, *Galenum*, omni laude & in hoc dignisſimum: *Philotheum*, *Oribaſium*, *Celſum*, *Leonicenum*, *Gorræum*, *Duretum*, *Martianum*, *Cornarium*, *Ætium*, *Paulum*, *Alexandrum*, *Aurelium*; ſed & Recentiores, è ſuperiori & noſtro ſæculo plurimos, & inter hos ipſos *Paracelſum*, *Actuarium*, *Braſſavolam*, *Cardanum*, *Foeſecam*, *Fontanum*, *Heurnium*, *Holerium*, *Mercurialem*, *Orthaſium*, *Argenterium*, *Montanum*, *Fuchſium*, *Bartholinum*, *Vegam*, *Valeſium*, *Viſcherum*, *Sorbait*, *Holerum*, *VVedelium*, *Tozzium* & plures alios. Tres tamen poſteriores ſingulare in enodanda ſcientia Aphoriſtica, tum Veteri tum nova præbuerunt emolumentum, præ cæteris vir Eximius Lucas Tozzius qui omnem propè adimplevit claritatis & eruditionis paginam cujus Laudatiſſimis inſiſtendo veſtigiis, ejus potius Laudem his in terris hucusque ignotam potius propalare quàm meam facere lubens conſtitui.

Medicos etiam ſecuti ſunt Juris Conſulti & Theologi; ità & ex Theologis ſatis grandi volumine, Medicas, Politicas, Morales & Theologicas interpretatio-

nes edidit Canonberius. Alii integris locârunt operam, alii aliquibus ſaltim, quæ latius fuerit recenſere, ne dicamus de modo tractandi diverſo, uti *Offredus* commentarium analyticum ſcripſit, meris ſyllogiſmis explicationem complexus. *Lygraus* meram paraphraſim, ut *Marinellum*, *Braſſavolam*, *Hollerium*, *Heurnium*. Commentatorem in Gallica lingua Anonymum, & alios ſilentiô prætereamus.

Nos ut majorem nobis, aliisque conciliemus fructum & utilitatem, eo collimabimus, ut eâ, quâ poſſumus ſuccincta, clara tamen brevitate, hoc arduum opus, tum in Veteri tum in nova ſententia ordiamur & abſolvamus, ut mens, textus & uſus facile patere queat: quod ut tanto ardentius & fructuoſius fiat, Vos quotidie ſeduli eſtote in auſcultando, ego omni die aſſiduus futurus in explicando. *Nemo enim Iter ad cœlum perficit niſi qui quotidie incipit.*

LIBER

LIBER PRIMUS
SEU
SECTIO PRIMA APHORISMORUM HIPPOCRATIS
DE
VICTU SEU IMMITTENDIS ET EMITTENDIS.

Aphoriſmus I.

Vita brevis, ars longa, occaſio præceps, experimentum periculoſum, Judicium difficile: oportet autem non modo ſeipſum exhibere promptum, ad ea quæ decent facienda, ſed & ægrum & præſentes, & externa.

Contentum ſeu Intentio.

De ratione aphoriſticæ doctrinæ & concurſu perſonarum circa morbos.

CUm hic aphoriſmus ſit primus a parte ante, nullam habet connexionem, quia nullus præceſſit, cohæret tamen cum ſubſequenti ea ratione ut ſit futuræ doctrinæ qu ſi principium & fundamentum Quin uno ipſe Galenus in ipſo limine dubitat, an hic unus ſit an plures apho-

 riſmi:

riſmi: quod dubium increpando Galenum ſolvit *Cardanus: hoc enim eſſet* (inquit) *ipſum Hippocratem accuſare, qui duo diverſa in unum compegerit*. Cardanum hucusque ſecuti omnes Interpretes (ut paſſim videre eſt) aſſerunt unicum hunc eſſe aphoriſmum, ſed duo ejus eſſe membra: *Primum*: movet difficultates ex parte Medici, & aphoriſticæ doctrinæ neceſſitatem, quia vita humana brevis eſt ad tam arduam & longam artem addiſcendam. *Secundum*: difficultates & Medici & ægri, aſſiſtentium & rerum externarum conſiderat; nempe requiſita ad obtentus operis conſecutionem, ſcilicet obtemperationem ægri, aſſiſtentium diligentiam, & externorum debitam præparationem & adminiſtrationem: unde videtur hic aphoriſmus univerſi operis Prodromus & Proœmium. In hoc ergo aphoriſmo Hippocrates prudentis Patris & Præceptoris officio functus eſt, qui filio aut diſcipulo ad ſtatum aſpiranti, prius deguſtandam offert putaminis amaritiem, antequam apertæ nucis dulcedinem porrigat. Vel agit aquilam quæ pullorum ſuorum conſtantiam & fortitudinem, per fulminantium nubium tonitrua prius explorat, antequam ad Solis aſpectum dignos judicet. Unde ergo patet, nihil eſſe intermittendum quod ad illuſtrandam & amplificandam artem faciat, Tantoque magis quanto illuc concurrentia facile poſſunt vel eludi, ut occaſio, vel fruſtrare ut experimentum. Medicus omnia ea conferre debet, quæ ullo modo ab ipſo poſſunt deſiderari. Hinc Medicus (ut ejus officium paucis comprehendamus) non ſolum debet eſſe peritus artis, diligens ac ſolers, occaſionis captator, exercitatus & Natura prudens, verum etiam apud ægros & adſtantes, morum honeſtate & elegantia, vitæ gravitate, humanitate, fide, taciturnitate, temperantia, pietate, induſtria, Vitæ integritate & caſtitate, officiorumque omnium promptitudine, authoritatem & gloriam ſibi conciliare ſtudeat, ut ipſos ad omnia conſilia & juſſa habeat obedientes & benevolos, curet quoque ut externa univerſa ægro ſint grata & commoda, cautus ſit & circumſpectus, ne clandeſtinis adſtantium machinationibus decipiatur, deſperatis non temere ſpem ſalutis polliceatur, neve inani ſpe impleat, aut ægrotantes leviter deſerat, non quicquam inconſiderate præcipiat, memorque ſit eorum quæ ante mandavit; corporis habitu majeſtatem quan- , faſtu ac ſuperbia carentem ſervet: vultu ſit hilari erga ægros, & nobilitatis non immemor, ne dum ſe ægris gratioſum præbeat, illis manci-

mancipii ritu obſequatur; ſermones non ſint fatui ac inſulſi nec de alienis veſtes habeat non ſordidas nec tamen ſumptuoſas. Vulgi & imperitorum judicia non animo effœminato pertimeſcat, ſed infracto & forti fabellas mulierculatum contemnat, conſcientia recte actorum fretus, accurate de ſingulis accidentibus ægrorum quærat, ut ipſorum ſalutem ei curæ eſſe intelligant. Denique operam det, ut omnis medicatio ſit tuta, cita, & jucunda, ne tamen nimia feſtinatio periculum creet, quare feſtinet lente, prout morbi natura, virium conſtantia, ætas, ſexus, & ſimilia requirere videbuntur.

Non ergo in ſolo Medico eſt ſemper relevetur ut æger, interdum docta plus valet arte malum, ſed plures concurrunt, nempe ægri, adſtantes & externa.

Horum alterutro deficiente, præter fatalem moriendi neceſſitatem, facile per errorem eadem promovetur, & acceleratur, ut ſæpe fit.

Vita, (tempus ad ampliandum & cognoſcendam artem) *brevis*, (eſt) id eſt: Vita brevis eſt, facta comparatione ad artem quæ longa eſt, licet enim homines centum & ultra annos viverent, facta comparatione ad Medicinæ difficultatem & multifariam rerum cognitionem, vita illorum brevis dicenda foret, cum nec ætas hominis, nec multa ſæcula ſufficerent pro iis, quæ Veteres tradiderunt, & quæ Recentiores (veteribus ignota) invenerunt & amplificarunt, v. g. de motu cordis, ſanguinis, venis lacteis, lymphaticis, fermentis, generatione animalium &c. vel facta comparatione ad brevem aphoriſmorum doctrinam, quæ vitæ brevi optime convenit, vel facta comparatione ad alia quæ diutius durant, quam hominis Vita. Unde ſi ars aphoriſtice, id eſt breviter, omiſſis rebus inanibus tractetur, & ſedulitas adſit, vita erit ſufficiens. *Ars* (Medica) *longa*, (tum quoad amplitudinem regnorum, tum morborum, tum ſubjecti) id eſt, *ars longa*, longiſſimam inter artes, Medicinam eſſe,

I probant ſexcentæ morborum ſpecies, quorum eſſentiæ, cauſæ, ſigna, prognoſes, indicationes, curæ, ex tempore & cito innoteſcant Medico, neceſſe eſt.

II innumeræ ſunt ſublunarium varietates, ex regno vegetabili, animali, minerali, quorum omnium naturas & qualitates manifeſtas & occul-

occultas callere debet Medicus, & eas in cerebro, quaſi viva Bibliotheca circumferre oportet.

III. quam admiranda eſt, & infinitis partibus contexta, corporis humani ſtatua, & quævis pars ſuo temperamento, actione, uſu, nomine dotata?

IV. Medicus debet eſſe anatomicus, chirurgus, Philoſophus, Botanicus, Pharmacopæus, Chymicus, & quæ non in his eſt farrago? unde pro his vix vita ſufficit, nec plures ad obtinendam perfectionem ſufficerent. Proinde miramur ſane aliquorum volatilium ingeniorum immaturam curioſitatem, qui in Arte Medica, multas horas in addiſcendis inutilibus & curioſis quæſtionibus collocantes, utilem & ægrotis tantopere neceſſariam Theoriam & Praxin cum magno illorum damno negligunt. Prudentiſſime ſane Chylo Philoſophus aiebat, *ideo neceſſaria ignoramus quia neceſſaria non didicimus.* Hos Medicinæ Studioſos vivis coloribus depingit Poeta.

> Unde iſtud? niſi quod pars horum maxima neſcit
> Quid faciat: quid ſit prorſus Medicina: ſed ipſi
> Dum tantum incumbunt Sophiæ & Dialecticæ diſcunt
> Vincla quibus valeant indoctum nectere vulgus.
> Vix Elementa artis Medicæ & primordia libant;
> Sic labyrintheis ambagibus ad ſua tecta
> Inſtructi redeunt, atque enthymemata vibrant:
> Hinc tumidi incedunt, hinc publica proemia poſcunt,
> Id ſatis eſſe putant (nec decipiuntur) ad hoc ut
> Carnifices hominum ſub honeſto nomine fiant.

Tales ergo magis Veſpilonum quam Medicorum numero adſcribendi. *O caſio* (agendi cum effectu quæſitio) *præceps* (ſubito labens in puncto ſæpe conſiſtens) *occaſio*, id eſt tempus idoneum exhibendi, *quæ anima curationis eſt. Præceps* eſt ob continuas & repentinas mutationes v. g. in acutis & aliis; ſi ergo hæc negligatur, actum eſt: ſicut & fit ſi Medici poſt feſtum & tarde vocentur. Vel Medici curas procraſtinent, & nimis naturæ fidant, eſt enim occaſio ſæpe momentanea & irreparabilis: nam teſte Stobæo: *qui deſerit occaſionem ab occaſione deſeritur*: nam principiis obſta, ſero medicina paratur. Hinc Ovidius:

Oppri-

Opprime dum nova ſunt ſubiti mala ſemina morbi.

Omittendæ ſunt longæ & ſuperfluæ conſultandi ceremoniæ, quibus remedia opportuna differuntur, vel omnino negliguntur. Nam quos Medici occidunt, plures occidunt paſſive quam active, id eſt remedia convenientia non exhibendo, vel inani timore differendo. Unde Plutarchus dicit; *hoſtem domare cum potes, eſt armare ut pereas.* *Cito* ergo curandum & malignitas ocyus ſuffocanda eſt; primæ viæ expiandæ, antequam maſſa ſanguinis fermento illo exotico inquinetur. Non autem illud cito curandum cum temeritate fiat, quia hoc non eſſet tuto, ſed cum periculo & morte curare, de quibus Poeta.

Non ſinis in longo miſeros putreſcere morbo
Abſolviſque brevi morte, benignus homo es.

Tunc ergo operandum eſt Medico cum Natura vel omnino non, vel erronee aut imperfecte operatur; quiescendum vero cum Natura bene operatur. Recte profecto *Oribaſius*, præcipitem occaſionis lapſum comparavit, fluenti aquæ fluvii, ut quemadmodum quis digitum in fluvium immergens, mox elevans, ac ſubinde denuo immergens, non eandem tangit aquam, ita ſingulis horarum momentis corpus ægrotantis (utpote valde labile & innumeris obnoxium mutationibus) variat, & occaſio agendorum præterit. Unde Veteres *occaſionem* deſcripſere occipitio calvam, fronte vero capillatam. Et Galenus *1 prognoſt* inquit *occaſio ita volat ut aliqui moriantur prius quam vocetur Medicus.* Illam equidem tanti fecit Hippocrates, *ut libro de arte doceat omnem morbum curari poſſe ſi Medicus occaſionem opportunam agendorum non omittat.* *Experimentum pericu'oſum* (tum ob inquirendorum difficultatem, tum ſubjectorum varietatem, & in ſingulari, tum etiam propter humani corporis dignitatem, variamque ægrotantium habitudinem & ſymptomatum conditionem) loquitur hic Hipp. de Experientia quæ rationi non conjungitur, ut Empyrici, nam qui ſic ſe experitur, facile necat. Experientia non niſi longo uſu contrahitur, juxta illud Ovidii

- - - - ſeris venit uſus ab annis.

Experientia à Gal. definitur lib. de optima Secta ad Thraſyb. *memoria ejus, quod ſæpius & eodem modo viſum eſt:* Hanc ſubdit Gal. in commentario hujus aphoriſmi. *In corpore humano illa experiri, quæ non ſunt experientia comprobata non eſt extra periculum, cum malæ experientia ad totius animalis interitum terminetur.* Unde eleganter dixit *Plinius Lib. 29. cap. I.* Medicos inſectatus. Negotiantur animas noſtras & experimenta per mortes agunt.

Hæc experientia in aliis artibus, quæ lutum, ferrum & lignum &c. pro ſubjecto habent, tam periculoſa non eſt ſicut in arte Medica. Delet pictor ſuos errores, figulus ſuos, faber ſuos; Juriſta ad alium Tribunal appellat: ſed Medici errores (in corpore humano) mors ipſa excipit. unde Poeta

- - - - erravi ſæpe necando
Dicere ſeu mavis errando ſæpe necavi.

Nam de corio humano non licet impune ludere, & perdita ſemel cauſa non datur appellatio, unde Italorum adagium.

Morto io, morto tutto il mondo.

Nova experimentes fallax & plena periculi eſt, expertis uti etiam periculoſum ob varietatem Naturarum, morborum, temporum, ætatum &c. Unde Medicus debet eſſe circumſpectus, & à levioribus incipiat, ægrosque ſæpe viſitet, rationem cum experientia conjungat, & non ut Empyrici, qui ſola experientia, nulli rationi juncta procedunt; hinc optima etiam remedia in Empyricorum manibus, ſunt velut gladii in manibus furioſorum.

Judicium difficile quod eſt vera ratio agendorum. Judicium generale in Medicina non eſt difficile: particulare & circa individua difficillimum ægri curantur in Scholis, & moriuntur in lectis, ratio eſt in promptu. quia doctrina ſolius ingenii & memoriæ foetus eſt, dexteritas autem agendi eſt partus judicii. Rarum autem eſt boni ingenii & ſolidi judicii connubium, juxta illud Epitaphium.

Hic jacet memoria & exſpectat Judicium.

Quanta non eſt difficultas in judicandis temperamentis, quæ tot ſunt, quot homines. Unde Gal. 3. meth. med. dicit. *Si ego temperaturam corporis ſcire poſſem, qualisnam ſit in toto corpore, me eſſe Æſculapium profiterer.*

Taceo

Taceo diverſitatem morborum, taceo partes, taceo conſenſum, taceo dyſcraſias partium & humorum, taceo ætates, anni tempora, regiones taceo Anthorum Veterum & Recentiorum volumina, & ſuper ea ferenda judicia, dum illi lite, hi aba ſentiunt & docent. taceo alia ſexcenta v. g. ſigna, cauſas, prognoſin, curam & millia millium remedia Et licet remedium optime proficeret, ambigendum tamen adhuc eſt, quibus vis & quæ efficacitate contulerit:

Oportet autem (ad conſequendum feliciter ſanitatem ſeu finem) *non modo (Medicum) ſeipſum exhibere promptum ad ea quæ decent* (intus vel extus lege artis) experientia & ratione, *facienda ſed & ægrum* (ipſum in applicatione & diæta) ægri enim qui vivunt prout volunt, curantur prout poſſunt, & moriantur ſicut ſolent, unde bene Poeta:

Qui fugienda facis, qui facienda fugis.

Caveat Medicus ne ægros curet ſimulatos, inobedientes ſuaviter admoneat, alias fruſtra curat, juxta illud

Fruſtra Apothecatu medicatus ingeris offas
Quas Germana tibi Paule culina negat

Fruſtra adhibentur ſudorifera, ubi ſtragula deficiunt; fruſtra ordinatur aqua ubi famuli vinum clam porrigunt. Sæpe præcox guſtus & ciborum ſapor multos convaleſcentes, fermentis & morbis nondum reſtitutis ad mortem deduxit juxta illud

Millia ſanctorum Rex ſapor multa peremit
Occidit dulcis millia plura ſapor

Prudentiâ tamen Medici opus eſt, quâ facilè dignoſcet ſimulationes, inobedientiam & peccata Patientium, hic etiam gratificari poterit in his quæ parum nocere poſſunt, ægrumque conſolando & perſuadendo.

Et præſentes: adſtantes, mulieres clinicas ſeu expertas, domeſticos, aliosque Medici miniſtros, Chirurgos, Pharmacopæos, domeſticas ancillas, ſervos &c. qui attendant ut omnia fiant & Medicus non decipiatur. *Ars* enim inquit Hipp. I. Epidem. Sect. 2. Tit. 51. *Tribus conſtat, morbo, ægro, & Medico artis miniſtro, ægri autem eſt una cum Medico morbo reluctari*:

Et externa (in rebus ſex nonnaturalibus v. g. aere, animi affectibus) terror, ſtrepitus, canum latratus, triſtis aut lætus nuntius &c. motus, importunæ medicamentorum exhibitiones, vel male præparata

parata & data medicamenta, nè natura impediatur in opere ſuo. Ea verò quæ fortuito & caſu fiunt, DEO committenda & prognoſtico. Et Medicus etiam in his prudentiâ utatur. Confidentiam pariter ægroti in Medicum valde conferre ad morborum curationem docet Gal. *Ille plures*, inquit, *curat, in quem plures confidunt*

Dices: Si ars ſit longa & vita brevis, ergo nullus erit perfectus Medicus. ℞. Vita hic brevis intelligitur diſtracta, non ſoli Medicinæ vacans, Medicina enim totum hominem requirit, quod nec fecit Hippocrates, nec Gal. nec nos facimus. Interim bonum erit & conſultum, nullum in Doctorem promovere, qui non ſit bene fundatus, minus enim habens, licèt Doctoris nomen gerat, Doctor tamen reverà non eſt, ſed talis velatis oculis currentem capere nititur, de quo Poeta.

Si vis ſanari de morbo neſcio quali
Accipias herbam ſed qualem neſcio vel quam
Ponas neſcio quò, cumbere neſcio quando.

Quæres cur Vita hominis tam brevis ſit? ℞. propter communem interitûs cauſam, nempe Elementorum contrarietatem & indè ortas in nobis mutationes, violentias, corporis & animi motus, officia, diſturbia, perſecutiones, exceſſus &c.

Quæres II. Quid ſit Vita. ℞. Cum D. Thoma Vitam eſſe duplicem, *ſubſtantialem*, quæ eſt principium, quo quid in ſe immanenter & intrinſecè operatur: *accidentalem*, quæ eſt ipſi animæ operatio. Vivere enim & eſſe in animatis eſt idem, hinc animata ſolâ vitâ ab inanimatis differunt.

Quæres III. Utrum verum ſit illud: Turba Medicorum perdidit Cæſarem. ℞. Cum Seneca multitudo Conſiliariorum & confuſio conſiltorum nec decet eſſe multos, nec nullum, ſed nec unicum: Tres ergo cum faciunt collegium, etiam poſſunt facere conſilium, tres ergo vel quatuor ſed boni & veri Medici ſufficiunt.

Quæres IV. Quasnam virtutes verus Medicus habeat neceſſe eſt? ℞. Cum Poeta breviter, fuſius autem in Inſtitutionibus, & mox ſuprà diximus

Comis & indulgens miſeris, minimèque ſuperbus
Alloqui facilis, ſit promtus ſemper adiri
Inter opes contemptor opum, contemptor honorum.

Apho-

Aphoriſmus II.

In perturbationibus ventris & vomitibus ſponte evenientibus, ſiquidem qualia oportet purgari, purgentur, confert & facile ferunt, ſin minus, contra: ſic vero & vaſorum evacuatio, ſiquidem fiat, qualem fieri decet, confert & facile ferunt, ſin minus contra: quocirca conſiderare oportet & regionem & anni tempus, & ætatem & morbos, in quibus expedit aut non.

Contentum & Intentio.

De modulo Evacuationum.

Connexio: Priori aphoriſmo docuit difficultates artis, Medici, ægri, & adſtantium, & externorum, & media oſtendit ad eas tollendas, In hoc aphoriſmo ſigna docet & notas bonarum & malarum evacuationum, *αυτομάτως* à natura ſponte factarum. Hic aphoriſmus tres habet partes: In prima ponit medium ſuæ concluſionis de evacuationibus. in ſecunda ponitur Hippocratis intentio, ſi fiat evacuatio humoris peccantis, inducit conferentiam, ſin minùs, contra: In tertia adducit utilia quædam, quæ & pro probanda ſua doctrina, ita & ipſi Medico multum ſerviunt, uti eſt Regio, ætas, tempus, morbus, temperamentum, victus, conſvetudo.

Vomitus & diarrhæa, ut ab arte, ita & ſæpe ſponte, vitio bilis, acidi, & ſimilium irritatorum & oneroſorum eveniunt.

Omnis excretio menſuranda eſt tum quantitate, tum qualitate, licèt ut Galenus tenet, hic ſolam qualitatem intelligat Hippocrates, cum dicat qualia evacuari oporret, raro autem qualitas abſque quantitate eſt, ergo utraque ſaltèm implicitè intelligitur, ut patet in vaſorum inanitione, tum inſtar omnium *εὐφορία* in utramque partem: *Euphoria*· id eſt debet evacuatio judicari non ſemper ex multitudine, ſed ex euphoria id eſt conferentia & tolerantia, ſeu melioratione:

 per

Per ſpontaneas evacuationes non excluduntur ſymptomaticæ quæ fiunt à Natura irritata, quæ etiam ſunt ſpontaneæ, quia non fiunt ope Medici aut medicamenti, & eas etiam ſequitur melioratio.

Prætereà docet Medicum eſſe miniſtrum naturæ & imitatorem, ut nempe naturam bene agentem imitetur, juxta illud *quò natura vergit eò ducere oportet*. dando etiam ſimul ſpecifica & humori peccanti appropriata, & hoc eſt talia purgare qualia purgare oportet, & leviter ferent. Et irritatam non ſequatur. Neque Medicus enim Naturam irritet violentis remediis, ſic enim non leviter ferent, imò ægros in extremam virium jacturam & hypercatharſin conjiciet. In Medici enim poteſtate non eſt exceſſum purgantis ſiſtere, ſicut ſanguinem è vena ſecta effluentem cohibere.

Videre etiam oportet utrum ſit critica evacuatio, id eſt cum conferentia & humorum coctione, die critico: vel ſymptomatica cum diſpendio Naturæ & cruditate humorum, & non die critico, ſed in principiis morborum maxime, uti & aliis temporibus contingentes v. g. ſudores ſyncoptici, atra bilis excretio ſupra & infra, hæmorrhagiæ majores vel pauciores. Euphoria conſequitur evacuationem nocivorum & ſuperfluorum, relictis & imperturbatis humoribus bonis. Hæmorrhagia narium, uteri, hæmorrhoidum, evacuationum reliquarum æmulantur legem, in utramque juvantium & nocentium partem.

Excretionum modulus & prognoſis variat pro circumſtantiarum & rerum naturalium, nonnaturalium & præternaturalium conſtitutione varia: ac I. *Regio*, quæ plurimum poteſt in purgando corpore: aliter & facilius evacuantur Galli, Itali, Hiſpani: aliter & difficilius Germani & Septentrionales. *II. Tempus*. unde dicit 4 aph 5. ſub cane & ante canem difficiles ſunt purgationes. & in hyeme faciliores, & in Vere & autumno. Difficiles etiam ſub ſolſtitiis, æquinoctiis, quia in iis magnæ fiunt mutationes. *III. Ætas:* quia infantes, pueri & ſenes, magnas humorum & ſanguinis evacuationes non tolerant, iis tamen, ſed lenioribus quandoque egent. *IV. Morbi*: v. g. inflammationes, tabes, hydrops, lypothymiæ & ſyncope, evacuationes magis prohibent, quam tolerant.

V. Temperamentum, conſuetudo, victus ratio, etiam difficilem vel facilem faciunt evacuationem: ſic ſanguinei & bilioſi facilius, pituitoſi

&

& melancholici difficilius. facilius aſſueti, difficilius inaſſueti. facilius temperati, difficilius ingluvioſi & helluones.

Dices: Medicus non poteſt eſſe imitator Naturæ. I. Quia Natura per ſe agit. II. Natura agit in ſtatu, ſed Medicus in ſtatu non audet. III. Quia Medicus non poteſt facere criſim ſicut Natura. ℞. I. Si Natura bene agit, prorſus non eget Medico Imitatore. ℞. II. Non agit in principio & augmento ſtatus concedo, in fine ſtatus nego. ℞. III. Non facit Criſin diſpoſitive nego, formaliter concedo.

Aphoriſmus III.

Athletarum ſeu Exercitatorum, ſeu boni habitus, ad ſummum (id eſt bonitatis) progreſſi; periculoſi, ſi in extremo conſtiterint: neque enim poſſunt in eodem ſtatu permanere, neque quieſcere; cum vero non quieſcant, neque ultra poſſint in melius proficere, reliquum eſt ut in deterius decidant. Horum igitur cauſa bonum eum habitum ſolvere conducit, non cunctanter, quo rurſum nova nutricationis initium, corpus ſumat: Neque vaſorum concidentia ad extremum perducenda, periculoſum enim: Sed qualis natura fuerit ejus, qui id perpeſſurus eſt, eo usque progrediendum. Sic & evacuationes quæ ad extremum tendunt, periculoſæ: & rurſus refectiones cum extremæ fuerint, periculoſæ.

Contentum & Intentio.

De extremis repletionis & inanitionis.

Connexio: Egimus priori aphoriſmo maxime de qualitate evacuanda; in hoc agimus de quantitate educenda ad virium tolerantiam.

rantiam. Id eſt tantum evacuare oportet, quantum vires ferunt. Scopi evacuationis ſunt I. An. II. Quid. III. Quare. IV. Quo loco. V. Quo tempore. VI. Quomodo?

Omnis habitus corporis plus juſto obeſior, aliquid monſtri alit, ſeu in infantibus ſeu in adultis occurrat.

Athletæ dicuntur quorum inſtitutum erat luctari & in Palæſtris ſeſe variis certaminibus exercere, ideo alimentis veſcebantur multis & optimis, ut tanto ſpecioſiores & formoſiores ſe in lucta exhiberent: Cum igitur hi multa euchymorum ciborum copia ſe ingurgitarent, tantam carnium & ſanguinis plenitudinem ſæpe ſæpius adipiſcebantur, ut non raro ſubita & inopinata morte ſuccumberent. Talis ergo obeſus habitus eſt improportionatus humoribus, vaſis, ſpiritibus, actionibus, ob orgaſmum, ruptionem & virium lapſum. Solvitur diæta, laboribus, & medicamentis attenuantibus, aperientibus & aliis decenter adhibitis.

Ut repletio nimia oneroſa, ita & evacuatio extrema vitanda & quovis modo arcenda. Unde duæ ſunt partes hujus aphoriſmi. I. Extrema plenitudo de qua jam diximus; & extrema inanitio. II. Extrema evacuatio non convenit fortibus, ergo minus debilibus, propter vires, *quia omne nimium naturæ inimicum* ob virium lapſum & irreparabile damnum. Et teſte Seneca, *quidquid ad ſummum pervenit, ad exitum properat*: ſicut nimium ſanguinis, ita etiam nimius ejus defectus circulari apte non poteſt & ex illo inflammationes & febres, ex hoc convulſio & ſyncope, & ex illo ſuffocatio, ex hoc mors.

Athletæ igitur & ſumme repleti evacuandi ſunt, ne vaſa diſtenta rumpantur, vel humores ad partem principem ruant. Vaſa enim ſanguifera vel copia turgida, vel rarefactione diſtenta, ſecta vena concidunt, & ſanguis ſicut muſtum in fermentatione conſtitutum aperto foramine ocyus deferveſcit. Venæſectio ſanguinis irritationem & Archæi excandeſcentiam cohibet & minuit, calorem temperat, rarefactionem refrænat, motum præternaturalem inhibet, deficientem ſtimulat.

Ab evacuatione nimia ſeu poſitive ſeu privative, id eſt à natura vel Medico facta, ſubſident & connivent fibrillæ & oſcula vaſorum, unde ut dixi impeditur circulatio ſanguinis. Facta ſubſidentia oſculorum non ſimul & ſemel, ſed ſucceſſive magis refectio eſt inſtituenda.

da In his autem omnibus conſiderandæ vires, tempus, ætas, Regio, conſuetudo Neque etiam evacuatio facienda ſimul & ſemel, ſed ſucceſſive ita etiam refectio, alias enim recidiva vel aliud malum evenit, nam calor extinguitur, in hac debilis obruitur, & impeditur cordis & ſanguinis motus

Dices habitus athleticus tolli poteſt per inediam, frictiones, purgationes, ergo non tantum per venæſectionem ℞. Poteſt tolli ſine periculo & tam cito nego, cum periculo & moleſtia concedo mora autem in hoc caſu eſt periculoſa.

Dices II. Extremis morbis extrema debentur remedia, ergo etiam extremæ repletioni extrema evacuatio ℞. Diſtinguo in debilioribus & ſimul & ſemel facta nego conſequentiam. in fortioribus & ſucceſſive & paulatim facta concedo.

Quares cur Athletæ in eodem bonitatis ſtatu permanere nequeant? ℞. Siquidem in Athletis ſemper fit major ſanguinis accretio, ex nova ab alimentis additione, unde poſtremo arteriæ & venæ novi ſanguinis incapaces, vel rumpuntur vel intercipiuntur

Quares II. Cur in melius proficere non poſſint Athletæ? ℞. Quia abſque hoc ad ſummum bonitatis ſunt evecti, ultra quod proficere impoſſibile eſt.

Aphoriſmus IV.

Victus tenuis & exquiſitus, tum in morbis longis ſemper, tum in acutis ubi non convenit, periculoſus; ac rurſus qui ad extremum tenuitatis devenit victus, gravis; nam & repletiones ad extremum perducta graves ſunt.

Contentum & Intentio.

De victu tenui & exquiſito.

Connexio. Hactenus egimus de detractione per purgationem & phlebotomiam nunc convertimus nos ad adjectionem. Nam Medicina eſt adjectio deficientium, & detractio redundantium Duas

habet partes hic aphoriſmus in Prima oſtendit unum victum non omnibus convenire. In ſecunda ut doceat Medicum diverſas victus ſpecies pro morborum diverſitate præſcribendas eſſe.

Victus triplex eſt: *tenuis*, qui vires reſtituit, ſed debiliores quam ante erant v. g. ſorbitio, & convenit acutis morbis. *Mediocris*, qui vires in eodem ſtatu conſervat; ab aliis dicitur Medicus, uti ſunt juſcula carnium & convenit valetudinariis, ſenibus convaleſcentibus, morbis chronicis. *Plenus* qui vires auget, v. g. carnes, & convenit ſanis.

Aliis victus aliis, ægris & morbis convenit, id eſt victus tenuis & exquiſitus non convenit omnibus morbis chronicis prorſus non, teſte Hipp. 1. Aph. 9. infra. Nec ſemper acutis qui extenduntur, ob virium lapſum, quia minus reficit quam deperditum eſt. Unde bene dicit 2. Aph. 7. quæ longo tempore extenuata ſunt corpora, lente reficere oportere, quæ vero brevi, brevius. Victus tenuis (in quantitate & qualitate, ſubtrahit, exquiſitus ſubtrahit magis, ſtrictus & ad demenſum, imprimis ultra quam ferre & ſubſiſtere poſſit æger. Victus tenuis & exquiſitus habet ſuos gradus diverſimode applicandos, de quibus abunde agitur in Inſtitutionibus. Quo magis ad extremum inclinat victus alteruter, eo magis naturæ inconveniens & periculoſus, ſed *Dices*. in morbis acutis tenuiſſimo victu utendum eſt teſte Hipp. 5. Aph. 8. ergo. ℞. Hippocrates loquitur de morbis extreme acutis, vel cum in vigore ſunt.

Victus tenuis & exquiſitus morbis longis incongruus, attenuans vero proportionatus morborum à repletione remedium optimum. Diſtinguitur autem victus tenuis & attenuans: tenuis non tantum parcum ſed & nullius ſubſtantiæ alibilis cibum ſignificat, attenuans vero ſubſtantiæ nutribilis eſt, ſed virtutis attenuantis & aperientis.

Quæres quænam vires ſint reficiendæ ℞. maxime vitales, conſecutive etiam animales & naturales.

Dices: Hippocrates dicit in morbis acutis tenuiſſimo victu utendum eſſe, ergo hic male dicitur eſſe periculoſum. ℞. Hippocrates intelligendus eſt de extreme acutis, vel de ſummo morbi vigore.

Dices II. In Peſte qui diæte & parce vivunt, pereunt, qui plene ſalvantur. ℞. I. Sit fides penes Authorem. ℞. II. Noſter aphoriſmus loquitur de morbis humoralibus in quibus fit humorum coctio, non vero

vero qui pendent à qualitate maligna: & revera in his plus plenus quam tenuis victus ob vires debiles poteſt, quia facit reſiſtentiam per cibos roborata non autem obruta natura.

Dices III. Quod in morbis à maxima evacuatione pendentibus ſumme quoque vires languent, quæ licet exigant pleniorem victum quo refici poſſint, illum tamen non ſufferunt, quia nequit imbecilla virtus illum conficere. *R.* Eſto vires brevi extenuentur, ſolidæ partes vigent, à quibus plenior cibus conficitur, quia ciborum digeſtio potius ad ſolidas partes, earumque fermenta pertinet, quam ad ſpiritus. Sed bene notandum in hoc & ſimili caſu ſemper aliquid eſſe condonandum Regioni, anni tempori, ætati, conſuetudini, id quod in prudentis Medici judicio eſt collocatum.

Aphoriſmus V.

In victu tenui delinquunt ægri, ob id magis læduntur, quicunque enim error committitur, major in tenui ſit, quam in paulo pleniore victu. Propterea etiam ſanis periculoſus eſt valde tenuis conſtitutus & exquiſitus victus, quoniam errores gravius ferunt: hac igitur de cauſa tenuis & exquiſitus victus, eo qui ſit paulo plenior, maxima ex parte periculoſior.

Contentum & Intentio.

De erratis victus collatis.

Connexio: Sicut in priori aphoriſmo egimus de modo exhibendi victum tenuem, mediocrem vel craſſum, ita & in hoc de illo agimus: & ſicut ibi damnavit, ita & hic damnat, quia dicit quod delinquant, & eo magis quo tenuior, una enim victus ſpecies, qualis tenuis eſt, non poteſt competere omnibus morbis.

Hic ergo aphoriſmus dividetur in tres partes: in prima concludit quo tenuior eſt victus ratio, eo periculoſior. In ſecunda dicit hoc

etiam

etiam ſanis accidere: in tertia concludit errata, quæ in tali victu conſiſtunt, ſunt magni momenti & ægrum perdere poſſunt.

In omnibus morbis ſufficere ſpiritibus fomitem ſufficientem par eſt, alias natura ſuccumbit ex defectu refectionis.

Quo minor eſt plenitudinis præſentis indicatio, eo magis victus tenuis non ſolum in cibo ſed & potu nocet: unde Hipp. tres caſus ponit. primus eſt de omnibus qui à victu tenui læduntur. ſecundus etiam ſanis nocet; tertius ergo magis ægris.

Nulla exacta victus ratio ultra appetitum, euphoriam, & corporis ſenſum imperanda vel admittenda. *Homo ſanus nullis legibus obſtringi debet teſte Celſo.* Ex duobus malis præſtat exceſſu peccare quam defectu, largius repleri quam minus: cum enim Medicus evidenter prævidere nequeat mox à principio, quo & quoto die morbus judicabitur, melius facit ſi pleniorem victum inſtituat, quam tenui ægrum exhauriat. Sequatur Juriſtarum regulam quæ docet, *favores ampliandos & odia reſtringenda eſſe*: alias enim contingit ut poſtea ſub ſtatu plenius debeat nutriri, quod eſt periculoſum & tunc potius debet detrahi victus quam addi: unde Hipp. dat exemplum à navigio, ſicut in navigio error qui tempore tranquillitatis, licet magnus contingat, vix nocet, tempore autem tempeſtatis minimus navem perdit: ita in ſanis & morbis levibus error factus parum nocet, ſic morbis gravibus, periculoſis & acutis, hominem error perdet. Unde etiam ſanis non ſemper delicati cibi conveniunt, quia talia facile diſſolvuntur, & facile tales delicatuli à levi cauſa læduntur. Id quod obſervavit quidam Advocatus Juris, qui ruſtico vitulum donanti ſic reſpondit:

Quid mihi cum vitulo pullis & mollibus ovis
Flaccida, ſubtilis, rara fit inde caro.
Conſuluit Medicus mihi duris carnibus uti
Sit tibi cura mei tuſtice, mitte bovem.

Sed *dices*: Hippocrates toties ordinat victum tenuem in acutis: ℞. Quia frequentius morbi acuti prohibent victum plenum, quam ut vires conſervandæ tunc exigant. Et Medicus magis debet attendere ad id quod magis urget. Et Hipp. maxime loquitur de ſtatu morbi, ubi cibus detrahendus eſt, ſed cum diſcretione ne lædat.

Dices II. Multi multos morbos per inediam curarunt: ℞. Si adſit

ſit magna repletio & ſimul vires, concedo, alias nego. Sed

Dices III. In principio morbi ſemper adeſt repletio, ergo victus tenuis convenit ℞. Diſtinguo Conſequens: Si morbi brevi ante reſolutionem virium terminentur, concedo, alias nego.

Dices IV. Avicennas dicit cum ignoras morbi cauſam, tenuiori victu utitor, ergo convenit. ℞. Avicennas non loquitur de adeo tenui victu, ſed tantum de aliqua ſubtractione ciborum, quæ in principio morbi ignoti tuta eſſe ſolet.

Dices V. Hipp Lib 2. de victus rat in acutis dicit: *ciborum* adjectioni *multo minus incumbendum, ſubtrahere vero omnino expedit:* ℞. Hunc textum Hippocratis intelligendum eſſe, in morbi vigore eſſe ſubtrahendum & hoc non eſt contra nos, nec contra Hippocratem & Gal. qui Lib 2. de vict in acutis comm 49 idem dicit. Ut verbo dicam longe magis peccat, is qui cibum dat ubi non convenit, quam ille qui negat ubi convenit Hippocrates optime in hoc aphoriſmo re ipſa conſulit, damna victus tenuis & plenioris, atque rationabiliter pronuntiaſſe periculoſiorem eſſe *tenuem paulo pleniore*, quia ille viribus detrimento eſt, hic autem prodeſt Sed in his reſpicienda maxime eſt Natura, modus & mos vivendi, ætas, conſuetudo, & alia

Accurate victus rationem determinantes, tantum abeſt ut ideo ſani ſint magis, ut magis ſæpenumero valetudinarii, & erroribus aliis facile lædendi Unde Hipp 6. Epid dicit *illos citius mori quo exquiſitius vixerint*. quia ut ſupra diximus, *ſanus homo nullis ſe legibus obligare debet.*

Aphoriſmus VI.

Vid. aph 6. libr. 8.

Ad extremos morbos, extrema exquiſite remedia optima: unde huc bene quadrat aph 6. ſect. 8. quæcunque non ſanant medicamenta, ferrum ſanat, quæ ferrum non ſanat, ignis ſanat, quæ ignis non ſanat, ea incurabilia judicare oportet.

Contentum & Intentio.

De remediis extremis.

Connexio In prioribus aphoriſmis Hipp ſtatuit extremam evacuationem & repletionem eſſe periculoſas; in hoc aph. extremis morbis extrema & debitâ remedia proponit. Ut enim extremi morbi, ita & extrema dantur remedia Brevitas aphoriſmi non patitur diviſionem. Hippocrates reprehendit eos, qui ſemper à levioribus curationem inchoant licet alibi dictum remedia extrema eſſe periculoſa, illa tamen in neceſſitate non ſunt omittenda. Unde Philoſophus Dio dicit *cunctatio in ſalute conſervanda malis non cunctantibus eſt intempeſtiva.*

Extremi morbi ſunt, qui vel neceſſario occidunt, vel qui frequenter occidunt, quandoque tamen præter ſpem ſanantur, vel tum gravius à ſtatu naturali recedentes tum urgentes, utrique periculoſi, deſperatis proximi, mortem illaturi, ſive tales ſint *actu* v g peracuti: ſive *potentia* v g orgaſmus ſeu turgentia: Vel in Athletis ubi ex parvo fieri poteſt magnus, vel ob periculum in mora, ſputum ſanguinis, vel partis nobilis, vel abſceſſus, hydrops, gangræna, calculus, apoplexia, epilepſia, peſtis, magna ſymptomata, ex quibus Natura graviter afficitur cum manifeſto vitæ periculo: Et hi extremis remediis debent curari.

Extrema remedia ſunt heroica, chirurgica imprimis & Pharmaceutica. ferrum, ignis, opiata, Mercurialia, antimonialia; venæſectio in plethora, purgatio in cacochymia item moxa, ſtuppa, cura lignorum, theriaca &c Et hæc remedia dicuntur extrema, licet reipſa non ſint, ſortiuntur tamen ſæpe vim extremi remedii, v g. venæſectio in apoplectico, quæ occidit vel liberat.

Sunt nonnulli inter Recentiores qui negant venæſectionem & purgationem eſſe extrema remedia Si enim nomine extremorum intelligere velint contraria diſtantiſſima, ut uſurpat Ariſtoteles 10 metaphyſ. certe phlebotomia & pharmacia, nullam habent cum morbis contrarietatem, cum vera contrarietas, ſolum verſari dicatur à Veteribus, inter qualitates, nec inſuper ſi ejuſmodi forent, tuto poſſent adhiberi, nam præter alia in Inſtitutionibus demonſtrata *Galenus* expreſſe docet, 3. ſimpl medicament. 12. & alibi, ab his, inquit, omnino caven-

cavendum, ne morbus alter priore prior inſequatur. Si vero extrema remedia à Veteribus appellentur, quia extremam corporibus commotionem inferunt, humores concitando & educendo; ſub quo ſenſu ſolertiores Veteris Sectæ Medici, illa exponere conſueverunt, Sane non erit ut à prudenti Viro ſub ancipiti eventu, illa tam facile poſſint commendari, cum, eadem celeritate qua juvare poſſunt, ſoleant pariter & frequentius irreparabiliter interimere: quare ſi periculis implicita ſæpiſſime fallant, rariſſime & maxima præmeditatione adminiſtranda: Neque Hipp. neque Galenus abſolute aſſeruit venæſectionem & purgationem extrema ſeu magna eſſe remedia, ſed ſolum hæc eſſe præcipue & nonnunquam atque tantum in genere evacuantium, dum dixit *ſi quid movendum videtur, move*. Imo etiam alibi dixit extremum remedium febris ardentis eſſe *potum aquæ frigidæ*: & in dolore Colico præſentaneum remedium ac veluti incantamentum eſſe cucurbitulam magnam ventri & umbilico adhibitam: ſic etiam Balnea tanquam exquiſitiſſima remedia commendat: ſæpe etiam meri potum. Qua de cauſa ſana ratione evincere quis poterit quodcunque Medicamentum, cum juverit, extremum & maximum dici poſſe. Potius ergo ſanguinis miſſio & purgatio, extrema & magna remedia dicentur, quia magnam & ingentem in toto corpore commotionem excitant; aut quia generalia præſidia ſunt, quamcunque partem reſpicientia, aut quia in locum reliquorum medicamentorum cum ignorantur, ſubſtituuntur. Si enim unicuique morbo congruentia, propria & ſpecifica remedia adhibere ſciremus, minime generalibus ejuſcemodi medicamentis egeremus: Phlebotomia & Pharmacia, non tuſi, illa ad venas deplendas, hac vero ad alvum laxandam uterentur.

Præterea Hipp. magnum & extremum remedium conſtituit ignem, ut mox à principio diximus ex aph. quæ medicamentum non ſanat, ferrum ſanat, quæ ferrum non ſanat, ignis ſanat, quæ ignis non ſanat incurabilia ſunt. Sic ſimiliter ſternutamentum in retentis ſecundinis & fœtu mortuo: ſomnus in delirio: aquæ frigidæ perfuſio in tetano: Paracentheſis in Empyemate & hydrope, & alia id genus innumera extrema remedia dicuntur. unde inferunt Recentiores, nullatenus ex mente Hipp. ad hæc duo duntaxat Venæſectionem & purgationem extrema remedia eſſe coarctanda: patet enim hæc duo

in multis & magnis morbis locum non habere, v. g. hectica, diabete, lienteria, Syncope,

Verum enim vero utut ſit, plus ſtandum eſſe credimus experientiæ quam ſolis rationibus, illa autem multifarie conſtat, venæſectionem & purgationem magna & extrema eſſe remedia, quod ipſe *Helmontius*, horum remediorum infeſtus hoſtis, ſuo damno luit, dum plenitudine correptus, venæſectionem à prudentibus Medicis ſuaſam, obſtinate renuit, ubi vero ad fata adictus, eam celebrandam inſtitit, occaſio præceps vitam cum morte commutavit. Sunt ergo quidquid oggannant *Recentiores*. Venæſectio & purgatio duo magna & extrema remedia, non quidem ſola & unica, neque ſemper, quod nunquam diſputatum eſt. Extrema ergo & magna remedia tum ex mente *Veterum* & *Recentiorum*, dicimus ea quæ ſtatim prodeſſe poſſunt, cujuscunque generis illa ſint, ſive cum, ſive ſine evacuatione.

Inter morbum & remedium perpetua, eaque prudens requiritur proportio. unde ubi neceſſitas non urget, ſatius eſt curam a levioribus incipere, & ad extrema ſenſim venire. Ubi vero neceſſitas urget, melius eſt teſte Gal. 12. meth. med. lædere, quam permittere ut æger moriatur. *Dura namque nodo durus cuneus applicandus*, & teſte Solone: *nunquam periculum ſine periculo ſuperatur.* teſte Livio. *audendum eſt atque agendum, non conſultandum in acutis & extremis.* Nullibi major quam in his requiritur ἀκρίβεια, id eſt accurata ratio, ut proſit remedium, non noceat. Præſtat prius omnia tentare, quam ad extrema devenire, præſtat abſtinere tum ab aliis, tum extremis, imprimis remediis, quam nocere, ſic enim Natura conſervatur.

Dices I. Curatio ſemper incipienda eſt à levioribus teſte Hipp. & Galen. ℞. non urgente neceſſitate concedo, ubi morbus ſumme urget nego.

Dices II. Extremi morbi quandoque à Natura ipſa & ſola curantur, ergo his non opus eſt. ℞. a forti Natura concedo, a debili nego: deinde non omnes morbi curantur à Natura, ut gangræna, luxatio. *Inſtabis.* In natura debili non habent locum extrema remedia, ergo. ℞. in Natura extreme debili concedo, in Natura oppreſſa tantum & non reſoluta nego.

Dices III. Extremum remedium non modo morbo, ſed & Naturæ eſt contrarium, ergo non habet locum. ℞. Morbo omnino eſſe con-

contrarium, ſed non ſequitur quod ſit contrarium Naturæ ut patet in alexiphatmacis quæ peſti ſunt adverſa ſed Naturam roborant.

Dices IV. Chymici porrigunt antimoniata, mercurialia &c. etiam in levibus morbis, ergo non ſunt extrema. *R.* Dant in levibus tendentibus ad maximum morbum concedo, in levibus manentibus nego vel dant præſervative potius quam curative.

Aphoriſmus VII.

Ubi morbus peracutus eſt, ſtatim extremos habet labores, & extreme tenuiſſimo victu utendum eſt: ubi vero non, ſed plenius licet cibare, & tantum à tenui recedendum, quanto morbus ab extremis remiſſior eſt.

Contentum & Intentio.

De victu acutorum.

Connexio. Hipp docuit in 4. aph unam victus ſpeciem in omnibus morbis non poſſe convenire, jam ad particularem morbum deſcendit, ad morbum acutum, & docet qui victus ipſi conveniat, nempe victus extreme tenuiſſimus. Alii dicunt cum Hipp in prioribus extremis morbis ſummam diætam convenire dixerit, nunc in hoc veluti rationem adjiciens, ſubdit, quia ubi morbus peracutus eſt, ſtatim extremos labores affert, excita ad augmentum & ſtatum feſtinatione, gravibus afflicta ſymptomatibus Natura, conficiendis & diſſolvendis cibis impotens, & ideo potius gravari quam refici contingit. Morbi acuti ſunt, qui celerius ſua decurrunt tempora, & ſymptomata in ἀκμῇ, id eſt vigore habent.

Duo ponit membra hujus aphoriſmi. *I.* in morbo peracuto, tenuiſſimo victu uti oportere. *II.* quo morbus magis diſtat ab extremo, plenior ei convenit victus. Nolumus hic ſequi Fonſecam qui quatuor ſpecies victus tenuis ponit morbis acutis: extreme acuto duranti quatuor diebus, media convenit: ſecundo, qui durat ſeptem diebus, convenit ſolus potus: tertio duranti quatuordecim diebus, debetur ſorbitio.

bitio: quarto qui viginti diebus durat, cibus competit ſolidior. Hunc modum Italis famis magis aſſuetis relinquimus. Germanis vero magis ad mortem quam ſanitatem profuturus, hi enim pleno victu aſſueti ſunt: Conſuetudini autem teſte Hipp. aliquid concedendum eſt, & vires præ cæteris conſulendæ. Gradus morborum acutorum diverſi & in ſe & reſpectu curationis, ſive medicamentorum & diætæ æſtimandi. Sic prout morbus eſt v. g. angina, cujus una ſpecies eſt periculoſior altera. vel ſi accedat malignitas vel cauſa violenta, vel error in cura & diæta. Peracuti ergo morbi nullatenus hic intelligendi qui ad ſeptimum usque diem protrahuntur, ſed qui non prætergrediuntur quartum diem, nam hi ſtatim extremos labores habent. Et licet morbus peracutus etiam quatuor habeat tempora, & ideo extremus dici non poſſit, quia tamen illa celeriter percurrit, extremus eſt. In definiendo victu, & morbus ejusque intenſio & remiſſio, & appetitus ipſe, & vires reſpiciendæ; Unde morbus extremus tenuiſſimum victum requirit, quo minus vero eſt extremus, plenior victus ei debetur.

Non unum curandi momentum in diætæ regimine provido conſiſtit, ſed juxta circumſtantias debet mutari. Vires & conſuetudo attendenda.

Victu nunquam morbus augendus, ſed imminuendus, corpus vero conſervandum eſt. Nempe dum prodeſſe volumus, non obſimus.

Dices: Extremi labores non ſemper faciunt morbum peracutum ut patet in Colica, dolore dentium, podagra. ℞. labores & dolores intelligi illos qui ſunt morbis acutis juncti, qui hominem offendunt non autem ſeparatos.

Dices II. Corpora impura quo plus nutries, plus lædes: ſed magis ſunt impura in principio quam in ſtatu, ubi potior pars cocta eſt & ſeparata, ergo in ſtatu tenuis victus non convenit. ℞. In principio non nutrimus ob puritatem vel impuritatem, ſed ut vires reliquo tempore durent. ℞. non nutrimus pleno victu, ſed mediocri.

Dices III. Vires tum reficiendæ ſunt quando maximè ſunt debiles, ſed in ſtatu ſunt maxime debiles, ergo. ℞. negando ſemper in ſtatu vires eſſe maxime debiles, licet ſint ſummi labores, ob naturam in excretione occupatam, nihilominus materia concocta eſt, & conſequen-

ſequenter Natura eſt morbo ſuperior, ergo non eget tanto alimento.

Aphoriſmus VIII.

Cum morbus in vigore fuerit, tunc vel tenuiſſimo victu uti neceſſe.

Contentum & Intentio.

De victu in vigore morbi.

Connexio: in priori aphoriſmo egit de victu ſecundum morborum ſpecies, jam de eodem agit ſecundum morborum tempora. De quibus morbis hunc aphoriſmum ſcripſerit Hipp. non eſt adeo facile divinare. etenim ſi de omnibus ſermo ſit, plane errore non vacabit, quoniam in morbis longis vigor aut ſtatus ad plures dies ſæpiſſime protrahitur, ut potiſſimum in quartanis annuis, quarum vigor aut ſtatus univerſalis, menſes complectitur; jam vero ſi per menſem victu tenuiſſimo uteremur in ejuſmodi generibus morborum, procul dubio vires conciderent, & æger præ ſumma inedia periret. Nec inſuper de ſolis peracutis intelligendus eſt aphoriſmus, hoc enim modo ſupervacaneus foret, cum jam ſuperiori aph. dictum ſit, in peracutis victum extreme tenuiſſimum exhibendum eſſe. Et quamvis dici poſſit ibi de toto morbo, hic ſolum de ejus vigore ſermonem haberi, quia tamen totus morbus tempus etiam vigoris comprehendit, profecto ſi in toto morbo præcipitur victus extreme tenuiſſimus etiam in vigore & ſtatu credendus erit imperatus. Probabilius ergo dicendum videtur, locutum hoc loco Hippocratem de victu tenuiſſimo exhibendo in vigore omnium acutorum, etiamſi ex aliquo accidenti commentabilis eſſet paulo plenior, ut propterea in omnibus morbis acutis, licet inter initia & declinationis tempora paulo plenior victus foret adhibendus indicatione à viribus deſumpta. cum nihilominus ad vigorem & ſtatum ii pervenerint, extremis laboribus ſtipati, ne ex pleniori cibo Natura diſtrahatur a concoctione & ſecretione cauſæ morbificæ, cui plurimum tunc temporis vacare cogitur, tenuiſſimus victus præſcribendus eſt. Voluit autem hic primum de acutis tantum morbis ſermonem habere,

bere, in quibus majus vitæ periculum imminet, à ſymptomatibus eo tempore augeſcentibus, & citiore mutatione quæ contingere ſolet, comprehenſurus in ſequenti etiam chronicos. Hic aphoriſmus ob brevitatem non patitur diviſionem.

Tempora morborum aliam atque aliam tractandi methodum requirunt: unde docet Hipp ſi morbus in vigore ſeu ſtatu eſt, ſeu quando ſymptomata maxime urgent, increſcunt, vel nova & graviora ſuperveniunt, tunc vigere morbus dicitur, juxta illud quod ſcribit 2 aph 30 *Circa initia & fines, omnia imbecilliora, circa ſtatum vero vehementiora*, id eſt, ut interpretatur Gal ſymptomata quæ potiſſimum accidunt à commotione & fermentatione vehementi ſuccorum, & ab eorundem inverſione, tunc temporis contingente & ideo fit, ut ſi ſecretis inutilibus & pravis humoribus, fermentatio in præcipitationem, quam coctionem appellant, deſinat, morbi & febris ſtatum excipiet declinatio, cum priſtino ſalutis ſtatu. Sin ſecus, ingraveſcentibus ſymptomatibus, a ſanguine cœterisque liquoribus vitæ tuendæ neceſſariis, in degenerem à naturali ſtatum adductis & aliquando etiam corruptis, partes cunctæ corporis clanguent, cor in ſuo motu fatiſcit, concreſcente vel diſſolutionem ſubeunte ſanguine, ejusque motum vitiando vel impediendo vita deſinit.

In vigore ergo æger tenuiſſime ali debet, & ideo uniformis per omnia morbi tempora victus non conceditur.

Ætatem morborum definiunt ab intra, ſymptomata, item coctio & cruditas, & motus morbi. Ab extra dies, quo incipiunt & finiri ſolent. Unde quatuor conſtituuntur tempora, principium, augmentum, ſtatus & declinatio: declinatio autem in morbis ad mortem tendentibus non datur.

Morbi ſtatus æquipollet acutiei gradui majori.

Quo magis gravatus & impetitus in ſtatu Archæus, eo minora ferre & ſubigere poteſt ſuccendicula. Unde bene notandum hunc aphoriſmum non tantum de victu in vigore morborum minuendo intelligendum eſſe, ſed etiam de medicamentorum prope omnium adminiſtratione, atque eorum potiſſimum, quæ naturam ſalubriter operantem avertere poſſunt, eo enim tempore, omnia fere importune exhibentur, niſi illius motum adjuvent, ſi fortaſſe deficerere videatur.

Equi-

Equidem bene & prudenter advertit *Galenus in Comment* hanc Hippocratis doctrinam iis tantummodo morbis aptandam, quorum cauſas ſuperare Natura atque depellere poteſt, & in quibus poſt vigorem ſequitur declinatio. Nam in illis quorum vigorem mors excipit, exactam hanc mediam nequaquam præſcribemus, ne infauſtus eventus noſtro adſcribatur errori, quare in his caſibus rem omnem ſolo prognoſtico exequemur memores illius dicti Valeſiani; *quod ad Medici honorem & artis admirationem magis referat, prædicere mortem in morituris, quam ſalutem in convaliturus.* Etiam Galen docet 11 meth. cap 9. *Ubi omnino ſalus deſperata eſt, imprudentes conſilii eſſe apud vulgum infamare, præſidia, quæ multis fuere ſaluti.* Et 2 aph. comment 29. deploratos attingere non oportere, ſed magis abſcedere, eventu morbi prænuntiato.

Tenuiſſimus victus principaliter in cibo & potu, adæquate & in medicamentis valet: eſtque tenuiſſimus victus vel media, vel ſola ſorbitio ſeu potus.

Dices. in morbis deſperatis non eſt opus victus præſcriptione, ergo non in omnibus morbis præſcribendus. ℞. in morbis deſperatis ad mortem tendentibus concedo, tendentibus ad declinationem non eſt præſcribendus nego.

Dices II. Sæpe cauſa morbi plus viget in principio quam ſtatu v. g. in quartana principium plerumque eſt ferocius quam ſtatus, ergo non ſemper in ſtatu præſcribendus eſt tenuis victus. ℞. Nos loqui de ſtatu morborum peracutorum non chronicorum ut eſt quartana, cujus vigor aliquando per duos menſes durat, ubi tanto tempore victus tenuis ſuaderi non poteſt.

Dices III. Licet ſæpius in acceſſione particulari cibare ubi vires concidunt: purgare in magna turgentia, ſanguinem mittere ſi adeſt plethora, ergo etiam licebit in ſtatu, ſic in febre ſyncopali nutrimus: in febrium paroxyſmis & colica purgamus. ℞. id fieri quando majus adeſt periculum ex repletione vel virium defectu, quam humorum motu, ſed iſta in ſtatu morbi univerſalis practicare non licet.

Aphoriſmus IX.

Conjicere autem oportet an ſufficiat ægro is victus usque ad morbi vigorem, & utrum prius ille deficiet, neque cum eo victu perdurare poterit, vel morbus ante deficiet & remittet.

Contentum & Intentio.

De victu è viribus æſtimando.

Connexio: Cum tria ſint à quibus maxime cibandi ratio petitur, *morbi ſpecies, vigor* ejusdem & *vires ægri*, de cibandi autem ratione ex morbi ſpecie in præcedentibus, & in vigore morbi jam egerit Hippoc. in hoc aph. agit de cibandi ratione a viribus ſumpta: utrum nempe illæ ſufferre poſſint ejusmodi victus tenuitatem, quousque morbus conſiſtent. Si enim ejus ſit roboris æger ut citra cibi mutationem morbum ſuſtinere valeat, diætæ innovatio nulla facienda eſt, ſin ſecus, pro illius varietate varie quoque æger alendus erit. Hic aphoriſmus licet multis verbis conſtet, unicam habet concluſionem. In hoc ergo aph. Hippocrates vult dicere: licet morbus indicet talem vel talem victus rationem, ſi tamen vires non permittant, in hoc caſu Medicus dextro oculo primario vires, ſiniſtro demum cauſam morbi intueatur; id eſt conferantur morbi vires cum viribus ægri, quod fiet & dimetiri debet ex facultatum robore, pulſu æquali, excrementorum egeſtione facili, morbi remiſſione &c.

In definiendo victu, vires reliquis omnibus præponderant, veluti menſura diætæ, quia vires principaliter diætam præſcribunt & gradus ejus limitant. Sed bene oportet diſtinguere an vires ſint oppreſſæ vel reſolutæ. Nam oppreſſæ nunquam victum pleniorem & adjectionem petunt, ſed potius tenuem & detractionem. Sed reſolutæ de quibus hic loquitur, quas morbus & malignitas, vel ſpirituum & ſanguinis defectus minuit.

Ita ſemper alendus æger, ut ſubſiſtere & perdurare poſſit citra virium jacturam neque defectum, usque ad vigorem morbi.

Qu-

Quæres utrum idem de ſanis dicendum? ℞. Negative: nam in ſanis robur indiget cibi additionem, debilitas vero abſtractionem, in morbis ſit contrarium, quia oppreſſæ vires à morbi vi requirunt mediam, reſolutæ vires victum exigunt.

Non ſolum autem in præſens ſed & in futurum ægro ſemper proſpiciendum ut perdurare poſſit, ne in declinatione pereat.

Appetitus in acutis victum fere nullum niſi tenuem, imprimis quoad fluida admittit.

Abſtinentia & victus tenuis, morbis curandis commoda, modo vires & cætera conſentiant, unde hæc ponderanda ſunt ex pulſu, urina, fæcibus, ſudoribus, anni tempore, victu, ætate, ſexu, temperamento, habitu, labore, dolore, vigiliis &c. & licet vires reſpectu ſui à principio ſint debiles, reſpectu tamen morbi ſunt robuſtiores quia licet à principio agant & debilitentur, quia tamen morbo ſiunt ſuperiores in ſtatu ſunt robuſtiores.

Quæres utrum morbus in principio dicendus ſit malignior quam in ſtatu? ℞. Natura vincente concedo, quia major eſt in principio cruditas quam in ſtatu. Natura vero victa eſt morbus in ſtatu malignior, quam in principio.

Aphoriſmus X.

Quibus igitur ſtatim vigor adeſt, tenuiter ſtatim alendi, quibus vero poſtea vigor futurus eſt, iis ſub illud tempus & paulo ante ſubtrahendum, prius vero uberius alendum, quo durare poſſit æger.

Contentum & Intentio.

De victu variando juxta morborum vigorem.

C*onnexio*: hic aphoriſmus eſt quaſi idem cum priore in prioribus egit de victu à morbi ſpecie, vigore, & viribus ſumpto, jam de illo agit qui convenit in uno eodemque morbo: hic aphoriſmus duas habet partes, in prima dicit non eſſe cibandum quando morbus ſtatim in

vigore eſt, adeoque nullam eſſe faciendam mutationem. In altera dicit quando & quomodo ante vigorem vel remote ab eo cibandum, ſive qualis in cibatione mutatio fieri debeat.

Pro morbi augmento vel remiſſione libranda eſt victus ratio. Cibus ergo tenuis exhibendus in ſummo morbi vigore: quanto autem morbus magis recedit à ſtatu, tanto magis eſt cibandum, cum autem in principio magis recedat à ſtatu, in principio magis erit cibandum, ſenſim tamen ſubtrahendo quo magis acceditur ad ſtatum, obſervata virium tolerantia, ut nempe durare poſſit ne morbus Naturæ fiat ſuperior, melius que eſt errare in exceſſu quam defectu. Hippocrates enim ipſe 6 Epidem. dicit: *illos citius mori qui exquiſitius vivunt.* Plenior victus, etiamſi æger velit, non promiſcue concedendus, in febribus & aliis, ne alias verificetur illud: *plus oneras Baccho ventrem, quam Pallade mentem*.

Omnis vel conceſſio vel imminutio victus pleni debet per gradus & ſecundum naturam fieri.

Ad victum tenuem ſpectant etiam decocta aquoſa, ad plenum vel quaſi, ſyrupi. Nota victus acutorum ab Hipp. in tres claſſes dividitur: *extreme tenuiſſimum* & eſt ſola media ſeu abſtinentia a re nutriente: *tenuiſſimum*, eſtque potus hydromellitus, *tenuem*, & eſt cremor hordei, juſcula ſubſtantifica cum vitello ovi & mica panis, poma, pruna, ſpinacchia. Primus nunquam conceditur, maxime Germanis, quia citius deficerent, quam morbus deficeret. Reliqui ſuo habent, ſed cum diſcretione, nempe in vigore nullatenus obruendus eſt æger, quia nemo poteſt duobus dominis ſervire, ita nec natura morbo & alimento, maxime ſi adſit cruditas & impuritas: *corpus enim impurum quo plus nutries, plus lædes*. Vel enim calor relicto morbo cibum coquet, vel relicto cibo morbum, utrumque eſt periculoſum ut cuique paret. Itaque à duobus videtur in cibis exhibendis ratio & indicatio deſumi ab Hippocrate, nimirum a virium conſtantia, & a morbi ſummo vigore, ut proinde cum vires conſtant & morbi ſtatus imminet, cibum ſubducendum velit; at vero imbecillis viribus & forte non duraturis ad morbi uſque vigorem, pleniorem exhibendum. Quæ quidem omnia jam priori aphoriſmo deducta, clariſſime patent, non eſt ergo, ut crambem recoquamus.

Dices. In vigore febris quartanæ non eſt tenui victu utendum, ergo

ergo hic aphoriſmus non loquitur de omnibus morbis ℞. Negando antecedens, nam in omni vigore tenui victu utendum eſt, non quidem æqualiter, ſed in uno plus quam altero.

Dices II. Multi a principio per inediam morbos ſuperant ℞. hos morbos ad vigorem non pervenire, ſed paulatim ſolvi ex bonitate naturæ.

Dices III. Impura corpora nutrire eſt lædere, ergo in principio non eſt alendum, quia cruditas augeret ſymptomata ℞. non eſt alendum ſtomacho cruditatibus repleto concedo, neque etiam urgentibus ſymptomatibus, ſed præmiſſis præmittendis.

Aphoriſmus XI.

In paroxyſmis cibum ſubtrahere oportet, exhibere enim noxium, & quicunque morbi per periodos exacerbantur, in eorum paroxyſmis ſubtrahere oportet.

Videatur etiam Aph. 19 qui eſt quaſi idem.

Contentum & Intentio.
De victu in paroxyſmis.

Connexio eſt, quia Hippocrates inhæret priori ſententiæ, quomodo æger in, & extra paroxyſmum cibandus.

Hic aphoriſmus duas habet partes: in prima dicit in acceſſionibus eſſe abſtinendum in ſecunda enarrat damna quæ contingunt dum ægri cibantur in acceſſione, in prima agit univerſaliter, in ſecunda magis particulariter.

Prima aphoriſmi pars comprehendit acceſſiones ſeu paroxyſmos febrium continuarum, altera vero pars continet invaſiones febrium intermittentium, quæ per ſtatutos circuitus redeunt, ut videre eſt ex Hipp. 4. de rat. victus in acut. 39.

Paroxyſmi æquipollent morbis acutis, & ſtatum repræſentant particularem. Unde æger cibandus non eſt, quo magis Natura

 pugnat

pugnat & occupata eſt circa morbum, hoc autem fit in paroxyſmo; ergo cibandum non eſt, ne ex uno malo plura fiant.

Hic nota *Paroxyſmi* ſeu acceſſiones, ſunt exacerbationes incertæ morbi, in aliqua remiſſione conſtituti: idque in variis morbis, v. g. febribus, aſthmate, epilepſia, hiſterica paſſione, Colica &c.

Paroxyſmus ſeu *circuitus* autem eſt reditus ejuſdem morbi certo tempore factus, qui febribus intermittentibus & continuis eſt proprius: in illis eſt evidens, in his obſcurius reditus ſeu acceſſio. *Quæres*: quando acceſſio eſt in febre continua vel intermittente, quando ſit cibandus æger? R. In intermittente extra paroxyſmum, in continua in vel poſt declinationem. In paroxyſmis Archæus æque impetitur, licet tranſitorie, ac in morbi ſtatu alio.

In paroxyſmis Natura nec alimentis nec medicamentis actuandis ſufficit, ſed vel læditur facile, vel operationem differt, ut jam mox diximus: quia I. inſurgentibus paroxyſmis, frigus ſæpenumero corpus ægri excruciat, cum rigore vel horrore, & cor ſive humoribus ſive vaporibus infenſis & adverſis plurimum gravatur & angitur, unde ſi cibus tum temporis exhiberetur, graviora procul dubio hæc omnia evaderent cum majori febris incremento & non ſine manifeſto vitæ periculo. Unde 7. aph 67 dicitur *Cibum febricitantibus morbum fieri.* II quia tunc Natura ſymptomatibus laceſſita, non debet ingeſtis cibis opprimi, cum utriſque æque intenta eſſe non poſſit, eoque magis ingruente vigore in quo omnia evadunt fortiora. III quia acceſſionis tempore morbificam cauſam agitari contingit, omnemque Naturæ conatum adverſus eandem promoveri, unde cæteræ functiones quodammodo feriantur ac deficiunt, præſertim ea quæ in Ventriculo peragitur, cum in unam ciborum confectionem complures cauſas concurrere neceſſe ſit, quæ per id tempus plurimum immutantur & languent, unde facillime evenit eos corrumpi potius & in alienam & diſſentaneam ſubſtantiam degenerare, quam in alibilem humorem verti & commutari, potiſſimum in confluxu ſuccorum e pancreate & cyſti fellea derivantium, qui in febribus fere ſemper depravantur, & à naturali & convenienti conditione plurimum recedunt. Quod hactenus diximus de cibis idipſum, ut innuimus, intelligendum eſt de medicamentis, & longe magis, ſi ægrum exagitent & turbent, inde enim vires imminui, ſanguinem liquari, viſcera infici aut putreſcere contingit;

Pro-

Proinde idem Hipp *1. & 4. de rat. victus*, conſulit nec ſorbitionem nec aliud quicquam exhibendum, priusquam calor ad pedes deſcenderit & cor reliquerit. Nec potus tamen omnis ſitientibus denegandus.

In Paroxyſmis non denegandus penitus omnis cibus, magis vero reſpective & ordinarie detrahendum quam addendum; unde etiam in ipſo paroxyſmo, præſertim in initio teſte Galen. 10. Meth cap. 3. & 4. cibandus æger Picrocholus, vel juvenis, vel ſenex, ſi vires deficiant & animi deliquia urgeant, maxime in febribus ſubintrantibus, ſed tunc dandum alimentum medicamentoſum.

Quæres an ergo nulla poſſint dari medicamenta in paroxyſmo? ℞. Vomitoria, purgantia, vena ſectio, ſi natura & morbus ea innuet, ita & clyſteres.

Nota. Hipp. in prima aphoriſmi parte intelligit acceſſiones febrium continuarum, in ſecunda, febrium intermittentium, ut jam ſupra fuſius diximus.

Præſtat in febribus etiam ante paroxyſmum ſubtrahere, quam ordinario vel pleniori victu uti.

Dices in ſumma peſte licet ægros cibare, ergo etiam in paroxyſmo. ℞. licet ſit in ſumma peſte major debilitas quam in paroxiſmo, tamen licet cibare, quia peſtis eſt morbus malignus, non humoralis, adeoque non eſt periculum ne humores augeantur, per cibum autem malignitas obtunditur.

Quod diximus de febribus, eidem prorſus aptanda cæteris morbis qui per circuitus exacerbari ſolent, ut ſunt catarrhi, hemicraniæ, colica, melancholia hypochondriaca, calculus, podagra, vertigo, palpitationes, paſſiones hyſterica, & ſimiles ut docet *Galen. Cardanus, Hurnius.*

Aphoriſmus XII.

Paroxyſmos vero & conſtitutiones indicabunt morbi & anni tempora, & periodorum ad ſe mutuo incrementa, ſive quotidie, ſive alternis diebus, ſive ex longiore fiant intervallo: quin etiam per ea

qua

quæ juxta apparent, eadem indicantur, velut in pleuritide laborantibus, ſi ſputum ſtatim appareat inter initia, eam abbreviat: ſi vero poſtea appareat, producit: urina quoque & alvi excrementa & ſudores, cum apparuerint, judicatu faciles vel difficiles, & breves vel longos fore morbos indicant.

Contentum ſeu Intentio.

De typo & phænomenis, morborum indiciis.

C*onnexio*: in priori docuit modum cibandi in acceſſionibus, in hoc ſigna tradit, quibus acceſsiones, ſtatum ſeu vigorem, & conſtitutionem dignoſcere poſſimus. Hic aphoriſmus duas habet partes: In prima ponit ſigna per quæ Medicus univerſale & particulare morbi tempus cognoſcit: in altera vero ſigna, per quæ & tempus univerſale morbi & illius exitus deprehenditur. Cum enim ex *Galen. in Comment.* tria ſint conſideranda in victu rite exhibendo, *vires* nempe, *acceſsiones*, & *vigores morborum*, vel citius vel ſerius futuri, idcirco omiſsis indiciis virium, de quibus ſupra diximus, reliquum erat, ut traderet ſigna prænoſcendarum acceſſionum & conſtitutionum morborum, quæ in hoc aphoriſmo commemorans, ad quatuor claſſes revocat, atque alia deſumit ab ipſis morbis, alia ab anni temporibus, quædam ex circuituum incrementis, inter ſe invicem collatis, & demum pleraque alia ab his quæ mox apparent.

Morborum quorundam velut eſſentiale eſt, paroxyſmos velut totidem inſultus, exhibere. Nota *conſtitutio* hic ſignificat tempus univerſale morbi, an breve vel longum, an morbus acutus, vel chronicus. *Acceſſio* dicit tempus particulare, quo invadit. ſic tempus univerſale eſt longum in chronicis morbis v. g. hydrope, quartana, podagra &c. In phrenitide, febre ardente &c. breve. Ex anni temporibus metiri paroxyſmos, ex paroxyſmis diſtinguere morbum, integrum eſt. ſic æſtas ponit morbos ac vigores breves, hyems longos, ut de quartana teſtatur infra Hippocrates 2. aph. 23. Sic etiam ſi acceſsiones

nes majores vel minores ſunt, item ſi anticipent vel poſtponant, morbus major vel minor, longior vel brevior judicatur. In æſtate ſunt ſicci tenues, in hyeme lenti & craſſi.

Typus paroxiſmorum cum reliquis collatus, morborum, & febrium maxime genium patefacit: unde ſi paroxiſmi fuerint crebri, alternis vel ſingulis diebus accedentes, non diu durent, morbum brevem juxta Hipp. 4. aph. 59. *febris tertiana exquiſita ſeptem circuitibus terminari ſolet.* Sin è contra, longum oſtendunt.

Ex febribus intermittentibus quotidianæ, tertianæ, quartanæ, præprimis ſunt ordinariæ.

Non omnis quotidiana eſt quotidiana, nec omnis tertiana, tertiana, variant enim cauſæ ita & febres, ut legitimæ qui tales eſſe nequeant.

Phœnomena morborum, eorundem ſtatum manifeſtant abſolute & relative: ſic ſi ſit angina, apoplexia, febris ardens, erit morbus brevis, ſi hydrops, ſcirrhus &c. longus.

Phœnomena morborum alia communia, alia propria, exquiſita & ſpuria, diagnoſin & prognoſin eorundem variant. Sic proprium ſignum in pleuritide eſt punctura lateris, febris, tuſſis, & ſi illa ſint mitia, brevem, ſi fortia, longum morbum denotant & periculoſum.

Signa ſpuria ſunt quæ accidentaliter superveniunt morbo, & de natura ejus non ſunt, v. g. deliria, convulſiones, quæ morbum magnum vel parvum indicant, vel criſin, vel durationem.

Sic etiam ex urina, fæcibus & ſudoribus, cum variis modis à ſtatu naturali recedant cruda vel cocta ſint, morbi magnitudinem, vel parvitatem denotant, & hæc ſunt quæ mox apparent ut ſupra diximus, quia iſta non ſemper à principio, ſed vel in augmento vel ſtatu comparent, ad differentiam aſſidentium ſignorũ, quæ ſtatim ab initio cum morbo conjunguntur: exemplum eſt ſputum in morbo laterali, illud enim in initio deeſſe ſolet, at vero in ſtatu comparet, & quo citius comparuerit, eo brevior morbus erit. Sic etiam ſigna concoctionis, ſudoris &c.

Quæ vero de urinis memorantur à Medicis, ſæpiſſime fallunt, præſertim quia nuperis obſervationibus Anatomicis compertum eſt, non omnem urinæ materiam una cum ſanguine permanare, neque per venas emulgentes dictas in renes derivari, ibique ſecerni, ut à Veteribus proditum eſt, ſed per compendioſiores vias quas *Pecquetus* & *Bartholinus* primi indicarunt, ad renes, ureteres & veſicam deferri;

quod vel hinc etiam conſtare poteſt, quia ubi quis aſparagos, aliaque olera diureſim moventia, vel etiam terebinthinam aſſumpſerit, ſtatim urinam egerat peculiari odore & colore inquinatam; quin & in potu quarundam aquarum thermalium mox ſtatim mictum promoveri obſervamus, atque epotas aquas vix ac ne vix quidem immutatas excerni. Unde conjecturæ ab urina, quæ venarum exploratrix fida antiquitus credebatur, deſumptæ, fallaciſſimæ evadunt.

Aphoriſmus XIII.

Senes facillime jejunium ferunt, deinde qui conſtanti ſunt ætate, minime adoleſcentes, ex omnibus vero præcipue pueri, præſertim illi, qui inter ipſos ſunt vividiores.

Contentum & Intentio.

De victu ſecundum ætates.

C*onnexio*: In prioribus aphoriſmis dixit de victu in morbis, acceſſionibus, anni temporibus: hic loquitur de victu ætatum, qui uni vel alteri conveniat. Hic aphoriſmus poſſet dividi in quatuor partes, juxta quatuor ætates, quas ad invicem comparat, quamvis ex omnibus una concluſio fieri poſſit: nempe corpora, quo fuerint generationi propinquiora, minus jejunium ferunt. Inter expoſitores hujus aphoriſmi non convenit, num de ſanis an de ægris per ætatum differentias, ſcriptus ſit hic aphoriſmus; ſiquidem nonnulli exiſtimant, Hippocratem hactenus locutum fuiſſe de ratione victus ægrorum, impoſterum de victu ſanorum, ad aphoriſmum usque vigeſimum ſermonem inſtituere. Alii vero de victu ægris ſolum per ætates præſcribendo canones hic deſcripſiſſe contendunt, cum non omnes æque jejunium & ſummam diætam ſufferant, propter virium & corporis diverſam habitudinem, adoleſcentium enim corpora robuſtiſſima ſunt, debiliſſima vero ſenum & puerorum. Verum quæcunque demum ſit mens Hippocratis in hoc aph. id tamen certum erit, peculiarem ætatum rationem hic illum habere voluiſſe in victus adminiſtra-

Digitized by Google

niſtratione; ideo ſenes ait facillime jejunium ferre, deinde in ætate conſiſtenti conſtitutos, minus juvenes & adoleſcentes, minime omnium pueros, atque inter hos qui vividiores & agiliores ſunt.

Pro ſtatu & gradu calidi diſſipantis variat appetitus tum abſolute, tum comparate: unde quo ſeniores ſunt, eo facilius jejunium ferunt; hinc in ſequenti aph. 14. dicit: ſenibus parum calidi innati ineſt, parum nutriuntur, & parum conſumunt, quare copioſa reſtauratione non egent, quia calor debilis & extinctioni proximus, à quantitate cibi ſuffocaretur per modum flammæ debilis, à nimio lignorum cumulo. Senum partes ſunt duræ, aridæ, non amplius attrahunt alimentum, & ideo jejunio non ita læduntur, quia tardiſſime parum conficiunt. Contra fit in pueris, qui plurimum habent calidi innati, plurimo egent alimento, ut patet ex ſequenti aphoriſmo.

Ætates ſunt quatuor, alii magis accurate ponunt ſex (prout magis vel minus ſubdividunt) *Pueritia* a die generationis, usque ad *pubertatem*, id eſt 14. annum quando ſemen erumpit, vel menſtruum, incipit *Adoleſcentia*, deinde *Iuventus* quæ durat quamdiu creſcit ad 33. annum vel 40. *ætas conſiſtens* à 40. ad 50. ubi nec creſcit nec decreſcit. Poſtea *Senectus* ubi decreſcit & durat ad finem vitæ, eſtque duplex, *prima* & *decrepita*: & de hac decrepita non loquitur aphoriſmus, quia hi mediam ferre nequeunt, quia penitus deficerent.

Tantum ergo ſenibus edendum ut vires reficiantur, non opprimantur. Ætates autem variant juxta diverſitatem & bonitatem naturæ, alii citius alii tardius pubeſcunt & ſeneſcunt. Non minus & pro ſtatu humidi, ad nutrimentum corporis impendendi neceſſarii.

Quo ergo calor eſt vegetior & humidum magis impenditur, eo magis urget appetitus, & contra.

In ſenibus acidum fixius, in puetis ἀδδηφαγία ſeu potentia eundem variant calorem.

Dices: Senes ſunt ſicci, ergo non ferunt jejunium. ℞. Sunt ſicci quoad continentia, humidi vero quoad contenta, ideo ſunt ſicci ob conſumptionem humidi radicalis, humidi vero propter humores pituitoſos contentos, quibus abundant.

Aphoriſmus XIV.

Qui creſcunt plurimum habent calidi innati, plurimo igitur egent alimento, alioquin corpus abſumitur: Senibus vero parum calidi innati ineſt; paucis propterea fomitibus indigent, quia à multis id extingitur: hanc etiam ob cauſam febres ſenibus non perinde acutæ fiunt, frigidum enim eorum corpus.

Contentum & Intentio.

De ratione victus ſenum & puerorum.

Connexio Hic aphoriſmus prioris rationem & cauſam exponit, & quoad primam partem cum priore convenit. Hic aphoriſmus in duas partes dividitur in prima ut diximus, repetuntur eadem quæ in priori, nempe juvenes difficulter, ſenes autem facile jejunium ferunt. in altera probat ſequenti argumento Tantum corpori eſt ſuggerendum de alimentis, quantum & opus habet & ferre ac ſubigere poteſt cum autem creſcentes plurimum habeant calidi innati, ii magis ſunt nutriendi, & quo vivaciores, eo plus, cum vivacitas ſit ſignum caloris copioſi & intenſi.

Calidum innatum eſt idem quod ſpiritus innatus, una cum ſanguine, tanquam forma & ſubjectum ſimul, hoc eſt in concreto ſumptum, de quo fuſe tractavimus in Inſtitutionibus.

Alimenta ſunt calidi & humidi continuo reparandi materia.

In ſenibus ſanguis & ſpiritus pauciores, ſulphur depreſſum, humidum minus balſamicum, magis vero acetoſum, temperiem frigidam & ſiccam inferunt.

Febres pueris & adoleſcentibus minus periculoſæ; juvenibus & viris frequentiores & periculoſiores, ſenibus rariores ſed frequentius lethales, juxta illud minus periculoſi ſunt morbi cognati quam diſſimiles.

Dices: Plus in juvenibus digeritur quam in pueris, ergo plus nutrimenti requiritur. ℞. Plus digeritur in juvenibus ſpectata pro-

portio-

portione vel comparatione corporum concedo, abſolute nego. Si enim corpora æque magna eſſent in pueris ac in juvenibus, plus nutrirentur & plus digererent.

Dices II. Qui habent frigidum ſtomachum plerumque plus appetunt, & minus jejunium ferunt, ſed ſenes habent frigidum ſtomachum, ergo. ℞. Si una cum frigido ſtomacho reliqua viſcera ſint calida concedo, ſi minus nego. Et nego etiam illam antipraxiam viſcerum dari, cum Neotericis. Vid. Praxim meam de hoc.

Aphoriſmus XV.

Ventres hyeme & vere natura calidiſſimi ſunt, & ſomni longiſſimi, per ea igitur tempora, copioſiora alimenta ſunt exhibenda, ſiquidem calidi innati plus habent, unde & copioſiore indigent alimento, indicio ſunt ætates & Athletæ.

Contentum ſeu Intentio.

De victu, ratione hyemis & Veris.

Connexio: In prioribus egit de cibandi ratione ætatum, in hoc agit de cibandi ratione in anni temporibus. Hic aphoriſmus duas habet partes in prima ſuam theſim ponit dicens ventres hyeme & vere, natura calidiſſimi in ſecunda probat per exemplum ætatum, & Athletarum, qui plurimum alimenti ideo requirunt, quia calido innato plurimum abundant.

Quibus temporibus calor magis viget, & ſomnus eſt longior, plus alimenti conſumitur, adeoque plus ſuggerendum eſt: ſomnus enim longior ſubactionem ciborum etiam juvat.

Hyeme ſtringuntur magis fibræ nerveæ, & acuuntur ſpiritus; Vere moderate laxantur utrobique calor eſt ſibi magis relictus; experientia conſtat, fermentorum & caloris nativi operationes, hyeme & vere eſſe potentiſſimas.

Si appetitus inſtrumentum ſit ſal acidum nitroſum, hoc in aere

hyemali copioſe delitеſcit. Sic pura vitalis lympha eodem tempore copioſe ſtomacho ſuppeditatur. In hyeme appetitus comedendi eſt quaſi duplex, unde proverbium, hyeme duobus coquis, uno cellario, æſtate duobus cellariis & uno coquo opus eſſe.

Dices. In hyeme plus pituitæ generatur. ℞. Quia etiam plus comeditur, & ſic quandoque etiam non digeritur.

Nota. per ventres intelliguntur omnes partes, caput, pectus &c.

Quo melior ſomnus, eo melior coctio & appetitus, ſomnus optimus coquus eſt & appellatur.

Pro ætheris & motus quoque ratione diverſa, modificatur & variat etiam caloris ratio, pro caloris vero, alimenti.

Nota anni tempora quatuor ab Aſtrologis numerari, juxta quatuor Zodiaci puncta: Duo ſcilicet æquinoctia quæ faciunt ver & autumnum, duo Solſtitia quæ conſtituunt hyemem & æſtatem. Æquinoctium unum eſt vernum, alterum autumnale. Solſtitium unum æſtivum alterum hyemale. In illo eſt Sol altiſſimus, in hoc profundiſſimus quoad nos.

Dices: Quo plus reſolvitur in corpore, tanto magis alendum, ſed in æſtate plus reſolvitur ut patet ex frequentibus ſudoribus. ℞. Quanto plus reſolvitur a calore innato, tanto magis eſt nutriendum concedo, a calore extraneo nego. Calor enim extraneus in febribus plurimum reſolvit, nec tamen ob id febricitantes ſunt alendi.

Dices II. Quo major eſt calor in corpore, eo minor eſt ſomnus, ſed in hyeme major eſt calor, ergo. ℞. Quo major eſt calor abſque humiditate, id eſt calor extraneus concedo. cum humiditate ſeu calor innatus, nego. Calor enim innatus facit ad concoctionem, humiditas ad ſomnum.

Quæres, utrum omnes ſudores ſint præter naturam, juxta illud: ubi ſudor, ibi morbus. ℞. Etiam ſudores præcipue criticos à calore innato expelli, ergo ſunt naturales, ſicut urina per renes, & excrementa per alvum. Non ergo eſt univerſalis illa ſententia, ubi ſudor ibi morbus, ſed tantum in ſtatu præternaturali.

Dices III. Si ventres hyeme eſſent calidiſſimi, ſequeretur quod etiam in hyeme eſſent plures febres quam æſtate. ℞. Negando hanc ſequelam, calor enim innatus qui hyeme dominatur, non fabricat febres ſicut æſtivus extraneus, qui vere deſtructivus eſt.

Dices IV.

Dices IV. Ventres frigidi plurimum appetunt, ergo ſi ventres eſſent æſtate frigidiores, plurimum apperereat, ſed ſit contrarium. ℞. Veram appetentiam à calore innato provenire, ab extraneo vero deijci. Si autem frigiditas appetentiam excitat ut in hydropicis & quartanariis, non eſt naturalis appetentia.

Quæres cur pulſus non eſt frequentior in hyeme quam æſtate, cum major eſt calor in corpore ℞. Quia non eſt uſus auctus, ſed abundantia caloris innati, qualis eſt in hyeme: ubi autem non eſt uſus auctus, non opus eſt ut pulſus ſit frequentior.

Aphoriſmus XVI.

Victus humidus febricitantibus omnibus convenit, maxime vero pueris, & aliis qui tali victu uti conſueverunt.

Contentum ſeu Intentio.

De victu humido.

C*onnexio* In priori aph. egit de quantitate victus juxta anni tempora, in hoc agit de victu febricitantium & aliorum. Hic aphoriſmus duas habet partes: in prima præſcribit febricitantibus victum: in ſecunda pueris & aliis.

In febribus, potu & humectantibus fruſtra & majori fere noxa ægris interdicitur. Per humidum non tantum intelligitur quod actu eſt tale, ſed etiam potentia, id eſt fluidum & potabile & non ſolidum, ſed facilis diſtributionis, lacteasque venas facile tranſeat. Quale eſt ptiſana & ejus cremor, humida enim non tantum ideo proſunt quod humectent, ſed etiam quod facile concoquantur & diſtribuantur, calori reſiſtant, vias aperiant, incidant, attenuent & roborent humido enim vivimus & nutrimur humida enim facile uniuntur ſubſtantiæ alni hinc bene dicit Hippocrates 2 aph. 11 *facilius eſt reficiu potu* (id eſt alimento liquido) *quam cibo*, id eſt alimento duro eſt ſolido. Neque tamen largiori humectationi indulgendum, unde diſpoſitio ad cachexiam & tumorem pedum invehitur. Sed

Quæ-

Quæres: cur non etiam frigidum ſed tantum humidum cibum commendaverit Hippocrates? cum calori magis contrarietur frigiditas quam humiditas? ℞. Quia non ab indicatione curandi febrem per contrarias qualitates, ſed a viribus reficiendis, & a facilitate & promptitudine coctionis & diſtributionis, victus humidus ab Hipp. præceptus eſt, velum conducibilior febricitantibus.

Febribus intermittentibus aperientia, humectantias continuis temperantia & demulcentia optima.

Quo magis ætas, Regio, conſuetudo, temperamentum & tempus annuū jubet, eo magis in febribus humectandum eſt, uno verbo ſervanda eſt hic illa regula, ut ſimilibus ſimilia conſerventur, & contraria contrariis curentur: febricitantes enim ab incendio febrili multum exſiccati, victu humido indigent, ut ſubſtantia a febre abſumpta iterum reſarciatur, idque juſculis & humidis, de quibus Poeta.

> Juriſta & Medicus ſunt Juris uterque peritus,
> Hic ægros, alter Jure tuetur agros.
> Jus dare cuique ſuum didicit Legiſta clienti
> Ægroto Medicus Jus dare cuique ſuum.
> Jus Legiſtarum quid differat à Medicorum
> Jure rogas? ſiccum eſt iſtud, at hoc liquidum.

Unde hic vere verificatur illud: contraria contrariis curantur.

Sic pueri è contra temperamento humido præditi per ſimilia, id eſt victum humidum conſervandi. & hæc eſt ratio cur vix nati ſolo lacte materno utamur.

Aves etiam ſemina prius in ſtomacho emolliunt, antequam ex ore juvenibus porrigunt.

In febribus continuis maxima lymphæ ratio babenda eſt, ne plus juſto incoquatur ſanguini, & deficiat.

Dices: Multi in febribus ſæpe adhibent, zinziber, piper, ſpiritum vini &c. ergo. ℞. Hæc adhibentur non ratione febris, ſed ratione cauſæ morbi, quæ ſæpe eſt pituita, craſſi & crudi humores, putredo & obſtructio, quæ per talia corrigitur.

Dices: Frigidum potius quam humidum victum opponere debuiſſet Hippocrates? ℞. Hippocrates brevitatis amator unius tantum contrarii mentionem fecit, alterum ſubintelligendo implicite, nempe frigidum.

Dices II.

Dices II. In febre cum hydrope, & in febre maligna non convenit victus humidus, ſic nec febribus ab obſtructione. ℞. Hippocratem hic loqui de febribus ſimplicibus, non vero complicatis cum aliis morbis. ℞. II. Non convenire febri nego, morbo cum febre juncto concedo.

Inſtabis: in febre quotidiana à pituita vel quartana non competunt humectantia. ℞. Ratione febris non convenit, nego, ratione cauſæ concedo. Cauſæ enim debentur remedia, dum morbus eſt in fieri, ipſi morbo vero dum eſt in facto eſſe.

Dices III. Victus humidus non videtur convenire febribus putridis, quia putredo provenit à calore & humiditate. ℞. Ratione cauſæ concedo, ratione morbi nego.

Dices IV. Sæpe à principio in febribus nulla adeſt ſiccitas, ergo non convenit humidum. ℞. Si febris eſt in fieri concedo, in facto eſſe nego.

Aphoriſmus XVII.

Et quibus ſemel aut bis, plura aut pauciora, & per partes offerre oportet, conſiderandum; concedendum autem aliquid tempeſtati anni, regioni, ætati, & conſuetudini.

Contentum ſeu Intentio.

De offerendorum modulo.

C*onnexio*: In priori aphoriſmo non ſufficit dixiſſe victum humidum convenire: ſed in hoc bimembri aphoriſmo docet I. tempus, an ſemel aut ſæpius qualibet die vel nocte, plus vel minus, una vel pluribus vicibus ſit exhibendus. II. Addit ea quæ faciunt ad ejus obſervationem v. g. conſuetudo, anni tempus, regio & ætas, juxta illud Scholæ Salernitanæ:

Quale, quid, & quando, quantum, quoties, ubi, recte
Debent hæc Medico in victus ratione notari.

Unde non ſufficit Medico ſcire quo victu, an tenui, pleno, humido,

mido, ſicco &c æger tractandus, ſed quoque modus & tempus cibandi obſervandum.

Tripliciter cibus adjici vel detrahi poteſt: *Adjici I. in quantitate*, id eſt dando plus. *II In tempore*, id eſt dando ſæpius *III In qualitate*, id eſt dando cibum copioſi nutrimenti. *Detrahi* dando *parum, raro*, & pauci nutrimenti.

Definiendo victui, in quantitate continua & diſcreta, virium & morbi ratio principaliter inſerviunt an nempe vires durent ad vigorem morbi. Prima ergo indicatis ſemper a viribus ſumenda eſt, pro illarum ergo ratione cibi erunt offerendi, & quidem parum alimenti ſed ſœpius exhibendum, præſertim cum ægri vires debiles fuerint: quippe languidæ vires, etſi reſtauratione egeant, multum tamen alimenti ſufferre nequeunt, a quo potius obrutæ ſuccumberent, quam increſcerent, alimentum autem parum & ſæpe exhibitum æquivalet morbo. *Dicimus parum*, & *ſæpe*, id eſt nullus debet eſſe defectus. Nihilominus tamen, ut innuit Hippocrates, aliquid indulgendum eſt tempori, Regioni, ætati, conſuetudini.

Ut in victu, ſic & in medicamentis pluribus vel paucioribus propinandis eædem ſequendæ regulæ.

Victus & medicamentorum rationem ab eſſentialibus indicatam limitant imprimis res naturales. v. g. temperamentum, ætas, regio &c. Rationi congrua viſa alium ſæpe adſciſcunt modum ab his ipſis penitius conſideratis cibandi ægrum. Sic in Regionibus variis, aeris aut aquarum ratione, cibi facilius & citius concoquuntur, vel contra difficulter & tarde.

Conſuetudo ad res naturales merito referenda, quia conſuetudo eſt altera natura Alii enim ſunt aſſueti multum, alii parum comedere alii ſæpe, alii raro. In hyeme raro & multum, quia tunc ut diximus ſupra, ventres ſunt validiores, unde homines magis appetunt & melius digerunt, quia vero multam ciborum copiam, non niſi poſt longius tempus poſſunt conficere, propterea rarius alendi ſunt ægri in hyeme In vere & autumno minus & raro, cum eo tempore tonus virium & ventriculi mediocriter ſe habent In æſtate ſæpe & rarum, copioſioribus & humentibus ob ventriculi & virium languorem, ciborum multitudo minus toleratur, idcirco parcius ſed ſæpius alendum, ne vires alimenti paucitate deficiant. Pueris & adoleſcen-

Google

leſcentibus ſæpe & plus quam ſenibus; ſic pariter qui conſveti frequentiores & abundantiores cibos ſumere, ſæpe & plus dare oportet. Ita quoque *graciles*, copioſioribus & humentibus, *obeſi* vero renutoribus & extenuantibus; *Carnoſi* ſolidioribus & moderatis nutriendi. Septentrionalibus plus, Meridionalibus minus.

Dices. In morbis a corruptione ortis non videtur convenire plenior victus ob impuritatem quæ adeſt. ℞. Nos intelligere corruptionem ſanguinis quæ eſt in fieri, ſicut enim vinum quod incipit aceſcere corrigitur reaſſumpto alio, ita etiam ſanguis recenti adveniente corrigitur.

Inſtabis: Si novus ſanguis affundatur in corruptione quæ provenit à repletione, fiet major corruptio. ℞. Si ſit plethora ſeu repletio ad vaſa concedo, ad vires nego.

Aphoriſmus XIIX.

Æſtate & autumno cibos difficillime ferunt, hyeme facillime, deinde vere.

Contentum & Intentio.

De victu ratione æſtatu & autumni.

Connexio. In præcedenti aph. dixit quantum & quoties cibandum: hic particulariter ad quatuor anni tempora, quando difficulter & facile admittatur. Unde hic aphoriſmus duas habet partes in prima dicit æſtate & autumno cibos difficillime. In ſecunda in vere & hyeme facilius ferri. Hujus aphoriſmi cauſam & rationem prodidit divus Senex in aphoriſmo decimo quinto.

Pro diverſo anni tempore variat appetitus, & conſequenter ciborum exhibitio, unde Hippocrates in præcedenti aphoriſmo bene dixit, condonandum aliquid eſſe anni tempori, Regioni, & conſuetudini. Calore magis exoluto vel gravato, minus commode appetitus & coctio, etiam quoad tempora anni fit.

Æſtivo tempore major fit lymphæ diſſlatio, unde potus largior quam cibus appetitur.

Æſtivo & autumnali tempore errores diætæ quoad repletionem facilius nocent, non tantum in præſens ſed & in futurum æſtate enim calor externus internum à corporis centro ad ſuperficiem non tantum attrahit, ſed plurimum de eo reſolvit, humores omnes ſiunt alcalini & fervidi, acidum eſurinum deprimitur. Idipſum in autumno fit, in quo calor naturalis ob præviam æſtatem, omnino debilis efficitur. E contra in hyeme ut dixit 1. aph. 15. ventres hyeme & vere ſunt calidiſſimi, ergo cibi facilius tolerantur. In aphoriſmo 15. locutus eſt de ſanis, hic loquitur de ægris, ibi locutus eſt de quantitate, hic de partitione, ibi continetur cauſa plus aut minus nutriendi, hic vero de tolerantia majori vel minori.

Dices: Tunc facilius toleratur plenitudo, quando calor eſt vegetior, ſed in hyeme eſt, ergo. ℞. Nego majorem quia plenitudo eſt objectum improportionatum caloris.

Dices II. In autumno ſunt chronici morbi, quibus competit plenus victus, ergo facilius toleratur. ℞. Alius victus competit morbis, alius tempori.

Dices III. In æſtate plus reſolvitur quam hyeme, ergo plus cibi requiritur. ℞. Plus reſolvitur a calore extraneo concedo, ab innato nego, & nego conſequentiam, calor enim extraneus diſſipat innatum.

Aphoriſmus XIX.

Quibus per circuitus acceſſiones contingunt, nihil dato, neque cogito, ſed de cibis ante judicationes detrahito.

Contentum ſeu Intentio.

De modulo victus in paroxyſmis.

C*onnexio.* In priori aph. dixit de partitione cibi inter anni tempora: hic autem repetit aph. 11. ubi dixit: in acceſſionibus abſtinere oportet &c. In aphoriſmo 11. locutus eſt univerſaliter, hic vero loquitur particulariter, nempe de morbis qui ordinarie ſuos habent circuitus, ut ſunt febres ordinatæ, non vero erraticæ.

Duas

Duas habet partes aphoriſmus: in prima vetat cibationes in acceſſionibus: in ſecunda, etiam prohibet cibos ante mutationes ſeu criſes, quæ plerumque fiunt in acceſſionibus.

Quamvis quidem in hoc aphoriſmo indefinite ſcribat Hippocrates, *in quibus per circuitus acceſſiones contingunt*, adeoque videatur quamcunque morbi acceſſionem periodicam complecti, ſpecialius tamen intelligit recurrentes febrium invaſiones, quæ a Galen. lib. de tempore morborum cap. 6 diviſit in *acceſſiones* & *remiſſiones*: & rurſus *acceſſiones* in principium, in æqualitatem, augmentum & ſtatum: *remiſſiones* vero in declinationem & intervallum. Statis enim paroxyſmis & exacerbatione quavis, natura maxime affligitur.

Ubicunque ergo vacare nequit ordinariæ actioni, nec appetit, præſtat abſtinere, id eſt in principio, in æqualitate, augmento & ſtatu, in declinatione vero & intervallo poſſe tuto exhibere cibum: rationes omnium jam in ſuperioribus ſunt datæ.

Coactiva remedii entium diætetica, quæ naturæ invita & renitente ſiunt, magis damnoſa quam proficua.

Conſultum eſt aliquando plane abſtinere & quieſcere ut in paroxyſmis, aliquando tantum detrahere.

Natura occupata circa criſin, roboranda quidem medicamentis accommodis & cibis, ſed non oneranda eſt. At vero ſi ſtomachi languor urgeat, vel Syncope immineat, nonnihil tamen pro viribus offerendum inſtante etiam paroxyſmo, ut jam alibi diximus: ubi vero vigor & ſtatus acceſſionis adeſt, bene monet Hippocrates, non cogendos eſſe ægrotantes ad ſumendum cibum ante judicationem, id eſt ante criſim, ne impediatur, hoc enim tempore particulares criſes diſponuntur, præſertim vero ſudores, qui a cibo impediti, indubitanter nocent, uno cum interitu ægri accidunt. Unde tali tempore dum ſtatus adeſt aut criſis inſtat, nulla ratione cogendi ſunt ad cibum, cum ut docet Hipp. 2 aph. 13 *quoties cunque criſis fit, ea nox gravis ante acceſſionem eſſe ſolet*, ideoque nec cibus appetitur, ergo multo minus cogendi ut cibum ſumant: quemadmodum pleriſque fieri ſolet, qui ægros vel invitos compellunt epulari, ut pugnam cum morbo, ut ipſi dicunt, ſtrenue poſſint ſuſtinere: prudentius facerent monente Hippocrate, non tantum non cogere, ſed potius detrahere, id eſt ex priori & conſueto cibo aliquid demere, & proxime remiſſimo victui accedere, ne

futura criſis impediatur, & interturbetur, ut videre eſt 4 aph. 63. Non loquimur autem hic de integra & omnimoda ſubtractione, id eſt media, qua ægri ſummum vitæ periculum ſubirent, eſſetque hoc Hippocratis documentum ad perniciem potius quam ad ſalutem indictum.

Quæres à quo proveniat vere circuituum determinata repetitio? ℞. Plerique ab aſtris dicunt provenire. *Galenus* dicit fieri à natura irritata ad humorum expulſionem, à putredinali humorum qualitate ſeu proprietate periodice illi ſupervenienre, & ſanguini aliunde ſuppeditata, quæ in ſanguine exiſtens in quolibet paroxyſmo excitur, idque quandoque omni die, vel tertio, vel quarto. Et hæc eſt ſententia Veterum & Recentiorum.

Alii refundunt ad motum humorum: & cum pituita ſit copioſa in ventriculo & prima regione quotidie cordi communicata, quotidianam efficit. Bilis cum ſit pauca ſed facile mobilis, tertianam: melancholia quia pauca & lenta difficulter mobilis, quartanam producit.

Aphoriſmus XX.

Quæ judicantur & judicata ſunt perfecte, ne moveto, neque innovato ſive purgantibus medicamentis, ſive aliis irritamentis, ſed ſinito.

Contentum & Intentio.
De regimine Criſeos.

Connexio: dixit ſupra Hippocrates aph. 2. & 3. de quantitate & qualitate evacuationis, interpoſitis aliis aphoriſmis de variis cibandi rationibus; in hoc docet an & quando Medicus evacuare debeat nec ne: præſertim quando natura critice, bene & perfecte agit.

Hic ergo aphoriſmus nullas habet partes ſed una concluſione, ut jam diximus, textum ſuum abſolvit. Dicit ergo Hipp. mox à principio quæ judicantur, id eſt quæ ſalubriter à victrice Natura convententer morbificam cauſam expellente peraguntur, ***judicium enim ſeu criſis*** teſte ***Galen.*** comment. 13. lib. 2. Aph. eſt repentina mutatio morbi,

bi, ad ſalutem vel mortem. mutatio autem quæ paulatim fit, non eſt criſis, ſed ſolutio ſeu coctio. Criſis ergo fit Natura ſeparante à bonis mali, atque ea ad evacuationem diſponente ſubita quippe ut diximus eſſe debet, & tota cauſa morbifica ſimul expelli, vel ſaltem ad ignobiles partes transferri

Nihil magis Naturæ circa criſin occupatæ nocet, quam purgantia

Natura bene agens in opere ſuo nunquam turbanda. In criſi perfecta Medicus ſpectator ſeu miniſter eſſe debet magis quam turbator. Nam natura morbo ſuperior facta, aſſiſtentia Medici non indiget. Unde in hoc caſu nulla medicina eſt inter omnes optima, teſte Livio dicente: Medici interdum plus quieſcendo quam agendo proficiunt & Poeta:

> Non ſemper ſcriptis cedunt mala dira Receptis
> Sæpius utilior charta bianca fuit.

Hinc non inepte *Galenus* comparat Medicum perito Nauclero, qui opportunis temporibus vela aptat & demittit; præpoſterus enim illorum uſus profecto naufragium pareret. Hinc patet quam longiſſime à ratione & recta methodo medendi Hippocratis & Galeni, deflectant ii, qui quo tempore Natura criſin aggreditur & labores ingentes ſubit, in ipſo morbi vigore, ægrum importuna remediorum multitudine ac varietate obruunt, & ne parum ſolliciti ac diligentes videantur, ipſam vexant, atque à proprio & ſalutari munere diſtrahunt, immemores illam eſſe morborum Medicatricem.

In hoc caſu enim, natura bene operante purgantium motus, cum caloris naturalis & ſpirituum aſſiſtentiam requirat, ſic avocans ab expulſione morbi Naturæ principali inſtrumentis, corpus in limine ſanitatis jam conſtitutum, temerarie alio avocatur quare nec promovere nec turbare, nec diſtrahere aut impedire illam ullo modo & Medico licet, ſed ut addit Hippocrates, *ſinere oportet* Neque etiam poſt perfectam criſin aliquid movendum, quia ut dicit Hipp. *judicata ſunt integre* & ex hac nil morbi in corpore relinquitur, ideoque nec Medicorum ſupereſt purgandi indicatio. hinc Poeta:

> Judicio facto nacta eſt curatio finem
> Unde quis appellet, nemo tribunal habet.

Signa

Signa criſeos præcipua ſunt hæc tria: ſigna concoctionis in urina: nox præcedens inquieta. euphoria ſeu tolerantia, ſeu alleviatio. Criſis imperfecta & perfecta excedens ut & fiens, à Medico dirigi, juvari, corrigi debet, ut in ſudore, hæmorrhagia imperfecta, facta vero non temere turbanda. Imperfectæ autem criſes, ſeu judicationes fiunt, vel ob virium languorem, vel ob morbificæ cauſæ repugnantiam, aut ob viarum per quas motiones & evacuationes tentantur, impedimenta, præter ea quæ ex erroribus Medici vel ægri proficiſcuntur quæ omnia cum naturæ impedimento ſint, totis viribus per congruentia & opportuna remedia, prudens Medicus removere conetur. Quoniam vero ſpecialius criſes diſtrahi & impediri poſſunt, uſu medicamentorum vel *evacuantium* vel *irritantium*, propterea dicitur in aphoriſmo, *ſive medicamentis ſive aliter irritando:* Hæc ergo duo duntaxat medicamentorum genera potiſſimum notantur: excipiuntur autem quæ naturam non turbant, ſed roborant, ut efficacius inchoatum opus perficiat. Sic in ipſa etiam criſi ad reficiendas vires tutiſſime exhibentur cordialia, quorum farago paſſim apud Autores habetur.

Sed *dices*. hunc ſententiæ obſtare videtur ſequens aphoriſmus, quo admonet Hippocrates eo ducere oportere vitioſos humores, *quo natura vergit per loca conferentia* unde infertur licere Medico congrua adhibere remedia, quæ criſim per loca conferentia adjuvent ac promoveant.

R. nullam in Hippocrate inveniri contradictionem, ſi conſideremus hic criſim integram & perfectam memorari, ut patet ex verbo *integre*, id eſt perfecte, ut etiam notat *Galenus* in commentario. In ſequenti autem aphoriſmo, agit de criſi imperfecta, qua non ex integro morbifica cauſa depellitur, ut propterea opus Medicum exquiratur. Quare Avicenna prima 4. in unum recolligens, ambas has Hippocratis ſententias dixit: *Si Natura non movet, move tu motu ejus, at ſi ipſa movet, & actu movet, dimitte eam & operationem ejus.*

Quæ imperfecte ſunt judicata, niſi corrigantur, facile recidivam patiuntur, ut teſtatur 2. aph 12. In hoc caſu lene purgans prodeſt. Plura de criſibus videantur in Inſtitutionibus.

Apho-

Aphoriſmus XXI.

Quæ educere oportet, quo maxime vergunt, eo ducenda, per loca convenientia.

Contentum & Intentio.

De loco evacuandorum.

Connexio. in priori dixit an & quando evacuandum, nec ne: in hoc locum evacuationis aptum docet.

Non ſolum addendo & roborando, ſed etiam expellendo & evacuando, naturæ ſuccurrendum eſt. Sicut autem in priori dixit, quæ judicantur & judicata ſunt integre, neque movere, neque novare oportet, ſed ſinere; ita in hoc aph dicit, cum imperfectè moventur aut mota ſunt, toto conatu adjuvare expedier, ut propterea hic aphoriſmus ſit veluti appendix præcedentis, cumque imperfecte judicata à Natura, ſint arte perficienda, ut omnino cauſa morbi depellatur, & morbus ipſe plane deſinat, docet nunc Hippocrates, per eadem loca, quæ natura ipſa indicaverit, eſſe promovendam totius cauſæ morbificæ evacuationem. Hinc tria potiſſimum videntur hoc aphoriſmo comprehenſa. *Primum* oportere Medicum arte perficere quod Natura explere non potuit. *Secundum*: ut per loca conferentia & quæ Natura ipſa in Criſi jam inchoata indigitaverit. *Tertium*, ut ex variis foraſſe illius motionibus, ea ſpeciatim ſeligatur, ad quam maxime vergere videtur, & humor ipſe deponendus promptior, paratior & magis diſpoſitus eſt.

Hic aphoriſmus cum brevis ſit, non patitur quaſi diviſionem poteſt tamen partiri ſi quis velit: quod in prima parte doceat motum Naturæ imitandum eſſe: in altera cautionem eſſe adhibendam, ut mox diximus.

Plurimæ ſunt viæ per quas morbrè corpore vel à natura vel arte expelluntur: vomitus, ſeceſſus alvi, urinam, menſtrua, hæmorrhoides, ſudores, ſputa, hæmorrhagiam &c.

Cum ergo Natura ſit morborum medicatrix, Medicus vero ejus Miniſter, ergo ad quas illa vergit, eo illam ducere debet: naturæ enim operatio, quæ eſt intrinſeca rerum cognitio, fallere nequit, juxta illud.

> Qui Medicus credit Natura doctior eſſe
> Stultitiæ primum jam tenet ille gradum.
> Hæc ſuperat celebres Lecturæ ignara Magiſtros
> Hæc ſine luminibus cuncta futura videt.
> Servulus eſt Medicus; Domina eſt Natura, ſequaces
> Hæc inter dominas, ſola petit famulos.
> Nam cæco Natura ſagax manuducta Magiſtro
> Incidet in foveam, mors inopina tuam.

Quænam ſint iſta quæ ducere oportet, explicat *Galenus* in comment: quæ v. g. neque judicantur, neque ſunt integre judicata, nempe cauſæ materiales morborum, quia criſes non accidunt, niſi morbis pendentibus à materia ſive humoribus qui degenerarunt. Et niſi ſenſibili evacuatione hi tollantur, illi non deſinunt: quod ſi ergo contingat imperfecte ejusmodi vitioſos humores morborum cauſas repurgari ope Naturæ, beneficio artis oportebit diminutam eorundem evacuationem abſolvere, ut æger in priſtinum ſalutis ſtatum reducatur & non recidat. Sed per quas vias educi debeant, quas ſæpe ignoramus docet Hippocrates, ut per ea loca promoveatur evacuatio per quæ Natura ipſam inchoaverat, unde dicit *quo natura maxime vergit. Naturæ* vero nomine intelligitur ab Hipp. vis illa & internus motus tam partium fluidarum quam ſolidarum, rectam corporis œconomiam conſtituentium, unde fermentationibus, diſſolutionibus & ſecretionibus, coctiones, nutritiones, mutationes & ſalubrium ab inſalubribus humoribus repurgationes abſolvuntur, indeque cordis & arteriarum motus ac totius animalis vita perſiſtit. Hunc ergo partium omnium mutuo cohærentium atque in unum conſentientium complexum & ſtructuram, meditatus aliquando ipſe Hippocrates dixit eſſe in homine ejusque partibus conſenſum unum, conſpirationem unam, per quam ſibi viciſſim auxiliantur diverſis fermentorum proprietatibus, viſcerum ſecerniculis, humorum propenſionibus, mutuiſque ſuccorum actionibus & fermentationibus, ut exinde huc aut illuc ferantur,

unde

unde obſervamus pro varia partium affectarum habitudine & vitioſorum ſuccorum inclinatione, quod alii humores aliis viis commodius evacuentur. Sic melancholia & lenti humores per ſeceſſum: bilis, ſanguis, ſerum, utpote humores tenues, acres & ſulphureos per vomitum, hæmorrhagiam, ſudores educuntur. Datis locis inconvenientibus, convenientior quantum licet, aſſignandus. Unde dixit Hipp. *per loca conferentia* ſic *prima* regionis excrementa per vomitum & alvum, *ſecunda* per urinas. *tertia* per ſudores tota maſſa ſanguinis per urinas & ſudores. Loca non conferentia ſunt I. partes principes, unde Avicennas ait, cave dum evacuas ne per membrum principale humor tranſeat. II. partes debiles & læſæ: III partes quæ non habent meatus patentes v. g. cavitates pectoris verbo: morbi ſpecies, humoris peccantis natura, patientis temperamentum, viam maxime oſtendunt, præſertim etiam ſi tali evacuationi gravia ſymptomata ſocientur, v. g vomitui cardialgia, ſingultus, lypothymia jungatur, locus conferens cenſeri non poteſt.

In educendo tum materiale, & humorum qualitas ac diſpoſitio, tum naturæ inclinatio attendenda eſt, ut jam diximus: ad quod etiam multum facit habitus corporis, anni tempus, & humorum copia: ſic graciles per vomitum, obeſi per alvum teſte Hipp. 4. aph. 6 & 7. Sic æſtate per ſuperiora, hyeme vero per inferiora 4. aph. 4. Sic humorum copia potius per alvum quam vomitum, meliusque per has vias, quam per urinas & ſudores repurgantur.

Quæ educere non oportet, mature refrænanda & alior ſum divertenda. Sic ſi v. g. menſtrua per pulmones & hæmorrhagiam narium tendant, revelli debent. Sic etiam ab oculis ad fauces, à cerebro ad parotides, palatum & nares, à centro ad peripheriam revellendi humores &c.

Dices: in dyſenteria evacuamus per loca affecta: ℞. ut materiam auferamus concedo, ut ibi permaneat nego: licet, ſi per vomitum evacuari poſſit, melius ſit, teſte Hipp. 6 aph. 15. *Quares*: utrum non liceat quandoque rettahere ad ſuam originem? ℞. affirmative ſi pars mandans ſit ignobilior quam recipiens.

Dices: Medicus non videtur eſſe imitator Naturæ ſed ductor, cum illam ducat ad conferentia loca. ℞. Medicus diverſo actu & reſpectu poteſt eſſe imitator, dum natura nihil operatur, ſed aliquando

taliter bene operata eſt, vel defacto inclinat: dicitur etiam adjutor & ductor, dum imperfecte agit. dicitur corrector dum irritata male agit.

Aphoriſmus XXII.

Concocta medicari oportet non cruda, neque per initia, niſi turgeant, plurima vero non turgent.

Contentum & Intentio.

De tempore purgandi.

C*Onnexio*: In priori aph. egit de loco evacuationis. in hoc agit de tempore, quando materia cocta & non cruda eſt. Duæ ſunt partes hujus aphoriſmi: in *prima* agit de humoribus quietis & concoctis expurgandis. in *ſecunda* de inquietis & turgentibus evacuandis. Proponitur autem in hoc aphoriſmo opportuna occaſio purgandi & tempus aptum egeſtioni vitioſorum humorum, ut tuta & conveniens morbificæ cauſæ propulſio ſuccedat abſque ulla innoxii humoris evacuatione; equidem non ſemper humores nocui evacuante medicamento, utiliter educuntur, cum primum concoqui ac poſtremo debeant evacuari. Non enim ſine urgenti neceſſitate in principiis acutorum purgandum eſt electivis; principia autem complectuntur totum tempus cruditatis, (nam laxativa excipiuntur, uti ſunt manna, caſſia, tamarindi &c. quæ tamen non niſi exigente cauſa etiam locum habent, cum ſæpe ex his quoque ægri in vitæ diſcrimen deducti ſint) ratio eſt, quia materia ut diximus in principio morbi non eſt concocta, ſed cruda, id eſt particulæ fermentativæ heterogeneæ & craſſæ, naturæ hoſtiles, ſunt adhuc ſanguini confuſa & ita unitæ, ut malum ſine boni conſortio abſolute educi nequeat. ubi autem materia cocta eſt, id eſt, particulæ heterogeneæ, naturæ inimicæ, ab amico ſanguinis conſortio deſpumatæ & ſolutæ & præcipitatæ (quod poſt ſtatim fit) tunc facile purganti cedunt, & impermixta educuntur, quia ipſa natura tunc cooperatur homogenea ab heterogeneis ſeparando. Facienda ergo evacuatione vel digerendum & præparandum prius pro morbi genio,

vel

vel citra hæc purgandum eſt. Fluxilia per ſe & ad motum apta, imo urgentia & turgentia brevi manu expurganda.

Turgens materia (materia autem turgens eſt) quam alii orgaſmum appellant (quæ vel à natura eſt inſuperabilis, vel adeo & impetuoſe mobilis, ut metus ſit raptus ad partem nobilem, v. g. malignitas) in febribus acutis maturius per emetica, hinc & per decocta lenientia evacuatur, & non purgantia.

Quæres utrum turgentia etiam per venæſectionem tolli poſſit? ℞. Quod ſic, maxime quando Natura tendit ad ſuperiores partes: ſi vero ad inferiores requirit purgationem potius. Cum enim turgentia ut diximus, (ſtante circulatione ſanguinis & humorum) ſit humorum motus impetuoſior quam par eſt per venas & arterias, atque eas inæqualiter agitans, & in tumorem attollens, & ſimul multitudine & pravitate concitans, irritans, & viſcera gravans, per quæ tranſit, unde periculum ſuffocationis minatur, niſi cito evacuetur: ergo huic malo & venæſectio & purgatio convenit ne periculum vitæ afferant.

Ejusmodi autem orgaſmus ſeu impetuoſus & fluctuoſus humorum motus raro accidit, quia raro ſanguis cum adjunctis humoribus, adeo multitudine turget & gravat, ut venas & arterias diſtendendo & tumefaciendo irruat in viſcera corporis, unde bene ſubdit Hippocratês, *plurimum vero non turgent* quamvis in motu perpetuo ſint, ne quis tamen temere & inconſiderate ſtatim a principio ſub ſpecie turgentis humoris, ad purgans deveniat; raro enim ita turgent, ut cathartico educi debeant, quippe qui non ſemper ad alvum vergunt. Hinc prudenter monet *Sanctorius*, non eſſe exhibendum medicamentum purgans in turgente materia, niſi ea inclinationem habeat ad inteſtina, quo ſcilicet ferri videatur quod ſi enim vergere viderentur ad vias urinæ, aut in articulis aliisque partibus externis, cum abſceſſerint, immorari, profecto in alvum ducere & alìorſum diſtrahere non liceret. Denique animadvertendum aliquando ægros ſumma inquietudine & moleſtia affici, absque eo quod humores turgeant & cum impetu vagentur, cum nimirum præcordia æſtuant & phlogoſi vel inflammatione corripiuntur, unde gravis anxietas, ingens ſitis, febris ardens, vigiliæ & dolores exoriuntur. In his plane purgans medicamentum mortiferum omnino eſt.

Coctio, aliis dicitur humorum præparatio; aliis perfectio· aliis maturatio, aliis aſſimilatio & alteratio, eſtque duplex una *alimenti*, eſtque converſio humoris in ſubſtantiam corporis, ut cum ex cibo chylus, & ex chylo ſanguis conficitur, ut is in aliti ſubſtantiam transeat. Altera *excrementi*, quæ conſiſtit in reductione humoris ad temperiem, id eſt mutatio noxiorum humorum non tamen ut nutriant, ſed ut ſubacti ac domiti, imo etiam a ſalubribus ſecreti, facilius poſſint per conſueta emiſſaria expurgari, & de hac ſecunda loquitur Hippocrates, ut nimirum prius tales humores concoquantur, id eſt mox dicto modo diſponantur, antequam medicamento expurgentur, ut dicitur 2. aph. 9. *Corpora cum quis purgare voluerit, ea fluida fieri oportet*. Duo ergo videntur in univerſum exigi ad coctionem & promptam humorum purgationem, viarum ſcilicet laxitas, & humorum extenuatio. Coctio humorum crudorum fit eorundem præparatione, alteratione, contemperatione, id eſt craſſos attenuare, tenaces incidere, tenues & calidos incraſſare, acidos edulcorare, abſorbere, præcipitare. Coctio igitur ab Hippocrate hic memorata erit proprie & genuine ſolum diſſolutio ac ſecretio inutilium humorum ab utilibus & præſertim a ſanguine, eo prorſus modo quo in muſto, cum in vinum perfectum prævia fermentatione tranſit, experimur. Sepoſitis enim partibus inutilibus & fæculentis, utpote Naturæ diſſentaneis, cauſa morbi evicta dicitur & concocta: Si ergo ante ejusmodi diſſolutionem & ſecretionem purgatio inſtituatur, tum boni tum mali humores à cathartico indiſcriminatim educentur, vel boni ſolum & magis fluentes, magna cum virium jactura.

In inflammationibus, tuſſi, catarrhis, febribus, materia cruda minus purganda eſt, hæc enim in hoc aph. excipiuntur.

Cruditas & coctio humorum, partim ex urina univerſaliter, partim ex materia ſingulorum cognoſcitur, quia Hipp. non tantum loquitur de medicamento purgante, ſed de omni alia excrementi eductione; ſive per urinam, ſive per ſudorem, iſta enim non ſunt movenda, niſi cocta materia.

Quæres. Cur humores utplurimum non turgeant? ℞. Turgere præcipue dicuntur in morbis peracutis, ſed quia iſti raro invadunt, ideo raro turget materia. ℞. II. Quia raro tenuitas & acrimonia in principiis morborum adeſt, ſed potius craſſities & cruditas. *Dices*: Ariſto-

Ariſtoteles 4. Meteor. dicit, quæ concoquuntur calidiora evadere, ergo major erit turgentia incoctis quam crudis. ℞ Quæ concoquuntur coctione maturativa, calidiora fiunt v. g. fructus, concedo, concoctione fermentativa ſeu elixativa nego.

Aphoriſmus XXIII.

Confer Aph. hujus Sectionis 2. & 25.

Excreta non copia ſunt aſtimanda, ſed ſi qualia oportet exeant, & facile ferat æger: atque ubi ad animi deliquium educere expedit, faciendum id quoque ſi æger par eſſe poſſit.

Contentum & Intentio.
De menſura evacuandorum.

CONNEXIO. In priori egit de tempore concocta evacuandi, in hoc agit de modo & menſura, ejusque judicio.

Duas habet partes hic aphoriſmus: in prima ſuam proponit ſententiam, quod bona evacuatio non debeat judicari ex quantitate ducti humoris, ſed peccantis cum tolerantia. In ſecunda probat ſuam ſententiam.

Medicus & in judicio de exeuntibus, ſponte vel arte promotis, ultra vulgus ſapere debet. Imo reprehendendi ſunt homines, qui remedia, quæ moderate agunt, vilipendunt, & illa laudant quæ exceſſive & multum operantur; cum ex his vires dejiciantur, cum utiles cum inutilibus humoribus & ſimul ſpiritus & alibilis ſubſtantia evacuentur. Propterea riſione digni ſunt, qui magnopere admirantur, quomodo aut quare quis ægrotet, poſtquam oppido multa dejecerit: quaſi vero fuerit ita cum Natura comparatum, ut aliud quid, niſi vitioſus humor per cathartica educi nequeat.

Non tam quantitas quam qualitas ſingulorum æſtimanda, & illa ex hac & viribus ſeu tolerantia, v. g. in exemplo: Petro terriana legitima laboranti detur phlegmagogum v. g. turbith, jaloppa &c, purgabitur

bitur quidem & ſat copioſe, ſed inutiliter, quia non expurgatur materia morbifica, quæ eſt ſincera bilis, ſed ſerum & phlegma pro ea frænanda neceſſarium educitur, & cauſa redditur malignior: ut diximus ſupra 1. aph. 3. & infra 25. dicemus.

Morbi graviores ad alterationem majorem & ſpirituum imminuendam copiam & ferociam, etiam venæſectionem vel purgationem largiſſimam ſæpe expoſcunt unde Hipp. in hoc aph. non loquitur tantum de evacuationibus alvi, ſed etiam de ſanguinis miſſione, & alia quacunque evacuatione, à cujuslibet medicamenti ope commendabili, ſi ejusmodi ſit, ut per eam peccantes humores egerantur, recuperandæ ſalutis cauſa licet enim in vulgata latina traductione legatur, *ſi talia dejiciantur qualia conveniunt* in Græco tamen Codice habetur τὰ χωρέοντα quod non ſignificat dejectiones, ſed quamcunque evacuationem ut docet *Fuchſius & Cenomanus*, unde congruentius legendum foret juxta interpretationem *Iani Cornarii*, *quæ prodeunt ſeu excernuntur, non multitudine æſtimare oportet, ſed quamdiu prodeant, qualia oportet & facile æger ferat* Quamvis ſpecialius & *ut plurimum* dejectiones ſeu per alvum egeſtiones, ſub hoc nomine comprehendantur, tanquam illæ quæ frequentius eveniunt & a vulgo plauſibilius commendari ſolent Utut ſit, dummodo *conveniant*, ſeu *convenienter* fiant, id eſt, ut inde *modus*, *locus*, & *tempus oportunum* cum aliis conditionibus ad bonam & ſalutarem evacuationem requiſitis deſignentur Hinc perinde eſt dicere *ſi talia ejiciantur qualia conveniunt*, quam dicere: *ſi illi humores qui morbum faciunt, egerantur*, & quidem tempore oportuno, prævia coctione, per loca convenientia, atque citra ulliam ſymptomatum ſupervenientium moleſtiam, ab his enim evacuationibus præſto erit ſalutaris eventus, unde morbus deſinat & conſiſtentibus viribus æger ſufferat.

Ad animi deliquium, ſi non incluſive, tamen excluſive, quandoque etiam evacuandum, teſte Hipp. & Gal. 9 meth. cap. 4 tam per alvum quam ſanguinis miſſionem, modo vires ſint fortes, & tolerantia magna, magnus morbus, & magna neceſſitas.

Dixi non incluſive, hoc eſt, non uſque ad ſyncopen ut omnes vires concidant ſed excluſive, ad aliquam lypothymiam, per quam vires non totaliter dejiciuntur, ſed manet adhuc robur & pulſus, talis ergo evacuatio fieri poteſt in febre ardente, magna inflammatione, magno

magno dolore, magna plethora: idque per venæſectionem non autem purgationem. Antiqui hoc frequenter faciebant, illi enim a ℔j ad ℔iij. & ultra emittebant. Hoc autem intelligitur de venæſectione non autem de purgatione, licet morbus poſtulet, quia purgatio non eſt in noſtra poteſtate ſicut venæſectio. Ultra vires quam ferre poſſit æger non evacuandum, & omnis evacuatio vel operatio juxta illas regulanda eſt, prout facimus hodierno ſæculo. Unde *Averroes li* collect. cap. 8. prudenter utrique Hippocrati & Gal. adverſatur & tribus argumentis quamcunque evacuationem & præſertim ſanguinis ad lypothymiam usque, vituperat. I. Medicus (inquit) Naturam recte operantem debet imitari, atqui hæc recte operans nunquam ad animi defectionem educit, quare nec Medicus eandem tentare audebit. II. Medici intentio in curationibus eſſe ſolum debet, ſuperfluum atque inutile evacuare, atqui per evacuationem ad lypothymiam usque, non tantum ſuperfluum & inutile, ſed utile & neceſſarium minuitur, ergo nocua cenſenda eſt. III. Medicum oportet ut non tantum ægrotum ſaluti, verum etiam vitæ tuitioni proſpiciat. atqui evacuatio usque ad animi defectionem non eſt cum vita cuſtodia, quin potius illam in grave diſcrimen adducit, ergo prorſus evitanda. Hinc communiter Arabes cum ipſorum Principe Avicenna contendunt, meliorem & tutiorem eſſe parcam, ſed iteratam, quam ſemel actam & immoderatam quamcunq; evacuationem. cui ſententiæ & nos ſubſcribimus.

Aphoriſmus XXIV.

In acutis morbis raro & in principiis medicamentis purgantibus utendum, idque diligenti ante adhibita circumſpectione faciendum.

H   Conten-

Contentum & Intentio.
De purgantibus in acutis.

Connexio: In priori egit de omnibus evacuationibus; hic de illa ſola agit quæ fit per purgantia. Et cum Hippocrates in præcedenti aph. docuerit turgentem humorem expurgandum, etſi nulla coctio appareat, acuti autem plerumque morbi, tali moleſta anxietate ſtipantur, de his propterea ſpeciatim nunc admonet Hippocrates, qua ratione, quo tempore, & quibus cum cautionibus purgantia medicamenta ſint exhibenda.

Hic aphoriſmus duas habet partes: in prima dicit raro eſſe purgandum, & ſi faciendum, in principio hoc præſtandum. In ſecunda dicit diligenter examinandum, antequam fiat purgatio, ne damnum inferatur.

Nota: de morbis chronicis non meminit hic Hippocrates, vel quia Aph. 22. illos comprehenſos voluit, ſi fortaſſe ab humorum multitudine & copia ſint progeniti, vel quia ſub illorum initia, peccans materia neque concocta & ſecreta eſſe poteſt, neque tam facile turgere ſolet: ideoque minime ad evacuationem eſt prompta, unde in illis ſemper oportet exſpectare coctionem. *Morbi acuti* quid ſint jam ſupra diximus, nempe qui cito & celeriter ac cum vehementia ſuum abſolvunt terminum. Quidque ſit illorum principium pariter alibi diximus: principium nempe ſumi vel pro primo inſultu, vel pro primis tribus diebus, vel quouſque cruditas in humoribus manet, ſine ullo coctionis ſigno.

In acutis morbis ergo magis leniendum, quam purgandum, quia natura rarom acutis vergit ad alvum, niſi materia turgeat, quod raro fit, ut dixit Hipp. aph. 22.

Et in acutis melius agimus cum venæſectione quam purgatione; lenientia autem quæ vias aperiant & corpus fluxile reddant, dari poſſunt, cum magna tamen præmeditatione, & quidem prima ſtatim die, quia Galenus principium morbi ſumit primam diem. Per purgantia autem criſes impediuntur. materia etiam eſt cruda febris accenditur, quia purgantia omnia calida ſunt: unde nec obſtat 4. aph. 10.

aph. 10. Medicari in valde acutis ſi humores turgeant eodem die oportet &c. id eſt, ſi turgeant, alias non, idque tamen cum magna circumſpectione, & præmeditatis multis circumſtantiis.

In febribus malignis fortiora purgantia facile bilem exacuunt, & hypercatharſin cient, malo cum eventu.

In morbis acutis maxima principiorum vitalium, & imprimis *lymphæ* habenda eſt ratio.

In adhibendis remediis heroicis & activioribus, probe prius omnia penſitanda, ne noxa aliqua inde oriatur: id eſt, debet bene conſiderari, an phlebotomia vel purgatione utendum, an hoc vel illo remedio, fortiori an debiliori, quod ſemper tutius eſt, id eſt cum præmeditatione. Res enim quæ magni momenti eſt, magna quoque eget circumſpectione & judicio, in morbis autem nihil eſt magis periculoſum teſte Seneca, quam immatura Medicina, præſertim purgans, quæ naturam plurimum divexat & diſtrahit ab opere coctionis, & ab expulſione cauſæ morbificæ, quod eſt magni momenti, & magna egens præmeditatione. Quæ vero oporteat Medicum præmeditari antequam purgans exhibeat, colliguntur ex Hippocrate & Gal. & reducuntur ad quinque capita generaliora ſpectantia, *ægrum, morbum, medicamentum, humorem turgentem purgandum, & vires.* *Æger* nec puer ſit nec ſenex, uterque enim facile ab evacuationibus concidit: ille ob promptam carnium diſſolutionem, hic vero ob virium languorem. æger neque obnoxius ſit cardialgiæ, lypothymiæ, magnæ cruditati, hypochondriorum diſtenſioni & inflationi, viſceris alicujus inflammationi. huc quoque ſpectant utero gerentes, aſthmatici, tabidi, phthyſici &c. *Morbus* non ſit cum inflammatione viſcerum, neque cum febre junctus, neque cum obſtructione & vehementi dolore. *Medicamentum*, morbo & cauſæ morbi reſpondeat, ſit correctum bene præparatum, gratum palato, probatum & decenti doſi datum. *Humor turgens* citra moleſtiam educatur per alvum & patentes ductus quo vergit, alias anceps erit remedium. *Vires debiles* inhibent purgans medicamentum 7. aph 4. ita etiam viſcus languens præſertim imi ventris. Hæc ergo omnia bene ſunt præmeditanda. His adhuc accedunt, tempus oportunum, modus, habitudo, & forma medicamenti. Sed *Quæres*: quare ergo tam accurate Hippocrates præci-

piat & inquirat pro uſu medicamenti purgantis in morbis acutis ſub initio, etiamſi materia turgeat? ℞. Quia eſt dubius hujus medicamenti eventus, nam alii difficulter, alii parum evacuantur. II. Quia totum corpus turbat. III. Quia ſapit naturam veneni, utpote naturæ infenſum. IV. Sanguinem attenuat, carnes eliquat, fermenta depravat, ventriculum ſubvertit, inteſtina rodit & erodit, ſitim & æſtum affert, viſcera laxat, ſpiritus diſſipat, motum cordis & arteriarum turbat & alia incommoda excitat, imo ſæpe in venenum abit ex malo ſuccorum apparatu corruptum in ventriculo.

Aphoriſmus XXV.

Confer Aph. 2. 3. 4. & 23. ita etiam Section. 4. Aph. 3.

Si qualia oportet purgari purgentur, confert, & facile ferunt, ſi contra difficulter.

Contentum & Intentio.

De effectu purgantium.

C*onnexio*: In prioribus egit de evacuationis ſcopis, an, quid, quantum, quando, quo loco & quomodo evacuandum, in hoc ſigna bona & mala exponit evacuationis. Hic aphoriſmus ob brevitatem non admittit diviſionem. Mirum tamen eſt, quod tam anxie ſtudeant Interpretes hunc aphoriſmum præcedentibus annectere, eumque fuiſſe inutiliter repetitum, ſicuti deduci videtur ex Gal. qui illum exiſtimat omnino contineri in ſecundo, in quo hæc ipſiſſima verba leguntur. Verum nos credimus præter eam mox in connexione datam, etiam ex alia cauſa, fuiſſe ab Hipp. denuo pronuntiatum hunc aphoriſmum, quippe qui Laconica ſeu ſuccincta dicendi methodo ſumme præcellens, non niſi premente neceſſitate plusquam ſemel idem repete-

petere, nunquam conſuevit. Id vero illum feciſſe hic, rationes ſunt, ſive quod ibi de ſponte habitis, hic de arte promotis tantum evacuationibus; ſive quod de evacuatione in communi ibi, hic autem de purgationibus quæ fieri ſolent in principiis morborum ſolum turgente materia, ſive quod hoc ultimo aphoriſmo generaliter comprehenſas omnes ſimul conditiones ad bonam evacuationem per quaſcunque vias, artis auxilio promovendam requiſitas, atque adeo Epilogi loco hic tandem relatas voluerit.

In purgantibus ergo indicantia & vires a priori, à poſteriori effectus maxime attendendus. Lynceis profecto oculis, Medico cauſa morbi indaganda eſt, nam ablata cauſa tollitur effectus ſeu morbus, quod eſt primarium Medici intentum.

Hinc conferentia & tolerantia laudabilem faciunt evacuationem, imo etiam quandoque non ſolum cruda ſed prava quoque cum conferentia & tolerantia educuntur, v. gr. criſis per urinas nigras aliquando accidit. Evacuatio autem bona eſt, quæ fit humore cocto, debita quantitate, tempore, loco convenienti: omnium autem optima eſt quæ fit cum conferentia & tolerantia, ſive illa fiat à Natura vel arte. Nota. tolerantia intelligitur de præſenti virium ſtatu, conferentia de futuro. Illius ſigna ſunt, quando mox natura manifeſte fortior evadit, vel ſi eſt fortis in eodem ſtatu manet nec debilior fit. Hujus ſigna ſunt, durante evacuatione, obſcura, ſed poſt evacuationem magis patent, ut æger ab illo onere omnino liberatus eſſe videatur.

Quandoque etiam medicamenta non μοχθηρὰ, id eſt laborioſa, ſeu mala, ſed benigna magis, per accidens minori cum euphoria operantur.

Qui ad lypothymias & paſſiones hyſtericas diſpoſiti, magis provide purgandi. Etiam fortius operatum medicamentum, ſi cum euphoria id fiat, non habendum in malis.

Dices: hic aphoriſmus idem prorſus docet teſte Galen. in commentar. quod ſecundus in hac Sectione, ergo nihil docet. ℞. Hunc aphoriſmum non tantum agere de ſpontaneis evacuationibus, ſed etiam de arte factis, quas facile ferunt ægri ſi talia purgentur qualia oportet. Ergo nihil docet, nego Conſequentiam, & dico in hoc aphoriſmo velut coronide Hippocratem hunc primum Aphoriſmorum Librum clauſiſſe, fecitque bonorum Concionatorum more, qui in Epilogo breviter vel ex toto vel ex parte repetunt, quæ præcedenti dictione protulerunt, ut tanto aptior & genuina priorum cum poſterioribus ſervatur connexio

&

FINIS.

LIBER SECUNDUS
SEU
SECTIO SECUNDA
DE
REBUS NONNATURALIBUS, NATURALIBUS, TEMPORIBUS MORBORUM, DOLORIBUS, CONSUETUDINE, PURGANTIBUS, FEBRIBUS, APOPLEXIA, LYPOTHYMIA, EPILEPSIA. &c.

Aphoriſmus I.

Quo in morbo Somnus noxam (ſeu laborem) adfert, lethale, ſi vero Somnus proſit (ſeu juvet) minime lethale.

Contentum ſeu Intentio.

De Somno morbum juvante & minus juvante.

C*onnexio:* Cum divus Senex de una rerum non naturalium Cibo nempe, & cibandi modo in plurimis aphoriſmis Sectionis primæ egiſſet, pariterque ibidem de morborum curatione perdiætam, pharmaciam & Chyrurgiam pertractaſſet. in hac ſecunda Sectione reliquas res non naturales pertractare velle videtur, cum in primo hoc aphoriſmo incipiat agere de Somno ad prognoſim facien-

faciendam, pro qua non tantum plurimos confecit aphoriſmos, ſed etiam libros prognoſticorum, prænotionum, prorrheticorum, Coacarum &c. Perbelle novit Divus Senex in fundata prognoſi, Medici gloriam, artis dignitatem, & ægri ſalutem, qui quandoque non niſi facto prognoſtico territus obedit, conſiſtere. Unde *Hippocrates* in hoc libro, ut plurimum in cognoſcendo morbi eventu laborat, licet non nulla interponat quæ ad dignotionem & curationem magnopere conducunt.

Hic Aphoriſmus bimembris eſt, & in duas partes dividitur, in quarum prima noxam ex ſomno, faciente mortem: in altera ſalutem ex eodem prædicit.

Somnus quid ſit patet ex *Philoſophia* & *Ariſtotele* qui eum definit eſſe: *refrigerationem ſeu quietem primi ſenſoris, & facultatis ſentientis vinculum*. *Plinius Animæ in ſe receſſum* appellavit. *Williſius famem cerebri* aſſeruit, & non inepte, quemadmodum enim in nutrimenti defectu, ſtomachus appeteret cibos quo corpus nutriretur, ita in Spirituum animalium defectu cerebrum appeteret ſomnum, quo mediante Spiritus animales reſtaurarentur. Eſt ergo ſomnus *formaliter* acceptus *quædam ceſſatio naturalis* vel potius *obtuſa & inſenſibilis perceptio ſenſus communis, ſeu primi ſenſoris, una cum exterioribus ſenſibus gratia ſalutis animalium facta*. *Efficienter* & *materialiter* eſt *refrigeratio, vel potius humectatio primi ſenſoris à vapore dulci, ſuavi & humido, à cerebri frigiditate in lympham & rorem inſipidum converſio.* Seu (ut ad mentem recentiorum loquar) fit ex ſeroſa ſanguinis parte in glandulosa cerebri ſubſtantia extravaſata, qua mediante ſpiritibus animalibus influxus in organa ſenſus & motus intercluditur, oleoſa Spirituum indoles phlegmate diluitur, & per conſequens vis eorum elaſtica ad tempus ſaltem, quaſi omnino refrænatur, unde pori non rite inflati, ſubſident, & ſic Spiritibus animalibus paſſim per accidens intercludunt. *Finaliter* ſomnus nihil aliud eſt, quam *ceſſatio actionum animalium*, ut ſic calor naturalis ab exercitio actionum animalium, non impeditus, ſed ſibi relictus, deficientes Spiritus animales reſarcire, & pro ulteriori actionum continuatione, novos generare poſſit: unde elapſo ſomno per Spirituum animalium abundantiam matutinis horis maxime Serenus, & ad quaſcunque actiones animales aptiſſimus eſt: nam juxta illud

Mane

Mane color rebus, facieſque redditur orbi
Corporibusque redit mens animoque vigor.

Et juxta ſententiam *Ariſtotelis* qui dicit: *Neceſſe eſt omne quod vigilat dormire*, quemadmodum enim aeris diurni & nocturni, cibi & abſtinentiæ, motus & quietis, ita ſomni & vigiliarum viciſſitudo mortalibus abſolute eſt neceſſaria. Cum enim vitæ noſtræ decurſus ſit perpetuus torrens, quo plurimum de ſubſtantia noſtri corporis decedit. Sic abſoluta fuit neceſſitas, ut illud nova in dies ſubſtantia, id eſt cibo & potu, ſomno & quiete reſtauraretur, quod actione caloris nativi, abſtinentia, motibus & vigiliis deprædatum fuit. Etenim Spiritus animales in Vigiliis, ſeu effectivo ſenſuum exercitio partes organicas inflare, tendere, & ſic quaſi motu aliquo & labore concurrere ſolent. Requirebat igitur neceſſaria rerum viciſſitudo, ut laborem requies, motum ceſſatio, tenſionem laxatio exciperet: Et ipſa natura ſemel in die feſſa, partes continuo tenſas per modum arcus remitteret. Nam teſte *Ovidio*

Arcus & arma tibi ſunt imitanda Dianæ
Si nunquam ceſſes tendere mollis erit.

Ut nempe naturæ vires remiſſione nocturna per modum arcus robuſtiores factæ in novum actionum animalium exercitium vegetiores inſurgant: teſte *Statio*

. . . . . Vires inſtigat alitque
Tempeſtiva quies, major poſt otia virtus.

vel juxta illud *Ovidii*

Quod caret alterna requie durabile non eſt.

Notandum autem eſt, ſomnum aliquando eſſe *Naturalem*, aliquando *Præternaturalem*. Naturalis coctiones, digeſtiones & fermenta juvat, hominem alacrem reddit, Spiritus animales & vitales multiplicat, corpus humectat & laſſitudinem tollit, dolores corporis & animi aufert, utilia ab excrementis ſeparat. Unde quanta ſomnus naturalis ſeu moderatus corpori noſtro afferat emolumenta docet *Tertullianus*; *Somnus*, inquit, eſt *Recreator corporum, Integrator virium, Probator valetudinum, Pacator operum, Medicus Laborum, quo legitime fruendo cedit dies, nox legem facit. Hippocrates* tantam in ſomno latere confortandi interiora corporis, potentiam deprehendit, ut 6. Epid. palam profiteatur, his verbis: *Ut motus articulis, ita ſomnus viſceribus cibus.*

Somnus Præternaturalis ſeu *immoderatus*, & intempeſtivus è contra fluxiones movet, caput gravat, corpus enervat, & plus juſto humectat & refrigerat, omneſque evacuationes ſuſpendit, & inde cruditates in toto corpore prædominantur, & Spirituum animalium torpor & gravedo. Genealogiam hujus ſomni ſi quis ſcire cupit: Ejus *Pater Bacchus* eſt: nunquam enim cerebrum fuliginoſis vaporibus magis obſcuratur, quam dum culina Stomachi fumat, latrans enim Stomachus etiam dormientes è Somno excitat; Hinc proverbium: Absque *Cerere* & *Bacho* friget *Venus* id eſt Somnus

Mater Somni *Pigritia* eſt, hinc *Ovidius*:

- - - - *Somnique ignavia mater*

Frater, Somno ſimillimus *Mors*, hinc *Seneca* de Somno

Frater duræ languida Mortis

Filius Somni eſt Catharrus & Pituita unde Poeta

Eſt frater gelidæ mortis ſopor unicus: unde

Lethais cerebrum lentus in undat aquis

Nepotes Somni cacochymia, hydrops, apoplexia, aliique morbi frigidiores; unde Poeta

Filius eſt Spurius generoſi Somnus Iachi

Filius unda homines afficit igne Pater.

Hæc Somno naturali & præternaturali, juvante & nocente in genere, breviter dicta ſufficiant, multum ſervitura poſthac in ſequentibus aphoriſmis.

Jam rurſum ad noſtrum præſentem aphoriſmum: in quo præprimis ſciendum *Hippocratem* per *laborem* tria intelligere: *Exercitium, dolorem* & *moleſtiam* ſeu *læſionem* ſeu *nocumentum* Græce πόνον dictum: & in hoc tertio ſignificatu loquitur hic aphoriſmus. Si enim dicit in uno membro *juvare*, in altero oppoſitum eſt intelligendum nempe *nocere*. Non autem intelligenda hic eſt læſio ſeu noxa quæcunque, ſed *gravis, magna, & perſeverans*. Dico *gravis* & *magna* id eſt gravioris morbi V. S. delirii, convulſionis, inflammationis, difficilis reſpirationis, ſyncopis, comatis, dolorum inquietudinis continuæ &c. a Somno inducti. Dico *perſeverans*. Nam poſſunt ex Somno extremæ læſiones fieri, nempe nocte antecedente criſin, ſed cum hæc non perſeveret, non hic intelligitur, ſed læſio durabilis. Hinc neque etiam hic generaliter credendum eſt, in omni morbo, & omni tempore morbi,

bi, nocentem ſomnum eſſe mortalem, nam v. g. in morbis paroxiſmos habentibus, in principio & augmento paroxiſmi, licet ſomnus noceat, mortale non eſt, quia illud communiter evenit; ſi vero in declinatione noceat, vere eſt mortale, nec in ullo alio morbi tempore magis fatale eſt, quam in hoc, in quo alias ſemper juvat. Unde bene concluditur generaliter, ubi ſomnus nocet in morbo & in morbi tempore, quibus nocere non debet, mortale eſt. Nam revera ſi, quæ juvare ſolent & debent, non juvent, paſſim malum eſt ſignum, idque non ſolum intelligendum de ſolo ſomno, ſed de omnibus rebus non naturalibus & etiam medicamentis.

Proinde ſomnus placidus per totum morbum, vel ſaltem potiorem partem, & naturam levans, morbumque minuens, jure meritò in bonis numerandus eſt. Quod ſi vero ſomnus alioquin virium & laborum refectorum, quo magis laborem facit, eo minus officium ſuum facit, & eo magis nocet, dum actu eſt, tum etiam poſt ipſum.

Sed quæres, unde autem hæc mala proprie & genuine ægris ex ſomno proveniant? ℞. ſcire & credere oportet, roridam illam ſubſtantiam qua cerebrum in ejusmodi ægrotantibus perfunditur, ſuggeri à ſanguine depravatam, maleque affectam, ut proinde nervorum fibræ graventur, obruantur, vel etiam vellicentur & doleant in morboſo. Ejus enim conditionis ros ille, è cerebro in nervos defluens eſſe debet, ut leni quadam aptaque irroratione demulceat, & flexiles illos faciat. Quamobrem cum ab hac naturali conſtitutione receſſerit, potius conturbat, torquet, exaſperat, adeoque animalibus operationibus obeundis ineptos eos reddit, unde poſtmodum dolores, laſſitudines, aliaque graviora mala & defluxiones oriuntur. Porro roridus hic humor plurimum per vigiliam extenuatur & diſſolvitur, qui propterea ex ſomno potius reficitur, quadam veluti ex arteriis per cerebrum transcolatione ejus potiſſimum liquoris, qui in ipſo albicat & à concoctioni chyli portione procedit, perenni plane ſuggeſtu. Quare ſi per id tempus noctius omnino ſufficiatur, procul dubio cerebro, nervis, cunctisque partibus infenſus & moleſtus accedet. Sed

Quæres II. Quomodo huic malo ſit occurrendum? ℞. Non ſatis eſſe Medico laborem ex ſomno exitialem præſagire, niſi etiam ſolerti induſtria immunens exinde periculum vitæ & infauſtum exitum, quoad fieri poteſt prudens Medicus præcavere nitatur, operæ præ-

 tium

tum proinde eſſe duximus, aliqua in medium afferre, quæ valeant ejusmodi infortunato omni occurrere & ſanguinem liquoremque nerveum ab inquinamentis mortiferis repurgare. Ea autem ſunt quæ ſudorem blandum atque urinam movere valent: optima cenſentur omnia bezoardica, uti ſunt 🜍 auratum antimonii, tinctura antimonii, antimonium diaphoret. Arcan. duplicat. Mynſicht. Sal volatile Succini, C.C., viperarum, liq. C.C. Succinat. Sal volatile oleoſum Sylvii, vel meum nobile, mixtura ſimplex &c. Per vias urinæ ſpecialius conferent, Spiritus urinæ volatilis, Spiritus 🜿 volatilis, vel compoſitus, Spiritus Salis armoniaci correctus, vel aromatizatus, Spiritus Salis marini dulcis, vel aromatiz. in aquis & vehiculis ſpecificis: atque id genus alia (quæ in Inſt. Praxi videri poterunt titulo de ſoporoſis affectibus) quæ nempe ſanguini cæteriſque humoribus corporis repurgandis ratione & experientia conferre & contuliſſe ſæpe obſervata ſunt.

Aphoriſmus II.

Ubi delirium ſomnus ſedaverit bonum.

Contentum ſeu Intentio.

De ſomno in Deliriis.

Connexio. Parum aut nihil differt hic aphoriſmus à præcedenti, imo quaſi pars ejus eſſe videtur: cum enim in præcedenti aphoriſmo egiſſet de læſione & juvamento ex ſomno, in hoc quaſi exemplum quoddam adducit prioris ſententiæ, ubi dixit, quando juvat ſomnus in morbo, non eſſe mortale, & quando ſomnus dolorem ſedat bonum, hic tandem addit, quando ſomnus accidentia ſeu ſimptomata, v. g. delirium, dolorem, febrem, inflammationem &c. Sedaverit, etiam bonum eſſe.

Hujus Aphoriſmi brevitas non patitur diviſionem, ſed unimembris eſt.

Quid Delirium (quod Hippocrates paraphroſyne vocat) ſit, patet ex Inſtitutionibus & Praxi nihil aliud in genere eſſe, quam *notabilem functionum ſeu actionum animalium, imaginationis, ratiocinationis &*

& memoriæ depravationem, ſeu motum depravatum: Delirantes enim omnia depravate judicant, & aliter quam ſe habeat apprehendunt. Vel brevius *Delirium eſt aberratio à rectæ rationis ſemita*, ut, cum ægrotantes abſurda & vana loquuntur aut imaginantur, idque vigilando & dormiendo; unde non immerito inquit *Hippocrates* *Ubi ſomnus delirium ſedat*, quia non ſemper per ſomnum delirium ſedatur, imo dormientes quandoque delirant & obloquuntur. Delirium autem fit, cum ſanguis per arterias carotides in plexus cerebri delatus, nimiaque fermentatione ſubactus exſtillat in vaporem acrem & exardeſcentem, qui deinde per ſubſtantiam cerebri diffuſus, continua & inæquali agitatione internam & medullarem ipſius ſubſtantiam percellit, & quaqua verſum ejus poros pervadens ad delirium & vigiliam lacesſit, quin & roridam ſubſtantiam qua ipſum & nervorum fibræ irrorantur, adeo exagitat & perturbat, ut ſubinde omnes propemodum operationes animales depraventur & vacillent.

Delirium autem eſt multiplex, *Cardanus ex Hippocrate* ſeptem deliriorum genera colligit, nempe *phrenitidem inſaniam, delirium, mentis motionem, ſtuporem, melancholiam, furorem ſeu maniam*, quid & quæ illa ſint ex *Inſtitutionibus* & *Praxi* mea patet. Inter hæc iterum aliud cum *riſu*, aliud cum *Studio*, de quibus loquitur 6. Aph. 53. *Deſipientiæ quæ cum riſu fiunt, ſecuriores, quæ cum Studio, periculoſiores*: ratio eſt, quod illæ quæ cum riſu fiunt leviorem in ſanguine mutationem, & minorem cerebri læſionem deſignent, quæ vero cum ſtudio fiunt graviorem & majorem à ſtatu naturali utriuſque receſſum arguunt: aliud rurſum eſt *ſine febre*, atque aliud *cum febre*, *ſine febre*, vel eſt *iners*, ut *ſtulterо*, quæ quidem quibusdam naturaliter accidit, aut ex contuſione, ictu, vel ſanguinis immodica evacuatione. Vel *Studioſum & melancholicum* dicitur, per quod homo cum metu & mœrore delirat, vel furibunde inſanit, idque fit vel per *Idiopathiam* ſeu à cerebro, vel per *Sympathiam*, ſeu ab hypochondriis & utero. Delirium *cum febre* vel eſt *ſoporoſum*, quale eſt lethargicum, caroticum, comaticum, aut ſtupidum: aut *vigil*. & hoc eſt *continuum* ut phrenitis, vel *interpolatum*, ſeu ex intervallo adveniens, quale per ardentium febrium acceſſiones oritur.

Poſitis his deliriorum differentiis, notandum eſt *Hippocratem* (licet expreſſerit omnem ſedationem delirii ex ſomno bonam eſſe) loqui

Digitized by Google

loqui de ejſ ſedatione, quæ fit in *febre acuta & cum vigilia*, ſeu continuo & non interpolato, ſeu ſecundum acceſſiones, quia hoc ultimum poteſt per ſomnum ſolum, cui tamen ſidendum ſemper non eſt, quia etiam ejus ſedatio conſtans & durabilis non eſt: ſed pure pute loquitur de delirio cum febre acuta ſeu vigili, & tunc eſt bonum ſignum, ſi tale delirium ſomnus ſedet, quia illa ſedatio fit ſecundum rationem & perdurat, tunc enim certam ſalutem denuntiat, quia fida & ſecura eſt, quæque ſedatio non enim ſolum intelligenda eſt de delirio ſolo, ſed etiam de aliis accidentibus & ſymptomatibus, nempe convulſionibus, anxietatibus, animi deliquiis, ſyncope, inflammatione &c. Non ergo loquitur *Hippocrates* in hoc aphoriſmo de delirio ſine febre, neque de comatoſo ſeu ſoporoſo, quia tale delirium ſomnus ſedare non poteſt, cum illud potius augeat.

Notandum præterea, eo ipſo quod ſomnus delirium vel aliud ſymptoma ſedaverit, bonum eſt, quia ſignum eſt naturam morbum ſuperaſſe. E contra vero, ſi hoc vel illud excitaverit, vel poſt ſomnum evenerit, malum eſt, quia ſignum, Naturam a morbo ſuperari.

Somni proinde maxima habenda eſt ratio, præprimis in febribus, hinc etiam in aliis morbis. Somnus etenim & ut *cauſa*, & ut *ſignum* delirium ſedat: ut *Cauſa*, nempe ſpiritibus placide irretitis & placatis, ut eſt placita quiete & molli irroratione acredinem ſanguinis & roridæ ſubſtantiæ cerebri retundendo vaporesque illud & fibras nervorum pervadentes lenes admodum & blandas reddendo, nec non vires ex vigilia immoderata fatiſcentes commode inſtaurando, coctiones adjuvando, perſpirationem adeo vitæ neceſſariam & ſæpe etiam ſudorem promovendo. Ut *ſignum*, cum denotet Lympham ſufficientem vel minus deficientem.

Cur autem *Hippocrates* ſolius delirii ejusque ſedationis mentionem fecerit, cauſa potiſſima illius videtur eſſe, quod *primo* delirium omnium accidentium & ſymptomatum terribilium ſit terribiliſſimum, ſummam depravationem principum functionum & ipſius mentis inferens, & ex homine non hominem efficiens. *Secundo* ut exprimeret periculum & violentiam cauſæ, conſtat enim deliria, irrequietum & eccentricum motum Spirituum (qui Spiritus præſtantiſſima noſtræ animæ & animalitatis ſint inſtrumenta) ac obſervantium inde

indeidearum ſequantur. Nam deliria ſunt inſomnia vigilantium: & quo magis vigilant, eo pertinaciora & periculoſiora.

Dues. Hippocrates I. Epid. aſſerit in Felini Uxore delirium per ſomnum fuiſſe ſedatum, & tamen illam eſſe mortuam, ergo non ſemper eſt bonum ſignum ſi delirium per ſomnum ſedetur? ℞. Delirium illud fuiſſe per conſenſum, non per eſſentiam, adeoque etſi per ſe bona fuerit illa ſedatio delirii, non tamen fuit fida & ſecura, quia non duravit, ſed per intervalla, & per conſenſum affligebat illud delirium, adeoque facile rediturum.

Quares Quomodo intelligendus ſit Hippocrates *in Coacis praſagiis*, dum agit: inſomnia in phreniticis evidentia bonum eventum portendere. in *Prorheticis* è contradicit. inſomnia phrenitidem portendere, quæ formalis eſt contradictio? ℞. Hippocratem in *Coacis* loqui de ſomniis minus turbulentis: in *Prorheticis* vero de turbulentis, adeoque nulla eſt contradictio: turbulenti autem deliria ſunt, & dicuntur, quia pariter ab adſtantibus & ipſis ægris vociferantibus ac terrefactis præſentiuntur.

Quares ſecundo. Quomodo ergo delirus ſit ſuccurrendum? ℞. I. Nihil convenientius & exoptabilius eſſe, deliris & vigilantibus ægris, quam blando ſopore affici, quo nimirum ſenſus omnes non tantum conquieſcunt & reficiuntur, verum etiam morboſis moleſtiis vacant: unde *Paracelſus* ſomnum exiſtimavit maximum in Medicina arcanum, ſuperans omnia arcana. ℞. II. In deliris atque vigiliis immoderatis oportet prudenti Medico ſomnum conciliantibus remediis uti, caute tamen & opportune, ne ſcilicet pro delirio *Lethargus*, & pro vigilia *Carus* inducatur. Quamobrem & doſis, & tempus, & modus in ſomniferis maxime erit attendendus: & quidem ſeligenda erunt ea ad hunc uſum Medicamenta quæ ſenſim & blande tranquillam quietem inducant, non vero ſubitam & violentam.

Prius ergo tentanda cura per externa balnea, pediluvia, epithemata &c.

Mox vero ſi iſta non ſufficiant per interna temperata prius, tandem urgente morbo per opiata rite præparata & caute adhibita: ne vero hæc dentur viribus jam proſtratis, neque iis quibus ſanguis mox detrahendus, vel jam extractus eſt, neque infantibus qui facile in ſomnum

ſomnum labuntur, neque etiam cachecticis, hydropicis, ſipticis, empiicis &c. plura vide apud Practicos, qui conſulendi.

Aphoriſmus III.

Somnus & vigilia, utrumque ſi modum exceſſerint malum. Nota Cum hoc aphoriſmo confertur aphoriſmus Sect. 7. Aph. 11.

Contentum ſeu Intentio.

De ſomni & vigiliarum immoderatione.

C*onnexio:* Egit. Hippocrates in antecedentibus aphoriſmis de ſomno in particulari, quatenus in morbis acutis bonum vel malum porrendit, & Medicus prognoſim ex ipſius *effectibus* facere poteſt. in hoc autem aphoriſmo univerſaliter non tantum de ſomno ſed & de vigilia agit, ad eandem prorſus prognoſeos intentionem, quomodo nempe ex ſomno tanquam *cauſa* effectus & eventus colligere debemus.

Hic aph. ob nimiam brevitatem diviſionem non patitur ſed unimembris manet.

Præſciendum autem hic eſt generaliter, omne diætæ ſeu rerum non naturalium regimen conſiſtere in medio, ſeu debita moderatione. punctum autem medietatis & conſequenter ſanitatis in alteratione decenti quoque conſiſtere. Proinde in hoc aph. oſtendit divus ſenex, non ſolum res præter naturam nocere, verum etiam *naturales* (quales ſunt *ſomnus* & *vigilia* quæ revera reliquis velut ſedem quandam & fundamentum concedunt) ſi modum & moderamen excedant.

Præterea innuit ut ſi hæc ſanis accidant, Medicus futurum morbum præcaveat qui ex illis ſignificatur, frigidus nempe, ſeu ex ſtagnatione à ſomno, calidus vero ſeu ex reſolutione à vigilia, ſomni enim effectus morboſi in ſpirituum torpore præcipue, vigiliarum autem in eorundem motu & activitate continuitatis conſiſtunt. Tandem

etiam

etiam docet, ut in morbis ex utroque malum conjectemus, & utriuſque exceſſum quovis modo corrigamus & ad medium redigamus.

De ſomni differentiis jam actum eſt in aph. 1. qui nempe ſomnus *moderatus* ſeu *naturalis*, & qui *immoderatus* & *præternaturalis*, in quanto, quali, & tempore ſit: hinc nimius, profundus & commutatus in *quanto* excedit: inquietus & minus ſuavis in *quali* peccat, intempeſtivus ſeu inſuetus in *tempore* delinquit.

Notandum autem eſt, Hippocratem in hoc Aph. non loqui ſimpliciter de ſomno præternaturali ſeu actu morboſo: nam de hoc nemo dubitat, & abſque hoc clarum eſt, idque teſtatur *Galen. lib. de opt. Sect.* non debere tradi præcepta de rebus omnino notis. Neque etiam loqui de ſomno puerorum, aut ſenum fatigatorum, crapulatorum, &c. qui longior eſſe ſolet, ſed præciſe de illo ſomno ſermo eſt, qui modum excedit, quem natura requirit ad corporis diſpoſitiones corrigendas, is enim cenſetur oriri a cauſis, quæ niſi tollantur, morbos pariunt. Somnus etenim præter modum plenitudinis indicium eſt in ſanis, & morbi imminentis in ægris malus, & ut *cauſa* quia naturam debilitat, & ut *ſignum*, quia excedentem humiditatem aut frigiditatem ſignificat: unde *convulſiones, paralyſis podagra, hydrops, catharri, tuſſes, &c.* eadem ratione vigilia in ſanis caliditatem & reſolutionis morbum indicat: in ægro, & ut *cauſa* vires diſſolvit, & ut *ſignum* cerebri ſiccitatem aut caliditatem denuntiat, unde bilis copia ut exceſſus, morbi acuti, inflammationes, hectica, atrophia &c. Somnus naturalis & moderatus tantæ eſt efficaciæ, ut non ſolum ad ſanitatem, ſed & ad vitæ longitudinem ſit potentiſſimus: maximum enim eruditatis eſt remedium, & virium reſtauratio. Sanitas enim in moderatione ſita eſt, ideoque mediocria ſunt valetudini conſervandæ etiam ipſi naturæ ſunt valde conſentanea: hanc mediocritatem quoque in vigilia & ſomno, velut neceſſariam tacite Hipp. hic videtur commendare[1], præſertim quia non tantum ad ſalutem ſed etiam ad vitam ſomnus & vigilia, ſibi invicem ſuccedere debent, & ſe viciſſim interrumpere, utrumque autem ſi exceſſerit nocuum exiſtimat: ſive enim aliquis vel immodice dormiat, vel nimium vigilet, contra valetudinis præſcripta faciet, & multa mala procreabit, quia *omne nimium naturæ inimicum*. Sed

Quæres. Quænam menſura ſit determinanda in ſomno & vigilia?

liæ? ℞. Licet in determinanda horum menſura certa & ſtatuta ſit difficile, nihilominus ſi ætati, conſuetudini, propriæque corporis & regionis conſtitutioni proſpiciatur, poterit magna ex parte de longioris aut brevioris ſomni aut vigiliarum uſu determinari. Pueri enim, & qui humidiorem nacti ſunt temperaturam, longiori indigent ſomno ut & illi qui frigidiores plagas inhabitant, & craſſioribus veſcuntur alimentis: e contra vero alii ita natura ſunt comparati, ut breviorem ſomnum expoſcant, velut graciles &c. ita etiam aliqui morbi breviori, alii longiori ſomno vel vigilia curantur pro varia humorum peccantium conditione, quæ omnia bene ſunt perpendenda & ponderanda.

Quæres II. Utrum deterius ſit plus æquo dormire, quam vigilare? ℞. Licet & in hac nihil certi determinari poſſit, nihilominus ſi experientiam & rationem conſulamus, facile conjiciemus longe deteriorem eſſe ſomnum immoderatum quam vigilias: etenim lethargici, comatoſi, pervetuſta Medicorum obſervatione infra ſeptem dies pereunt, & apoplectici vix quartum pertingunt, imo ſæpe eodem die moriuntur. At vero vigiles plures dies & menſes vivere obſervati ſunt. Sic teſte *Fernelio* delirum quendam menſes 14. inſomnes duxiſſe legimus: *Heurnius de Nizola* ſibi narratum refert, quod per decennium ſomno caruerit. *Seneca* etiam narrat *Mæcenatum* integro triennio exſomnem extitiſſe. Accedit quod ſomnus morti comparetur, vigilia vitæ, quia per ſomnum hebetantur ſenſus & motus cordis, ac ſanguinis cunctatur; per vigiliam vero illi acuuntur, hic incitatur & viget,

Aphoriſmus IV.

Non ſatietas, non fames, neque aliud quidquam quod naturæ modum excedat bonum.

Contentum ſeu Intentio.

De ſacietatis & famis immoderatione

Connexio. Præſens aphoriſmum aut nihil differt à præcedenti, ſed unus idemque fere eſſe videtur, in priori enim egit de exceſſu ſomni

ſomni & vigiliæ, in hoc, ejusque prima parte de ſatietate & ſame, in altera parte de omnium rerum aliarum exceſſu ait, velut naturæ hoſte & noxa.

Quemadmodum autem ſomnus & vigilia intra limites naturæ contenta, quæ in mediocritate conſiſtunt, multa bona & utilia præſtant, ita etiam ſacietas & fames & alia quæcunque. ſi vero hæc & alia naturæ modum excedant, morbifica & damnoſa evadunt omnis enim res non naturalis & præternaturam, æquitatem naturæ utrinque excedens, damnoſa evadit, alia tamen pro diverſitate exceſſus magis, alia minus omnis autem immoderatio naturæ ſenſum incurrit, quæ tamen a volentibus & prudentibus facile caveri & præcaveri poteſt & quo major in exceſſu vel defectu error committitur, eo læſio & morbus brevi præſens vel futurus eſt gravior. Quemadmodum enim in ſtructura & conſtitutione corporis omnia membra & partes certam exigunt menſuram, atque extenſionem, quam ſi exceſſerint, vitioſa fiunt: ita pariter quæcunque nutricationi atque conſervationi eorundem uſui eſſe poſſunt, certum modum & æquabilem quandam menſuram, quæ ipſis congruat, expoſcunt. Et quidem à ſatietate, ſeu ciborum plenitudine gravatur ventriculus, diaphragmatis motus impeditur, adeoque reſpiratio offenditur, viſcera circumjacentia comprimuntur, & ſucci diſſolventes infringuntur, inde mala digeſtio & cruditas exoritur, atque ſubinde innumera detrimenta a fame vero ſeu nimia à cibis abſtinentia, præter morbum illum quem *bulimum Græci* vocant, *macies, languor, ſtomachi morſus, lypothymia* & ſimiles ægritudines proficiſcuntur.

Videtur *Hipp* in hoc *aph. ſatietatem* pro *repletione*, *famem* pro *inanitione* (quamvis hæc etiam a Cacochymia & diſcraſia liquorum provenire poſſit) accipere: fames autem alia *naturalis* eſt, alia *præternaturalis* naturalis juxta *Ariſtotel* eſt appetitus calidi & ſicci, ſicut ſitis eſt appetitus frigidi & humidi ad reſtaurationem & conſervationem corporis humani hanc famem veteres cum *Gal* crediderunt oriri in orificio ventriculi ſuperiori a prævia ſuctione univerſali partium corporis trahentium a venis ſanguinem, atque harum à jecore, hujus autem per venas meſeraicas, ab inteſtinis tenuibus, & à ventriculo, ejusque ſtomacho, qui cum non habeat unde ulterius ſugat, in ſe ipſo coarctatus, ſenſum quaqua ratione moleſtum ſubeat, qui ipſis fames dicitur.

Juxta recentiores vero qui ſe facilius expediunt, fames eſt triſtis quædam ſenſatio in ore ventriculi propter titillationem vel corrugationem fibrillarum & villorum (a tractatione partium exinanitarum) ad corporis ſuſtentationem: partes enim inanitæ attrahunt alimentum ex arteriis proximis & capillaribus, hæ ex majoribus & corde, & hoc rurſum a receptaculo chyli & vaſis lacteis, hæ tandem ex ventriculo propria famis ſede: unde quam primum ille tractionis ſenſus ſentitur, ſtomachus ſeſe corrugat, & contrahit, allicitque animal ad ſibi cibum ſuggerendum: ſenſitivum enim habet appetitum, quo cibos, ut iis tanquam familiaribus fruatur & gaudeat, avide & ſollicite appetit,

Brevius & Clarius hanc rem explicat *Tozzius* famem nempe oriri titillatione quadam inducta in tunicis ventriculi, ea potiſſimum in parte quæ nervoſior eſt, & ſtomachus appellatur, a ſuccis quibusdam acido acribus illuc confluentibus. *Helmontius* & *Caſtellus* e bene, alii ab arteriis gaſtricis & cæliacis id fieri crediderunt, probabilius autem videtur à glandulis in cavum & plicaturas ejusdem ventriculi deſinentibus. Etſi autem iſti ſucci in ſtatu ſalutis perpetim exinde exſtillent pro ciborum diſſolutione, ſi tamen contingat ventriculum inveniri vacuum, proritatione quadam ſtomachum vellicant, & alimenta acquirenda ſollicitant, quin & non raro acredine & acore plurimum excedente nec cibis ipſis infringuntur, ſed eos veluti momento extenuant & colliquant, ac mox iterum iterumque ad nova alimenta ingurgitanda laceſſant inexplebili ſane appetitu, quem caninum aut lupinum vulgo appellant: quare ab hac etiam fame plurimum quandoque corpus affici contingit, cum in confinia ægritudinum per ipſam tranſeantur. Hinc bene *Horatius Lib. 1. Satyr. 1.* cecinit.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines

Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

Fames dupliciter excedit, vel ſecundum *quantitatem* & dicitur *non naturalis*, non autem toto genere præternaturam, nam aliud eſt præternaturam, quo in *modo* peccat, aliud quod in *eſſentia*. Vel fames excedit ſecundum *qualitatem*. *Prima* fames (id eſt ſecundum quantitatem vel excedentem vel deficientem) contingit egenis & jejunantibus, eſtque noxia quia humores malos & nocivos ad ſtomachum attrahit, eumque iisdem replet. *Secunda fames* (id eſt ſecundum qualitatem)

tatem) eſt toto genere præter naturam, quia dependet à cauſis præter naturam a cacochymia ſeu dyſcraſia humorum & liquorum circulantium, partes rodente & inaniente, neque ad corporis ſuſtentationem & indigentiam, quæ eſt cauſa finalis naturalis famis.

Hippocrates in hoc aph. loquitur de fame quæ in *quanto* peccat, cui ſatietas opponitur, non vero de illa quæ in *quali* ſit, qualis eſt *bovina* ſeu *bulimia*, cum qua ſatietas ſtare poteſt, & ideo ipſi non opponitur, licet etiam mala ſit: omnia enim quæ excedunt mala ſunt: quia *qua talia* tanquam cauſa omnia ſunt mala: cum ab his vel reſolvitur, vel opprimitur natura; de priori autem præcipue loquitur a Græcis λιμὸς dicta.

Satietas duo ſignificat: *inappetentiam, & nimiam repletionem*: de *prima* quidem potiſſimum loquitur Hipp. ſed etiam de *ſecunda*, verificatur aphoriſmus, magnam enim vim habere ad ſanitatem docet Hipp. dum dicit 6. Epid. *non ſatiari cibis & impigrum eſſe ad labores ſanitatis ſtudium eſt.* Et alibi in Epidemiis dicit: Cibus, motus, ſomnus, venus, omnia mediocria quia ſanitas ut ſupra diximus in mediocritate conſiſtit, a qua ſi recedatur, ſtatim ægrotare contingit: ſed notandum hic bene eſt, quod minus peccare videantur illi qui ſenſim modum & mediocritatem excedere aſſueſcunt, longe gravius vero qui, cum jam diu à repletione cibi & potus, vel a venere & exercitiis abſtinuerint, quandoque tamen cibis copioſis implentur, vel nimio coitu exſolvuntur, tunc enim æquabilitas deſtruitur.

Aphoriſmus V.

Laſſitudines ſpontaneæ morbos prænuntiant.

Contentum ſeu Intentio.

De laſſitudine ſpontanea & ejus effectu.

Connexio. Hippocrates in prioribus aph. ſigna à rebus non naturalibus aſſumpſit, non modo ad dignotionem, ſed prædictionem: in hoc aph. res præter naturam aſſumit, non tamen in eo exceſſu, quo mor-

Digitized by Google

morbos conſtituunt, ſed prænuntiant. Hic aph. propter brevitatem etiam diviſionem non patitur.

Laſſitudo eſt diſpoſitio, ſeu accidens, quæ refertur ad motum cum moleſtia & pigritia, & ideo omnis *laſſitudo* eſt dolor, quia omnis moleſtia dolor eſt. *Laſſitudo* ab *effectibus* quos producit in membris, varias ponit differentias: ſi dolor eſt gravans, laſſitudo dicitur *tenſiva* ſi pungens *ulceroſa*, ſi ambo ſentiantur *phlegmonoſa*, ſi oſſa veluti contundi videantur, ut in quartanis.

Laſſitudo à cauſis rurſum varias patitur differentias: alia fit *ſine motu* & dicitur *ſpontanea*: id eſt ſpontanea laſſitudo ea eſt, quæ citra cauſam manifeſtam exercitii ac laboris evenit, & hæc inſtantem morbum præſignat: cumque hæc ex cauſis manifeſtis & naturalibus jam dictis non fiat, proculdubio ab occultis & morboſis exoritur. Alia ex nimio *motu* ſeu *labore*, & non ſpontanea nominatur, hæcque tripliciter accidere poteſt: *primo* aut in exercitatis cum multum ſe exercent. *ſecundo* in inexercitatis ſeu exercitio non aſſuetis; *tertio* in exercitatis aſſueto exercitio ſi exercitium ſit exceſſivum.

Galenus tam in *commentario* hujus *aphor* quam 4to *de ſanitate tuenda Cap. 2.* Tres adhuc enumerat laſſitudinis ſpontaneæ ſpecies, à triplici moleſtia ſenſuque corporis deſumptas: *Primam ulceroſam* vocat, quæ nimirum cum ſenſu ulceris fit. *Alteram* quæ cum *ſenſu tenſionis*: *Tertiam* cum *ſenſu inflammationis* cum ſcilicet partes quaſi inflammatæ percipiuntur. *Vlceroſam* à *cacochymia*, ſive à vitioſis humoribus membra laceſſentibus: *Secundam* à *plethora* ſeu humorum inflantium & diſtendentium nimia plenitudine: *Tertiam* ſeu *Phlegmonoſam* denique ab utraque cauſæ ſuperfluitate, nempe ex vitio humorum, qui repleant ſimul & diſtendant, vellicent & prorítent, partes & artus corporis oriri ait.

Cum ergo à ſanguine præter naturam vitiato ſpontaneæ iſtæ oriantur laſſitudines, qui ſanguis diverſimode affectus, diverſas infert partibus moleſtias, proinde fit ut morbi portendantur: & quidem ab ejus plenitudine vaſa corporis tumeſcunt & inflantur, unde ſenſus ponderis, atque ad motum ineptitudo, imminentque mala 1. aph. 3. memorata: *athletarum corpora* &c.

Cum vero acritatem, ſalſedinem, aliamve pravam conditionem contraxerit, pruritus, febres, inflammationes, ulceta &c. excitare poteſt.

teſt Oportet autem muſculos poriſſimum & artus, ejuſmodi vitiis humorum affici ut laſſitudines habeantur, quippe per hos motus ſpeciatim offenditur & corpus ad ſe regendum & exercendum impotens evadit. Sed nec a ſanguine ſolum vitiato ſed à lympha quoque ſucco nerveo imo à reliquis etiam ſuccis præter naturam affectis poſſunt laſſitudines oriri: unde illæ præcedunt vel comitantur ſæpe ſæpius catharros, arthritides, hyſtericas paſſiones, cardialgias, epilepſias, apoplexias &c. Sæpe etiam quorundam morborum ea eſt natura, ut antequam invadant & ſenſibiliter affligant, veluti prodromos laſſitudines præmittant, ut experimur in renum calculo quibus multos ante dies contingit laceſſere. Etiam aeris mutationes id præſtant & laſſitudines afferunt ut teſtatur Hipp. 3 aph. 5. auſtri auditum hebetant, caligine viſum offendunt, caput gravant, fluxiones movent, tarditatem & languorem inducant.

Omnis quidem laſſitudo morbum parere poteſt, ſed magis *ſpontanea*, quia a cauſa interna occulta & morboſa naſcitur, ideo magis timenda omne enim virium ſolutu facilius eſt, à cauſa externa & manifeſta ortum ducens, dummodo naturam humanam non ſuperet, ut in peſte. Unde patet ſicut à motu extraneo corporis, vel membrorum fortiori, ita & cauſa interna laſſitudo fieri poteſt. Patet *ſecundo* quod motus partium ſolidarum motum fluidarum & ſpirituum ſupponat. Patet *tertio* laſſitudinem quamcunque ſpiritus vel imminutos, vel gravatos vitio liquorum ſeu humorum arguere. Poſito enim torpore fluidorum & ſpirituum extra ſtatum morboſum laſſitudo ipſa in propinquo eſt.

Cum igitur à ſanguine cæteriſque humoribus veluti à cauſis internis vitiatis laſſitudines fiant & morbos vel inſtantes, vel etiam præſentes denuntiant, oportebit iis edomitis, correctis ac repurgatis, morbos ipſos adventantes avertere & impedire, prout ſpecies laſſitudinis deſignaverit.

Imprimis autem perpetuo conferent omnia alkalia tum fixa, tum volatilia, quæ diaphoreſim & diureſim promovere apta ſunt. unde Hipp. 2. prædict. adnotavit, ſanguinis mictu ſolvi laſſitudines, ſi præſertim abſque dolore & febre contingat. ita etiam ſi cacochymia vigeat & corpus excrementis abundet, adhuc cathartica, conventiora pro-

prodeſſe poſſint; inſtituta interea diætæ quæ præfatis cauſis & patientis conſtitutioni ac ætati melius congruere videbitur.

Aphoriſmus VI.

Qui aliqua parte corporis dolentes, dolorem non ſentiunt, iis mens ægrotat.

Contentum ſeu Intentio.

De dolore inſenſili vel ſignis mentis laborantis.

Connexio: In præcedenti aph. tractavit Hipp. de laſſitudine quæ ſpecies eſt (ut diximus doloris ſeu triſtis ſenſationis) in hoc aphor. præſente, pergit dicere de iiſdem triſtibus ſenſationibus & celebre atque magnæ utilitatis ad ipſum dolorem ſeu triſtem ſenſationem pertinens tradit præceptum, *cauſa nempe doloris præſente ſi dolor non ſentitur, mens ægrotat*: quo præcepto monet contra vulgi opinionem doloris ablationem non ſemper bonam eſſe, quin imo magnum malum ex hoc ſignificari, ſi præſente cauſa dolor non ſentitur: præterea ut ex hoc mentis turbationem Medicus prænunciet. Sed

Nota: Pugnantia atque omnino abſurda videtur hic locutus Hipp. quippe qui dolentem aſſerat, poſſe dolorem non ſentire: quomodo enim fieri poteſt ut quis dolorem non ſentiat, cum revera doleat? quamobrem *Celſus* & *Galenus* de cauſa doloris potius, quam de dolore ipſo ſententiam hanc interpretantur. Profecto ergo ſic exponendus eſt aph. *quicunque aliqua corporis parte doloris cauſam habentes omnino dolorem non ſentiunt, iis mens ægrotat.* Et forſan *Heurnius* id ipſum meditatus præ reliquis interpretibus è Græco Codice vertit & agit. *Quicunque ex parte aliqua corporis laborant, & nullo modo eam læſionem percipiunt, iis mens laborat.*

Notandum ſecundo. Non pro dolore quamcunque morboſam affectionem, hic intelligendam eſſe, ut plerique arbitrantur, ſed eam ſolum læſionem, quæ cum moleſto ſenſu affecta partis, à re vehementer tactum percellente ac vexante fit, ut clare deducitur ex contextu

ejus-

ejuſdem aphoriſmi, ita ut ſenſus ſit, eos qui à re dolorem, ſive moleſtam ſenſionem in tactu inferre valentem afficiuntur, ſi fortaſſe dolorem illum non percipiant, mente laborare. At vero ſi de quacunque læſione ſermonem hunc protuliſſet Hipp. procul dubio maligna febre affecti, *hectici & tabidi*, qui ſe febrire non ſentiunt, mente quoque laborarent. Itaque ergo de dolore proprie ſumpto exponendus eſt aphoriſmus, id eſt cum quis inflammationem, vulnus, ulcus, vel quid ſimile quod dolorem inferre aptum eſt, re ipſa non perſentit, is plane mente læſus eſt.

Notandum tertio Quod mirari liceat, quam ſicco tranſeant pede interpretes, cauſam ejuſcemodi læſionis in mente, à patris laborantis indolentia, cum hæc non ſemper illam ægrotantem arguat, ut in *Gangrana & Sphacelo*: Verum qui novit omnes ſenſiones in cerebro fieri, ut in Anatomia quondam oſtendimus, facile difficultatem diluet: quia omnes ſenſiones excitantur in membris corporis ſed percipiuntur à mente in cerebro; hæc autem diſtracta ecſtaſi abducta minimeque advertente licet partes reliquæ acriter afficiantur, ſenſio nihilominus nulla fit, qua ratione *Lethargici, Apoplectici*, &c. ligaturas, uſtiones, & alia id genus tormenta, ſi adhibeantur, minime perſentiunt. Sæpe etiam evenit ut ſani licet homines, alio intenti & cogitabundi, adſtantes nec videant, nec audiant, licet in oculos & aures color & ſonus appulerint. Mens ergo advertere debet in ea quæ eſt perceptura: *Sola enim mens videt, & audit, reliqua cæca & ſurda.*

Quamobrem cerebrum illius ſedes, bene ſe oportet habere ut ſenſiones iſtæ fiant, quæ tametſi per propria organa ab externis objectis promoveantur, revera tamen in cerebro perficiuntur. Hinc ſagax *natura nervos* omnes, quibus ſenſiones peraguntur in cerebri meditullio colligavit, ut in ipſum quæ ex organis percipiuntur, recta pertingant, atq; in commune ſenſorium devolvantur, ut de illis judicium ferat. Hoc autem ſi fortè conſopiri aliterque ægrotare contingat, motiones, licet periculoſiores vehementes & dolorificæ, minime percipientur; ut proinde recte dictum ſit ab *Hippocrate* cerebri & mentis læſionem inde deſignari.

Hujus Aphoriſmi brevitas & continuitas diviſionem non patitur.

Omnis ergo morbus, qui non ſentitur & animadvertitur, vel minus

L

nus æſtimatur quam debet, ſemper gravior eſt habendus: Non animadvertuntur autem morbi, non ſolum ex negligentia, ſed etiam & præcipue quando mens laborat, vel quando alio intenta eſt: ut in iis qui pugnant, non ſentiunt dolores eo tempore. Vel quando ſenſus partis eſt abolitus ut in *Paralyſi* vel quando inſtrumentum ſenſus eſt læſum.

Mens dupliciter ſumitur *late* & *ſtricte*; late ſumitur pro anima in genere, de hac non intelligendus Aphoriſmus. Stricte & uſitatius mens ſignificat vim ac virtutem animæ humanæ, *rationativam, dijudicativam & cognoſcentem*. & de hac ultima loquitur *Hippocrates*.

Egregiam differentiam *animæ* & *animi* proponit doctiſſimus *Linden*. Animus & anima in hoc inquit diſtant: *Animus* eſt quo ſapimus *Anima* qua vivimus. Sapimus *animo*. Fruimur *anima*: Medicis anima *vitalis* eſt, animus *animalis*.

Mens laborat tum quæ dolorem vel aliud malum graviſſimum, levem vel plane non æſtimat, tum quæ dolorem vel aliud malum externum obvium non ſentit; tum quæ objecta triſtia, dolorifica, læta, ſupina, confuſa, turbata, non percipit.

Mens quoque laborat quando ſpiritus laborant, vel dum eccentrici ſeu turbati (ut in febribus maxime in phrenitide, ut diximus, in qua mens intenſe laborat) vel ſuffocandi ſeu extinguendi ſunt. Unde periculoſiſſime illi degunt ægri qui in periculo verſantes, nec ægrotare ſe credunt.

Dices ſola memoria læſio & oblivio, videtur eſſe cauſa, quod dolentes dolorem non ſentiant? ℞. Negative: nam ſtulti & oblivioſi etiam quando feriuntur ſentiunt, quamvis non ita acute & diſtincte

Inſtabis In ſtultis mens ægrotat, ergo non ſentiunt? ℞. in ſtultis mens ægrotat in gradu remiſſo & confuſo *concedo*, in gradu intenſo ſeu diſtincto *nego*.

Aphoriſmus VII.

Quæ longo tempore extenuata ſunt corpora, ſenſim (ſeu lente) reficere oportet, quæ vero brevi, celeriter. (ſeu breviter. ſeu repente.)

Con-

Contentum ſeu Intentio.
De reficiendi ſeu alterandi modis.

C*onnexio:* Cum in ſuperioribus egiſſet de præcautione *neutrorum* decidentiæ, in hoc de reſtauratione neutrorum convaleſcentiæ ait, & tradit perquam utile præceptum de adjectione ſeu refectione extenuatorum. Ante omnia autem bene notandum: *Hippocratem* non de ea hic agere extenuatione, quæ viventibus etiam ſanis ad extremum ſenium atque ad interitum usque perenniter accedit, cum ut alibi dictum animalium corpora donec vivunt, continuo abſumantur, ac propterea perenni indigeant per cibos reſtauratione, ne omnino contabeſcant, & citius quam deceat extenuata emoriantur: ſed ſolum de ea loquitur extenuatione, quæ à morbis inducta eſt, ex quibus quandoque tanta fit brevi tempore corporis conſumptio, ut indicio ſit ipſam carnium ſubſtantiam colliquari & abſumi. Pertinet hic aphoriſmus ad eam Medicinæ partem quæ *Analeptice* vocatur, ſi quidem docet, quo pacto nos gerere oporteat in reficiendis iis, qui nuper à morbo convaluere.

Hic Aphoriſmus duas habet partes: *Prior* pertinet ad eos, qui ex longo tempore extenuati ſunt, illos lente eſſe reficiendos: *Altera* vero ad illos qui brevi extenuati ſunt, breviter etiam eſſe reficiendos: debet enim reditus ad ſtatum naturalem eſſe ſimilis receſſui: & ideo corpora quæ longiori tempore ſunt extenuata, longiori etiam tempore ſunt reficienda, quia ſunt languida, & in iis non tantum humores & ſpiritus ſunt conſumpti, ſed etiam partes ſolidæ, & eorum fermenta ſunt exſoluta, quæ cito refici non poſſunt, veluti corpora quæ celeriter extenuantur: in his enim tantum humores, & potiſſimum ſpiritus ſunt conſumpti, qui brevi tempore refici poſſunt. Experientia docet, in quibusdam morbis paulatinam magis, in quibusdam celeriorem curationem locum habere: natura enim non facit ſaltum, nec alteratio in inſtanti æque fieri poteſt. Etenim quotidie videmus in longis extenuationibus, non tantum de ſubſtantia noſtri corporis ſpirituoſa & humoroſa, ſed inſuper de ſolida plurimum conſumi; ipſa viſcera ſqualidam & hecticam contrahunt ſiccitatem & contabeſcentiam, ex qua calor partibus inſitus in tantum debilitatur, ut copioſo conficiendo a-

 limen-

limento non ſufficiat, imo ab ejus nimia copia opprimeretur & ſuffocaretur & cum reſtauratio deperditarum partium ſolidarum durum & viſcoſum requirat nutrimentum, cujus ſubactio caloris nativi vigorem præſupponit; hinc *lente reficere oportet*, quia multo cibo gravantur potius, quam reficiantur, ideoque in cruditates labuntur, & non raro etiam in obſtructiones, cachexias & tumores exhibendo nempe cibos paulatim, in pauca quantitate, repetitis vicibus (id eſt præterpropter omni ſex horio, non autem in ſingulis duabus horis, ut quidam putant) qui ſunt boni ſucci, facilis concoctionis, ſeu Euchimi & Eupepti, tenuium partium, id eſt modici alimenti, ſubſtantiſice humectantes, quales ſunt juſcula deſtillata, conſummata, contuſa, expreſſa ſeu piſta, ova ſorbilia, vinum &c ut ſic facile coquantur & ventriculus melius conficiat atque nec difficulter per exſuccas corporis partes & viſcera penetrent (ſolidæ enim partes ac membra corporis jam diu a morbo conflictata quaſi exaruerunt, aliusque præ morbi diuturnitate reddita ignava, negligentius in ea, quæ nutricatui inſerviunt, incumbit, convenientque valvulæ ac oſtiola meatuum, atque extabefactæ glandulæ ſuo quoque deſiint officio) nec non tandem viribus inſenſibiliter & ſenſim addendo, corpus noſtrum ad victum pleniorem paulatim diſponunt Quæ diximus de cibo & potu in refectione corporis, idem intelligimus de reliquis rebus non naturalibus nempe *Somno, exercitio, aere, animi paſſionibus* moderatis.

Quæ vero brevi & celeriter extenuantur corpora, ea etiam brevi & celeriter reficienda ſunt quia quæ corpora brevi tempore extenuantur, in his ſalvis omnino viſceribus ſola ſpirituoſa & humoroſa ſubſtantia conſumitur, & robur viſcerum non tam graviter labefactatum eſt, viſcera ergo robuſta, cibum etiam copioſum concoquere & partis ſubtilioris jacturam brevi tempore reſarcire poſſint, quia facilius eſt abſumptos humores & ſanguinem ipſum reſtaurare, quam membra & ſolidas partes, quæ ex diuturniori morbo omnino exatefacta, longe difficilius reficiuntur, ſegniusque conſumptam ſubſtantiam recuperant. Hæc ergo via Medico prudenti perpetuo eſt eligenda, quæ licet longis ducat callium ambagibus, ad indubitatam tandem perducit ſanitatem, è contra vitanda, quæ licet breviſſimo ducat tramite, per invia deducit præcipitia non ſine periculo ſuperanda *Extenuatio eſt totius vel partis alicujus diminutio præter ſolitam magnitudinem*

nem ſeu molem. Ejuſmodi autem corporum ex morbis *extenuatio* non uniusmodi eſt, aut æqualiter omnibus contingit, molliora enim puerorum corpora faciliime ex inedia vel levi etiam ægritudine extenuantur, difficilius vero ſenum & aliorum: In gracilibus etiam, atque ex morbis urgentibus, major equidem fit carnium conſumptio, at vero longe minor in obeſis & ſucci plenis, atque ubi morbi accidunt ex craſſiori humore progeniti.

Extenuatio ergo duplex eſt, *una* quæ *celeriter* & *ſenſibiliter*, *altera* quæ *inſenſibiliter* & *tarde* fit: *alia* quæ ab evacuatione *ſenſibili* fit, aut *inſenſibili*, ſi modum excedat, *altera* quæ oritur ex eſurientium. *Prima* repletione curatur: *altera* vero evacuatione. Extenuatio ſenſibiliter fit per hæmorrhagiam cujuſcunque partis, fluxum alvi, ſudores, dolores, inedias, curas, vigilias, motus, deliria, ut in febribus ardentibus, & colliquativis, ita quoque ab obſtructionibus.

Cito autem reficiunt, præter dicta mox ante, præprimis odores, hinc potus, inde ſorbitiones, & gelatina, poſtea cibi humidiores, & tandem ſicciores. Inter mille alia, quæ apprime huic ſcopo inſerviunt, quia nempe alendo humefaciant & exſuccas partes irrorent illarumque poros promptius ſubeunt & repleant, inſerviet inductus juſculi uſus, præſertim ex viperarum carnibus ad reficienda convaleſcentium & tabidorum corpora utiliſſimus. Hinc patet quam male plerique Medicorum agant, qui ſtatim ut expleant convaleſcentium illos permittunt multo cibo gravari, putantes, oportere plurimum eos ali, ut vires amiſſas & carnes abſumptas reſumant, cum tamen eo hebetentur magis atque in morbos recidant. Et enim propterea quod languéant, moderato cibo atque paulatim nutriendi ſunt. *Extra.* epithemata cordi, pulſibus, ventriculo, admoveri poſſunt.

In Praxi generaliter *ſciendum*: Morbos *chronicos* ob paulatinam congeſtionem, *ſucceſſivam*, *acutos*, magis *celerem* curationem & refectionem expoſcere.

Sciendum II. Spirituum penuriam celerem reſtitutionem amare, humorum alterationem longiori mora egere.

Dicit Gal. 6 Epid. Mulieri cuidam extenuatæ plurimum ſanguinis extraxit & ſic reſtituit: Ergo non refecit per additionem ſed per ſubtractionem? ℞. Illam extenuationem factam fuiſſe à repletione,

 deficien-

deficientibus ſcilicet menſtruis; ergo bene fecit *Gal.* præſertim cum repetitis vicibus id præſtiterit.

Inſtabis Si id per Venæ ſectionem fiat, id quoque fieri poterit per purgationem, quæ tamen magis attenuat? ℞. Id per purgationem non tantum poſſe, ſed etiam debere practicari, quando corpus pravis humoribus impedientibus nutritionem, vel promoventibus magis ejus abſumptionem, eſt refertum.

Dices II. Vires multum dejectæ (ut in chronicis) multam petunt refectionem, ergo non lentam? ℞. Multam petunt refectionem affatim factam *nego*, ſenſim factam & proportionatam, ut vires durare poſſint *concedo*

Aphoriſmus VIII.

Si à morbo cibum capiens, quiſpiam vires non recipiat (ſeu corroboretur) copioſiore alimento corpus uti indicat: ſi vero cibum non capienti, idem eveniat, vacuatione indigere ſciendum eſt.

Contentum ſeu Intentio.

De Robore corporis reparando.

Nota vid. 2. aphor. 31. qui fere idem eſt.

C*onnexio.* Hic aphoriſmus tam cohæret (inquit Expertiſſimus Paulus de Sorbait Comm. in aphor. hoc loco. m. fol. 185.) cum præcedente, ut ſit velut annulus in catena.

In priori dixit quæ lente extenuantur, lente ſunt reficienda, quæ brevi, breviter, agens de refectione convaleſcentium, eo nempe modo reficiendi eſſe, quo modo conſumpti fuerunt. in hoc aph. reddit rationem hujus dicti. Si enim quæratur quomodo corpora ſint reficienda, hic vere rationem docet, dum agit. Si quis à morbo cibum capiens non corroboratur, copioſiore alimento uti ſignificat: ſi vero cibum non capiente (id eſt juxta Gal. & Hipp. non appetente) id fiat, quod evacuatione egeat.

Divi-

Dividitur hic Aphor. in duas partes. in *prima* docet quando per exceſſum alimenti corpus non reficitur & nutritur. In *ſecunda* autem quando per cacochymiam illud ipſum prohibetur & tandem quid in utroque caſu faciendum.

Si quis ergo in ſtatu convaleſcentiæ conſtitutus, poſtquam ſcilicet morbum ſuperavit, & vivendi modum mutavit (ante v.g. ſorbitionibus, jam vero ſolidiore victu utebatur) non reficiatur, quin imo in dies magis & magis deficere videatur, ſignum eſt ægrum copioſiore victu quam decet uti, adeoque detrahendum, & iterum ad ſorbitiones & tenuiorem victum redeundum eſſe. quia probabile eſt, corpus ita per morbum exſiccatum eſſe, temperaturam mutatam, aut vaſa corrugata exſtare, ut cibus ſolidior aptus non ſit ad reficiendum, vel calor naturalis ita debilis, ut cibo conficiendo non ſufficiat: convaleſcentis enim corpus niſi reficiatur vel cibi detractionem vel evacuationem requirit cruditas etenim & improportio, detractionem, corruptio, evacuationem exigit, quia nulla alia aſſignabilis eſt ratio, cur à cibo non reficiatur corpus? quam vel quia crudus & indigeſtus manet ab exceſſu, quod ex appetentia cognoſcitur, vel quia corrumpitur a morbi reliquiis adhuc in corpore exiſtentibus, hujus indicia ſunt, inappetentia, ſitis, amaritudo, vigilia, aut aliud excedens naturæ limites. aſſumptum enim alimentum minime in ſuccum alibilem commutatur, quem viſcera conficere nequeunt, ſed majori ex parte degenerat in excrementum, veluti non rectè à concoquente vi ex præcedente morbo labefactata confectum, & elaboratum. Ideo oportebit parciorem cibum aſſumere, quantum ſcilicet vis concoctrix viſcerum conficere & congruenter tranſmutare queat. Bonæ autem vel malæ refectionis ſigna nobis præbent omnium actionum tum naturalium tum vitalium in dies creſcens vel decreſcens vigor, hinc ſi nec faciei color redeat, nec actiones quotidie melius exerceantur, ſed potius in deterius ruant, cibum imminuendum eſſe, ſignum evidens eſt, aut qualitatem ejus eſſe immutandam. Palam enim conſtat robur corporis, ſi non omne, præcipuum tamen & ſubſtantificum ex aſſumptis cibo & potu repeti. Hinc poſito appetitu bono, & aſſumptione ſufficienti, vires conſequuntur vel reparantur. Dupliciter autem poteſt cibum appetere convaleſcens vel *naturaliter* ex inanitione, tum niſi reficiatur, plus aſſumit quam decet. vel *præternaturaliter* ob intemperiem frigi-

frigidam (ut Veteres) ob acidum eſurinum (ut Recentiores) aut mordentem & acrem humorem (prout utrique) tunc non ſolum indiget detractione, ſed purgatione. In *primo caſu* calorem innatum, ſeu ſpiritum vitalem fovemus, cibum detrahimus (obrutum enim corpus alimentorum copia commode uti nequit, quin debiliter, cum à tali addypaxia ſeu voracitate ſæpe obſtructiones, inflationes & ariditæ oriantur) In *ſecundo caſu*, paulatim ſeu per epictaſim (ſeu intervallatim) purgamus, quia talis purgatio, ſæpe appetitum & conſequenter vires reddit.

Sciendum autem eſt quod ſtatus corporum paſſim ſtatuatur triplex à Medicis I. ſecundum naturam *ſanorum*, II. præter naturam *ægrorum*, III. medius *neutrorum* in omni ſtatu alimentum ad proportionem ejus, quod conſumitur, & virtutis, dari debet: ſi quis vero alimentum ſani, Neutro, neutri vero ægro exhibeat, magnopere lædet, magis enim offendere in ægris ſanorum alimentum ſcripſit *Hipp. 7. aph. 75. & lib. de vet. Med.* quam neutrorum ſanis, veluti etiam ſi quis ſano ægri alimentum & nutrimentum adhibeat, ſano morbus ſit, In unaquaque natura tantum dare oportet, quantum vires conficere poſſunt ſine detrimento. Nutrimenti etenim concoctio, diſtributio, aſſimilatio, utpote actiones naturales, per robur partium promoventur plurimum. robur autem partis in ſoliditate, & caloris nativi & ſpirituum copia eſſentialiter conſiſtit, quæ una appetitum reconvaleſcentibus quantocyus redeunt, unde ſi quis in hoc caſu ad ſatietatem commedat, in manifeſtum alicujus recidivæ, vel alterius morbi, ex cruditate oriundi, imo ipſius mortis periculo ſe committit. Unde Poeta

Æget cui morbum macra quadrageſima claudit.
Cum Chriſto rurſus paſchale ſurget ovans,
Æget poſt morbum, qui Bacchanalia vivit
Nunc manet æterna, parca jejuna fame.

Hinc Medicus in reconvaleſcentibus, non ad appetitum, ſed ad vires reſpiciat docente *Hipp. Lib. de locis ſi corpus ſuperat cibos ingeſtos, floret, corroboratur, bene coloratum efficitur & ſucculentum, ſed ſi vincatur atque ſuccumbat, ipſi quidem cibi per alvum ſecedunt, & alia mala faciunt, corpus autem gracile redditur.* De hoc reconvaleſcentium victu etiam loquitur infra *2. Aph. 10. Impura corpora, quo plus nutriveris, plus lædes.*

Redea-

Redeamus nunc ad ſecundam aphoriſmi partem: ſi nempe convaleſcens, ſeu qui à morbo convaleſcere videtur nullumque habeat appetitum, nec tamen largiori cibo indulgeat (quamvis melius ſit à minori appetitu ad paulo majorem aſcendere, quam à magno ſtatim deficere, unde *Hipp* ipſe in convaleſcenti magis laudat inappetentiam, quam immoderatam appetentiam) ſignum eſt, corpus eſſe repletum malis humoribus cacochymicis ſeu excrementitiis, qui etiam attractionem & appetitum, vel ſenſum obtundunt, unde nulla in ſtomacho ſentitur fames, quod ipſum contingit ſi non tantum in ſtomacho, ſed etiam in aliis partibus humores cacochymi exſtant; in quibus caſibus purgatione epicratica tamen opus eſt, nam ſi tales bis, aut etiam ter expurgentur, paulatim incipiunt nutriri, appetitumque recipiunt, ingeſtos cibos exactius conficiunt, & omnino curantur; quia in corporibus impuris aſſumptum alimentum in ſuccum inutilem degenerat: Teſte *Hippocrate*. *Corpora impura quo plus nutrieris plus lades 2 aph 10.* nam non aſſumere ſeu non appetere perpetuum eſt imperfectæ criſeos, & ſaburræ biloſæ in corpore ſtagnantis indicium, quæ utique repetitis blandioribus cholagogis educenda eſt, niſi velis tuum patientem evidenti ſuperventuræ recidivæ periculo exponere, teſte *Hippocrate*, mox infra ſequente aph. 12. h. ſ. *quæ morbis relinquuntur* (poſt judicium) recidivas facere conſueverunt. Et aph 17. h. ſ. *ubi alimentum præternaturam plus ingeſtum eſt, hoc morbum facit, oſtendit autem ſanatio*: de quibus in ſequentibus. Sed

Quæres an ejusmodi malorum ſuccorum evacuatio per vomitum potius, an per dejectionem facienda ſit? ℞. Hoc internoſcere oportet ab eorundem humorum inclinatione, loco, conſtitutione & conſuetudine ægri, anni tempore, aliisque ab *Hippocrate* notatis, maximo 4. aph 4. 6. 7. 8. & 9. etenim graciles & facile vomentes, æſtate per ſuperiora, hyeme vero & difficulter vomentes ac carnoſi per inferiora opportunius purgantur. Sic pariter ducere oportet, quo maxime natura vergit & per loca conferentia teſte *Hipp. 1 aph. 21.* quæ ſane in convaleſcentibus præcedenti morbo, non leviter conflictatis obſervanda ſunt.

Aphoriſmus IX.

Corpora cum quis purgare volet, ea fluxilia facere oportet.

Nota 7 Aphoriſmum 70. qui fere idem eſt.

Contentum ſeu Intentio.

De præparatione purgationum.

Connexio: Poſtquam præcedente Aphoriſmo Hipp. præcepiſſet quosdam aſſumentes cibum, & non proficientes, vel eſſe purgandos, vel iis cibum eſſe detrahendum, in hoc aphoriſmo adoptatam purgationem rite & tuto perficiendam neceſſarias conditiones, utile & neceſſarium præceptum affert, dum inquit: *corpora cum quis purgare volet, ea fluxilia facere* (id eſt præparare) *oportet.* Generale ergo ponit præceptum corpora eſſe præparanda, antequam pharmacum aſſumatur: & quidem ſive illa nuper à morbis convaluerint, ſive etiam reipſa ægrotent, modo cacochyma ſint.

Hic autem ante omnia ſciendum; *primo* per purgationem non tantum eam per inferiora & alvum, ſed etiam eam quæ per ſuperiora, ſeu vomitum ſit, intelligendum eſſe, ad quam procurandam, tam Antiqui, quam etiam nos cum illis corpus præparamus variis remediis v. g. per oximel &c. antequam ad elective purgantia deſcendamus. Præterea, ut in claris terminis verſemur, & non ignotum per ignotius explicemus, operæ pretium eſt prius ſcire quid præparationem Medici proprie vocitent & quid intelligant. Unde

Sciendum *ſecundo!* Cum palam conſtet variarum rerum depurationes, ex profeſſo certos præeſſe artifices, qui certo artificio illas ita diſponunt & præparant, ut ſuas alias pertinacius adhæſuras impuritates, ultroneè & illibenter à ſe avelli patiantur. Sic *Aurifabri* prævia coctione cum tartaro, *Sclopetarii* unctione olei *Lotrices* immerſione in lixivium & affrictione ſaponis ſua ſubjecta ita dealbant, poliunt & mundant, ut ad ſummam puritatem naturæ poſſibilem deducant. Ipſi *coqui* variis artibus cibos antecedenter præparant, ut palato magis grati & ſtomacho minus reluctantes efficiantur, nunc macerando,

v. g.

v.g. Carnes duriores Cervorum &c. nunc aëri exponendo v. g. Carnes molliores gallinarum, caponum &c. nunc fuſtibus contundendo, v.g. carnes mediocres, vituli caſtrati, ſeu vervecis &c.

Hoc eodem artificio Medici non raro indigent, maxime ubi cacochymiæ adjunctus lentor vel acrimonia non ſolum ſui eductionem, ſed prævium ad iter diſpoſitionem requirit. Cum enim omnis humor, ut proportionatum naturæ expellenti evadat ſubjectum, certam & quidem mediocrem conſiſtentiam habeat neceſſe ſit, ne vel vim expulſivam eludat vel obſtinate eidem refragetur hinc ſequitur infallibiliter, deficiente natura, humores artis opera eo deducendos eſſe. Quis quæſo, mucilaginis pituitoſæ lentorem, per modum craſſioris viſci partibus adhærentem, nunc cerebri ſubſtantiam, nunc pectoris, ſtomachi, inteſtinorum, uteri &c. pariter obſidentem, ſimplici medicamento ſolutivo & dejectorio evacuabit? niſi prius abſterſorio & inciſorio glutinoſitatem attenuaverit, à partibus abſterſerit & in fluidiorem formam deduxerit. Quis niſi temerarius & Empyricus, humorem acrimonia bilioſa ſuſpectum ſuapte natura facile irritabilem per irritationem purgantis remedii factum effrænem, periculoſos cautaturum orgaſmos, in ſua ſincera forma quantocius ſuſque deque purgantibus movere audebit? niſi prævia edulcorantium & præcipitantium humidorum copia acrimoniam diluerit, fixiorum uſu volatilitatem correxerit, amaricantium temperatiorum adminiculo eandem partibus impactam abſterſerit, & ſic ad purgationem habilem reddiderit, quis, niſi in arte Medica minus fundatus, *acidum*, vel ſero involutum, vel bili confermentatum, partes per quas tranſit non ſemel corroſurum, ſæpius excoriaturum, & vix non ſemper in tranſitu, ſuperſtite hac acrimonia, aquæ fortis æmula per partes ſumme ſenſiles, torminoſum deducere præſumet? niſi prævia invertentium conchiliorum, cruſtaceorum, martialium, aut alkalium fixorum opera ejus acuminoſa ſpicula aliqualiter obtuderit. Idem dicendum de humoribus coagulationis charactere infectis, à circulo deligatis, in ſubſtantiam partium à ſanguine præterfluente, veluti limus a flumine, relictis & ſtagnantibus, ab acido præter naturam, in grumoſam lardaceam, imo ſcirrhoſam duritiem deductis. Certum enim & evidens eſt, quod quis prius optimi etiam ſanguinis & ſuccorum vitalium, per cathartica integras colliquabit libras, quam ut vel unicam hujus coa-

guli unciam expurgabit. Ipſi quoque qui in maſſa ſanguinea fluctuant humores cacochymici, non æque ſine prævia præparatione ad purgationem apti ſunt; ſi enim ſint crudi (id eſt particulæ heterogeneæ, naturæ hoſtiles, cum bonis mixtæ, ſanguini & ſero alte incoctæ) dum ſine boni conſortio non dimittuntur: in quo caſu ſi quis purgare tentet, infertur vis naturæ, vires ſine neceſſitate diminuuntur, tormina, colliquationes, anxietates, ſpirituum diſſipationes, virium inutiles diſſolutiones, aliaque gravia ſymptomata excitantur, aut conſequuntur, atque quod peſſimum eſt, rebus ſemper in pejus ruentibus, & ſine ulla Euphoria ſeu conferentia; ſi vero ſint cocti (id eſt heterogenea ab homogeneis per actionem caloris naturalis vel febrilis ſeparata & præcipitata & ſic ſero ſuperficialiter innatantia) tum juſſui purgantium facile auſcultant.

De hac quidem humorum præparatione jam abunde egimus ſupra lib. I Aph. 22. *concocta medicari oportet, non cruda.* Aphoriſmus autem noſter magis reſpicit præparationem *corporis*: dum inquit *Corpora cum quis purgare voluerit fluida facere oportet*: id quod expreſſius oſtendit 4 aph. 13. ubi inquit: *præhumectanda eſſe corpora eorum, qui helleborum ſunt aſſumpturi*: ne nimirum pharmacum magna vi & inani conatu parum aut nihil educat. *Et 7. Aph 70. Corpora cum quis repurgare volet fluxilia faciat oportet, & ſiquidem ſupra velit, alvus ſiſtenda, ſi vero infra, humectanda.* Si enim corpus, id eſt partes continentes, cum contentis ante purgationem prævie humectentur, id eſt fluidiores & humidiores reddantur, non tantum ad purgationem, ſed omnes univerſim evacuationes optime prædiſponuntur: *Primo* enim viæ efficiuntur capaciores, magis patulæ, lubricæ, á ſtimulo præterfluentis excrementi tutiores, ad tranſitum corporum etiam duriorum habiliores.

Secundo quod excrementorum lentor attenuetur, craſſities diluatur, acrimonia enervetur, maligna qualitas obtundatur. Huic doctrinæ laudabiliter inhærentes Galli, omnibus magnis curis, ſive per repetita violenta cathartica, ſive per longa lignorum decocta, ſive per inunctiones mercuriales &c. inſtituendis, & inſtitutis, nunc lactis, nunc ſeri lactis, nunc juſculorum humectantium, nunc balneorum, nunc clyſterum lenientium, verbo, convenientis diætæ uſum præmittunt, ut ſic corpus reddatur fluidius, & humores Medicinis magis

Digitized by Google

magis obedientes, viæ ab excrementis non lædantur, excrementa à viis non impediantur: quam methodum nos quoque in noſtris partibus, cum euphoria & fructu paſſim imitamur, maxime ubi præternaturalis corporis ſiccitas coindicantis rationem habet. Eandem fere ſententiam (ut mox ſupra diximus) repetit divus ſenex 4. aph. 13. *qui ad elleborum non facile ſupra purgantur, eorum corpora ante potionem copioſiore alimento & quiete præhumectanda*: ciborum enim maxime liquidorum, & omnis acrimoniæ expertium copia, ſi quid aliud corpora noſtra ſucculenta efficit, cui ſi quies cum ſomnis longioribus accedat, quid mirum humores ſolito fluidiores & ad purgationem aptiores fieri.

Ex his ergo hactenus dictis, patet, cuique præparationem eſſe duplicem *una*, quæ pertinet ad humores: *altera*, quæ ſpectat ad partes corporis, per quas educitur humor: Humor præparatur, attenuatione, incraſſatione, coctione Corpus vero viarum apertione, humectatione, aſſuefactione, vigilia & motu: viarum aperto comprehendit canales per quos excrementa & humores educi poſſunt & ſolent, idque vel per inteſtina, menſes, urinas, os, nares, aures &c. unde bene notandum quod vox iſta *purgatio* non ſolum de dejectione ſit intelligenda, ſed de omni alia expulſione ſeu per vomitum, urinas, menſes, hæmorrhoides, ſudores, illa fiat

Obſervandum & notandum II. Medicamenta præparantia vulgo digeſtiva appellantur, mutuato nomine ab operationibus chymicis & chyrurgicis, nam eo modo, quo digeſtivus calor in furno chymico, ſubjectum ſpagiricum optime referat, ejus cruditates corrigit, virtutes exaltat; quo medicamenta digeſtiva chyrurgica materiæ purulentæ optimam & laudabilem conciliant conſiſtentiam, ſimili modo hæc præparantia humores noſtri corporis digerunt. Ab aliis Authoribus *Alterantia* vocantur, nec alio reſpectu alterantia ab his digeſtivis differunt, niſi quod alterantia ad ſimplicem quoque intemperiem ſeu diſcraſiam ſine materia adhibeantur, nec ſemper ſint purgantium prodromi, prout digeſtiva eſſe ſolent.

Notandum III. Longæ præparatoriæ ceremoniæ *Italis, Gallis* & *Hiſpanis* uſuales ex decoctis & ſyrupis herbaceis compoſitæ, malæ & ſapore nauſeoſæ, noſtrorum Germanorum ſtomachos longo uſu deſtructuræ infallibiliter, prædictis nationibus relinquendæ ſunt, quæ à

Juventute ſimilibus juſculis & deliciis dulcibus enutriuntur. Germanorum enim ſtomachus, carnibus & vini generoſi potui aſvetus, talia nimium refrigerantia & dulcia ac nauſeoſa lavacra ſupportare nequit: Hinc Poeta

Dum Tevto rubrum potat, commeditque cruentum
  Sangvineos latices, rune edit atque bibit;
Contra Italus gelidam potat, commeditque polentam
  Sangvineos latices eſurit, atque ſitit.

Praxis moderna, & hodiernum fertile ſæculum gratiora mole, virtute tamen non minora ſubſtituit.

Notandum 4. Methodum ordinariam eſſe ut per 4. vel 5 dies digerantur, ſexta deinde expurgentur, reperendo viciſſim usque ad totalem cauſæ morbificæ ablationem, vel ſaltem manifeſtam ſymptomatum remiſſionem. Quandoque in nodulis laxativis, pulveribus, aliisque formulis, digerentium & purgantium vires conjunguntur, non infelici ſucceſſu: In hoc atque ſimili caſu purgantia in doſi incompleta & quaſi pro ſtimulo adduntur, ita ut ſingulis diebus ultra tres vel quatuor ſedes non efficiant.

Notandum 5. Qui ſenſu inteſtinorum acutiori præditi ſunt, ex uſu præparantium, ſalinorum, abſtergentium, in tormina facile deducuntur, à quibus admixto opio in doſi refracta ſeſe præſervare poſſunt.

Notandum 6. Alvus in uſu digerentium quotidie reſpondeat, vel clyſtere ſollicitetur, ne materia mota & deligata alio feratur.

Notandum 7. Acidum auſterum ponticum, & ut vulgo dicitur melancholicum ex ratione duplici, correctione indiget. *Primo* ne tranſeundo partes, eas convellat vel corrodat. *Secundo* ne purgantium vim & activitatem eludat & infringat. chalybs in hoc nemini cedit, alcalia quoque fixa & teſtacea eundem effectum faciunt: ubi vero acor omnino fixus ad ſcorbuti naturam accedit, alcalibus volatilibus v.g. naſturtio, beccabunga, cochlearia &c admixtis quoque aromaticis, eodem ſale volatili turgidis, aut etiam ſalibus volatilibus C.C. ſuccini, ♀, viperarum, ſanguinis humani, &c. melius corrigitur.

Notandum 8. Bilioſa acrimonia non tam in vertentibus acidis, quam dilatantibus inſipidis & aquoſis & diluentibus contemperanda eſt.

Notan-

Notandum 9. Lympha (ſeu ſerum, utpote omnium humorum & medicamentorum vehiculum & menſtruum univerſale) viſcoſa & glutinoſa, nunc medicamentis incidentibus, nunc aliis calidis, acribus, aromaticis, attenuantibus & reſolventibus præparanda eſt, ſi vero acrior & ſalſa nimis, abſorbentibus & edulcorantibus id præſtandum. Si vero ſit defectus lymphæ ea humectantibus ſubſtantificis ad augenda, nihil enim remoratur magis purgantia, vel alvum adſtrictam reddit, quam ſiccitas & lymphæ defectus, vel fixitas ejusdem, & coagulum

Notandum tandem, nos formulas horum & ſingulorum digerentium & præparantium huc non apponere, cum paſſim in Autorum voluminibus abunde tractentur.

Quæritur ergo pro concluſione hujus aphoriſmi · Quando in morbis humores & corpus præparandum, vel quando non præparandum? ℞. tunc præparatione non indigemus, quando humor ex natura ſua eſt fluxilis v. g. ubi ſerum liquidum, *Secundo* ubi ſubitanea fit turgeſcentia & orgaſmus, & humorum raptus ad partem nobilem cum ſubitaneo mortis periculo, in hoc caſu enim mora locum non habet, quia majora damna & lethum affertur. V. G. Apoplexia, Hidrops, colica &c. *Tertio* ubi particulæ heterogeneæ à ſuccis volatilibus jam ſunt ſeparatæ. *Quarto* ubi cruditates & obſtructiones abſunt, & humores primis tantum qualitatibus peccant, &c.

E contra præparatione indigemus, I. ubi humores, præter naturam inducias præbent, ut prævia coctione & ſecretione tutius repurgentur & educantur, ut potiſſimum fit in febribus. II. In morbis chronicis, ubi primarum qualitatum exceſſui lentor, craſſities, aut acrimonia conjuncta eſt. III. ubi vitium in via. IV. Ubi humores natura ſua immorigeri & rebelles &c. in his & ſimilibus caſibus præparatio prævia abſolute neceſſaria eſt.

Aphoriſmus X.

Impura corpora quo plus nutrieris, eo magis læſeris.
Nota: 7. Aph. 65. & 67. qui fere idem dicunt.

Con-

Contentum ſeu Intentio.

De nutritione cacochymicorum ſeu impurorum corporum.

Connexio: In præcedenti aphoriſmo *Hippocrates* retulit conditiones prærequiſitas ad bonam purgationem, in hoc vero aph. oſtendit, quænam corpora purgatione maxime indigeant, ſtatuitque impura, quæ quanto magis nutriuntur, tanto magis læduntur.

Connectitur quoque cum Aphoriſmo octavo h. ſ. ſicut cauſa cum ſuo effectu, docet enim, cur corpora purgatione indigeant, quæ à cibo modico non roborantur ex cibo.

Brevitas hujus Aphoriſmi diviſionem non patitur. Ante omnia autem ſcire oportet, quid & quotuplex ac unde ſit impuritas. Impuritas eſt vitium vel corruptio quædam humorum ſeu liquorum circulantium, in prima, ſecunda & tertia regione, qua mediante fiunt naturales vitioſi, & alendo corpori inutiles, & ad morbos generandos apti & idonei.

Duplex eſt impuritas: *Vna* quæ Plethora, ſeu ſolius ſanguinis longe lateque ſparſa, quæ impropriè impuritas, magis proprie potius corruptio quædam dicitur. Et hæc iterum duplex eſt, *una* ob *plenitudinem*, quæ evacuationem largam & longam requirit; altera ob aliam cauſam, nempe *defectum*, ſeu *diuturnam inediam* &c. quæ quandoque refectionem exigit, & alimento ſubinde poteſt corrigi.

Hæc Plethora ſeu Saguinis impuritas iterum *duplex* eſt. *Perfecta* & *Imperfecta*. *Perfecta* eſt, quando ſanguis ex toto corruptus eſt (a quibusdam plethora cacochymica ſanguinea dicta) quæ corrigi amplius non poteſt, ſed neceſſario evacuari debet, quod corruptum eſt: *Altera* ſeu *Imperfecta*, in qua non totus ſanguis ſed pars ejus corrupta eſt, & illa pars ſanguinis quæ nondum corrupta eſt, poteſt præſervari, & propter hanc partem quæ adhuc integra eſt, alimentum porrigimus.

Impuritas alia eſt, quæ *caco hymia* dicitur, ſeu aliorum humorum ſeu liquorum, quæ rurſum *duplex* eſt, *cum*, vel *ſine* putredine: & in hac alimentum detrahendum eſt, ad procurandam eorum coctionem,

quæ

quæ novi alimenti acceſſione impeditur: quia ex adjectione alimenti in corpore impuro augetur quantitas & conſervatur qualitas: omnis autem nutritio quæ adhibetur corpori, vel eſt ad robur & refectionem vel ad conſervationem & vitæ neceſſitatem: Impuritas vero corporis neutrum ſecure admittit.

Corpora equidem impura pravis omnino ſcatent humoribus, quia tum ſanguis, tum fermenta viſcerum perpetim inquinantur, eaque præſertim quæ coctionibus & ſecretionibus ſunt dicata.

Hæc impuritas cacochymica plerumque in ventriculo, hepate, liene, vaſis, & habitu corporis reperitur, alimentumque liberius prohibet, non quidem ſemper & perpetuo, ſed tam diu ſolum, donec humores cacochymici fuerint evacuati.

Patulum enim eſt fermenta morboſa eſſe ſui ſemper multiplicativa: Sic enim chylus (ut à primitivo quodam fermentorum ante incipiamus) inquinatus & conſpurcatus, faceſſit in cauſam morbificam ſanguinis, ſanguis in aliam, juxta illud *Qualis chylus talis chymus, qualis chymus talis ſanguis, qualis ſanguis, tale alimentum, & tandem ſanitas vel morbus.* Quamobrem, alimentum quod primo incipit in ventriculi digeſtione à naturali conditione deflectere, mox etiam in reliquis viſceribus, magis magiſque depravatur, ac deinde arterias & venas ingreſſus, nec nutrire, nec vitam ſuſtinere valet, unde cachexia, marcores, febres mali moris exoriuntur. Impura ergo corpora quo plus cibis implentur, eo copioſioribus ſuccis inutilibus infarciuntur, & conſequenter magis lædunttur, quam nutriuntur.

Corpus impurum dicitur dupliciter. vel *extra ſolum*, vel *intus ſolum*, vel *intus* & *extra*. In *primo* caſu licet aliqualiter corpus, in *ſecundo*, nequaquam nutrire. Impuritas ad *intra* cognoſcitur ex impuritate excrementorum, urina poriſſimum: ubi vero pura ſunt excrementa, tunc corpus mundum eſt ad *intra*; ut docet Hippocrates 2. Aph. 15. infra.

His prælibatis nunc ſupereſt rationem dare ulteriorem aphoriſmi, cur impura corpora nutriendo lædamus, & hic eſt quod alimenta impuritatibus miſceantur, ab illis corrumpantur, malumque augeatur; cacochymia enim per nutrimentum ſuperfluum quantitate augetur & qualitate non imminuitur: viſcera etenim præternaturali quocunque ſapore, vel quocunque denique fermento ex cacochymia aliqua deli-

teſcente inquinara per modum ollæ rancidæ vel doholi acetarii, optimos etiam cibos corrumpunt, & in ſimilem ſaburram transmutant.

Dices: quo major eſt corporis impuritas, eo major eſt alimenti neceſſitas? ℞. ſi nihil aliud obſtet *concedo*, ſi majus malum impediat *nego*. aliquod alimentum eſt neceſſarium, ſed non uberius.

Dices 2. Omnia quaſi corpora ſunt impura, ergo nullum erit nutriendum? ℞. ſi impuritas ſit notabilis *concedo*, ſi exigua *nego*.

Dices 3. *Hippocrates* dicit illos, qui corruptione humorum laborant, plurimo cibo egere. Idem dicit *Avicenna*, ergo corpora impura ſunt nutrienda ℞. tranſeat *antecedens*, diſtinguo *conſequens*. ſunt nutrienda nutritione pure altiva ſeu reſumptiva *nego*, altiva & alterativa ſimul *concedo*: alterativa enim moderate adhibita cacochymiam corrigit.

Dices 4. *Hippocrates l. Epidem.* refert: Eos ſolum ex peſte eſſe ſervatos, qui ſe liberaliter infarcirent. Ergo ſaltem aliquando, ut diximus, conſerte videtur impura licet corpora lautius nutrire & cibis replere? ℞. ſi lues ejus tempeſtatis exactius perpendatur, palam fiet, id ſpeciatim ægris tunc accidiſſe quod omni prorſus appetitu deſtituerentur. Quamobrem ii duntaxat evadebant, qui ſibi ipſis vim veluti inferentes, cibum aſſumerent, quo nimirum peſtiferæ illius luis conditio & malitia retunderetur, & vires quodam modo ſervatæ violentiam morbi evaderent, ne omnino extrema inedia fatiſcentes corruerent. Cæterum res aliter in aliis tractanda eſt.

Aphoriſmus XI.

Facilius eſt potu ſaturari (id eſt reſici ſeu impleri) quam cibo.

Contentum ſeu Intentio.

De refectivus fluidis.

CONNEXIO: Cum *Hippocrates* ſupra aphoriſmo ſeptimo ſtatuiſſet convaleſcentes extenuatos, ad amuſſim & pro ratione extenuationis eſſe reficiendos, *ſenſim nempe illos, qui longo tempore extenuati fuerunt,*

runt, breviter vero illos, qui brevi erant extenuati. In hoc ſimplici Aphoriſmo, qui ob brevitatem diviſionem non patitur, utilem ſententiam mox dictæ conformem affert, nempe. *facilius eſſe refici potu, quam cibo:* Hic previe.

Notandum: quod deperdita corporis noſtri ſubſtantia tripliciter reficiatur *Primo* ſecundum partes ſpirituoſas: *Secundo* ſecundum partes humidas ſeu humores: *Tertio* ſecundum ſolidas quæ omnes & ſingulæ proportionato ſibi alimento nempe ſpirituoſæ ſpirituoſo, humidæ humido, ſubſtantifico, ſolidæ ſolido debent refici

Per *potum Hippocrates* hic non intelligit potum ſimpliciter, quatenus opponitur cibo, ſed alimenta liquida (quæ ſorbitione, vel hauſtu capiuntur, & maſticatione non indigent, quæ ab Hippocrate plurimis in locis potulenta, ab aliis cibi potabiles, ſeu in potionis formam diſſoluti appellantur (ut clare liquet ex his quæ ab eodem ſcripta ſunt *Lib. de aliment.* inquit enim *Quotieſcunque opus eſt certiſſima & promptiſſima refectione, tunc humidum alimentum, ad inſtaurandas vires, valde eſt conducibile · quemadmodum ubi adhuc celerius eſt reficiendum, opus eſt odoratu*) eo quod multo facilius ſubigantur, cito in cor, cæteraſque partes corporis per arterias trajiciantur, celerius nutriant & reconvaleſcentibus magis conveniant, quam cibi ſimpliciter ſeu ſolidi, quos Hippocrates ſemper ſub nomine *cibi* intellexit & ratio eſt I. quia ſolida potentiorem requirunt calorem concoquentem, qui in convaleſcentibus adhuc deficit; quippe à morbo & calor & æger languidus eſt, illiusque operationes univerſæ hebetes & imbecilles, unde ſolida alimenta, nec tam bene, nec tam cito confici queunt, ut in ſubſtantiam aliti commutentur. II. Quod non liceat devenire ab uno extremo ad alterum, id eſt a victu tenui ad plenum ſine medio maxime in morborum declinatione, ubi calor naturalis adhue eſt debilis Liquida autem omnia facilius ſubeunt, actuantur, evaporantur & diſtribuuntur Præterea, quo citius ad vitalia datur acceſſus, eo facilius fit refectio & deficientis ſupplementum. Quamvis autem attenta faciliori ciborum digeſtione & diſtributione in rationabilem ſenſum, Hippocratis ſententia revocetur, non tamen quis hic generatim exiſtimet, liquidum ac potabile alimentum ſolido ſemper eſſe præferendum Etenim quæ dentibus conficiuntur non tantum citius exſolvi ſolent, & in perfectum chylum commutari ſed etiam in accomodatius alimentum converti. Valde

 ſiqui-

ſiquidem conducit ad ciborum in ventriculo diſſolutionem *ſaliva*, quæ ſale quodam abundat, fermentationi promovendæ peropportuno, quo videlicet & panificium fermentum quis excitare poſſet, ac forte fortuna amiſſum reſtituere. Conſtat autem abunde ocyus ſalita quam inſulſa fermenteſcere & exſolvi atque ciborum reliquias in dentium intercapedinibus remanſas, ſponte ſua per ſalivam quodam modo chylificari. Tunc igitur ſatius erit, potulenta convaleſcentibus commendare, cum ſanguis acrior videtur, & corpora ſalivario rore carentia, multa maciæ confecta ſunt, atque viſcera, imi præſertim ventris exarnere, ut potiſſimum hecticis accidit. Quibus vero ſtomachus à mucoſis ſuccis langu et, ſalivæ abundantia eſt, & acidi ructus frequenter accidunt, ſolidi potius cibi, illorum malitiam temperantes commendabuntur. Cum vero ſubſtantia noſtri corporis triplex ſit (ut mox de refectione deperditæ ſubſtantiæ innuimus) *ſpirituoſa, humoroſa, & ſolida*: ſic ratio requirit ut primo loco ſpirituoſa, mox vel ſimul humoroſa, & ultimo tandem loco ſolida refarciatur.

Refarcitur autem *ſpirituoſa* tam juxta mentem *Veterum Pithagoræ, Platonis, Hippocratis*, quam etiam juxta conſenſum omnium prope Medicorum tam in ſinis debilibus, quam convaleſcentibus ſæpiſſime per ſolos odores. Talem refectionem præſtat mica panis vino generoſo madida & naribus admota, hoc remedio *Democritus* referente *Diogene* vitam ſuam ad plures dies prolongavit. *Ariſtoteles* refert, quendam ſolo mellis odore (utpote rem ex meris floribus odoriferis conflatam) ultra quadraginta dies vixiſſe. Talia etiam odorata porriguntur in ſacculis vel nodulis impletis caryophillis, cinnamomo, meliſſa, thymo, flor. aurantiorum &c. intinctis in acero & naribus ſæpius admotis, idem præſtant ungventa, balſama, olea odorata &c. ventriculi cordis & pulſuum regioni admota, nam odorifera immediatum & citiſſimum habent cum ſpiritibus contactum. Sed

Dices *Ariſtoteles Lib. de Senſu* aſſerit: odorem non facere ad alimentum ſeu nutritionem aut refectionem ſed ad ſanitatem; rationem allegat dicens, nullum ſimplex poteſt nutrire, ſed odor eſt ſimplex, ergo non poteſt nutrire. quia iisdem nutrimur, ex quibus conſtamus, ſed conſtamus ex mixtis, ergo ex mixtis nutrimur & non ex ſimplicibus R. licet *Ariſtoteles* hoc dicat, non negat tamen abſolute odorem non ſuo modo nutrire ſeu reficere, fatemur quidem & nos o-

dores

dores plus facere ad ſanitatem, quam alimentationem. Experientia tamen conſtat ſyncope laborantibus illos odoribus ſtatim refici. Patet etiam ſpiritus ex aere & vaporibus fieri & ex eo etiam nutriri & conſervari. Si ergo ex aere & vaporibus nutriuntur ſpiritus, quanto magis ex evaporatione odoriferorum? Neque vero quis ambigat, tenuiſſimos ejuſcemodi halitus nulla ratione nequire ſolida quoque membra reſtaurare, cum & illi queant denuo intra corpus cum cæteris liquoribus ſubacti in concreſcentem ſuccum converti nutrication aptiſſimum. Hoc pacto arbores è terræ ſucco in vaporem elato, imo & plæreque plantæ ſolo vapore aqueo augeſcunt & nutriuntur, atque ex Phyſicis melioris notæ viri ſunt, qui volunt animalium partes tenuiſſimo ſolum ſucco, ex chyli portionibus purioribus elicito, ali atque compingi. Sic etiam ex duriſſimis corporibus tenuiſſimos liquores, ope chymica extrahi videmus, ipſosque in duriora deinde corpora coagulari, ut propterea viciſſim nullo pene negotio res quaſcunque & dilui & concreſcere poſſe, jam ſatis unicuique notum ſit.

Præterea autem, quæ extra odoratum, pro vinum & ſpirituum reſtauratione, conducere diximus, etiam ad intra talia ſpirituoſa adhiberi commode queunt v. g. Elixir vitæ, aquæ magnanimitatis, ſpiritus refectivus, confectio alkermes, pulvis analepticus, eſſentia ambræ, eſſentia latyrionis (quæ vere euporiſton eſt) & ſimilia, quæ veluti momento temporis cor & diſtractas vires reficiunt, quia nulla in ventriculo mora illico vitales partes petunt & cum ſanguine commixta, cordi, toti que corpori ſuccurrunt; & quidem nihil æque, ac *vinum, vinique ſpiritus*, eique analoga id citiſſime præſtare videntur, cum experiamur vix ore deguſtata, palati & linguæ papillas, porulosque ſubire, ſeque in auras extenuata, interiores partes pervadere & vivificare.

Humoroſa ſubſtantia reſarcitur per alimenta liquida, tenuium partium, boni ſucci & facilis digeſtionis, per liquores carnium ſeu juſcula, colliſa, contuſa, expreſſa, deſtillata, conſummata, gelatinas, ptiſanam vel cremorem hordei, vinum lymphatum &c. quæ ſua humiditate, quoquo verſum penetrant, & ſucci ex iisdem homogenea bonitate facile concoquuntur, & ob partium tenuitatem, minimis etiam viribus conficiuntur.

Ultimo tandem loco ad carnes ipſas caponum, perdicum, phaſia-

 norum

notum accedendum, & per plenam victus rationem partes etiam ſolidæ nutriendæ ſunt.

Dices *Hippocrates Lib. de alimento* dicit, ſiccum alimentum aliquando facilius transmutari, quam humidum, ergo falſus eſt aphoriſmus probatur *antecedens*, quia ſicca membra ob ſimilitudinem facilius a ſiccis nutriuntur, facilior enim eſt tranſitus in ſymbolis. ℞. Licet in ſicco membro facilius transmutetur ſiccum alimentum, quando jam eſt appoſitum illi immediate, attamen quia nutritio fit per mutationes multas, cibi in chylum, & hujus in ſangvinem, ideo fit ut citius & facilius per iſtas mutationes tranſeat humidum, quare mediate ſemper, facilius transmutatur humidum.

Aphoriſmus XII.

Quæ in morbis poſt criſim ſeu judicationem relinquntur, recidivas facere conſueverunt.

Contentum ſeu Intentio.

De Recidivis Morborum.

Connexio: Hic Aphoriſmus ob brevitatem uni membris diviſionem non patitur, & connectitur cum octavo hujus Section. a quo tanquam Filius à Patre productus videtur, nam quando cibos aſſumit convaleſcens & non nutritur aut corroboratur, ſignum eſt aliquid fuiſſe de morbi cauſa relictum per criſim imperfectam (criſis enim imperfecta ea eſt, ex qua aliquid de materia morbifica in corpore relinquitur) quod recidivam facturum eſt: quia morbi qui imperfecte judicantur, facile recidivant, niſi mature expurgetur: judicantur autem plerumque morbi ſalubriter criticis evacuationibus, per ſudorem, vomitum, dejectionem, urinam, ſimilesque ejectiones, quibus eorundem cauſæ omnino ſubactæ & ſecretæ, à natura, extra corpus expellantur: At vero aliquando, licet exacte terminati ac devicti videantur ob reliquias tamen vitioſorum humorum alicubi relictas, poſt aliquor tempus redeunt, & exinde recidivi morbi appellantur, de iis ergo in hoc *Aphor.* monet *Hipp.* ne omnino fidant Medici ejuscemodi morborum remiſſioni-

ſionibus, quoties criſes perfectæ non ſint, nec cauſæ morborum fuerint penitus ſecretæ, atque extra corpus expulſæ. Evidens autem eſt, omnes morbos, quos medici *materiales* appellant, euſque perſeverare, quouſque cauſæ eos foventes & conſervantes in corpore perduraverint, Hæ autem vitium in ſanguine & viſceribus inducentes, fermentationem procul dubio indebitam promovent, qua portiones utiles & ſalutares, cum inutilibus & nocivis commixtæ, commotionem non levem univerſo corpori inferunt, uti eſt febris, inquietudo, vigilia, dolor, aliaque graviora ſymptomata quia concitatam modo fermentationem, & præcipitationem, ut morbus in ſalutem deſinat, ſin ſecus, mors præſto erit. Repetentes enim & recidivantes morbi deteriores ſunt ſua Matre: ad novum enim conflictum, prorſus longe periculoſiorem (cum viribus jam fractis fiat) naturam provocare ſolent. In his igitur ferandum non eſt, ſed movendum, etiam repetitis vicibus, ſi neceſſitas exigat: recidivæ enim optime purgantibus, præcipitantibus & balſamicis præcaventur: Et revera in omnibus morbis præcipue febribus eo reſpiciendum ut curatio ſit conſtans, ne recidivent. Debent itaque, cauſæ morbificæ, & fermenta viſcerum præter naturam excitata, omnino ab utilibus & ſalubribus humoribus ſejungi, ac tandem eliminari, ut corpus in naturalem ſtatum redeat, idque criſis eſt ſeu Judicium, de quo idem *Hipp.* alias protulit *Aph 20. Quæ judicantur & judicata ſunt integre, neq, movere neq, novare oportet, ſed ſinere.* Quod ſi contingat reliquias ſaltem præternaturalium fermentorum, in corpore remanere, atque alicubi latitare, procul dubio morbus, ex nova in convenienti fermentatione evectus, brevi redibit. Contingit autem quandoque ut nulla ſuperſit materia morbifica, ſed nuda (ut veteres,) intemperies vel ſimplex (ut Recentiores) diſcraſia, quæ paulatim humores vitiat & corrumpit, & in die critico, vel etiam die paroxiſmi recidivam facit. Frequentius tamen victus intemperans, ſeu vitium diætæ, aſſumptorum, aëris, vel cauſæ ſeu injuriæ externæ recidivas cauſant & efficiunt, Frequentiſſimæ autem recidivarum cauſæ ſunt internæ, præſertim fermentum morboſum, non penitus deſtructum vel repullulans.

Hinc tamen bene notandum eſt *Hipp.* non dixiſſe, *quæ relinquuntur in morbis poſt judicationem recidivas neceſſario facere* ſed tantum *ſolere*. Ratio eſt. interdum enim reliquiæ iſtæ ſenſim poſt judicium

diſſipantur, cum obſervemus, lente admodum à morbo convaleſcentes, forte ex ejuſmodi reliquiis, paulatim appetitum, conſuetum colorem, robur & vires recuperare, abſumptis interea atque evaneſcentibus his quæ in corpore relicta erant. Jure merito ergo recidivæ tantum timendæ ſunt, cum evacuationes naturales & conſuetæ denuo ſupprimuntur, vires nihilum reficiuntur, ſtomachus adhuc languet, vel nauſea tenetur, nec cibum bene conficit etſi convenienter alatur, non tamen in melius proficit convaleſcens. Præterea ſi morbus ſine cauſa evidenti, aut imperfecta criſi remittatur, non erit de recidiva dubitandum, nimis his quæ non ex juſta cauſa fiunt, fidere non oportet, ut docet infra lib. Aph. 27. Adjicit & aliud novum relabentis morbi judicium, Ipſe *Hipp. in Coacis prænotion.* Si videlicet urina in febricitantibus, craſſum, denſumque ſedimentum contineat, divulſum tamen atque diſtractum. Etenim quod denſum eſt difficulter diſſolvitur, difficiliusque repurgatur, quocirca ſaltem ex parte in venis & arteriis remanens, febrem facillime revocabit, niſi ſudor ubertim profluat, aut alvi fluxus ſuperveniat, quibus ſcilicet craſſiores ſucci egeri queant.

Signa perfectæ criſis (in qua nihil relinquitur) ſunt alleviatio, coctionis ſignis apparentibus, & in die judicatoria, per aliquam eſſatu dignam evacuationem vel abſceſſum.

Signa vero imperfectæ criſis & futuræ recidivæ è contra juxta Hipp. 9. Epid. ſunt ſi morbus alleviet, non ſecundum rationem, hoc eſt ſine coctionis ſignis, vel extra diem criticum, vel ſine evidenti evacuatione aut abſceſſu ſic v. g. ex *antecedentibus* ſi hæmorrhagia imperfecte facta fuerit, concipimus adhuc aliquid ſupereſſe de materia illa morbifica, futuræ recidivæ cauſæ. Ex *conſequentibus*, ſi remaneat ſiccitas & amaritudo oris, cibi nauſea, ſeu inappetentia, ſitis, vigilia, ſeu noctes inſomnes & turbulentæ, aut ſomnus præternaturam, triſtitia, corpus à cibo non corroboretur &c. unde ſi talia occurrant, eorum cauſæ ſunt oppugnandæ, nempe repletio per phlebotomiam, cacochymia per purgationem, intemperies ſeu diſcraſia per alterantia, & diætam, quæ ad amuſſim eſt ſervanda.

Notandum autem eſt, aliam eſſe recidivam *veram*, aliam *non veram* ſeu *ſpuriam*. *Vera* accidit in *imperfecta criſi*, quoties natura non potuit in totum cauſam morbificam eradicare, ſed remanet diſpoſitio in ma-

in materia antecedente vel in parte quaſi nidor, unde rurſum morbus renovatur. *Recidiva non vera* eſt illa, quæ accidit in *criſi perfecta* ob aliquam cauſam externam v. g. diætæ vitium, aut aeris injuriam ut mox ſupra diximus.

Notandum II. quod Criſis (ut patet ex inſtitutionibus) *ſit ſubitanea & repentina in morbo facta mutatio, ad ſalutem vel mortem cum notabili materiæ motione.* Illam autem aliter fieri non contingit, quam concoquente, & ſegregante natura, bona à malis, adeoque per fermentationem ſubigente, quæ ipſi adverſa, totius corporis œconomiam perturbarunt, ut in apoſtematum maturatione atque puris concoctione manifeſte patet. At vero in hac concoctione & ſecretione magna percipitur agitatio, eo quaſi modo, ac in muſto fermenteſcente experimur, cujus partes tenues & mobiles à craſſioribus & fæculentis neceſſe eſt extricari, ut in perfectum vinum commutetur. Sed de criſi multa diximus in Inſtitutionibus & dicemus plura in ſequenti Aphoriſmo.

Notandum III. Quod morbus qui ſuccedit morbo, vel eſt ejuſdem rationis, quod plerumque fit in recidiva, vel diverſæ rationis, ſed in hoc caſu potius morbus in alium transmutari dicitur, quam veram facere recidivam, id autem fit vel errore Medici, vel ægri, naturæ imbecillitate, morbifici fermenti repugnantia, remediorum contrarietate, copia &c. inducente contrarium morbum, vel morbo ipſo alterum morbum generante, uti v. g. ſanguinis ſputum, Tabem, peripneumoniam, phrenitidem. Unde bene notandum quæ de revertentibus & de recidivantibus morbis ſcribit Hipp. nos ad commutantes quoque retrahimus: rem exemplo à pleuritide & peripneumonia deſumpto declaramus. ſiquidem non raro experimur, depreſſam ex pleuritide aut peripneumonia ſubacta, febrim protinus redire, inducto nimirum empyemate, quoniam purulentus humor ex pleuritide domita relictus, thoracis cavum occupans, febrim denuo promovet, & quandoque priore pejorem. Differt tamen ut diximus recidivus morbus à commutato, quoniam in hoc cauſa variat cum ſymptomatibus, ſed in illo utroque invariata plerumque perſeverant.

Diximus autem mox ante hanc transmutationem morbi unius in alium ſeu etiam ex relictis cauſis morbificis, recidivam fieri ex multiplici capite, vel *errore Medici*, vel *ægri*, vel *imbecillitate naturæ*, vel

fermenti morbifici repugnantia, vel *remediorum contrarietate, copia &c.* *Errore Medici* quidem, ſi fortaſſe in declinatione morbi, inchoatam criſim impediat, vel prævertat, v. g ſi comparente ſudore critico pharmacum exhibeat, cohibentia medicamenta propinet, eunm & humores conſtipantia. *Errore ægri*: ſi diætam debitam non ſervet, ſeque aeri frigido exponat. *Naturæ imbecillitate*: ſi v. g præ languore non valeat criſim perficere, atque univerſa recrementa morboſa repurgare *Fermenti morbifici repugnantia*: ſi tenax, viſcoſum, multum, rebelle, vel malignum illud ſit, ut in parotidibus & aliis abſceſſibus contingit. *Remediorum contrarietas*. ſi nimirum ignota cauſa, aut in conſueto fundato Medico remedia quævis obvia, vel plus ſolita & neceſſaria adhibeantur ab adſtantibus, vel ab ipſis patientibus appetantur, vel aſſumantur. His accedunt ſpeciales quandoque temporum conſtitutiones, quæ recidivantes morbos afferre ſolent, ut loquitur *Hipp 1. Epid. tanta*, inquit *eſt vis aeris, in perturbanda humani corporis œconomia, non tantum inſpiratione, ſed & abitu.* Sed

Quæres, quomodo his incommodis, ac recidivanti morbo ſit occurrendum? ℞. Solers Medicus his facile occurret ſi inchoatam & imperfectam criſim expleat, rebelles ac viſcoſos ſuccos attenuet ac diſſolvat, obſtructos meatus reſeret, naturæ robur adiiciat, nervosque omnes una intendat, ut relicta inquinamenta per conſ enientia loca & emiſſaria educat: Fieri autem facile poteſt, ut *protruſus* magna ex parte vitioſus humor critice per vias urinæ, vel ſudores, reſiduus per alvum ſit egerendus, quia craſſior & compactior non aliter quam cathartico medicamento exturbari poteſt. Notandum, non raro etiam accidere, ut reliquiæ ejusmodi morborum certam quandam fermenti vim & conditionem nanciſcantur, aptam utiles quoq; liquores inquinare, quæ ſenſim adeo increbeſcere ſolet, ut tractu temporis potentior reddita, majora detrimenta pariat: in his autem morbis etſi magna promoveatur evacuatio, niſi ejusmodi quoque fermentum educatur, nunquam ægri bene convaleſcent: E contra vero ſæpiſſime fit, ut modico ſudore, levi vomitu, pauca dejectione, vel etiam per urinam excretione, graves cæteroquin morbi deſinant, qui magis & iteratis evacuationibus abigi non potuerunt.

Dices: Recidivæ non poſſunt fieri, quia nihil relinquitur in morbis, cum morbi poſt criſim non amplius ſint. ℞. Si criſis ſit perfecta, nihil relinquitur *concedo*, in imperfecta *nego*. Dices

Dices II. Recidivæ maxime fiunt in declinatione, poſtquam morbus in totum remiſit, & natura jam maximum ſeparavit &c. Concedimus in declinatione recidivas fieri, idque ex diſformitate materiæ, cujus una pars a natura ſuperata levamen dedit, altera parte remanente, quam natura non expulit, poſtquam irritata repullulat.

Quæres quomodo combinandus ſit Hippocrates, ubi dicit: *Morbos qui ad ſuppurationem tendunt recidivas non facere.* & ſic v. g. parotides, quæ dum non ſupputantur, faciunt recidivam, quæ vero ſuppurantur non redeunt: Et in alio loco 3 prognoſ 7 dicit *aurium ſuppurationes recidivas facere & ſeniores plerumque occidere* &c. Hippoc. in uno loco loqui de magnis & perfectis ſuppurationibus, in alio loco de exiguis, quæ in auribus contingunt, & quæ a continuo affluente materia, facile recrudeſcunt.

Aphoriſmus XIII.

Quibus criſis fit (ſeu inſtat) iis nox, quæ acceſſionem præcedit, gravis, quæ vero ſubſequitur, levior fere (ſeu maxima ex parte) ſolet exiſtere.

Contentum ſeu Intentio.

De Criſim antecedentibus & conſequentibus.

CONNEXIO. Cum Hippocrates in antecedente aphoriſmo mentionem feceerit criſis, & docuerit, reliquias imperfecti judicii morbos revocare, modo in hoc aphoriſmo modum oſtendit, cognoſcendi ipſam criſim, & prædicendi illam: ſignum enim futuræ criſis tradit, nempe *moleſtiam*, quæ nocte præcedente criſim, ægrum moleſtat. præterea ipſum Medicum erudit, ut præcognitis ſignis criſim antecedentibus, non turbetur, ſi quid gravius accidat, ſed criſim prope futuram denuntiet, in ſuo judicio ſe firmet, & confidat.

Duas hic aphoriſmus habet partes: In *prima* dicit, noctem criſim præcedentem, eſſe *gravem* In *ſecunda* dicit, noctem quæ ſequitur, eſſe quietiorem.

Galenus quidem *primo* ad *glauconem* dicit, quod in omni criſi,

ſive eſt ad ſalutem, ſive ad mortem, nox præcedens gravis ſit: contrarium tamen evenit in ſecunda aphoriſmi parte, nam in criſi mala, nox conſequens non poteſt eſſe quieta.

Ut vero clarior, & ad captum facilior fiat hujus aphoriſmi interpretatio, operæ pretium ducimus, modum enodare, quæ & qualia, antecriſin contingant. Unde

Notandum I. Criſim aliter non fieri (ut diximus præcedenti aphoriſmo) quam concoquente & ſegregante natura, bona a malis, adeoque per fermentationem ſubigente, quæ ipſi adverſa totius corporis œconomiam perturbarunt, ut in apoſtematum maturatione, & puris concoctione manifeſte patet, in hac vero concoctione & ſecretione magna percipitur agitatio, eo quaſi modo ac in muſto fermentante experimur, cujus partes tenues & mobiles a craſſioribus & fœculentis neceſſe eſt extricari, ut in perfectum vinum commutetur. Hac ergo de cauſa, contingit futuram criſim, agitationes & moleſtias præire, quibus ægri noctes plurimum inſomnes & inquietas patiuntur. Hinc quod pleriſque dicitur ante *acceſſionem*, vertunt alii, ante *Iudicationem*. Sed revera nunquam criſes accidunt, niſi in paroxiſmis morborum, cum nimirum natura, cauſam morboſam adoritur, ac ſubigere conatur, unde perinde erit ante acceſſionem, ac ante judicationem in acceſſione contingentem moleſtias & inquietudines perſentiri, ut mox dicemus.

Notandum II. Antequam criſis fiat & maſſa ſanguinis clarificetur & depuretur, ſolet natura noſtra ſanguinem extraordinaria concuſſione & motu exagitare, & velut tempeſtas aliqua, ingentes in liquore ſanguineo ſuſcitare fluctus: vocatur hæc tempeſtas perturbatio critica, de qua divus ſenex in hoc aphoriſmo loquitur, omnia ergo in prava ſanguinis concuſſione & motu exacerbantur ſymptomata, calor ſit magnus, ſitis major, inquietudo maxima. Nunc fluctus illi, ſeu illa mala, criſim præcedere ſolita, *caput* feriunt, unde vigiliæ, ſomni præternaturam, deliria, dolores, vertigines, convulſiones, oculorum inflammationes ſeu rubor, ſplendores, ſquallores, lachrymæ, aurium tinnitus, pruritus narium, viſorum in oculis, collo & faciei intumeſcentia, capitis dolor, temporum pulſatio, phantaſmata & ſomnia de prælis, rixis, igne &c, futuræ narium hæmorrhagiæ ordinaria præſagia.

Nunc

Nunc Regionem *pectoris* inundant, unde pulſus inæqualis, difficilis & crebra reſpiratio, cordis anxietas, palpitatio, præcordiorum æſtus, partium externarum calor & mador, corporis denudatio &c. Sudorum paulo poſt ſubſecutorum vel ſubſequendorum, aut urinæ compreſſionis, manifeſta indicia.

Nunc *viſcera inferioris abdominis* concutiunt, unde hypochondriorum tenſio, nauſea, & ciborum faſtidium, dolor & morſus ſtomachi, oris amaritudo, inteſtinorum tormina & murmura, labii inferioris tremor & contractio, faciei rubor, ſomni turbulenti, corporis jactitatio, cordis palpitatio, urinæ turbatio & ardor, &c. materiæ per vomitum, vel alvi fluxum excernendæ, perpetui quaſi præcurſores.

Verum quemadmodum Iris in Cœlo, fœderis ſymbolum, ſine prævиis obſcuris nubibus apparere neſcit: eodem modo, ex præcedentibus perturbationibus criticis, paulo poſt ſecutura naturæ victoria colligitur, venti enim deſituri violentiſſime ſpirare ſolent.

Notandum III. Mirum non eſſe hæc ita fieri, nam ſicuti, ubi fit pus adeſt febris & dolor, ita quando naturæ cum morbo magna eſt lucta, in venis & arteriis, pro ſeparanda materia morbifica, tum excitantur vapores, vaſa diſtenduntur & vellicantur, diſtorquentur fibræ ultra modum, inſurgentes ad expulſionem.

Notandum IV. Non tantum durare aliquando iſtam perturbationem criticam per unam diem aut unam noctem, ſed aliquando per duas, tres & quatuor. Imo duæ vel tres quandoque fiunt criſes, præcipue in noſtris regionibus ubi materiæ crudæ magnus eſt apparatus, adeoque prima criſis fit imperfecta, ſic tandem natura ſeſe iterum poſt aliquot tempus accingit ad novam criſin, donec tandem tota materia morbifica ſit excuſſa & excluſa. Proinde

Notandum V. Criſin habere *tres* partes *I Perturbationem*, dum ſeparatur bonum à malo: *II. Excretionem III Solutionem* Et quamvis una quæque iſtarum, criſis dici poſſit, magis tamen ſecundam intelligit *Hippocrates*, quam ſeparatione magis perturbatur æger, quæ excretionem præcedit.

Notandum VI. Quod prima pars criſis quæ *perturbatio* dicitur, magis fiat in nocte, quam die, Rationes hujus dant Authores varias. Primo (ut aliqui opinantur. quia luna) utpote cujus regimini multa

à vulgo adſcribuntur) quæ humores ad motum concitat, magis eo tempore dominatur, unde terræmotus, inundationes, & partes eo tempore plerumque contingunt: *Secundo* Quia vis naturalis eo tempore fortior & unita magis, tum quia humoris irritatio magis etiam ſentitur in nocte, ſomno interrupto, & natura non occupata, & diſtracta, in actionibus diurnis. *Tertio.* Quia nocte etiam levia, graviora percipiuntur, cum id tempus quieti deſtinatum ſit, & mens minus diſtracta eſſe ſoleat, ideo dolores, perturbationes & cætera ſymptomata per noctem experimur moleſtiora *Quarto* Quod nocte ex aere denſiori & frigidiori, perſpirationes in nobis quodammodo impediuntur ac retardantur, unde ſanguis ipſe & viſcera corporis magis infici & divexari ſolent. *Quinto* Eo quod in illo tempore calor concentratior, materiam violentius exagitet, ipſaque nox ordinarie omnia ægrotantium ſymptomata intendere & duplicare ſoleat. Cum enim omnis triſtis ſenſatio, ſecundum modernorum Philoſophorum mentem, per triſtem & pungentem contactum, particularum plus minus acutarum, fiat: Hinc Poeta dat rationem, cur omnia accidentia noctu magis ſint ſenſibilia

Sol globus eſt, nocturna gerit duo cornua luna,
Jam ſcio, cur noctu, pungere luna queat.

De die tamen etiam fieri criſes, oſtendit experientia, & virorum Practicantium authoritas, & ratio quoque ſubeſt, quia motus humorum ſive excretio, magis fit in die adjuvante ſolis calore, promovente, effundente, & meatus apeiente: Unde Criſes quæ diurnæ ſunt, nox præcedens gravis eſt, quæ nocturnæ, dies prægreſſa gravior exſtitit.

Tertia pars Criſis, quæ eſt Levatio ſeu Solutio, ad ſequentem noctem ſequitur. Videtur nobis perturbationem hanc criticam pro depurando ſanguine ordinatam, non multum diſſimilem eſſe exagitationibus illis, quæ clarificationes rerum turbidarum v. g. decoctorum, muſti, & lactis præcipitationem præcedere debent. ubi *Decocta* prævia deſpumatoria coctione; *Vinum* fermentationis motu, *Lac* concuſſione diuturna & violenta per baculum, heterogeneas tandem particulas à ſe dimittunt ad vaſis fundum vel ſuperficiem ſeparandas. In hoc ergo exagitationis motu, omnia intenduntur ſymptomata, exemplo puris ut mox diximus, & teſte *Hipp.* 2. aph. 47. dum pus fit, dolor & febris intenditur, pure autem confecto omnia remittunt.

Hæc

Hæc ergo & id genus alia pro criſium varietate accident, nocte præcedente, ſequenti vero, leviora plane erunt omnia, & æger ipſe melius ſe habebit, imo ſi critica evacuatio perfecta fuerit, atque cauſa morbi omnino fuerit evicta & expulſa, non ſolum nox quæ ſequitur, magna ex parte levior ſit, ſed etiam æger convaleſcet. Ægrum autem ferendoſſe oportet, nam viribus ex criſi in fractis de vita verendam, unde dicebat *Hippocrates* in *Coacis prænotionibus*: *quandoque in optimis criſibus ægri pereunt*: præſertim ubi vires non ſufferunt. Atque hinc ſalutaris criſeos ſigna & indicia parebunt, nec non cujuſcunque evacuationis exitus: quippe ſi ſubinde morbus cum adjunctis ſymptomatibus penitus vel magna ex parte ceſſerit, & vires tulerint, profecto res ſuccedet ex voto, ſin ſecus, omnia ruent in interitum.

Dices 1. nox ante quemlibet paroxiſmum eſt gravis, ergo iſtud ſignum non tum pertinet ad criſim. ℞. *nego* ſequelam, imo & omnes ſentiunt, quemlibet paroxiſmum eſſe criſim, vel ſaltem ei æqui pollere, unde mirum non eſt noctem ante paroxiſmum eſſe gravem.

Dices 2. Quando nox eſt gravis non inſtat criſis ſed adeſt, ergo non bene dicitur inſtare? ℞. Adeſt criſis inchoative *concedo*, terminative *nego*. Ergo bene dicitur inſtare.

Dices 3. Criſis bona ſit materia jam concocta, ergo non debet fieri cum gravitate & labore? ℞. Quamvis materia ſit concocta, tamen eo ipſo quod confertim agitetur & evacuetur, percipitur ingens agitatio & motus in corpore, & partes per quas tranſit vellicat.

Inſtabis. Si materia eſt concocta & ſeparata, non opus eſt tanta agitatione. ℞. Licet ſit cocta, non tamen eſt educta, & hæc eductio omnia illa ſymptomata cauſare poteſt.

Quæres: Unde fiat, quod etiam non nunquam nox criſim ſubſequens ſit gravis? ℞. Vel quia criſis adhuc terminata non eſt, vel quod æger errorem commiſerit, vel in alium morbum inciderit, vel quod criſis fuerit inſida.

Aphoriſmus XIV.

In profluviis alvi, mutationes excrementorum juvant, niſi in prava mutentur.

Con-

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi alvi fluxuum ex fæcum mutatione.

Connexio. Cum in præcedenti *Aphoriſmo Hippocrates* mentionem feciſſet de criſi, illam nempe cognoſci poſſe futurum, per noctem gravem. In hoc oſtendit ſignum terminatæ & factæ criſis, vel ad bonum, vel ad malum, dum dicit: *In profluvio alvi* &c. ſimul in hoc *aphor.* profert ſignum criſis, quæ fit per evacuationem, eamque communiſſimam, alvi dejectionem. Egeſtiones enim per alvum habitæ, quemadmodum ſæpe numero ſalutares ſunt, ita nonnunquam valde pernicioſæ.

Brevitas hujus Aphoriſmi diviſionem non patitur, brevis omnino eſt, ſed in ſe pulcherrimus & artificioſus, ex hoc enim Medicus poteſt diſcere, in omni morbo mutationes, quomodocunque fiant, eſſe attendendas; præterea ex hoc poteſt diſcere, alvi profluvium vel eſſe ſymptomaticum, vel criticum, malum aut bonum; Excrementa enim alvi, coctionis & cruditatis arbitrium ſuggerunt. Ratio hujus *Aphor.* hæc eſt: ubi excrementa perſeverant in uno eodemque ſtatu, cauſæ pertinacia ex hoc demonſtratur, at ubi mutatio fit ad bonum, ſuperans natura oſtenditur & valida ejus actio in materiam peccantem: & ideo *Hipp.* dixit 6. Aph. 1. *Acidum ructum in diuturno alvi profluvio bonum ſignificare, coctionem enim ex illo ſigno perfici quodam modo oſtenditur.*

Non autem ſolum, ut habet hoc loco *Hipp.* Egeſtiones debent exiſtimari malæ, quando ſuccedentes mutationes fiunt ad mala, verum etiam cum immoderatæ ſunt, & tormina ac dolores inducunt, internamque inteſtinorum tunicam erodunt, ſiquidem præter diarrhæam & dyſenteriam, ſolent tabem, & totius corporis conſumptionem afferre.

Utut autem iſta ſe habeant, memorat hic *Hippocrates*, mutationes excrementorum juvare in alvi profluviis, niſi ad mala mutatio fiat. Etenim cum in lienterico & cœliaco fluxu egeſtiones quæ antea albæ, chyloſæ & fluentes admodum erant, coloratæ comparent, repurgatæ & conſiſtentes, naturalem conditionem inducunt, ut etiam de acido ructu ſupervenienite protulit idem *Hippocrates* 6. Aph. 1. mox ante citato. Sic pariter excrementa, diarrhæam ac dyſenteriam comitantia,

tia, nigra; fœtida, purulenta, ubi malitiam horum exuerint, atque in flavum, minusque olentem humorem commutantur, argumento ſunt naturam, in priſtinum ſanitatis ſtatum redire, facileque inpoſterum moderari poſſe fluentium excrementorum malitiam & originem: At vero, quotieſcunque evacuationes unius modi ſunt, & ſibi ſimiles continuo prodeunt, morbum, cauſamque morbi perſiſtentem & contumacem ſignificant. Melius igitur erit in alvi profluviis excrementa ſenſim apparere mutata, neutiquam vero in pejorem deducta conditionem, ut cum è flavo in nigrum, è minus olente in fœtidum, e conſiſtente in corruptum humorem abeunt, ut proprerea prudenter ſane adjecerit *Hipp. niſi ad mala mutatio fiat*. Hac de cauſa exitioſæ ſunt dejectiones in dyſenteria, quæ è pallidis in croceas, in virides, in atras, è craſſis in dilutas & putridas, e ſtercorariis in pingves & ſtrigmentoſas abeunt: mutationes etenim iſtæ nulla ratione prodeſſe poſſunt, utpote à naturali ſtatu plurimum recedentes: quamobrem utiles tantum cenſendæ ſunt, quæ ad naturæ ſtatum redeunt vel ſaltem non multum à ſanitatis ſtatu deflectunt. Unde

Nota Excrementorum mutatio duplex eſt: *primo* Excrementa mutantur ſecundum *ſubſtantiam*, ut quando humor primo exit crudus, deinde coctus, vel dum primo exit aduſtus, deinde minus aduſtus, vel ſemper idem eſt & exit. *Secundo* Excrementa mutantur ſecundum *ſpeciem* (id eſt de ſpecie in ſpeciem) ut quando poſt excretionem pituitæ, ſeu lymphæ acidæ & coagulatæ, fit excretio bilis, vel e contra quod melius eſt: vel quando in diuturno alvi profluvio, acidus ructus ut diximus, ſalutis nuntius habetur. Bona ergo eſt ejusmodi excrementorum mutatio, niſi ad prava fiat, quæ mala eſt.

Plerique Medici diſtingvere conſveverunt, ejuscemodi per alvum evacuationes in *ſtomachicas*, & *jecorarias* ſeu *hepaticas*, atque illas à *ventriculo male concoquente*, & in excrementa cibos commutante oriri ajunt: has vero è jecore intemperato ad *frigidum* quidem (ut veteres paſſim loquntur) v. g. è fluxu quem *hepaticum* vocant, ad *calidum* vero, ut in diarrhæa & dyſenteria.

Verum (ut ſentiunt recentiores) licet in lienteria & cœliaca affectione, dejiciantur ibi nondum digeſti, qui ventriculi defectum arguant, non tamen putandum, ejusdem ſemper vitio hujus generis dejectiones haberi: ſiquidem non raro à depravatis ſuccis pancreatico

nempe & felleo, importunæ ac immodicæ evacuationes oriuntur: cum enim in eundem uſum ſucci iſti a natura ſint deſtinati, ut tranſeuntem chylum per inteſtina gracilia diluant, atque a fœculentis portionibus repurgent, ſi forte ſi aquei viſcoli, inertes, aut aliter præternaturam ſint affecti, vel illorum ductus obſtructi, nulla vel mala ſecretio fit, unde ſimul cum fœculentis partibus, chyloſæ & alibiles pariter egeruntur: atque hinc eſt, quod in his conferant ſalida, acida, acria, auſtera, quibus ſcilicet ſucci illi corrigantur, vigorentur, vel per proprios ductus confluant in inteſtina.

De *fluxu* vero *hepatico*, nemo eſt vel leviter in rebus anatomicis verſatus, omni culpa carere *jecur* in hujusmodi alvi profluviis, cum jam ſatis ſuperque conſtet nec ipſum ſangvificandi munere fungi, nec ex illo per venas ſangvinem ad inteſtina permeare, ſed potius ab his ad illud revehi: atqui in dyſenteria & diarrhæa, ſi ab hepate per venas in inteſtina, acres illi & erodentes humores derivarent, procul dubio laxatis & apertis venis, una ſimul cum humoribus, ſangvis ipſe affluenter proſiliret. Prom[illegible] ori & faciliori captu.

Notandum alvi fluxum vel eſſe *ſpontaneum*, vel eſſe factum ope Medici. *Spontaneus* vel eſt criticus vel ſymptomaticus. *Symptomaticus* rurſum triplex *diarrhæa, dyſenteria, & lienteria*: Si ergo ope Medicamenti procuretur purgatio & alvi fluxus, juvat mutatio etiam, tametſi fiat ad prava, ſaltem ratione *cauſæ*, quamvis non ratione *ſigni*, bonum enim eſt humorem pravum eſſe extra corpus. Sed de hac evacuatione & profluvio, ope Medici facto non loquitur hic *Hippocrates*. Si vero fiat evacuatio, & in illa mutatio ad prava critice, juvat etiam, nam & per nigras urinas, & æruginoſum vomitum, morbum expelli, ſed raro, notamus. Verum enim vero etiam in ſymptomatico fluxu juvat mutatio, non ſolum ſi ſit ad bonum, ſed ſi ſit ad æquale ſeu proportionatum quia mutatio arguit robur naturæ, ſed hoc valde rarum eſt: communiter enim omnis motus ſymptomaticus abſolute malus eſt, ſicut bonus eſt motus criticus, qui ſit de ſpecie in ſpeciem, quando humores a natura perfecte evacuantur, ut quando v. g. primo à natura evacuatur bilis, deinde pituita, tunc ſignum eſt naturam perfecte evacuare: præterea bonus eſt motus, quando excrementa mollia, cohærentia, non admodum fœtentia, ſubrufa, & juxta ciborum ingeſtorum copiam ejiciuntur. Quando autem humores qui evacuantur ſunt veſicu-

ſiculores, tunc teſte *Hippocrate 2. prognoſt. commentar. 23* morbus eſt diuturnior, quia opus eſt diuturniore tempore, ad coctionem humorum variegatorum, qui plures morbos indicant, & procreant: atque etiam, quando excrementa ſunt liquida, alba, extreme ruſa, viridia &c.

Sed omnium peſſimus eſt motus, per quem evacuationes fiunt prave ſynceræ, putridæ, nigræ, lividæ, pingves, cruentæ, æruginoſæ, rameutoſæ &c. quæ colliquationem ſignificant teſte *Hipp. 3 Aphor. 6.* ubi agit *in morbo diuturno faſtidium cibi, & dejectiones ſynceræ mala.*

Synceræ autem dejectiones ſunt humores privati humiditate, vel alterius humoris admixtione qui indicant omnem prope humiditatem eſſe conſumptam, uti v. g. eſt atra, æruginoſa, livida bilis, dyſenteriam faciens lethalem: idem tenemus de colliquativis, & enormiter fœtentibus, quæ extremam putredinem & cadaveroſum ſtatum arguunt.

Quæ diximus hactenus de alvi excrementis, idem quoque intelligi volumus de urina, ſputo, ſudore, vomitu &c.

Aphoriſmus XV.

Ubi fauces ægrotant (ſeu dolent) aut tubercula exoriuntur in corpore, excrementa ſpectare oportet, nam ſi bilioſa fuerint, una corpus ægrotat: ſi vero ſanorum ſimilia exſtiterint, tuto corpus alere poteris.

Contentum ſeu Intentio.

De Dolore faucium, tuberculis corporis, de judicio excernendorum, & alendo corpore.

Connexio: Attulit in præcedente Aphor. Hippocrates loco exemplicis ſes per dejectiones factas: nunc eas quæ per abſceſſum contingunt examinans, utitur exemplo glandularum tumefactarum, atque tuberculorum in corpore erumpentium, atque intumeſcentibus

gitized by Google

faucium glandulis, vel erumpentibus tuberculis in corpore, an non idem nutriendum ſit, excretiones obſervandas eſſe: etenim ſi illæ biliosæ fuerint, indicium erit corpus, ejusque interna viſcera, una ſimul ægrotare; ſi vero ſanorum egeſtionibus ſimiles ſint, tutum erit corpus nutrire. Ubi ergo natura totum humorem ad partem aliquam deponit, tuto corpus alere poſſumus, ubi vero aliquid intus manet, non tuto

Dividitur hic Aphoriſmus in duas partes, in prima docet quomodo impurum corpus cognoſcatur, in altera vero quomodo cognoſcatur purum. Quando in aliquo corpore materia abſcedit ad fauces (morbi enim glandularum tum alibi, tum maxime in faucibus & habitu corporis emicant) vel cutim cum excrementis bilioſis, eo ipſo corpus impurum arguit, bilioſum enim excrementum, indicat pravos humores non totos in illas partes miſſos, ſed intus adhuc manere; ergo talia corpora utpote impura, nutrire non licet, ut diximus ſupra aphor. 10. quando autem corpora intus ſunt pura & ſana, tuto ali poſſunt, ſi autem abſceſſus ſit perfectus, eo ipſo ſanum corpus, & intus purum judicatur; *ab intra enim ferri foras bonum, è contra malum*. humor enim in abſceſſu contentus, non amplius inficit alimentum, quin imo roborat naturam.

Ut autem hæc penitius cognoſcamus, bene monet *Hippocrat.* inſpicienda eſſe excrementa ſeu excretiones, non tantum alvinas ſed omnes alias, potiſſimum vero urinas & quæ per alios ductus fiunt, undecunque enim illæ prodeunt, corporis ſtatum bonum deſignant. Hæ enim totius venoſi & arterioſi generis, imo totius fere corporis præbent notitiam & corporis ſtatum deſignant, maxime autem quando cacochymia eſt in vaſis.

Si ergo dum fauces dolent, vel adſunt tubercula, ſimiles urinæ reddantur, ſignum eſt, totam materiam bilioſam (idem de omni alio vitio, pituitæ, lymphæ acidæ, frequentiſſime autem de bile, utpote ſæpius accurrente dici & intelligi poteſt (nondum totam eſſe ad habitũ corporis, aut fauces propulſam, ſed adhuc in infimo corpore plurimum reſtare, quod alimentationem ob rationes in Aphor. 10. allatas (*corpora impura quo plus nutrieris, plus laſeris*) prohibet

Non autem tantum ejusmodi faucium dolor & tubercula ſunt æſtimanda poſt judicationem aut criſim, ſed etiam extra criſim, quando

donempe natura non poteſt extra corpus educere noxiam materiam, ſed illam ſaltem ad ignobiles partes transmittit, aures, fauces, axillas, inguina, articulos, cutim &c. ad quæ loca ordinarie tubercula, exanthemata, & abſceſſus fieri ſolent. In his & ſimilibus caſibus non tantum *purgatio* requiritur, ſed etiam quandoque *venæſectio*, quia illi humores in profundo corporis latentes poſſint utroque modo, melius tamen per *purgationem*, minus aptæ per *venæ ſectionem* (cum non ſemper ſubſit plethora) evacuari. Experientia autem conſtat, in doloribus colli, imo etiam in vera angina ubi excretiones fuerant biliosæ præmiſſa *venæ* ſectione, purgatione, malum ex toto ſuſtuliſſe. Biliosa autem Caecochymia facile colligitur adeſſe, ex oris ſiccitate, ſiti, amaritudine lingvæ, ciborum faſtidio &c. & tunc maxime purgandum eſt.

Notandum hic: quod contingat aliquando, pura eſſe excrementa, & tamen ægrum peſſime habere, uti v. g. in peſte, & maligna febre, urina apparet naturalis, morbus tamen hominem occidit. Verum id contingit quia natura, ob præſentiam tantæ malignitatis, & tantam inde conceptam debilitatem, materiam non poteſt aggredi.

Notandum 2. Hunc *Aphoriſmum Hippocratis* non de angina eſſe intelligendum, ut male plerique interpretantur. Etenim ſi de ea, quæ muſculorum gutturis & inflammatio eſt, ſermonem inſtituiſſet *Hippocrates*, non plane de convaleſcentibus ex abſceſſu, & de omnino morbosis corporibus ageret, adeoque male fuiſſet adjectum *Si vero ſanis ſimiles, tutum eſt corpus nutrire*. Igitur de abſceſſibus ad glandulas faucium & colli, itemque de tumoribus erumpentibus ad cutim omnino loquutus eſt, & quidem obſervationibus iteratis eſt compertum, ſolere glandulas, tum internas, tum ſubcutaneas, quibus univerſum fere corpus refertum eſt in plerisque morbis vitiari imo reliquorum omnium viſcerum affectiones prompte ſubire, quod vaſa quæcunque, tum ſangvinem & nervorum liquorem tum lympham deducentia in ſe excipiant & moderentur, unde harum male affectarum causa plerumque accidit ægrotare, vel morborum criſes per abſceſſus admittere. Quamobrem non immerito *Hippocrates* tumefactarum adenum & tuberculorum in habitu corporis prodeuntium exemplo ſpeciatim hic uſus eſt: quippe humores quicunque per vaſa corporis excurrentes, in ipſas deducuntur, ibique commiſcentur, atque ab impuritatibus repurgantur:

 Hinc

Hinc triplici de cauſa, non tantum facium glandulas, ſed cunctas propemodum contingit ægrotare, indeque tubercula progigni. vel ſcilicet vitio ſangvinis, lymphæ, & liquoris nervorum, minime à recrementis expurganti vel impedita per poros cutis perſpiratione vel denique earundem glandularum vitio, quæ nutritum non excipiant, nec deducant, nec bene permeantes ſuccos repurgent, & emendent. Meminit autem *Hippocrates*, biliofarum solum modo hic excretionum, non quod à reliquis aliis excrementorum vitiis, illis affici non contingat, ſed quia in acutis morbis, hujus generis excrementa, plerumque excitari ſolent, quippe quæ acriorem ſangvinis conſtitutionem & inflammabilem naturam conſequuntur, unde febres æſtuoſæ, ſitis, oris amarities, dolor, vigilia, & conſimilia ſymptomata exoriuntur. Cum ergo excreta iſta mala ſunt, totum corpus adhuc infectum denuntiant, nec ſufficienter ex abſceſſibus fuiſſe repurgatum, ideoque tuto nutriri non poſſe, niſi fuerit omnino ab inquinamentis deterſum & evacuationes ſimiles ſanis habeantur.

Notantur pariter hic tubercula, ſpeciatim extrinſecus apparentia, licet conſimilibus tumoribus fere ſemper interiora afficiantur, Anatome quippe ſæpius obſervatum eſt tumores in collo & faucibus erumpentes, occupaſſe primum Meſenterium, pancreas aliaque viſcera glandulosa ſeu adenoſa, ut in variolis quoque accidit quamobrem non mirum ſi ob conſenſum partium, per glandulas putaverint plerique, ab ipſis bene vel male affectis, de totius habitudine judicium ferri poſſe. Fruſtra igitur hujusmodi tubercula tollere adnituntur, qui toti ſunt in lituris ſeu unctionibus, lotionibus & emplaſtris adhibendis occupati, cum tamen oporteat internis medicamentis, concretos ibidem humores diſſolvere & extenuare, purgatis quoque à ſangvine, cæteris que utilibus humoribus, quæ retenta ſunt excrementis, in hunc ſane uſum valde conferunt (præ cæteris purgantibus) antimonium diaphoreticum, ſangvis hircinus, C. C. pulvis viperarum & omnia ſalia volatilia &c. quibus ſcilicet & diaphoreſis & diureſis facile poſſit promoveri.

Dices ubi corpus eſt repletum bile, non oportet ſubtrahere alimentum, picrocholi enim minime ferunt famem, imo exaſperantur. ℞. Nos non dicimus, quod in tali caſu, alimentum liquidum, humidum & moderatum prohibeatur, ſed ſiccum, multum, craſſum, & calidum interdicitur.

Apho-

Aphoriſmus XVI.

Ubi fames, laborandum non eſt.

Contentum ſeu Intentio.

De Laboris & victus relatione.

Connexio: Dixit Hippocrates in præcedenti aphoriſmo de criſi, ſeu evacuatione, vel abſceſſu, bene vel male evomentibus in hoc brevi & uni membri aphoriſmo, qui diviſionem ob brevitatem non patitur, docet, quando evacuandum, quando quieſcendum & non laborandum ſit, monetque *Hippocrates*, non eſſe ſimul, convaleſcentibus potiſſimum, injungendam *inediam* & *laborem*, cum natura duplicem evacuationem ferre nequeat. unde ait *Ubi fames, laborandum non eſt*, vel (ut alii volunt) *ubi corpus inedia conficitur vel confectum eſt, laborare non debes.* Connectitur etiam hic *aph* cum octavo, ubi ex nimia fame recidivam fieri ſtatuit. Jam de fame loquitur & docet, quid vitare debeant fameſcentes. Quamvis autem de fame ſolum videatur locutus fuiſſe *Hippocrates*, facile tamen (ut monet Gal in Comment.) cætera quoque inanientia ſubintellecte volunt, & proinde ſumma hujus ſententiæ ſit, duplici evacuatione nunquam intendum ne vires diſſolvantur, & natura omnino ſuccumbat, cum alias ex eodem *Hippocrate* doceamur, magnum ſtudium habendum eſſe, præſertim in ægris, fortem ſervare virtutem. Atque hinc ſane non leve argumentum ſumere licet, ad redarguendos eos, qui ex *Hippocrate* cum præcipiant victum valde tenuem, & quandoque etiam tenuiſſimum, in morbis acutis, iteratas tamen phlebotomias, aliasque evacuationes præſcribere non vetentur magno virium diſpendio. At vero prudenter hic *Galenus* monet *Sanis non ſunt præcipienda exercitia ſimul & inedia, neque etiam ægris aliquis vehementior motus adhibendus unacum cibi abſtinentia, neque ſanguinem mittere oportet, neque citare vomitum, neque purgare, neque multa uti frictione, neque in univerſum aliquo forti motu, vel corporis alteratione. In talibus ſiquidem motibus omnibus, ubi cibus defuturus ſit vires diſſolvuntur, ſive ægrotent, ſive etiam ſani ſint homines.*

Famis

Famis nomine hic intelligitur *triſtis ſenſatio in ore ventriculi, ob alimenti & nutritionis indigentiam & magnam partium inanitionem orta, cum adjuncta virium debilitate.*

Optime & rationaliter ergo dicit *Hippocrates*: *ubi fames, laborandum non eſt: neque evacuandum.* Hoc eſt, corporibus fame (ſive voluntaria ſive coacta, ſeu ex defectu ſit) exhauſtis, non ſunt imperanda & concedenda violenta exercitia, aut labores, aut alia, quæ illud ulteriore humiditate privare poſſunt. Hunc quidem Aphoriſmum ſenſu nimis ſtricto operarii noſtri hodie interpretantur. ſummus enim ipſorum labor eſt, laboribus detrahere, & cibis adjicere Hinc Poeta

Inter ſartores, ſunt iſti Pamphile mores
Cum comedunt ſudant, frigeſcunt quando laborant.

Certum quidem eſt, violentos labores victum omnino plenum & vix non pleniorem requirere: hinc tempore meſſis, triturationis &c. duplex prandium & duplex cæna, id eſt Jentaculum, prandium, merenda & cœna operariis exhibetur, & digne quidem, ut qui pro duobus hominibus laboraverint, duplici quoque cibo nutriantur, ſuccumberent enim naturæ vires per violentos labores proſtratæ, niſi quantocyus copioſiore nutrimento reſtaurarentur. Cum e contra labores leves pauciori indigeant nutrimento, eo quod per ſimiles labores parum de corpore noſtro decedat. Eadem ratio in præſenti aphoriſmo militat; longa enim fames, exſugendo partes ſolidas, & humidas reſolvendo, ſpirituoſas deprædando, magnam in humana œconomia inducit debilitatem, quæ utique omnia per labores augerentur. Hinc non labor, ſed quies imperanda, eo quod juxta *Politicos & Iuris Conſultos ad L. navis. 4 § cum autem 2. ff. ad legem Rhodiam de jactu L. Divus marcus 14 in principio ff. de officio Præſidis*. Afflicto non ſit addenda afflictio. Nec duplici pœna reus caſtigandus; ut habetur in citata lege *divus Marcus*. *Hippocrates* autem in hoc *aphor* (ut ex dictis, & ex ſenſu ipſo colligimus) non quemcunque motum, laborem vocat, ſed qui laſſitudinem infert. Medici enim ſolertiores ſimplicem motum ab exercitio & labore diſtingunt, ac per ſudorem & laſſitudinem dimetiuntur, & quidem levem corporis agitationem motum appellant. Cum ſudore & anhelitu *Exercitium*. *Laborem* vero ad laſſitudinem & defatigationem usque deductum. Hoc autem loco ſpecialius

cialis ſumitur *labor*, quo nimirum corpora virium diſpendium patiuntur, quos plurimum licet credere inedia exſolutos. Per laborem etiam ſanguis citatior redditur, ac tenuior, qui profectò facillime exſpirat per poros corporis, eadem occaſione redditos patentiores, unde ſudores etiam affluentius emanant, & univerſa fere membra fatiſcunt; Quoniam vero famis mentio ab *Hippocrate* fit: Jure quis dubitare poteſt, de qua fame Author loquatur. Sane cum de convaleſcentibus magis agat, famem potius naturalem intelligere videtur, cujus nimirum cauſa ſollicitamur ad exquirenda alimenta. Alibi enim alias jam meminimus, à ſuccis quibusdam acido acribus, os ventriculi ſuperius proritari, cùm is vacuus eſt, alimenta vero ingeſta diſſolvi, cum eſt repletus, cumque per laborem ſanguis potenter extenuetur, & vires langueant, ſi forraſſe è vacuo per famem ventriculo nil poſſit ſuggeri, quod ſanguinem & vires reficere queat, profectò ex languore nimio, totum corpus, grave periculum ſubiret. Verum tamen famem idem Author, conſuluit ſolum in humidioribus naturis & temperamentis lib. 7. aph. 59.

Quod de labore corporis dicimus, idipſum de labore mentis, & animi pathematibus intelligimus, ne nimirum etiam ipſa mens inquietetur, cum & hujus labor multum inaniat & conſumat. Ante famem quidem accommodatus labor non obſtat, quia adjuvat alimenti coctionem, diſtributionem, & excrementorum expulſionem. Quare tam diu laborandum & exercendum corpus, quouſque fames ſuccedat, & ſuccedente fame quieſcendum.

Si pariter nomine *laboris* intelligimus, qui fit per *purgationem* vel *venæ ſectionem*, quæ æque ſubſtantiam, ſpiritus & vires abſumunt: nam ſicut *plenus venter non laborat libenter*, ita multo magis vacuus, illibenter laborem ſuffert.

Hic ergo Aphoriſmus univerſalis eſt, tam ægris, quam ſanis & convaleſcentibus, namque per evacuationem & diſſipationem, in penuria factam, univerſaliter omne corpus ſive ſanum, ſive ægrum exſiccatur, vires magis proſternuntur, convulſiones & mors procuratur: Hinc *Hipp.* 4. aph. 16. dicit, *Carnes ſanas habentibus helleborus pernicioſus eſt*, quia facile excitantur convulſiones & vires demuntur, quibus ceſſantibus, omnes Medici operationes ceſſant, adeoque his præ

omnibus incumbendum eſt & hæ prius reſtaurandæ, deinde ad alia medicinæ inſtrumenta manus eſt admovenda.

Quæres. Quouſque vita, ſumma enim inedia, & abſque ullo cibo ac potu ſuſtineri queat? R. Licet ab *Hipp.* ſcriptum ſit Lib. de *carnibus*, ſeu de *principiis*, ante ſeptimam diem, illam non eſſe exitialem. Et *Plinius* lib. 11. cap. 54. adhuc ultra undecimum pleroſque duraſſe referat. Experimentis nihilominus innumeris obſervatum ab aliis eſt, etiam ad menſes integros atque ad annos incolumem fuiſſe productum. At quamvis crediderim id factum in quibuſdam, ex peculiari corporum & ſuccorum conſtitutione, forte etiam non ſine eorundem vitio atque acrimonia: In cæteris tamen univerſim, non diutius vitam naturaliter prorogari poſſe, ut ſine cibo ac potu, hebdomadas tranſcendant, vix induci poſſum ut credam, Si potiſſimum ſucci ciborum diſſolutionibus dicati, & ventriculus in ſuis operibus bene ſe habeant. In multis animalibus expertum ſe fatetur Clariſſimus Redi infra quadrageſimum diem duntaxat perduraturam, verum tamen homines, beneque valentes ipſe exiſtimaverim, haud difficulter decimum quartum tranſilire poſſe, quin & poſt octavum, bulimon incurrere, quo nec amplius deinde fameſcant, nec cibum capiant, illumque fortaſſe aſſumptum, vel per vim inditum, nec retineant, nec conficiant, ut ſæpe obſervatum eſt. Qui ergo referuntur ad plures menſes & annos, ſine ullo cibo vixiſſe, præter naturam plane affecti, in ſuccis ventriculi, & inteſtinorum diſſolventibus vitium aliquod paſſi ſunt, unde ad cibos exquirendos minime ſollicitantur.

Sed & ſanguis pariter ejuſmodi ſane conſtitutionis fieri poteſt, ut vel minimum, vel nihil admodum extenuetur & abſumatur, æque ac animalibus illis accidit, quæ per hyemem in latibulis degunt abſque cibo: viſcerum quoque & membrorum textura, plurimum in adipſum confert, ſi non tam laxa ac tenuis ſit, ut celeri conſumptioni ſubjiciatur; Etenim quibus cutis denſior eſt, nec facile perſpirationi patet, leviorem ſane patiuntur corporis diſſolutionem. Simile quid accidit iis, qui ingenti timore & vehementi mœſtitia correpti, omni pene ciborum deſiderio. deſtituuntur, & inediam ad plures dies ſufferunt. Qua ratione crediderim ob quam rem nonnulli ſub ædificiorum ruina, ad hebdomadas ſupervixerint, & pleræque volucres intra nives ſemeſtri ſpatio immobiles perſiſtant, & adhuc in vita

perdu-

perdurent. Porro in his impedita perſpiratione, ſanguis non diffla- tur, ideoque nec novo pabulo eget ut continentet reficiatur. Quanquam & aër ipſe ſive inſpiratus, ſive per poros cutis, aut aliter exceptus, poteſt in aliquibus ita ſanguinem temperare, ut ſine evidenti conſumptione, is diutius perennet; & ſicut peculiares quædam aëris conſtitutiones ſolent quibusdam talem famem excitare, ut pluries in die cibum ſumere cogantur, ita ex adverſo poterunt, in certis ſaltem habitudinibus corporum illam obtundere, ut queant absque cibis in longum tempus perdurare, cujus ſorte conſtitutionis fuit ille, quem memorat *Ariſtoteles* ſolo aere & ſole ſuſtentatum: hinc non omnino fabuloſum putandum eſt, quod ſcribit *Plinius Lib. 7 cap. 2.* & confirmat *ſtrabo Lib. 15 de ſitu orbis.* Ad extremos fines Indiæ ab oriente, circa fontem Gangis Aſtomorum Gentem, ſine ore, halitu tamen viventem, & odore, quem naribus trahunt, nullum illis cibum, nullumque potum eſſe.

Odore etiam plurimos ſibi vitam prorogaſſe poſteritati traditum, ut de *Democrito Laertius & de Homero*, qui ejus vitam deſcripſit, memorat. Refert quoque *Xiphillinus ex Dione*, *Britannos* cibum parare conſueviſſe, qui ad unius fabæ quantitatem deguſtatus, & famem, & ſitim penitus inhiberet. Feruntur & Indi, beneficio cujusdam herbæ *Coca*, ipſis dictæ, ac ore geſtatæ, famem à ſeipſis repellere, quod etiam à *ſcythis* factitatum meminit *Mathiolus* in *præfatione* ad *Dioſcoridem*. Sic pariter milites, tabaca fumali utentes, famem obtundunt, & ludrice credunt eam nutrire, cum interea nil præſtet, quam alkama ſuavi, acidum ventriculi, appetitum alias acuens, obtundens, & famem eo ipſo minuens. Cæterum in aliis, qui diutius cibis caruiſſe narrantur, vel impoſtura locum habuit, vel virtus divina præluxit.

Dices I. In acutis morbis imperatur inedia, ergo falſus eſt *aphoriſmus?* ℞. Si corpora in acutis morbis laborantia ſint repleta & cacochymica *concedo*, ſi vero inanita, imperatur inedia *nego*.

Dices II. *Hippocrates 7 Aph. 5 & 9. dicit* in febribus eſſe fameſcendum & laborandum, ergo contradicit ſibi? ℞. *Diſtinguo antecedens* in corporibus humidis & repletis *concedo*, in ſiccis & conſumptis *nego*.

Dices III. Bilioſi facile fameſcunt, imo ſi iis cibus negetur & potus, teſte *Hippoc. 4. acutorum*, in graves affectus incidunt, ergo tales

les nunquam eſſent purgandi, nec laboribus afficiendi? ℞. *Diſtinguo conſequens*: ſi ſint bilioſi deficientes *concedo*, ſi autem ſint bilioſi *cacochymici* & conſtantes viribus *nego*. Præterea in Praxi bene notandum, in picrocholis ſeu bilioſis, labores & exercitia potius poſt paſtum convenire, quam ante paſtum, humidis vero & Euſarchis ante paſtum, & ſic intelligendus eſt locus *Hipp. 1. de diæta in fine*: ubi dicit, ut labores cibos præcedant, id eſt in humidis, non vero bilioſis.

Dices 4. Illi qui plurimum acidi habent in ſtomacho, plurimam habent famem, & tamen ii non ſunt cibandi, ſed potius evacuandi, ergo loquitur contra noſtrum aphoriſmum, ubi fames potius laborandum, id eſt evacuandum & movendum eſt? ℞. Per famem ut diximus intelligimus inopiam alimenti, qui autem multum acidi habent, non carent alimento & materia, quæ evacuationem facile tolerant: id quod innuiſſe videtur *Hippocrates* 2. aph. 21. quando ait: *Famem thorexis ſive vini potio ſolvit*, id eſt vini generoſi, acidum infringentis & abſumentis.

Aphoriſmus XVII.

Ubi præter naturam, copioſior cibus ingeſtus eſt, morbum id creat, quod oſtendit etiam curatio (ſeu ſanatio.)

Contentum ſeu Intentio.

De Cibi immoderatione.

Connexio. Quamvis hic *aphoriſmus* connexionem habere poſſit cum quarto, ut vult *Galenus in Commentariis*. *Non ſatietas, non fames, nec aliud quidquam quod naturæ modum excedat, bonum*. Siquidem ſicut ibi, ita & hic mediocritatem omnino ſervandam eſſe, in natura apud omnes, præſertim in alimentorum ſumptione nervoſe inculcat. Nihiſ ominus tamen illum connectimus cum præcedente, qui hunc videtur occaſionem dediſſe, cum enim in præcedenti dixiſſet *ubi fames laborandum non eſt*, imo potius replendum & alimentandum: in hoc autem innuit, cibum quidem aſſumendum eſſe, ſed

ſed non nimium, nec ultra vires & ultra repletionem debitam vaſorum: hoc enim à natura regi non poteſt, unde humorum corruptio, & tandem morbus, ut patet ex illius ſinatione. & revera hic verificatur illud. *Plures occidit Gula quam Gladius*. Sic ſi nimium ſevum, ſimul & ſemel liquefactum ad flammam candelæ affluat, eandem non alit, ſed extinguit. Unde illud ſymbolum

Nutrimento extinguitur.

Nimia ſimiliter alimentorum copia, ſanitatem (id eſt noſtram naturalem flammam) non alit, ſed extinguit & deſtruit.

Diogenes dicere ſolebat: ubi frumentorum copia, ibi mures, ubi alimentorum ſuperabundantia, ibi morbi. Vitandas ergo in hoc aphoriſmo docet Hippocrates ſatietates, quoniam ab illis morbi ex plenitudine ſunt.

In duas partes dividitur hic *Aphoriſmus*, in *prima* ſuam mox allegatam intentionem exponit; in altera vero cauſam ſuæ intentionis adducit: unoprimam Aphoriſmi partem probat ſecunda, dum dicit: *Hoc indicat ſanatio*, quæ eſt probatio a poſteriori, ſeu ab eventu & effectu, qui hic non fortunæ filius, uti apud *Empyricos*, ſed veri conſilii & Judicii ſoboles, uti habet *Hippocrates Lib. de natura humana*:

Generatur autem ex nimia ciborum quantitate, vel *Plethora* vel *Cacochymia*. Plethora in robuſtis, cacochymia in debilibus, utrumque fames & cauſa communis ac univerſalis eſt variorum morborum, vulgo notum eſt & teſtatur ...ocrates Dicens: *Ingluvies & luxuria, morborum monſtra è lateribus eliciunt*. Guſtui tamen & conſuetudini aliquid in cibo & potu tribuendum, juxta illud *Quod ſapit nutrit*. Attamen probe ponderandum, ut quo debilius eſt naturæ robur, eo minus cibo eger, eoque facilius ab ingeſtis læditur etiam alioquin ſanus.

Notandum I. Per verbum *ubi* duo ſignificari, locum nempe & *tempus*. in quemcunque locum cibus præter naturam ingreditur, morbum creat. Sic etiam quocunque tempore præter naturam aſſumitur, morbos pariter gignit.

Notandum II. Cibus præter naturam talis eſt, vel *quantitate*, vel *qualitate*: *Quantitate* excedit dupliciter, vel *continua* vel *diſcreta*: De quantitate *continua* ſeu *molis* ſcripſit *Hippocrates Lib. de affectionibus*, cibos etiam temperatos & naturæ familiares, ſi quis illis vel intempeſtivis aut pluribus utatur, quam tempeſtivum eſt, morbos gignere,

re, & ex morbis mortes. De *quantitate diſcreta* ſcripſit quoque obſonia variis intritis præparata, quia diverſas inter ſe vires habent, æſtuoſa eſſe & noxia. De *Qualitate* quoque præter naturam in cibo, qualis eſt ſalſus, acris, amarus, acidus, monuit idem *Hippocrates*, fieri in corpore turbationes, quia alimentum & augmentum non fit niſi per id, quod probe temperatum eſt & edomitum.

Dicitur etiam *præter naturam*, ſive ut legunt ultra naturæ exigentiam, cibus, qui licet ſpeciei humanæ ſit familiaris, alicui tamen particulari, ſeu in individuo adeo eſt inviſus, ut fugiat illum velut venenum, qualis eſt caſeus quibusdam, vinum aliis, piſces aliis, panis aliis & alia aliis de quibus tractant fuſe Authores

Notandum III. Quod verbum illud *præter naturam* deſignet ex mente Hippocratis cibi ingeſti quantitatem menſurandam eſſe, à peculiari cujusvis corporis conſtitutione: quæ enim quantitas uni indebita & excedens videtur, alii erit naturalis & conſentanea: Quamobrem ſemper eſt habendus reſpectus ad ætatem, propriam conſtitutionem, exercitia, incolatum, in ciborum adminiſtratione. Vel etiam ly verbum *præter naturam* explicari poteſt, prout vires gravat, & ventriculum plus juſto replet, concoquentis quippe ventriculi vis limitata eſt, & ſucci ejusdem non omnem ciborum copiam diſſolvere queunt, ſicut nec certa aquæ ſtygiæ quantitas illimitatam metallorum molem diluere & erodere valet. Und 3. ly *præternaturam* vel indicat parvum exceſſum vel magnum: In hoc *aphoriſ.* juxta mentem *Galeni* intelligitur exceſſus magnus, quia parvus exceſſus morbum non procreat: Verum nos ſalvo *Galeni* arbitrio, etiam de parvo exceſſu veram hanc eſſe *Hippocratis* ſententiam, credimus: de magno exceſſu nemo dubitat, quia à plenitudine & ſemel & repente, morbus creari poteſt, ut in *ebriis*, Sed etiam à parvo exceſſu, ſi duret & continuet, paulatim morbus fieri poteſt, & fit; nam teſte *Hippocrate 6. epid. Lib. de diæta, morbus paulatim fit, ſed repente invadit.* Quoniam vero *Hippocrates* in hoc *aphoriſma* inquit. *ex cibo præternaturam plus ingeſto morbum fieri*, non *mortem*, adeoque admittere ſanationem: Inde profecto deducere poſſumus, exceſſum duntaxat cibi aſſumpti, illum hic notare voluiſſe; ſive autem exceſſus ſit relatus ad cibum ſolito abundantiorem, ut de fœmina quadam idem Author in *Epidemiis* teſtatur, quæ liberalius paſta, quo die judicata fuerat, recidit; ſive ad

[illegible] num

vim & facultatem ventriculi etiam moderatam ejuſdem quantitatem exactè conficere nequeuntes, cum multum & paucum ad aliquid referantur, parum intererit: Nam & importunus & inſvetus & impræparatus & crudus, atque nec debito ordine, nec convenienti modo ſumptus cibus, non tantum convaleſcentibus, ſed etiam ſanis nocuus & periculoſus eſſe ſolet. *Cibus profectò* (inquit idem Hippocrates Lib. de locis in homine (*ſi vincit naturam, efficit morbum.* Verbo quocunque demum modo naturam ſuperet, præter naturam erit, atque adeo morbum faciet.

Notandum 4. Duplicem eſſe plenitudinem ſeu repletionem, unam ad *vaſa*, alteram ad *vires*: Ad *vaſa*, quando nimio humore diſtenduntur: ad *vires*, ea eſt humoris id eſt ſangvinis copia ut a natura ſuperari non queat.

Notandum 5. Plenitudo in genere dicitur & fit, ubi cibi ſuperant labores: ita teſtatur *Hippocrates de diæta 4. de morbis: de locis in homine*

Notandum 6. Quod una quæque plenitudo ſua habeat ſigna v. g. ventriculi, inteſtinorum, ex ructu, oſcitatione, flatu, gravitate ſegnitie, dormiturítione, capitis dolore, nauſea, torminibus, *venarum*: ex tumore earum, colore rubicundo, capitis dolore, tuſſi, ſtillicidio ſangvinis. *Humorum* ſunt cujuscunque humoris ſua quæque indicia propria. *Partium & membrorum* ex laſſitudine.

Notandum 7 Perillud verbum: *oſtendit autem ſanatio*: docet nos *Hippocrates*, quod ſanatio, quæ fit in repletione in *quanto*, vel repletione in *quali* procuratur per evacuationem ſeu depletionem.

Evacuatio autem ex mente unanimi *veterum & recentiorum* fit per *venæ ſectionem* in *plethora* ſeu in repletione in *quanto*: per *purgationem* in cacochymia, ſeu in repletione in *quali*, præterea etiam per clyſteres, exercitia, balnea, frictiones, inedias, & alia alterantia convenientia. Patet quidem ex hoc *Aphor.* ex cibo præter naturam plus ingeſto, morbum oriri, & hoc ipſum ſanationem oſtendere, nullam tamen mentionem facit de morbi ſpecie aut de ejuſdem ſanatione forte taſſe voluit ſubintelligendas ægritudines ex cruditate, quam fere omnes morbi conſequi poſſunt, niſi etiam eandem prægreſſam ægritudinem, & graviorem ex indigeſtis corruptisque cibis redire exiſtimaverit, aut etiam morbi nomine abuſus, damnum atque detrimentum

inde

indefinite expreſſerit. Sanationem vero per vomitum aut dejectionem vel per mediam implicite complexus eſt. Etenim mala ex cibis uberioribus vel infeſtis orta, quam citiſſime vomitu, aut exacta diæta corriguntur.

Quod ſi interiores ductus ſubierint, & viſcera ac ſangvinem infecerint, non niſi alexipharmacis curabuntur: Cæterum à cibis abundantius ingeſtis, depravatis aut corruptis, præter cruditates proficiſcuntur obſtructiones, tumores, alvi profluvia, cholera, colica, febres, idque genus alia & pejora mala; ſi præterea ut diximus cacochymi ii ſint, ſeu inſalubres, malique ſucci, etiam febres peſtilentiales oriri conſueverunt, item vertigines, ſyncopes, lethargi, apoplexiæ, & alii pernicioſi morbi, quos memorat *Galenus de cibis boni & mali ſucci*. Quamobrem ſi ex his morbi provenerint, pro illorum ratione varia, diverſimode quoque tractandi ſunt.

Quæres utrum plenitudo ſit morbus? ℞. ſtricte loquendo non eſt morbus, ſed cauſa morbi, poſſet tamen minus ſtricte dici morbus pro materiali.

Dices. Hic *Aphoriſmus* idem eſt cum *Aph. 4*. Ergo entia multiplicantur ſine neceſſitate? ℞. *Nego antecedens*: nam hic agit de exceſſu præternaturam, ille *quartus* de exceſſu præter modum, ſeu ſupra medioeritatem, qui non eſt præter naturam. ita *Galenus de differentiis morborum.*

Aphoriſmus XVIII.

Eorum quæ confertim (alii dicunt univerſim) & celeriter alunt, celeres quoque fiunt excretiones.

Contentum ſeu Intentio.

De Excrementis juxta aſſumptorum qualitatem.

Notandum prævie, duplicem paſſim ab *Autoribus* afferri hujus Aphoriſmi ſenſum & interpretationem: alii dicunt: Eorum quæ *univerſim*, hoc eſt ſecundum totam ſubſtantiam & velociter nutriunt, celeres quoque fieri reſiduorum excretiones. Aliis ſic placet

cet (non *univerſim* ſed *affatim* ſeu *confertim* ſeu non ſenſim) exponere, adeoque Aphoriſmum ſic interpretantur, quod ea quæ abundantem & celerem ſuggerunt nutrientem ſubſtantiam, celerem quoque patiuntur excretionem. De quibus mox clarius.

Connexio. In Aphoriſmo 16. dixit *Hippocrates: Ubi fames, laborandum non eſt*. In decimo ſeptimo ſeu præcedente nos cautos reddit in nutriendo eſurientes. In hoc decimo octavo jam monſtrat quomodo nutriendi ſint ne lædantur, ut ſciamus cognoſcere, quod illa, quæ celeriter alunt, etiam celeriter diſſentur, diſtribuantur, & evacuentur, id eſt quæ citiſſime digeruntur & concoquuntur, atque diſtribuuntur, etiam citiſſime nutriunt, & citiſſime eorum fiunt eductiones. Ut ſimul exinde cognoſcat Medicus, cibos, qui facile & breviter reficiunt, & qui aptiſſimi ſunt convaleſcentibus, & maxime iis, qui celeri refectione indigent. Pabulum autem apud Medicos eſt, quod velox nutritio, velocem quoque excretionem referat, quia ſicut ſe habet digeſtio ad nutritionem, ita ſe habet ſecretio ac diſtributio ad evacuationem. Unde ſi velox facta ſit nutritio, velox quoque deſignatur abſoluta digeſtio & diſtributio adeoque excrementorum repurgatio & expulſio.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem diviſionem non patitur. Si ergo ſumpto cibo brevi tempore, id eſt, interpoſitis paucis horis, ſubſequatur ejusdem per alvum excretio, manifeſtum eſt ſignum, illum cibum fuiſſe facilis concoctionis, & conſequenter etiam facilis nutritionis. Eſt enim concoctio & excretio, una eademque continuata actio, ab eadem cauſa efficiente, calore nempe naturali emanans, unde abſoluta concoctione, quantocyus cibus excernitur. *Primo* quidem per duodenum ad inteſtina, in quibus nutribili ſua emulſione, per venas lacteas exhauſtus, in fœces degenerat, mox per alvum excernendas, natura enim feriari nequit. Verum enim vero qua ratione univerſim ſeu affatim nutrientia, celerem ſubeant evacuationem, non bene intelligi poteſt, cum pleraque nutriant & abundanter, nec tamen celeriter evacuantur; ſic v. g. carnes melius & abundantius nutriunt quam olera, cum tamen iſta facilioris ſint & celerioris excretionis: Multa alia ut v. g. aſtaci, tardius plane concoquuntur, mox vero in inteſtina tenuia delapſa, ſtatim ventrem movent, & plus quam ratio exi-

R git

git egeruntur. Ova inſuper facilis & citæ dicuntur coctionis, multumque nutrire, & cum tamen robuſtum quid habeant & inſlent teſte *Hippocrate* de diæta 2. quin & *Galen*, ipſe multa alia in hunc locum congerit, quibus *Hippocratis* effatum, non levibus videtur implexum difficultatibus. Sed tamen, ut ipſe credo voluiſſe hic *Hippocratem* indicare, quod alia phraſi dixerat, *in lib. de alimento*. *Cibum ſiccum, qui difficulter tranſmutatur ægre conſumi, qui vero facile alteratur & apponitur, abſumi etiam facile*. Cum enim refectio virium celerrime habeatur à vino, vinique ſpiritu, aut a rebus conſimilem naturam participantibus, profecto, quemadmodum iſta velociter reſtaurant, ita velociter quoque ſua tenuitate diſſolvuntur: alimenta pariter tenuiorem ſubſtantiam nacta, & labilis appoſitionis, celeris etiam ſunt diſſlationis, & adhuc per poros cutis perſpiratione. Contra vero ſuccum ſortita craſſiorem & compactiorem, ſicuti difficilius in ventriculo diſſolvuntur, ita tardius in ſuccum nutritium transmutantur, partibus apponuntur, atque pari ratione ſerius abſumuntur & perſpirant.

Pro majori ergo claritate hujus aphoriſmi explicandi: *Notandum* ea alimenta, quæ univerſim & velociter nutriunt, quaque vertuntur in alimentum in ventriculo, ſimulatque ingeſta ſunt, concoqui incipiunt & diſtribuuntur, ut mox dicamus, velociter per venas, & univerſim ſecundum omnes *partes alibiles* non vero ſecundum *partes excrementitias* (nihil enim ſub cælo reperibile eſt, quod nobis undequaque ſimillimum non ſit, ita nulla pars excrementitia ſit, non enim omnia quæ cito alterant & nutriunt æque conſtanter & ſimiter id præſtant) ergo inquam, ſecundum omnes *partes alibiles*, non vero ſecundum *excrementitias* corporis noſtri partes alunt. Palam conſtat, nutrimenti ſeu alimenti duas eſſe partes, *alteram utilem* quæ trahitur, alteram inutilem quæ *expellitur*.

Triplices ſunt corporis excretiones, ſicut tres ſunt coctiones. *Prima* ſunt ſtomachi & inteſtinorum. *Secunda* urinæ & ſudoris quæ in viſceribus naturalibus potiſſimum contingit. *Tertia* ſunt ſordium quæ efficiuntur in morbis. De omnibus loquitur *Hipp.* ſed manifeſtius de fœcibus alvi & urinis.

Quando ergo dicitur *excretiones quoque celeriter fiunt*, id eſt diſtributiones & eductiones (ſeu ut *Galen.* interpretatur) diſſlationes, per modo dictas partes, non autem præciſe alvi ſubductiones, ſiquidem

enim

enim quo plus quid nutrit, eo pauciores cauſat excretiones, & celeriter nutrit. Nam coctio eſt propter diſtributionem, diſtributio propter nutritionem, nutritio propter reſtaurationem. Cibi qui celeriter coquuntur, ſunt liquidi & fluidi, qui caloris impreſſionem facilè recipiunt (citior enim eſt fluidorum nutritio & excretio, tardior vero ſolidorum, quia ſolida carent vehiculo) talia ſunt ova, teſtes Gallinacei, forbitiones & ſimilia, quæ fere tantum nutrimenti afferunt, quantum ponderant, quia nimirum ejusmodi cibi ſunt facilis concoctionis, facilis diſtributionis, & pauci excrementi, paucæque cruditatis, & ſic quia partes non habent craſſiores, calori ſeſe protinus ſubmittunt & coctionem recipiunt. Ut paucis dicamus omnia, hoc *Aphoriſmo* cenſuit *Hippocrates* generale quoddam documentum tradere, quo ſciamus quibus alimentis, ægros & convaleſcentes oporteat reficere, & quibus indiciis utiliora internoſcamus. At vero à liquiditate & mollitie ciborum fallax judicium ſumitur, *facilis & citæ refectionis*; nam ſi vini ſpiritum excipias & ipſum vinum, reliqua propemodum omnia, non æque cunctis conferunt, nec pari modo ſe habent: cum non deſint, qui melius & promptius reſtaurentur ſolidioribus, quam mollioribus cibariis.

Dices: quæ alunt non excernuntur, quia quæ alunt convertuntur in ſubſtantiam aliti, ergo non excernuntur, ergo falſus eſt Aphoriſmus? ℞. Non hic intelligi excretiones alvinas craſſiores ſed tenuiores, ſeu potius diſtributiones & diſſlationes ut dictum ſupra: illa enim quæ cito fiunt, cito pereunt, ita etiam quæ cito aggenerantur, cito etiam reſolvuntur.

Dices 2. Quæ confertim alunt, debent etiam confertim converti in ſubſtantiam aliti, ſed hoc non videtur fieri poſſe, quia alimentum primo confertum in chylum, poſtea in ſangvinem, & tandem circulo aliquoties facto in ſubſtantiam aliti commutatur. ℞. Ly *alunt*, in hoc Aphoriſmo ſumi metaphorice, id eſt vertuntur confertim in alimentum & coquuntur: Eſt igitur potius hic Aphoriſmi ſenſus: Eorum quæ *velociter & univerſim* nutriunt, quæcunque vertuntur in alimentum in ventriculo ſimul ac ingeſta ſunt, concoqui incipiunt & verti confertim in alimentum, id eſt ſecundum omnes partes alibiles convertuntur, ita & velociter diſtribuuntur per venas, uno verbo velociter diſſlantur.

Inſtabis. Illa quæ jam ſunt, & fuerunt alimenta, non eſt opus

con-

converti in alimenta, ergo nulla ſolutio? ℞. Illa quæ ſunt & fuerunt alimenta *proxima*, non eſt opus converti in alimenta *concedo.* Illa quæ fuerunt alimenta *remota*, non erat opus converti in alimenta *proxima nego.*

Aphoriſmus XIX.

Morborum acutorum, non omnino certa ſunt prædictiones, neque mortis, neque ſalutis.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi Acutorum.

Connexio. Cum in antecedentibus *Hippocrates* multa de felici aut infelici morborum ſucceſſu & prognoſi, ob evacuationes, tum per purgationes, tum per venæ ſectiones factas diſcurriſſet & ſcripſiſſet; in hoc autem *Aphor.* videtur progredi in prognoſtico ſeu morborum eventu, dum dicit *acutorum morborum non omnino &c.*

Brevitas hujus Aphoriſmi non patitur diviſionem & compoſitionem.

Notandum hic præliminariter, inter alias morborum diviſiones notiſſimam illam eſſe, qua alii *acuti*, alii *chronici* dicuntur, cumque acuti ob citam eorundem ſolutionem intra breve tempus de ægrotantis vita decernat, cujus eventus præſagio, ab ignominia plerumque Medicos vindicat, ne tamen exinde multum faciles in prædicendo illi ſint, idcirco *accuratiſſimus Hippocrates*, ut quorundam conjectorum impudentiam & arrogantiam reprimat, qui etiam à prima die ſe jactant, morborum exitum prænuntiare. Hic monet non omnino certas eſſe, & infallibiles acutorum morborum vel ad ſalutem vel mortem prædictiones. Hinc *idem magnus Hippocrates lib. 2 prædiction.* poſtquam hos deriſerit, ſubdit: *Conſulo autem* (inquit) *ut quam prudentiſſime agant, tum in reliqua arte, tum in hujuſmodi prædictionibus, illius probe memores quod ſi cui ſucceſſerit prædictio in apud ægrotum, intelligentia prædictum in admiratione fuerit; ſi verò quis aberraverit, ſupra hoc quod odio habe-*

habetur, fortaſſe etiam inſanire videbitur: quapropter jubeo, ut cum aliæ omnes tum has prædictiones prudenter fa ſunt, quanquam ſane & audiam & videam, neque judicare recte homines ea, quæ dicuntur ac fiunt in arte neque narrare.

Quinam autem morbi acuti dicendi ſint, jam ſupra, & etiam in Inſtitutionibus abunde oſtenſum eſt. Nempe eos breves ac ſymptomatum magnitudine & vehementia ſociatos eſſe debere, etenim febres Euphemeræ dictæ, quamvis breviſſimæ ſint, ob defectum tamen ſymptomatum graviorum, acutæ minimæ dicuntur, ſed & nec Hydrops, empyema, tabes; aliique morbi *vehementiſſimi pernicioſiſſimique ſymptomatibus conjuncti, acuti morbi nominantur* quia breves non ſunt. Quamobrem merito novit *Hippocrates* 1. Aph. 7. *morbos acutos ſtatim extremos afferre labores.*

Unde autem morbis accidat acute lædere & ægros affligere profecto à partis affectæ præſtantia, & a vitioſi humoris conditione deducere licet. *à partis præſtantia quidem*, nam hæc diu moleſtiam, gravemque noxam ſuſtinere non poteſt, qua ratione apoplexiæ, lethargi, phrenitides, ſyncopes, palpitationes, ob cerebri & cordis cum vita neceſſitudinem non multum protrahuntur. *à noxii humoris natura* vero, qui plerumque in acutis morbis ſangvini infenſus, vitæ conſervandæ ineptum illum reddit, ſive quod diſſolvat & erumpat, ſive quod cogat, aut aliter inficiat ut ſolutus, concretus, & effœtus nequeat tandem motum cordis tueri. Hæc plane damna ſæpe numero eveniunt, è degenerantibus inverſis & corruptis fermentis viſcerum, quibus ſangvis permeans inficitur.

Quamvis vero morbi quicunque inchoant, augeſcunt, conſiſtunt, & declinant, non tantum inter initia de illorum exitu certo præſagire nequimus, verum etiam fallax judicium & incerta prædictio erit, quousque exacte non conſtiterint, cœperintque declinare: cum enim nondum devicti pugnantem cauſam in corpore latentem adhuc habent, vitæ poſſunt inſidias moliri, & ob agendi rapiditatem, quacunque de cauſa, momento temporis permutantur, & ſymptomata quæ remitti viſa ſunt, denuo exaſperantur, imo quandoque graviora redeunt

Hanc incertitudinis cauſam referunt fere communiter interpretes in humorum peccantium mobilitatem & tenuitatem, quoniam ſcilicet faciles de loco in locum feruntur, & quaſcunque corporis partes

tes

tes pervadunt, ut proptereà chronici morbi à craſſis humoribus progeniti, cum lentè procedunt, ſoleant facilius & tutius futuri eventus indicia prodere. Verumenimvero, potius petenda videtur cauſa à motu particularum in ſanguine, cæteriſque liquoribus fermenteſcentium. Etenim quamdiu fermentatio perſeveraverit, & in depreſſionem & excretionem non deſierit, quæ ſola ſalutarem exitum ægris prænuntiat, morbus ipſe in incipiti eſt, quandoquidem in coagulationem & reſolutionem abire poteſt. *Hippocrates* ergo notanter dicit. *non omnino certa ſunt prædictiones*: id eſt non dari talem prognoſticandi certitudinem in acutis, ut Medicus rem pro infallibili vendere poſſit, ſed tantum pro dubia, licet à potiori verificetur. Si enim Medico in acutis ab omni prognoſtico abſtinendum eſſet, ad quid *Hippocrates* tot prognoſticandi libros reliquiſſet: *Aphoriſmos, prognoſtica, prorhetica, coacas prænotiones* &c. qui potiſſimum de prognoſi auctorum ſcripti ſunt. Præterea in noſtro Aphor. adjecit prudenter *Hippocrates*: *non omnino*: ne nimirum Medici prorſus deſperent de prognoſi, cum cæteroquin magnam laudem exinde conſequi ſoleant teſte *Hippoc. 1. prognoſt.* Quare ut quis rationabiliter conjiciat de ſucceſſu ægrorum docuit *Galenus 3. de Criſibus 4.* ad tria hæc reſpicere debere. *Ad ideam morbi, ad magnitudinem, & ad morem*: nempe cujus generis morbus ſit, quæ ſymptomata illum comitentur & num à benignis vel malignis ſuccis ortum ducat. Perpendat etiam ſagax Medicus Naturæ vires, an validæ, an imbecilles ſint, & quidem examinando ſingulas corporis operationes animales, vitales & naturales, ab his nempe bene vel male habentibus levius & gravius probabiliter ſaltem cujuſcunque morbi eventum conjectabit.

Inſuper adhuc addit & ſubdit *Hippocrates*. *non omnino ſunt certæ prædictiones*: ſi quidem Medicina tota conjecturalis eſt, & univerſa conjecturis inhæret, ideo 1. Aph. 1. *Iudicium fallax* dicitur. Et *Celſus Lib. 2. cap. 6.* inquit: *Spes ejus interdum fruſtratur, & moritur aliquis de quo Medicus ſecurus primo fuit* ut mox dicemus pluribus. Attamen non ſunt ex hoc omnino parvi faciendæ ejuſmodi conjecturæ, nam etſi aliquando fallant, ſæpe tamen collimant, unde idem *Celſus*. Sed eſt tamen Medicinæ fides, quæ multo ſæpius perque multo plures ægrotos prodeſt.

Rationes proinde noſtri Aphoriſmi ejuſque incertitudinis nobis prin-

principaliter ſunt quatuor. *Prima* eſt judicii critici incertitudo. O! quoties natura cocto jam morbo ſuccumbit in expulſione, & ubi heri ſigna coctionis in urinis erant, hodie cruda omnino viſa urina & ſigna potius mortis quam ſalutis præſefert, quia nimirum natura vi ſymptomatum obruta, deſtitit a coctionis opere, & quæ heri victrix & morbo ſuperior, hodie ſuccumbit. O! quoties e contra ſuccumbere viſa, inopinate reſurgit, & quæ heri erant peſſima omnia, hodie ſunt meliora, remittentibus ſcilicet ſymptomatibus natura coctioni incumbere cœpit, atque ita morbo ſuperior evaſit.

Utrumque ergo Medicos etiam oculatiſſimos fallit. Hinc Hippocrates ait *Lib. de Decenti ornatu*. *Inſtabilia ſunt, quæ in humidis conſiſtunt, quare facile & à natura, & à fortuna transmutantur*. Morbi acuti enim ſæpe aliud præſeferunt, quam in receſſu minitentur.

Secunda ratio. Eſt periculum metaſtaſis, ſeu translationis humorum ad partem *nobilem* ſeu *principem*. Materia acutorum eſt ſubtilis, tenuis, calida, movetur motu frequenti, violento, & impetuoſo, efferveſcentia præternaturali rarefacta, vaſa dilatat, diſtendit, implet, hinc ſummum inflammationis periculum, quæ ſi in parte *Nobili* fiat (quod Medicus prævidere neſcit) jam mutata eſt ſcena, & Medicus in ſua prognoſi deceptus.

Tertia ratio. Eſt morbi malignitas, hæc dum blanditur, nocet, & dum nocet, decipit, uno verbo adulatorum & Pſeudo Politicorum naturam habet, de quibus Poëta

Annis mille jam peractis
Nulla fides eſt in pactis
Mel in ore, verba lactis
Fel in corde, fraus in factis.

In benignis enim febribus, bona ſigna raro fallunt, in malignis raro verificantur.

Quarta ratio eſt: quod ſubinde longo tempore varii abſceſſus, arte medica inperſcrutabiles in corpore deliteſcunt, qui ſi febrili calore maturati crepent, & rumpantur, non ſemel improviſa morte morbo epilogum imponunt. Si ergo Propheta infallibilis audire velis, *morbi ſpeciem, ideam, mores, partem affectam, humoris peccantis quantitatem, motum, naturæ robur, pulſum, mutationes*, emergentia exacte perſpecta omnia habeas neceſſe eſt.

Vulgare

Vulgare & tritum eſt Philoſophorum axioma: *de futuris contingentibus non datur determinata veritas*: iſta autem ſunt in triplici differentia: quædam ut plurimum eveniunt, ut in æſtate calor, in hyeme frigus: quædam raro accidunt ut Cometæ: quædam ſunt ad utrumlibet, quia æqualiter fieri & non fieri poſſunt, ut quæ à voluntate noſtra pendent: de *primis* & *ſecundis* eſt determinata veritas, quod erunt, vel non erunt, ut plurimum vel raro: At de contingenti futuro ad utrumlibet, non eſt determinata veritas, talis eſt in univerſum eventus acuti morbi, quia poteſt occidere vel non occidere.

Notandum 1. Quod in ipſo morbo adhuc triplex illud contingens reperiatur: Exemplo ſit *pleuritis* ſi omnia ſigna bona habeat, æger ſanabitur, ſi omnia mala, morietur. Si autem partim bona, partim mala, dubius erit morbus. In *primo* & *ſecundo* caſu Medicus fere ſemper vera prædicit, quia ut plurimum contingit ſanari cum ſignis bonis, & mori cum malis. At in *tertio* dubius eſt eventus, ideo in omnibus his incerta ſunt prædictiones ut plurimum, in primo autem & ſecundo caſu raro incertæ.

Notandum 2. Quod morbi quidam dicantur *boni moris*, alii *mali moris*. *Boni moris* eſt ille, qui ſervat ſua ſigna exquiſita. Exemplo ſit *Cauſus*, ſitim, vigilias, calorem ardentem ſervans, *Benignus* dicitur. At *Cauſus* ſine ſiti, vel cum ſomno, *Malignus* dicitur: In *benigno* raro contingit errare apparentibus ſignis optimis vel peſſimis, in *maligno* autem contingit errare ut plurimum quia inconſtans: Ideo bene dicit *Hippocrates* 3. Aph. 8. *In inconſtantibus temporibus inconſtanses morbos fieri, & dubii, & mali judicii.*

Notandum 3. Quod in omni morbo acuto prædictio fieri poſſit vel in principio, vel in augmento, vel in ſtatu ipſius morbi. in principio ut plurimum incertæ ſunt prædictiones, ita etiam in augmento. Ideo *Hippocrates* præcepit, non eſſe prædicendum, donec ſtatum acceperit morbus, eo enim tempore coctiones accidunt, & quidquid natura poteſt, oſtenditur.

Notandum 4. Quod abs re non ſit facilius in acutis diem & horam, quam in longis & chronicis prædicere poſſe Medicum, in his enim ſæpiſſime errant Medici, dum v. g. Hydropico vel Phtiſico diem vel horam mortis prædicere ſatagunt, in cujus ſeptimana, imo menſe prædicendo ſæpiſſime hallucinantur: Attamen, cum ut mox dicemus inſta-

inſtabiles ſint acuti, etiam in his incertæ ſunt prædictiones. Unde, ut verbo dicamus omnia, nullibi magis cautus & providus eſſe debet Medicus, quam in prognoſi acutorum.

Notandum 5. Quamvis meminerit *Hippocrates, ſalutis* duntaxat *& mortis*, ſub his nihilominus, aliæ in morbis mutationes comprehenduntur, ut proinde non modo cauti ſimus, in præſagiendo ſalutis aut mortis eventu, verum etiam omnium accidentium & mutationum, quæ in morborum decurſu contingere poſſint. Notavit autem ſpeciatim acutos, quibus ex brevitate & impetu facilior accidit mutatio. at vero chronici cum in longius protrahantur, nec tam ſubitam motionem ſubeunt, nec ſine alicujus viſceris affectu divexent certiora & firmiora ſigna imminentis quandoque interitus proferunt.

Dices: *Hippocrates III. prognoſticor.* dicit: *breves morbos facilius diſcerni, quam longos*, ergo eſt contradictio? ℞. Breves morbi facilius diſcernuntur quoad diem vel horam *concedo*, quoad ſalutem vel mortem *nego*.

Dices II. Apoplexia fortis eſt morbus & acutiſſimus, atqui in ea eſt certa & non incerta prædictio, quod *probatur*, quia ipſemet *Hippocrates* dicit: *Apoplexiam fortem ſolvere* impoſſibile eſt, ergo eſt certa prædictio? ℞. I. *Diſtinguo majorem.* Apoplexia eſt morbus acutiſſimus quoad acceſſionem vel prognoſim *concedo*, quoad cauſam & eſſentiam *nego*. ℞. II. Apoplexiam fortem ſolvere impoſſibile eſt, intelligitur ly *impoſſibile* abſolute, quod nempe apoplexia fortis nunquam ſolvatur, quin non in paralyſim vel hemiplegiam deſinat, unde tali ſenſu bene dicitur, abſolute apoplecticum talem integre ſanitati non reſtitui, quin non fiat vel paralyticus vel hemiplecticus. Ly impoſſibile autem ſi reſpective ſumatur, reſpectu puræ putæ apoplexiæ, illa quidem ſuo modo ſolvitur, ſed majori ex parte in alios ſibi affines morbos degenerat.

Dices III. Morborum chronicorum incertæ ſunt prædictiones, ergo acutorum erunt certæ, contrariorum enim contrariæ ſunt rationes, Imo *Hippocrates* ut diximus *3. prognoſt.* dicit breves morbos facilius diſcerni, quam longos. Item *Hipp. Lib. de natura humana* dicit, Medicum certo prædicere non poſſe ſalutem aut mortem in mor-

bis qui paulatim gignuntur, uti ſunt morbi chronici. ℞. *Hippocrat.* in his locis loqui de prædictione durationis virium, & non de duratione morbi. Ex his autem nulla contrariæ durationis ratio elici poteſt.

Dices 4. Morbus in declinatione ſua etiam dicitur acutus & tamen ejus tunc certa datur prædictio, nullus enim in declinatione moritur, teſte *Gal 3 de Criſibus cap 5*, qui dicit. nullum eſſe mortis periculum ſtatu morbi elapſo, id eſt in declinatione, quia materia eſt cocta & natura victrix, ergo datur certa prædictio. ℞. I. In declinatione morbi acuti eo ipſo quod declinet; non dici propriè amplius acutum cæteris conſentientibus ℞. II Licet morbus in declinatione ſit, non tamen certa prædictio, quia facile æger pati poteſt recidivam, vel portio materiæ reſiduæ poteſt regredi & transferri ad partem nobilem, & ſic inferre inſperatum periculum, vel alia accidentia vehementer naturam dejicientia accedant. ℞. III. Nullus in declinatione moritur ſi vere & abſolute declinet *concedo*, ſi vero recidivet, aut in partem nobilem regrediatur, *nego* ℞. IV. Ergo eſt certa prædictio, quoad declinationem morbi *concedo*, quoad cauſam & errorem naturæ vel Medici ſupervenientem eſt certa prædictio *nego*. ℞. V. Ægros mori in declinatione particulari v. g. ſtatus, non autem in declinatione univerſali.

Dices 5. *Hippoc. Lib I. prognoſt.* ait In febribus idem eſt terminus ſalutis & mortis, ergo certa eſt prædictio. ℞. In febribus idem eſt terminus, id eſt, iidem ſunt dies indicatorii, dum per criſim terminantur *concedo*, ergo terminus ultimus certus eſt, *nego*. Aliud enim eſt prædicere de criſi, quæ eſt tendentia ad ſalutem vel mortem, aliud eſt prædicere de ipſa ſalute vel morte.

Quæres, quid hic intelligat *Hippocrates* per morbos acutos? ℞. Intelligere ut ſupra diximus eos morbos, qui cum celeritate & vehementia moventur & terminantur, idque fit vel ob partis nobilitatem vel materiæ potens vitium.

Aphoriſmus XX.

Quibus per Juventutem, alvi ſunt humidæ, in ſeneſcentibus exſiccantur: Quibus vero in juventute alvi ſunt ſiccæ, in ſeneſcentibus humectantur.

Nota:

Nota: Similis ſi non prorſus idem eſt aphoriſ. hujus Sect. 53. qui ſic ſonat *Quicunque alvos humidas habent, ſi quidem Iuvenes fuerint, melius degunt his qui ſiccas habent, at in ſenectute deterius degunt, nam ſeneſcentibus ut plurimum ſiccantur.*

Contentum ſeu Intentio.
De Diverſitate alvi excretorum ratione ætatis.

Connexio: Præſens *Aphoriſmus* non tam bene connectitur cum præcedente, quam cum decimo octavo, in quo docuit alimenta celeriter nutrientia, etiam celeriter excerni. In hoc autem oſtendit, quomodo dejectiones fiant & mutentur in ætatibus, dicit enim eos, qui in Juventute ſunt laxi, in ſenectute fiunt ſtiptici & è contra, & hoc *divus ſenex* habet à diuturna obſervatione & experientia potius quam rationibus, prout Interpretes faciunt, de quibus mox dicemus. oſtendit præterea *Hippocrates* non loqui hic de *morboſa*, ſed de *naturali* alvi ſiccitate, & humectatione, dividitur hic Aphoriſmus in duas partes, in prima, primam facit concluſionem, in altera parte alteram illi contrariam Idque breviter & philoſophice probat. Cauſæ contrariæ, effectus pariunt contrarios, ſic etiam conſtitutiones contrariæ, contrarios habent effectus: ſed cauſæ dejectionis in Juvene & ſene ſunt contrariæ, ſicque conſtitutio Juvenilis eſt contraria ſenili, ergo etiam contrarios habebit effectus, & per conſequens alvus in Juventute humida, ſicca fiet in ſenectute & è contra,

Hippocrates in hoc aphoriſmo non eſt locutus de *pueris*, quam potius de *juvenibus*, ratio eſt, quia pueri plerumque ſunt alvi humiditis, ob totius & præcipue capitis majorem humiditatem *Iuvenes* autem non ita ſunt humidi, ſed ſicciores fiunt, ob majorem caloris activitatem, & cum in ſenectute non tantus adſit calor, ſed potius ſtatus contrarius, hinc etiam fit ut contrarii generentur effectus. Quod autem alvus quæ in juventute fuit humida, in ſenectute ſiccetur, cauſa eſt, quia humiditas per tot juventutis excretiones tollitur: E contra in alvo juvenum adſtricta paulatim humiditas colligitur, quæ in ſenectute operari incipit: Quamvis quidem hæc res difficilis explicatu videatur, ſi tamen ea quæ ad ciborum confectionem, diſtributionem & excrementorum alvi ſecretionem alibi diximus, hic memoriam

tiam revocentur, cauſæ ejusmodi permutationis in ætatum varietate rationabilius quæri poterunt.

Evidens enim, & in Praxi quaſi res patula eſt; quod ſtatum corporis, tum quoad alia, tum potiſſimum quoad excretiones mutet ætas, & hinc excrementorum frequens vel tardior ſecundum naturam (de morboſa enim non loquimur) dejectio, à tempore ſeu Criſi diverſa corporis partium atque ciborum aſſumptorum proportione contingit. Ciborum enim diſſolutionem, atque utilium ab inutilibus partibus ſecretionem promovent potiſſimum confluentes ſucculi, è pancreate per *VVurſungii* ductum, & cyſti fellea per cholydochum in inteſtina. Debent autem hi ita eſſe à natura comparati, ut alter alterum nec mole, nec conditione prævaleat aut exſuperet. Si vero felleus humor fortaſſe præcellat & acrior atque tenuior ſit, alvus lubricior redditur, at contra adſtrictior fit, ſi præpolleat e pancreate deductus. Quandoque etiam ſeroſus humor, qui e potu & cibis humidis derivat, totus fere in inteſtina delabitur, & cum fœcibus commiſcetur ad alvi lubricitatem, aliquando vero majori ex parte ad renes percolatur & ad veſicam, unde urina copioſior fit, alvus vero ſiccior evadit; quamobrem in urinæ profluviis ventrem conſtipari, & fœces duriſſimas excerni. Hinc dicebat *Hippocrates: multa urinæ profuſio, paucam ſignificat dejectionem.* Hinc viſcera calidiora humiditates ſuſpendunt & attrahunt, non ſecus, ac in magno calore aeris humiditates è terra in altum ſublimantur. Viſcera vero è contra diſcraſiata, obſtructa aut debilitata, magis cadere & delabi ſinunt, quia vim non habent humores ſublimandi, ſed eos potius reddunt ponderoſiores, ſunt etiam faciſius decidunt, niſi accedat magna ſiccitas, aut ariditas, quæ etiam in ſenibus expulſionem poteſt impedire. Non tamen negamus etiam viſcera calidiora, multum attrahentia & humiditates cumulantia ſucceſſu temporis ſicciora reddi, ſimulque ſtomachus hebetatus & acido infarctus, multum appetit & parum digerit, exinde multas cumulat humiditates, alvi laxioris cauſas: quia error primæ digeſtionis non corrigitur in altera, multo minus in tertia.

Bilis itidem ad alvi laxationem non parum facit, velut clyſter ſeu ſtimulus naturalis. Patet etiam mutationes in ætatibus, ac viciſſitudines non ſemper ad amuſſim inter ſe contingere, ob errores in diæta commiſſos, quæ contenta & excernenda variare poſſunt.

Pro

Pro hujus noſtri *aphoriſmi* veritate, debet ſupponi (ut plerique ſentiunt (à nobis idem homo, non diverſi, idem cibus, eodemque modo paratus, & denique æqualitas in rebus cæteris non naturalibus. Et juxta illos ſolum debet eſſe differentia in ætatibus, ſed de hoc paulo poſt infra explicatius loquemur.

Atque ut rem totam paucis reddamus clariorem, breviter *notandum* eſt, quod humiditas ſeu lubricitas alvi in Juvenibus ex duplici potiſſimum cauſa fiat: *Primo* ex nimia fervidioris, acris, & volatilis bilis (*bilis enim director omnium operationum* à multis dicitur) in duodenum effuſione, quam natura (ut diximus) veluti clyſtere acri irritata, cum chylo nutribili, copioſa lympha ſalivali, & ſucco pancreatico ſalſiori & fluxiliori permixtam ad inteſtina craſſiora amandat, mox per alvum excernendam, ſunt autem hæc excrementa ſoluto liquidiora, cum defectu competentis, in inteſtinis tenuibus moræ, humiditas illa nutribilis per venas lacteas ſufficienter non fuerit ſeparata, Contrarium autem fit, ſi bilis prænominata parcior, auſterior, & effœta, atque ſuccus pancreaticus acidior & conſiſtentior fuerit: Hinc quoties felleus humor auſteritate alvum in juventute conſtipat, ſuccedente ſenectute aquoſior redditus, eandem relaxat; id ipſum parcitate & copia evenit, quibus nimirum diverſimode afficitur ac permutatur confluens alter ſuccus pancreaticus, ut proinde egeſtiones excrementorum in inteſtinis varient, pro eorundem ſuccorum varia affectione & permutatione. Multum etiam (ut mox diximus) in hanc rem valet habitudo lactearum venarum, an non partes chyli puriores admittant vel reſpuant, inde enim non raro accidit, fœces diminui & obdurari vel contra multiplicari & humeſcere, quod etiam ex urina parciori aut abundantiori jam ſupra ex *Hippocrate* notatum eſt.

Secunda cauſa eſt nimia ingluvies, juvenes enim appetitui indulgentes, plus commedunt, quam corpus ab incremento jam deſiſtens requirat, natura enim non niſi neceſſarium attrahit. Utraque hæc ratio in ſenio ceſſat, nam parum appetunt, & corpus plurima reſtauratione indiget, bilis enim una cum calore viſcerum, in quantitate & qualitate plurimum decreſcit.

Contrario modo: ſi *juvenibus alvus eſt ſicca*, hoc fit ex dictis mox cauſis & rationibus, vel ex calida & ſicca viſcerum inferioris ventris intempe-

intemperie & dyſcraſia: vel ex multiplicato per inſenſibilem tranſpirationem effluvio, cui ſerum eſt vehiculum, vel acrioris bilis prædominio, quæ ſua indoroſa amaritie, fermentum ſtomachi pervertendo, appetentiam ciborum dejicit, hinc pauca illa aſſumptorum quantitas a canina venoſi generis fame ulterius exhauſta, excrementis alvinis, paucam, eamque exſuccam ſubminiſtrat materiam. Omnes hæ rationes ceſſant in *ſenio*. I. Intemperies præfervida detepeſcat. II Inſenſibile effluvium propter reſolutionem caloris evaporantis diminuitur: III Bile paulatim deficiente appetitus novas reaſſumit vires: an ſimilem ſenem loquitur Poeta

Dum Petre caneſcis, guſtum juveneſcere mirum eſt!
Tempore fis edens, tempore rurſus edens.

Quod autem mutationes ejusmodi, ætatum varietate contingant plane liquet, cum & coctiones, nutricationes, & ſecretiones, pro ætatum diverſitate, diverſimode habeantur. quo etiam fit ut ſæpe numero qui in juventute graciles fuerant, in ætate conſiſtente & ſenili pingueſcant, quique Juvenes obeſo erant corpore, procedente ætate graciteſcant, atqui obeſorum alvi plerumque laxiores eſſe ſolent.

Pro coronide tandem advertere oportebit, quod etiam notavit *Galenus* hoc loco, hunc *aphoriſmum* non ſimpliciter & abſolute eſſe intelligendum, ſed majori ex parte collatis invicem ætatibus ut deducetur ex *aphoriſmo 53.* hujus *libri*, ubi non niſi comparate eandem fere ſententiam conceſſit. Sed & eadem victus ratione ſervata, ſub eodem cœli ſtatu & cum iisdem exercitiis, nullaque interea per ætates ægritudine ſuborta, quæ viſcerum fermenta immutaverit, ejusmodi permutationes alterne contingent: prout fuſe hac de re diſcurrit *Galenus* in hunc aphoriſmum. Firmum proinde manet, non tantum de ætate, ſed & Regione, exercitiis, uſu medicamentorum, atque contracta aliqua viſcerum naturalium ægritudine (prout de affectione Hypochondriaca experimur) aphoriſmum intelligendum eſſe.

Dices: Multi ſunt & fuerunt, qui tota ſua vita conſtipati fuerunt, ergo falſus eſt aphoriſmus. ℞. I. Rabi Moyſen & Hugonem Senenſem hunc aphoriſmum plane negare, ſed ℞. II. Hoc fieri per accidens, id eſt, vel ob mutationem Regionis, victus, & ob temperamenti bonitatem, ſunt enim multi ſenes, qui mentiuntur Juvenes.

Dices II.

Dices II. *Galenus I. Aphoriſ. 15.* dicit copioſa per hyemem eſſe excrementa ℞. Quia in hyeme etiam plus cibi aſſumimus. ***Secundo Galenus*** loquitur de hyeme humidiore, non ſicciore.

Aphoriſmus XXI.

Famem vini potio (id eſt Thorexis) ſolvit.

Contentum ſeu Intentio.

De remediis famis morboſa.

C*onnexio*: Cum multa de convaleſcentium refectione ſupra dixiſſet Hippocrates, ſæpiusque autem contingat, non proficere corpora, ob nimiam alimentorum aſſumptionem: In hoc ergo Aphoriſmo docet, quomodo ſit reprimendus appetitus, nempe vini potu, quod etiam docuit aphoriſmo decimo ſexto, alia ratione, & modo, imperando nempe quietem, dixit enim, *ubi fames laborandum non eſt.*

Hujus aphoriſmi brevitas diviſionem nullam patitur. Omnes plerumque Authores putant in hoc aphoriſmo tantum præternaturalem famem intelligendam eſſe, quæ eſt ſymptoma quoddam præter naturam ſeu affectus, qualis eſt Pica Bulimos &c. qua potiſſimum utero gerentes inſecta & extranea appetentes afficiuntur, quam Plinius malaciam gravidarum appellat. Sed noſtro Judicio etiam verificari poteſt *de fame* naturali & ſanorum, quæ multipliciter contingit, vel ob inſuetam inanitionem, id eſt alvi profluvium, fluxum ſanguinis &c. *& mediocris eſt.* Vel convaleſcentium, & vehementior eſt, vel ob nimiam corporis (per nimia exercitia, mediam) conſumptionem, & *Urgens eſt.*

Omnis vero fames præter naturam in exceſſu conſiſtit: Eſtque duplex: Canina, per quam homo nunquam expletur, ſed quantumvis edat, ad vomitum redit, ſicut canis. Alia autem dicitur, per quam homo in principio quidem, vehementer appetit, ſed paulo poſt deficiente Cibo deficit & linquitur animo, oritur ab ingenti ventriculi frigore, in iis, qui per nives, & glacies plus minus, nimium Jejuni iter faciunt, rapitur enim, & concentratur calor

lor ad cor, non habens unde paſcatur; vel humor acris ad ventriculum attractus, conſenſu cor afficit, unde ſyncope oritur.

Intelligitur igitur aphoriſmus tam de præternaturali quam etiam naturali fame, ſiquidem videmus bibulos minus eſſe edaces, idque maxime probatur, quia vinum famis cauſam oppugnat, famis autem cujusque cauſa eſt inanitio, & corrugatio oris ventriculi.

Fames ergo quæcunque optime curatur ſaturantibus; ſaturant autem ſpiritus, & corpus inanitum reſtaurant non ſolum alimenta & imprimis panis, ſed etiam ocyus potulenta & præcipue vinum generoſum per ſe, vel cum pane ſumptum. Saturant quoque acidum eſurinum, quod famem excitat, alcalia, inter quæ etiam vina generoſa cenſentur: hæc enim præ aliis reficiunt ſpiritus, prompte nutriunt, & poros ſubſidentes blande reſerant, maxime ea vina, quæ ſulphure magis pollent, eo magis etiam ſaturant.

Cum ergo ſolum vinum inter omnia creata, hanc prærogativam habeat, ut ſit *alimentum*, *Potus*, *& Medicamentum*, ut *alimentum* nutrit, ſignificat, & partes ſuggerit alendo corpori idoneas: ut *Potus* extinguit ſitim: ut *Medicamentum* calefacit, exſiccat, ſpiritus reſtaurat, & tenuitate ſua naturæ amiciſſima, intima corporis noſtri penetrantia quoquo verſum pervadit, & hinc vehiculum medicamentorum convenientiſſimum audit. ſi autem alicui nocere debeat, hoc fit, vel exceſſive potum, vel minus deſæcatum, vel nimis aduſtum, quod calefacit & exſiccat nimium, vel ſaltem fumoſo ſuo ſpiritu caput ferit, quæ tamen omnia incommoda facile admixta aquæ portione præcaventur, juxta illud:

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci
Jam dulci miſcere mero licet utile flumen.

Notandum, quod vinorum aliud eſt *generoſum*, aliud *mediocre*, aliud *debile*: Rurſum in *ſapore* aliud *dulce*, aliud *auſterum* aliud *medium*. Et demum aliud *fragans* & *odoratum* aliud minus *odoratum*. Vinum itaque hic intelligit Hippocrates, calidum odoratum: quale eſt vinum Græcum, malvaticum vel ſimile generoſum. Hoc enim tollit tam naturalem famem, quam præternaturalem. Sed

Notandum II. in Naturali fame dandum cum cibo, & poſtillum,

cum

cũm pãne & oſſa intinctum, ac vacua vaſa reperiens caput offendat. In ſame vero præter naturali, & ante & poſt cibum exhibendum, nam fames canina eo curatur, præſertim ſi in vino infundantur aut decoquantur ſalvia, meliſſa abrotanum, vel in illo dari poſſunt 4. vel 5. guttæ olei aniſi, quod omnem famem mirabiliter ſedat.

Notandum III. Vinum non tantum reficit intro ſumptum, ſed etiam odoratum, præcipue quando animi deliquia ſunt conjuncta famæ, vel potius famem præcedant, odores enim vini protinus penetrant & reficiunt.

Notandum IV. Hippocratem non tantum intelligere hic ſimplicem & parcam vini potionem, quia *Thorexis* venit à verbo Græco θώρω quod ſignificat *furere* adeoque vini potio debet eſſe generoſa & ex vino generoſo, ut lætificet & reſtauret juxta illud Vinum lætificat cor hominis, & Vinum eſt lac ſenum & infirmorum.

Dices Galenus in *Comment.* tantum loquitur de fame canina, ergo non naturali. ℞. Curative Concedo, prophylactice etiam & tacite loquitur de naturali, quia vinum replendo tollit inanitionem, quæ etiam in fame naturali eſt.

Dices 2. Vinum non poteſt ſedare famem, hæc ſiquidem eſt appetitus calidi & ſicci, vinum autem frigidum & humidum. ℞. Vinum actu eſt frigidum & humidum Concedo, potentia Nego, quia eſt calidum & ſiccum. Neque etiam vinum præciſe datur ob appetitum calidi & ſicci, nec etiam præciſe, quia calidum & ſiccum eſt vinum, ſed propter inanitionem, quam curat.

Dices 3. Fames quandoque à bile excitatur, atqui hanc vinum non tollit, ſed auget. ℞. I. Non facile legitur à bile famem excitatam eſſe. ℞. II. Poſito etiam famem à bile excitari, eam tamen facile tollet vinum, illam abſtergendo & per urinas evacuando.

Dices 4. Si per Thorexim intelligat Hippocrates furorem, ergo ſine furore non ſedabitur fames. ℞. Non intelligi hic furorem intenſum, ſed alacritatem, velut Germani loquuntur ein Spitzl, ſi enim nimium excedatur, haud dubie non modo fames non tollatur, ſed etiam ſpaſmus, tremor, phtiſis, apoplexia, &c. cauſari poſſet.

T Quæres

Quæres cur Hippocrates 3. *Aphorismo* pueris uſque ad decimum quartum annum vinum prohibeat. R. Quia vini potus thoracem parit velut furorem caputque puerorum debile ſummopere impedit, & Epileſiam, & ſtupiditatem inducit, & calculum procreat. Imo vinum etiam nutricibus, ob rationes dictas, inhibendum eſt.

Quæres 2. Cur adeo abſurda v. g. in gravidis & chloroſi laborantibus non noceant? R. Ideo non nocere, quia ſunt remedia cauſarum morbificarum intus latentium, ſic v. g. bolus, armena, creta, calx corrigit pituitam acidam & aquoſam.

Aphoriſmus XXII.

Morbos, qui ex repletione fiunt, curat Evacuatio, eos vero qui ex Evacuatione repletio, & in cæteris contrarietas remedio eſt.

Contentum ſeu Intentio.

De Methodo medendi per contraria.

Connexio. Cum in præcedenti Aphoriſmo de famis remedio tractaſſet, nempe de vini potione: In hoc aphoriſmo cauſam reddit, cur vinum famem tollat, quia illi contrarium eſt: cum palam conſtet contraria contrariis curari: Ergo infert, ſi contraria contrariis curantur, Judicioſe infertur, repletio curatur Evacuatione, & Evacuatio ſeu Inanitio repletione. Ex quo quisque (contra quosdam vulgo ſentientes) certo, & propemodum evidenter infert, dari morbos ex inanitione, & non omnes fieri à repletione.

Hic aphoriſmus duas habet partes In prima parte cauſam ſui propoſiti & intentionis dicus ſenex affert. In ſecunda parte ejusdem concluſionem nempe *contraria contrariis curari.* Omnis enim morbo-

morborum curatio debita tum reſpectu morbi tum cauſæ fit per contraria. Morbi etenim per appoſitionem ſimilium, & detractionem contrariorum curantur. Nam juxta Hippocratem Medicina ſeu Ars Medica eſt adjectio deficientium & detractio redundantium Hoc ipſum clariſſime dilucidavit divus ſenex aphoriſmo decimo ſeptimo, dicens, ubi cibus, pluſquam ratio poſtulat, aſſumptus eſt, ſanatio fit ſtomacho evacuato aut vomitu aut dejectione: Et è contra in præcedente Aphoriſmo aſſeritur Fames repletione tollitur: Ergo rurſum infertur *contraria contrariis curantur.*

Hic Aphoriſmus eſt Columna & fundamentum totius medicinæ practicæ emanans ex doctrina *Hippocratis de flatibus*, ubi dicit contraria contrariis curantur Status enim naturalis ideo conſervatur per ſimilia, quia natura & ſanitas conſiſtunt in temperamento unde amant ſibi ſimilia id eſt temperata: E contra ſtatus morboſus per contraria curandus eſt, cum ſit receſſus à temperamento, quod non niſi per ſuum contrarium ad temperiem reduci poteſt, vel enim præternaturalis illa & morbifica humorum diſpoſitio conſiſtit in *ſubſtantia, quantitate*, & *qualitate*, omnia hæc contrarium ſuum expoſtulant Et licet quidem ut Philoſophi docent, ſubſtantiæ nihil ſit contrarium, medice tamen loquendo, ſubſtantia peccans remedia tota ſubſtantia contraria expoſtulat v g venena, Alexipharmacum, quantitas autem evacuationem teſte Hippoc ſupra Aphor. 17. *Ubi alimentum præter naturam plus ingeſtum eſt, hoc morbum facit, oſtendit autem ſanatio*, id eſt quod hujus plenitudinis ſanatio per Evacuantia fieri debeat. Quantitas diminuta repletionem, prout textus citati Aphoriſmi docet, dicitur *repletionem*, non autem quamcunque aut ſubitam, ſed mediocrem ac paulatim promotam.

Si ſit qualitas, vel peccat hoc vel illo modo, omnia ſuo curantur contrario, calidum frigido, humidum ſicco, amarum acido, acidum alcalico, craſſum tenui, viſcoſum abſtergente, ſpecificum contrario ſpecifico.

Siquidem omne remedium contrarium ſit noſtro malo ut illud expellat neceſſe eſt, ſive id actu, ſive potentia mediate vel

immediate, per ſe vel per accidens fiat, ſicuti vomitus vomitum, fluxus fluxum curat, modo habeat vim contrarium terminum & effectum inducendi, auferendo cauſam; Sive jam illa contrarietas lato modo contrarietas dicatur, ſive magis proprie *oppoſitio* dicatur, quæ quocunque modo ſuo contrario ſe opponit, ut jam diximus non tantum de calido & frigido, ſed etiam de amaro & acido &c. Omnis enim ſtatus onerosus evacuari & depleri deſiderat, ſive ab extrinſeca ſive ab intrinſeca cauſa proveniat, ita tamen ut pro humoris diverſi ſtatu diverſa præſidia depletiva, in ejus vero defectu completiva adhibeantur.

Quid autem plenitudo ſeu repletio ſit, & quot ſint illius genera, abunde diximus ſupra Aphoriſmo decimo ſeptimo. Hoc interim certum eſt plenitudinem præſertim eam, quæ ex ſatietate & ciborum ingluviæ ſit, de qua genuine hic aphoriſmus intelligendus eſt, frequentiſſimam & maxime familiarem morborum cauſam eſſe. Plus enim ventri & Ebrietati indulgemus, quam temperantiæ.

Notandum autem eſt primo. Per evacuationem non tantum intelligi venæ ſectionem & purgationem ſed etiam vomitum, ſudores, inſenſibilem tranſpirationem, Errhina, maſticatoria &c.

Notandum II. Per repletionem intelligi eam quæ fit ad vaſa & ad vires, de qua jam ſupra egimus, & ex inſtitutionibus res patula eſt.

Dices 1. Conſervatio corporis ſani non poteſt fieri ſine additione & demptione, ergo nec contrariis, quod tamen eſt contra rationem. ℞. Breviter corpus ſanum, cum non patiatur affectus ſenſibiles non cadere ſub Medici curam, alias enim homo eſſet perpetuo patiens, ergo nec etiam eger contrariis. Et licet homo ſanus addat cibos & demat excrementa, illa additio & demptio poteſt fieri ſine Medici auxilio ſeu ab ipſa natura.

Dices 2. Similia ſimilibus curantur, ſcorpio v. g. mordens appoſitus parti medetur proprio veneno, viperæ morſu medetur ejus pulvis intro ſumptus; Pili canis rabidi morſui applicati ſunt contra rabiem & hydrophobiam &c. Nec hanc curam fieri per ſimilia ſed per

contra-

contraria potuit enim forma animalis producere venena, formæ mixti vero Alexipharmaca, quæ à proprietate juvant. Neve dicas ſcorpionem (idem de aliis) venenum attrahere per ſimilitudinem. Nam hoc falſum eſſe experientia docet, quia ſcorpio mortuus venenatus amplius non eſt, ut rurſum patet experientia, quod oleum ſcorpionum ſimplex & compoſitum Mathioli (quod revera alterum eſt aurum potabile) innoxie imo ſummo cum fructu, tam intra quam extra adhibeatur.

Nota hic obiter, quod ſimilitudo in eo potiſſimum conſiſtere videatur, quod per medicamenta natura tanquam primaria morborum medicatrix, adjuta ac vigorata morbificam cauſam efficacius adoriatur & deprimat: quidquid enim cauſam morbi corrigit, removet aut depellit, ipſis contrariari dicitur, ſive cæteroquin ſimilia vel diſſimilia, conſentanea, vel diſſentanea reipſa ſint, qualitate, conditione, natura.

Dices 3. Aqua frigida effuſa curat Paralyſin morbum frigidum: Rhabarbarum calidum & ſiccum, curat febrem calidam & ſiccam, ergo ſimilia ſimilibus, & non contraria contrariis curantur. ℞. I. Primum fieri per accidens, quod poros occludendo calorem concentret, cauſæ paralyſeos utpote frigidæ interne contrariatur, virtus enim unita id eſt concentrata fortior. ℞. II Rhabarbarum non curat febrem quia calidum & ſiccum, ſed quia ſuffert ejus cauſam id eſt bilem, unde cauſæ non morbo tantum eſt contrarium.

Dices 4. Calor naturalis curat morbum calidum præterea calor naturalis curat partem inflammatam pus generando, ergo ſimile curat ſimile. ℞. Calorem naturalem calori præternaturali ſaltem quoad effectum eſſe contrarium, prior enim generat, alter corrumpit, prior coquit, alter cruditates generat.

Dices 5. Dolor ſolvit dolorem teſte Hippoc. 7. 2 Ejusdem Cap 4. & dolor major obſcurat minorem ergo ſimilia ſimilibus & non contrariis curantur. ℞. Id fieri per accidens v. g. quando aperitur abſceſſus dolor, qui infertur per vulneris inflictionem, ſolvit alium dolorem, quia ſequitur materiæ purulentæ evacuatio.

Goog

cuatio. Deinde dolor major non ſolvit minorem ſed obſcurat, ſicut majus lumen obſcurat minus.

Dices 6. Sanguinis miſſio ſolvit hæmorrhagiam, & tamen ſanguinis miſſio non eſt contraria ſanguinis miſſioni, ergo ſimilia ſimilibus & non contrariis curantur. ℞. Per ſanguinis miſſionem conciliari contrarium motum ſanguini & conſequenter curari adhuc fieri per contrarium nempe revulſionem, quæ fit per contraria.

Dices *ultimo* Vomitus vomitum, fluxus fluxum curat, ergo per ſimilia & non contraria. ℞. Hoc ipſum fieri per contraria, quia cauſam auſſerunt, ergo cauſæ ſunt contraria, licet ſymptomati ſint ſimilia, ſymptoma autem ut ſymptoma nihil evincit.

Nota pro Coronide: Quamvis Hippoc. dixerit morbos ex repletione factos evacuatione ſanari, ſi tamen iſta non perſiſtat, & proxime illos foveat, haud quaquam evacuantibus deſinent. ſic calculus renum & veſicæ ex ciborum ingluvie, atque adeo ex cruditatibus progeniti, itemque tumores, obſtructiones, febres, nequaquam curabuntur ſola ventriculi inanitione, ſed neceſſe erit aliis, aliisque remediis calculum conterere, vias aperire, diaphoreſim, vel diureſim movere, ut curatio abſolvatur. Itaque conferet ſolum inanitio perſiſtente cauſa in ventriculo aut inteſtinorum ductibus, quæ morbum inducat vel foveat, cæterum in aliis evacuationibus potius præcavendo, quam curando conferent.

Aphoriſmus XXIII.

Morbi acuti judicantur intra quatuordecim dies.

Contentum ſeu Intentio.

De termino Acutorum.

Connexio: Poſtquam in antecedenti aphoriſmo egiſſet Hippocrates de curatione morborum à repletione provenientium, nempe per

per inanitionem eſſe perficiendam, cum autem plerumque morbi acuti, qui per criſin judicantur proveniant a repletione, In hoc aphoriſmo agit de termino morborum acutorum, qui plerumque eſt quatuordecim dierum. *Decimus plerumque* quia non opus eſt, ut ipſo decimo quarto die fiat illa judicatio totalis, verum ſufficit ut intra quatuordecim dierum ſpatium fiat, nam quandoque ſeptimo, quandoque undecimo, quandoque ſexto, octavo vel duodecimo judicantur, ſed tamen ſæpe infeliciter.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem non patitur diviſionem ſed unimembris eſt.

In hoc ergo Aphoriſmo divus ſenex quaſi Propheta principium morbi, augmentum, ſtatum, declinationem & finem ſeu terminum revelat. Ratio autem hujus Aphoriſmi eſt, quod tam cito terminentur, quia natura tantos labores diutius perferre non poteſt, adeoque decimi quarti diei terminum raro prætergreditur. Poteſt autem decimus quartus dies numerari non tantum à principio morbi, ſed etiam ab ejuſdem vehementia. Interim experientia conſtat terminum morborum acutorum, ut diximus eſſe plerumque decimum quartum.

Altera ratio, quod tam cito terminentur morbi acuti, eſt, quia pars princeps diu pati non poteſt, & calor in ea plerumque multus, aut vinci aut vincere feſtinat.

Tertia Ratio, quia morbus acutus, eſt morbus magnus, & qui celeriter & ſimul conſociatis vehementioribus ſymptomatibus movetur, præſertim ſi ſit uniformis, qui ſtatim viget & perſeverant in ſuo vigore. Non autem de difformibus & interpolatim, vel per decidentiam ſeu degenerum, qui etiam uſq; ad quadrageſimum perdurare poſſunt, quia non habent continuos labores à principio uſque ad finem.

Quarta Ratio, quia in acutis omnia concurrunt, quæ motum deſpumativum ſanguinis celerem & impetuoſum reddunt. calor movens eſt præternaturalis. Materia mobilis ſumme volatilis tenuis & calida, Ipſe ſanguis acrimonia hoſtili præditus, ſine intermiſſione naturam irritat, nec ferrati ſinit, donec vel ipſa natura (quod ordinarie ſpatio quatuordecim dierum contingere ſolet) longo conflictu delaſſata ſuccumbat, vel ſuperior & victrix hoſtem è corpore humano expellat.

Aliam

Aliam adhuc rationem reddit Poëta dicens:

Cur ſit Acutorum tam curta tragœdia quæris?
 Pallida cur rapidis Parca feratur equis?
In promptu cauſa eſt, dum morbus acumine pungit,
 Per plenam poſtam, currere Parca ſolet.

Dices Anaxion pleoriticus duravit usque ad trigeſimam diem, ergo non fuit Judicatus decima quarta die. quod eſt contra Hippoc 3. *Epid comment.3* ubi dicit pleoriticum intra 14. dies Judicari vel in ſuppurationem tranſire ℞. Anaxionem fuiſſe Judicatum die undecima, quia tunc temporis incœpit exſpuere & conſequenter evidens mutatio facta eſt. Unde ſunt nonnulli docti viri qui ſentiunt illos quatuordecim dies numerandos eſſe a principio exſpuitionis, non morbi. Et cum exſpuitio facta fuerit undecimo, potuit morbus pervenire ad 24. imo etiam ad trigeſimam obſtetricante debilitate virium, materiæ copia & cruditate.

Dices 2. Epilepſia, apoplexia &c. ſunt morbi acuti, qui tamen non judicantur intra 14 dies, ergo falſus eſt Aphor. ℞. Hi morbi ſunt acuti ſecundum acceſſionem particularem, non ſecundum univerſalem. In Apoplexia tamen ſiunt magnæ mutationes intra illos 14. dies, nam vel occidit, vel mutatur in Paralyſin.

Dices 3. *Morborum acutorum incertæ ſunt prædictiones*, ut ſupra diximus Aph. 19. ergo nec certo prædici poterit 14. dies. ℞. Aliud eſt prædicere terminum morbi, aliud termini qualitatem, potuit itaque prædicere terminum, minime prædicta qualitate termini ſcilicet ſalute vel morte.

Quæres, quæ ergo ſit cauſa hujus diei critici & aliorum dierum criticorum? ℞. Montanus & cum eo plures alii referunt ad oppoſitionem lunæ quæ magnas facit in morbis mutationes: Verum hæc ratio à pluribus exploditur, quia ſi cauſam horum ad motus lunæ diverſitatem referamus, profecto reperiemus, quod alios etiam naturæ motus illuc referre debeamus v. g. criſes, Partus variorum animalium v. g canis intra novem ſeptimanas, hominis intra novem menſes. Item Paroxiſmi febriles eo referri deberent &c. De his autem abunde

egimus

egimus in inſtitutionibus, quo lectorem brevitatis cauſa & materiæ ſcitu dignæ ablegamus. Breviter inſinuandæ criſeos & dierum criticorum rationem & genuinum fundamentum eſſe poſitum in proportione morbi & naturæ, remotius ſolum in lunæ decurſu.

Aphoriſmus XXIV.

Septimorum (ſeu ſeptenariorum) quartus inſignis (id eſt, Index eſt) ſequentis (ſeu alterius) ſeptimanæ octavus initium: Notandus quoque eſt undecimus dies, ſiquidem is ſecundæ ſeptimanæ quartus eſt: rurſum quoque decimus ſeptimus obſervandus, is enim à decimo quarto, quartus eſt, & ab undecimo ſeptimus.

Contentum ſeu Intentio.

De Diebus criticis.

C*onnexio*: Cum in antecedenti Aphoriſmo de tempore eventus in acutis morbis tractaſſet & ſtatuiſſet quatuordecim dies: In præſenti modo Aphoriſmo de diebus contemplabilibus egit in iiſdem malis. Hæc materia de diebus decretoriis ab Hippocrate tacta, tantæ difficultatis eſt, qua fere nulla in tota Medicina difficilior, & in qua tot ſe torſerunt ingenia, tum Medica tum aſtronomica. Nam in materiam de criſibus, quæ certo dierum numero contingunt, plurimi & celeberrimi medici & Aſtronomi magnos ſcripſerunt codices. Ipſi quoque Philoſophi, Oratores & Poetæ in naturæ operationibus criticam aliquam mutationem fieri obſervarunt. *Pytagoras ſeptimum numerum vitæ humanæ vehiculum, & complementum*: *Cicero* libro de

ſomnio Scipionis, *omnium rerum nodum appellat*: Cui conſentit Virgilius

Numero DEUS impare gaudet.

Alii *ſeptem* numero *Planetas*, non ſine magno myſterio creatos arbitrantur, utpote quibus *ſeptem metalla* in ſublunari mundo correſpondent. Aurum ſoli, Argentum lunæ, Cuprum Veneri, Plumbum Saturno, ferrum Marti &c. Hippocrates ipſe L. 4. de morbis ſcribit *Natura die pari trahit, expellit in impari*. Et ideo credit naturæ motus magis fieri die impari, quare fit ut morbi, qui per dies pares habent acceſſiones, ſint difficilis judicii, & febres quæ in imparibus non ſolvuntur recidivas faciant.

Nos in hac materia nolumus eſſe prolixi, cum raræ in hac noſtra Patria perfectæ criſes dentur: humores enim hic locorum raro ſunt ita ſinceri, calidi & impetuoſi, ut in Græcia Patria Hippocratis: à potiori ſpurii & ſero copioſo diluti. Accedit & hoc quod moderno noſtro tempore, exquiſita illa victus ratio ab Hippocrate in acutis præſcripta nullatenus obſervetur. Victus noſter tenuiſſimus vix tenuis eſt, ſi ſcripta Hippocratica examinentur quam parce olim veteres vixerint, docet Juvenalis;

Hæc olim noſtri jam luxurioſa ſenatus
Cæna fuit. Curius primo quæ legerat horto,
Ipſe focis brevibus ponebat obuſcula (id eſt dolera) quæ nunc
Squallidus in magna faſtidit compode foſſor.

Sed hodierno ſæculo mutata multum ſcena eſt,

Atque ultra Gangem, ultra Garamantas & Indos
Quæſitis Epulis: Ventres diſtendere mos eſt.

Ipſe Amatus Luſitanus fatetur in Germania criſes rariſſimas, Venetiis & Paduæ raras Anconæ frequentiores, in Affrica autem & aliis climatibus calidioribus frequentiſſimas obſervaſſe.

Criſis ut ſupra diximus eſt ſubita & repentina in morbis facta mutatio, quæ ad ſalutem vel mortem terminatur. Nos proinde ut diximus, nolumus eſſe in hac materia prolixi, nec noſtri fori hic eſt (prout fuit in inſtitutionibus) eam omnino perluſtrare & recalcitrare,

citare, ſed allabotabimus tantum, hunc præſentem Aphoriſmum, pro loci & temporis anguſtia illuſtrare.

Cum ergo ut meminimus noſter Hippocrates in præcedenti Aphoriſmo de termino acutorum egiſſet, in hoc de diebus criticis indicibus, quas diximus cum Hippocrate quartum ſeptimi, undecimum decimi quarti, decimum ſeptimum vigeſimi indices.

Contingit autem criſis ſeu illa mutatio vix non ſemper diebus imparibus, ut patet ex hoc noſtro Aphoriſmo: Ut autem hæc debite intelligantur, conſonum duxi quædam breviter & enucleate ſcitu digna præmittere: Vitæ humanæ juratus & hæreditarius hoſtis eſt morbus: Solet autem noſtrum corpus variis morbis oppugnari. Nunc (cum malignus eſt maxime & ſanguinem ſitit) amicitiam ſimulat, ſed

O Pueri fugite hinc, latet anguis in herba.

Nunc longa quaſi obſidione & fame, in *Phtiſi & hectica* nunc paulatim aquarum inundatione, in *Cachexia & hydrope*. Nunc ſubterraneis cuniculis, nempe in *abſceſſibus & ulceribus internis*: tam inſenſibiliter & clandeſtine corpus noſtrum oppugnat, ut noſtra natura tum demum ſe proſtratam cognoſcat, cum amplius ſurgere & debitam defenſionem ſuſcipere nequit: unde in his morbis vel nullæ vel rariſſimæ fiunt criſes.

Ubi vero, quod frequentiſſimum eſt, morbus aperto certamine naturam provocat (quæ lucta vulgo *febris* dicitur) tunc certaminis hujus finis & victoria, criſis appellatur, quæ cum potiſſimum in ſeptimo (ſeu in cujusvis ſeptimanæ ultimo) fiat, hinc pro meliori noſtri citati Aphoriſmi intelligentia dies in morbis acutis in *quatuor* claſſes dividendi ſunt. I. Sunt dies critici. II. *Indices*. III. *Intercidentes* ſeu *provocatorii*. IV. *Vacui ſeu Medici*. *Critici* proprie tantum ſunt ultimi cujusvis ſeptimanæ id eſt *ſeptimus*, *decimus quartus & vigeſimus*; Omnia ergo illa, quæ prædictis diebus contingunt, ſive bona ſive mala, maximam vim habent & Medico practico accurate obſervanda ſunt.

Dies: Indices ſeu *Contemplativi* ſunt itidem *tres* quartus Index ſeptimi;

ſeptimi, undecimus decimi quarti, decimus ſeptimus vigeſimus. *Dies Intercidentes* ſeu *Provocatorii* ſunt, in quibus natura, quantitate, qualitate, vel malignitate laceſſita ante coctionem materiæ excretionem molitur. Prima ſeptimana duos habet *tertium* & *quintum*. Secunda ſeptimana itidem duos *nonum & decimum tertium*. Tertia ſeptimana tantum unum id eſt decimum nonum. *Vacui* denique ſeu *Medici* illi ſunt in quibus neque decretione neque irritative operatur, & ſi quæ mutationes in illis fiant a puro morbo victore & natura ſuperata contingunt.

In prima ſeptimana eſt ſextus à Galeno Tyrannus appellatus In ſecunda ſeptimana *decimus & duodecimus*. In tertia ſeptimana *decimus ſextus & decimus octavus*.

Tanta fuit *numeri ſeptimi* omni ſæculo (neſcio an ſuperſtitioſe vel rationabiliter) authoritas ut (tacendo de aliis Profeſſionibus) ipſi medici in hoc numero ſemper aliquid ominoſum & occultum ſuſpicarentur, inde maſſam pilularum vix non ſemper in *ſeptem* vel impares ſaltem globulos repartiendam & exhibendam præſcribant. Ætates ſeptimis potiſſimum annis mutari, & annos clymactericos evenire potiſſimum ſtatuant.

Sit autem, quidquid ſit, non ſumus ſoliciti cum aliquibus otioſis ingeniis, hujus arcani fundamentalem cauſam afferre, qui ſuper hac re longos, ſed inutiles ſcripſerunt tractatus, hoc enim eſſet *Pulicem aurea catena circumducere*. Sufficit nobis dicere cum doctiſſimo *Montano præter principia naturalia etiam numeros ſeptenarios aſſumpſerunt Medici, non quod vim aliquam habeant numeri, ſed propter aliam cauſam occultam*, nam Galenus in hujus cauſæ inveſtigatione *nec ſibi nec aliis ſatisfacit, ſed quidquid ſit de cauſa, experimento certo conſtat rem ita ſe habere*: Hæc Montanus. Nos breviter reperimus, quæ in priori Aphoriſmo ad finem diximus criſeos & dierum criticorum rationem & fundamentum genuinum habemus in proportione, morbi & naturæ remotius ſolum in lunæ decurſu. qui ergo meliora ſapit, nos eruditiones amantes erudiat. Hic interim notan-

notandum quod numerus dierum diverſa ratione fiat: aliquando enim numeramus ab ea hora, in qua ſenſibiliter homo male valet: aliquando ab illa hora, in qua morbus maxime viget; aliquando vero ab aliquo accidente, à quo morbus pendet, ut in *abortu* & *partu*, ſi ſuccedat aliquis acutus morbus.

Cum igitur tria iſta principia concurrunt, nullus contingit error in ratione numerandi, at ſi non concurrant, poteſt numerari unus dies pro alio & ſic dies ſeptimus videbitur ſextus aut octavus.

Contingit etiam error ob Idiotas ægros, qui primam diem morbi non recte accipiunt. ſi enim quis ægrotavit, prima v.g. die menſis ad veſperam, numerant illam diem unam, cum tamen una dies ſit accipienda, viginti quatuor horarum ab ea hora, in qua cecidit homo: Et ex hoc contingere poteſt, ut dies ſeptima videatur octava. quæ omnia a Medico bene ſunt conſideranda.

Sunt quidem nonnulli, qui pro *Indicibus* volunt accipere *contemplabiles*, & hinc etiam latius hoc nomen extendunt, ponuntque etiam ſeptimum, decimum quartum & vigeſimum tanquam dies maxime contemplabiles, qui tamen ratione ſunt contemplabiles, quam ratione alterius.

Et quamvis hic Aphoriſmus à quibusdam *Incompoſitus* dicatur, nos tamen putamus in hoc non tantum dies *Indices* patefieri, ſed etiam principia & fines *ſeptimanarum* indicari. Innuit enim Hippocrates *diem octavum* eſſe principium ſecundæ ſeptimanæ, ergo decimus quartus erit finis. Deinde dicit *decimum ſeptimum* eſſe quartum tertiæ ſeptimanæ, cujus finis eſt vigeſimus.

Unde autem hoc fiat, nunc inquirendum eſt apertius. Mutationes in morbis fieri ſingulis lunæ quadris, olim & hodie apud pleroſque in confeſſo eſt: Cum autem unus lunæ quadrans, non integros ſeptem dies in ſe contineat, ſed tantum ſex dies & ſedecim horas, cum una tertia horæ parte, hinc quatuor *quadra* habent

Viginti ſex dies, viginti & unam horam cum tertia circiter parte horæ.

Prima igitur *ſeptimana* diſtinguitur à *ſecunda* quia primus dies ſecundæ ſeptimanæ non incipit à *ſeptimo* ſed ab *octavo*, ut enim inciperet à ſeptimo, deberet ſecunda ſeptimana, *dimidium* vel *plus dies ſeptimæ* participare, quod non eſt, nec eſſe poteſt, ſunt enim tantum ſex horæ cum dimidia, ergo non habet ſex dies.

Secunda ſeptimana die *decimo quarto* finitur circa horam decimam tertiam cum tertia horæ parte, hinc eſt, quod *tertia ſeptimana* eodem die incipiat, non die decimo quinto, & finiatur uti dictum eſt die *vigeſimo* cum dictis quatuor horis mutuatis à vigeſima prima Hinc factum eſt quod multi *vigeſimam primam* criticam putarint: Inde eſt, quod *quarta ſeptimana* inchoetur à *vigeſimo primo* & abſolvatur vigeſimo ſeptimo, hora vigeſima prima cum una tertia, quia unusquisque lunæ quadrans habet ſex dies, ſedecim horas & unam tertiam.

Quinta ſeptimana inchoatur à vigeſimo octavo & finitur trigeſimo quarto, cujus tantum quatuordecim horas vendicat, hinc ab eodem die ſextæ quadræ relinquuntur decem horæ cum una tertia, atque adeo ſexta hæc quadra finitur quadrageſimo die hora ſeptima; Propterea hæ mutationes, quæ tunc temporis fiunt quadrageſimæ potius quam quadrageſimæ primæ adſcribuntur.

Ex his *lunæ quadris* & mutationibus metiri debemus quæ fiunt non tantum diebus *Indicibus*, ſed etiam criticis.

Hæc quidem ſcitu curioſæ ſunt, & qui lunæ operationibus ſe confidunt, ſacro ſancta habentur & tenentur præſertim a Galeni Aſſeclis: cum interim palam conſtet pauciſſimos morbos cum luna incipere, niſi tot velimus lunationes facere, quot morbos. Galeniſtæ autem credunt ſatis eſſe, quod à puncto à quo morbus incepit, & à quo facienda eſt ſuppuratio finita ſeptimana, luna ad oppoſitum ſignum perveniat.

Sed & hæc omnia magis curioſa quam certa & neceſſaria ſunt: Patet enim ipſum Hippocratem ſi in cæteris ſuis operibus

ribus conſulamus vanum, & differentem imo diſſentientem comperiemus, quippe qui omnibus diebus criſes accidiſſe commemorat, ſive pares ſint, ſive impares. Quamobrem Jure optimo Celſus ex ſententia Aſclepiadis vanum ſtatuit criticorum dierum obſervationem, atque oportere Medicos non dies in morbis numerare, ſed ipſas acceſſiones intueri.

Dices quivis dies criticus indifferenter criſin promittit præcipue is, quem præceſſit perfecta, & manifeſta concoctio, ergo criſis non adſcribenda diei critico, ſed humorum concoctioni. ℞. Galeniſtæ ſe non negare humorum concoctiones, ſed & hos a lunæ motu tanquam humorum dominatrice (teſte Hippocrate (dirigi poſſe.

Dices 2. Morbi qui paribus diebus judicantur plerumque ut diximus male judicantur, ergo non bene judicabuntur die decimo quarto qui eſt unus ex paribus. ℞. Diem decimum quartum non eſſe parem ſed imparem, & finem ſecundæ ſeptimanæ incipiendo nempe ab octavo & ſic erit ſeptimus ſecundæ ſeptimanæ.

Aphoriſmus XXV.

Æſtivæ quartanæ plerumque breves ſunt: Autumnales vero longæ, & maxime quæ ad hyemem pertingunt.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi quartanæ juxta tempora Anni.

Connexio. Poſtquam Hippocrates in præcedenti Aphoriſmo indicia mutationum in morbis tractaſſet, in hoc Aphoriſmo mor-

morborum adducit Indicia ex ipſis anni temporibus petenda.

Hic Aphoriſmus bimembris eſt & in duas partes dividitur. In prima parte brevitas, in ſecunda diuturnitas febrium quartanarum ob diverſa anni tempora attingitur, id eſt in prima parte de quartana æſtiva, in altera de quartana autumnali vel hyemali concluſionem ponit. Hic prænotandum eſt febrium brevitatem aut longitudinem à natura & conditione fermentorum ſive peccantium humorum præter loci & affectæ partis habitudinem oriri.

Hoc etiam apud Medicos habetur pro irrefragabili, quod omnes morbi æſtivi ſint autumnalibus & hyemalibus breviores, cujus ratio eſt, quia materia febrim generans in æſtate non adeo craſſa eſt, ſed volatilis & ſubtilis in æſtate, in autumno vero ut hyeme magis craſſa & fixa: Volatilis in æſtate ob calorem ſolis omnia ſubtiliſantem, attenuantem & poros corporis, imo internos ipſos ejusdem corporis meatus reſerantem craſſa & fixa in autumno & hyeme ob aeris humidioris & intenſioris frigoris præſentiam, contrarios id eſt craſſitudinis & fixitatis effectus producentem. Hinc etiam minus adeſt materiæ morbificæ in æſtate, in hyeme plus quo corpora ſunt denſiora, viæ occluſæ & humores craſſi in iisdem difficulter mobiles.

Accedit quod plerumque in æſtate quartanæ ſint nothæ quæ bilem ſibi habent commixtam, morbi autem bilioſi & calidi breves, acidi vero, melancholici, frigidi chronici, ſeroſi, longi eſſe conſveverunt. Quartanæ æſtivæ fermentum acido bilioſum magis diſſipabile & expugnabile; Autumnales & hyemales acidum fixum tenax & magis rebelle obtinent, ad quod non parum facit, humorum aduſtio ab æſtate cauſata, ita pariter virium ab exceſſivo ſolis calore reſolutio corpori relicta.

Quartana vulgo duplex eſt. *Exquiſita* & *nota* illa à ſyncero humore vel melancholico ſeu acido, hæc ab iisdem cum bile mixtis humoribus oritur.

Quartana rurſum alia eſt *ſimplex* id eſt nulli alteri affectui conjuncta: Alia *compoſita*, quæ ex tumore lienis &c. enaſcitur: Utraque

Utraque iterum vel eſt *Intermittens* vel *continua*. Intermittens rurſum vel unica vel duplex aut triplex. *Unica* quarto quoque die corripit: *Duplex* bis intra quatuor dies: *Triplex* ter intra illud ſpatium. Hinc etiam una periculoſior altera; *Simplex* licet longa ſit, eſt tamen ſecura. Duplex vel triplex intermittens vel ſimplex continua magis periculoſa: Quartana vero cum tumore & ſcirrho lienis &c periculoſiſſima, quia in hydropem tranſit.

Diximus quartana ſimplex eſt ſecura, intellige in Juvenibus, quia teſte Hippocrate illos a magnis morbis liberat: In ſenibus vero non vacat periculo ob varias rationes, virium nempe corporis improportionem &c.

Quamvis autem Hippocrates quartanarum febrium ſolummodo hoc loco meminerit, ſoleat tamen & reliquæ febres, imo plerique alii morbi, cum ex autumno in hyemem excurrerint fieri diuturniores, qui ſane per æſtatem breviarentur. Ea enim eſt aeris, qui nos ambit, vis & efficacia, ut præ cæteris cauſis, humana corpora alterare valentibus primas obtineat, quamobrem ſecundum varias illius affectiones, diverſimode quoque illa afficiantur, unde experimur tempeſtatum mutatione quosdam morbos deſinere, alios invadere, ſiquidem non modo extimo contactu, verum etiam inſpiratione, intimas corporis partes pervadit, & cum ſanguine ipſo permixtus, plurimum valet, vel inficere vel emendare. Accedit ſumma illa utilitas, quæ ex perſpiratione eſt, quæque per multos morbos delet, impedita provocat vel confirmat. Sudores etiam tantopere conducibiles in febribus aeris calore plerumque prompte emanant algore vero reconduntur.

Verum bene notandum hæc ex Hippocrate memorata, tum potiſſimum accidere, cum anni tempora, ſuas proprias, debitas & conſuetas ſervant conſtitutiones: Nam ſi fortaſſe æſtas à ſuo calore deſciſcat, autumnus vero exæſtuet, proculdubio ea quæ hic ab Hippocrate ſunt præſcripta, non recte experientiæ cohærerent.

Præterea nec quartanæ ab infarctu viſcerum progenitæ hoc aphoriſmo poſſunt comprehendi, quippe quæ ſive per æſtatem, ſive per

X

per autumnum minime curabuntur, niſi prius obſtructa fuerint reſerata.

Curantur tamen moderno tempore plures morbi autumnales quam olim, quia Medicis prioris ævi fere immedicabiles crediti, eo quod hominem ſagacitas & induſtria, plura & potentiora ac ſpecifica adinvenerit remedia, quæ cito & jucunde omnis generis febres etiam quartanas curant, prout inter mille ſummum Euporiſton eſt cortex Peruvianus ſeu china chinæ &c. de quibus vide meam praxim.

Dices Tunc breviores ſunt morbi, quando virtus eſt fortior, ſed in hyeme eſt fortior, Ergo ℞. Si virtus eſt fortior & materia fixa & rebellis Nego. ℞. 2. Virtutem abſolute in hyeme non eſſe fortiorem, ſed *Inſtabis*: Ventres hyeme calidiores eſſe ait Hippoc. 1. Aph. 15. ergo virtus eſt fortior. ℞. Licet in hyeme calor ſit fortior intenſive id eſt magis concentratus ad coquendum, non tamen extenſive eſt fortior ad fundendos humores. ℞. 2. Calor eſt major in hyeme *quantitate*, in æſtate vero auctior *qualitate*, ille coquit, iſte fundit humores, & liquat.

Vrgebis Calor externus nempe æſtivus fundit humores utiles & inutiles, ergo vires debilitat. ℞. Negando ſuppoſitum æqualiter reſolvi & fundi humores bonos & malos. Natura enim ſemper diutius, quod optimum eſt retinet, & quod malum eſt, rejicit.

Vltro inſtabis. Calor externus nihil confert ad cibi concoctionem, ergo etiam nihil conferet ad materiæ morbificæ fuſionem & reſolutionem. ℞. Tranſeat antecedens nego conſequentiam & paritatem.

Nam etſi calor externus non juvet immediate concoctionem (quamvis de moderato calore id falſum ſit) poteſt tamen juvare fuſionem & reſolutionem humorum:

Videmus enim quod applicato pane ex clibano recenter extracto, vel etiam lagenis aqua calida plenis excitemus ſudores, qui ante multo medicamento elici non potuerunt. Si ergo hæc fundant humores, quanto magis moderatus ſolis calor: dicimus autem moderatus,

deratus, nam moderatus tam potenter reſolvit ut ſudores potius impediat.

Dices 2. Hippocrates lib prædictionum dicit, ver & æſtatem ad peſſimos & vetuſtiſſimos morbos movendos majorem præſtare commoditatem, quam autumnum & hyemem. ℞. Quod ver & æſtas faciant ad morbos ſubmovendos, eſt, quia tunc concoctio & expulſio materiæ morbificæ facilius perficiuntur ob majorem humorum diſpoſitionem

Dices 3. Tetanus curatur aquæ frigidæ aſſuſione ergo frigidis, ergo citius hyeme, quam æſtate. ℞. Tetanum curari per accidens, nempe concentrato calore adeoque non frigore immediate, ſed à calore.

Dices 4 Hectica in æſtate orta eſt longiſſima ergo morbi æſtivi non ſunt breviores ℞. Hunc noſtrum Aphoriſmum intelligi de morbis humoralibus, ad quos hectica non refertur.

Aphoriſmus XXVI.

Febrem convulſioni ſupervenire ſatius eſt, quam convulſionem febri.

Contentum ſeu Intentio.

De Febris & convulſionis relatione.

Connexio: Cum quartana ſe ad convulſionem habeat, ut ſuperveniens convulſioni illam ſolvat, ideo occaſionem eſt nactus, cum in præcedenti de quartana tractaſſet, nunc de convulſione agit, quomodo ſe ad febrem habeat. Unde in hoc Aphoriſmo, generale aliquod prognoſticum in febribus præſcripſit dicens: melius eſſe ut convulſioni ſuccedat febris, quam è contra: ut nempe oſtendat unum morbum per alterum curari poſſe, & licere Medico aliquando ad unius morbi curationem alterum inducere,

ducere, atque hoc exemplo doceat morbos frigidos à febre juvari.

Hinc multi errare quaſi videntur, qui ut vulgo credunt febrem morbum eſſe, cum ut experientia & præſens aphoriſmus docet, ejus beneficio morborum cauſæ ſubiguntur ac debellentur: Morbi enim ab humoribus pendentes, febre carentes, longiores plerumque obſervantur, qui per eam exteroquin plurimum ſubacti breviarentur: Sic apoſtemata catharri & quicunque ex lentis & craſſis ſuccis progeniti morbi maturationi promptius ſubjiciuntur. Febre ſupervenieute, atque omnes fere cauſæ morboſæ citius egerantur, natura febrem concitat, nec unquam criſes evenirent febre vehementi non promota: ea enim internus motus naturæ eſt ſecernere & expurgare conantis, quidquid ipſi adverſum inſoleſcit in corpore. Non ſunt itaque febres ſua natura malæ, ſed prout cauſam morbificam in corpore latentem, ac vitæ infenſam arguunt, unde operationes cunctas depravari contingit & de exitu periclitari.

Febris ergo commodum conſiderans in hoc aphoriſmo Hippocrates ait, præſtare illam convulſioni ſupervenire quam vice verſa ut mox dicemus infra.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem diviſionem non patitur.

Ratio præter dictam alterior noſtri Aphoriſmi eſt, quia febris convulſioni ſuccedens dupliciter eſt bona, & ut ſignum & ut cauſa: Ut *ſignum* quia oſtendit convulſionem fieri à repletione, quæ per calorem febrilem conſumitur, atque euratu facilior eſt convulſio, quæ fit à repletione, quam quæ fit ab inanitione, quia repletio facilius tollitur, quam manitio, præcipue quam ſequitur convulſio, ſignum enim eſt perveniſſe ad partes ſolidas adeoque inductam eſſe ſiccitatem quaſi habitualem. Febris prætera convulſioni ſuperveniens naturam deſignat conatus ſuos adhibere in exſolvenda & depellenda materia, quæ convulſionem parit: excitata ſcilicet in humoribus nervos & muſculos afficientibus fermentatione, per quam diſcuſſi & extenuati extra corpus vel diaphoreſi vel diureſi propelluntur. Hinc ipſe Hippocrates 5. Aphoriſm 5. inquit, *ſi ebrius quiſpiam repente obmutuerit, convulſus moritur,*

niſi

niſi febre corripiatur, & 4. Aphoriſm. 37. *qui à convulſione aut diſtenſione nervorum tenetur, febre ſuperveniente liberatur*. & Lib. de locis in homine *à convulſione ſi febris invaſerit, ſedatur eadem die aut ſequenti, aut omnino tertia.*

Vt cauſa bona eſt, quia febris cauſam convulſionis coquit, attenuat, reſolvit, fundit, obſtructiones reſerat, humores abſumit. Et licet etiam convulſio à calida & acri materia ſeroſa fiat (prout fieri poteſt) etiam diſcutere poteſt ſuperveniens febris imo citius.

E contra convulſio febri ſuperveniens mala eſt, ut *ſignum*, quia oſtendit à ſiccitate & defectu lymphæ & exhauſtis viribus fieri, quæ eſt perniciosa. & ut *cauſa* quia auget malum. Deſignat enim cauſam febrilem tantæ pravitatis, ut non tantum febrem concitando naturam exagitet, ſed & cerebrum & nervos divexando convulſionem inferat. adeoque utilitas, quæ ex febre forte ſperaretur, cedat in noxam, ſi eadem die, qua invadit, non remittat, & febrem terminet. Hinc non dixit Hippocrat. bonum ſimpliciter eſſe ſed melius, nam aliquid mali adhuc per febrem corpori acceſſiſſe denotatur, quod naturam non leviter laceſſat: quamquam etiam ex febre nervorum ſuccus cum fibris notabiliter exareſcit, unde ſupervenientem convulſionem vereri licebit, ortam exinanitione teſte Hippoc. 6. Aph. 39. *Eam vero reſtaurare eſt omnino difficillimum*. In pueris autem hæc omnia ſemper evadunt mitiora, quippe qui ex leviſſima quaque cauſa convelluntur, modo id cerebri vitio ſeu Idiopathice non patiantur.

Quæritur autem, quænam aut qualis febris ſit intelligenda? plerique Authores reſpondent, non quamcunque febrem id efficere poſſe: nam magna vires diſſolvit, parva non ſufficit ad materiæ diſſolutionem. ſi vero materia pauca ſit, etiam diaria poteſt, ſed plerumque intelligitur febris ſolennis, qualis eſt quartana, ut dicebat priori Aphoriſmo, tertiana quidem etiam febrem acutam adſtruunt, dummodo non nimis potens aut malignitatis compos.

Potiſſimum autem Hipp. intelligit & adducit quartanam: dicit

enim 5. Aph 70 *à quartanis capti non admodum convulſionibus corripiuntur, ſi vero prius capiantur, & quartana ſupervenerit, liberantur;* utræque enim ab uno eodemque humore acido videntur oriri, qui ſive inferius deponatur, ſive per corporis concuſſionem diſſolvatur, ſive etiam ſudore & alia evacuatione egeratur, nequit in quartanis febribus nervorum fibras laceſſere & convulſionem excitare. Eadem ratione accidit, nec comitiali morbo corripi quartanarios & correptos per ipſas ſanari.

Verum nos credimus, alias quoque febres convulſis profuturas, modo leviores ſint, intermittentes, & ſymptomatibus vehementioribus exutæ, quæ nimirum levi fermentatione, & blando calore humores nervos replentes aut vellicantes, ſenſim valeant ſolvere, ac ſudorem potiſſimum amandare.

Dices. Febris magis replet nervos convulſos, ergo augebit convulſionem, quia vapores ad caput tanquam principium nervorum tranſmittit. ℞. Negando Ant. & conſequentiam, ad illius probationem dicimus, licet vapores febrilis materiæ caput impetant, quia tamen admodum tenues ſunt, facile diſcutiuntur, & quia tenues & calidi ſunt, ſi nervos petant, ſtabulantes in iis craſſos & viſcoſos acidosque humores potius reſolvunt.

Dices 2, Febris ſæpe convulſiones & membrorum reſolutiones cauſat, ergo non curat. ℞ Si inducta ſit ſiccitas actualis & inanitio concedo, ſi convulſio præcedat à repletione nego.

Dices 3. Febris non curat Apoplexiam ut refert Hippoc. in Epidem. de Numeni filio apoplectico, cui febris excitata, tamen interiit. ℞. I. Nos non dicimus omnem febrem omnem convulſionem curare. ℞ II. In Numeni Filio febrem non fuiſſe ſufficientem, ut materiam adeo craſſam & tam profunde hærentem diſſolveret.

Dices 4. Hippocrates in coacis aſſerit contrarium & dicit convulſio febri ſuperveniens eam ſolvit. ℞ Hippocratem eodem loco addere *ſecundo aut tertio die*, adeoque ſpecialius loquitur in hoc ultimo textu quam in primo, poſterior enim voluntas (ut docent Juriſtæ) derogat priori: Et hæc convulſio ordinarie evenit pueris tranſlata ad nervos materia & febri exiguæ, non autem auctæ aut ma-

lignæ,

lignæ, de quibus Hippocrates hoc loco non loquitur, ſed de humoribus & in ſpecie potiſſimum de quartana, de qua priori Aphoriſmo, non gratis egit.

Nota: Convulſio eſt nervorum, muſculorumque verſus originem ſeu ſuum principium continua & perpetua retractio. Sed

Dices In Tetano non eſt motus, ergo mala definitio ℞. Non eſt motus localis & interpolatus concedo, non eſt tonicus & continuus, Nego.

Inſtabis. In multis convulſionibus non eſt dolor, quia non ſentitur ℞. Non ſentitur dolor tranſeat, non eſt dolor Nego: Poteſt autem eſſe dolor & non ſentiri patet ex Aphoriſmo ſexto hujus ſectionis, *qui dolentes aliqua corporis parte, dolorem non ſentiunt, iis mens ægrotat*

Urgebis. Non adeſt judicium nec triſtis ſenſatio, ergo nec dolor. ℞. Non adeſt libera ſenſatio concedo, impedita Nego.

Dices tandem. Galenus Lib. de convulſione ait eos qui ex ſiccitate convelluntur protinus mori, nec de remedio aliquo tempus deliberandi concedi, ergo eſt incurabilis. ℞. Si convulſio fiat ab extrema ſiccitate concedo, à minus intenſa Nego.

Quæres ergo. Utrum ad convulſionem vel Paralyſim vel aliam nervorum affectionem ſanandam liceat febrem excitare? ℞. Quamvis multi Galenum & Hippocratem 5. Aph. 21. ſequentes, aquæ frigidæ affuſione largiori, poros conſtipent & febrim procurent; *ſecundo*, ſunt non nulli, qui omnino affirmant, eo argumento ducti, quod poſſit Medicus, ut imitator naturæ proſequi, aut tentare, quæ natura ipſa ſalubriter agere conſuevit

Tertio. Alii vero applicent manuum carpis ſcarabæos cornutos pulveriſatos, & in Emplaſtri formam cum aliquo liquore redactos & febrem excitant Nos tamen cum aliis exiſtimamus tutius convulſiones, aliis exſiccantibus ſudoriferis appropriatis & alexipharmacis quam febrium periculoſa inductione curari Non enim quod natura ſalubriter promovere ſolet, poteſt tuto a Medico excitari, multa enim naturæ ſunt nota, nobis ignota, id eſt agendi opportunitas quantitas & qualitas medicamenti. ſic non ſemper

ſemper ab exhibito purgante evacuatio ſuccedit, qualis & quanta ſponte naturæ conatu contingeret, nec ab epoto ſudorifero certa ſpes eſt futuri ſudoris ſine naturæ adminiculo vanum & irritum eſt omne remedium imo ſæpe noxium ergo etiam difficillimum præbere remedium, quod febrem adferat convulſis & eos ſanet. Poterimus igitur, ut diximus ipſis opitulari medicamentis attenuantibus & diaphoreticis, quæ ſub nomine ignis & febris fuere ab Hippocrat. 2. prorrhet. & 1 Epidem. Lib. de locis in homine commemorata. Talia ſunt nervina, cephalica v. g. ſpiritus C. C, Eſſent. caſtorei cum aqua ſalviæ, ſpiritus ſanguinis, magiſterium ſuccini, ſalia volatilia & alia interna & externa, de quibus vide meam Praxin *titulo de capitis affectibus.* Quod autem hoc ipſum dicto loco fecerit Hippocrates multa aquæ frigidæ affuſione, id præſtitit in Juvene bene carnoſo, media æſtate, ſine vulnere & inflammatione, quæ nullam noxam intulit, quod exemplum tamen non eſt ſequendum.

Aphoriſmus XXVII.

His, quæ non cum ratione ſublevant, non oportet fidere, neque multum reformidare mala, quæ præter rationem eveniunt, plurima enim horum incerta ſunt, nec admodum perſeverare aut longo tempore durare conſueverunt.

Contentum ſeu Intentio.

De emergentium mutationum potiſſimum in febribus ratione.

Connexio: Cum Hippocrates multa hactenus de prognoſtico tractaſſet, & poſthac multa de eo dicturus ſit, In hoc aphoriſmo

riſmo celebrem animadverſionem affert circa prædictionem, prout etiam fecit in Aphoriſmo decimo nono; *morborum acutorum non omnino certæ ſunt prædictiones, neque mortis, neque ſalutis.* Et incoacis prænotionibus breviter dicit: *qui morbi cum malis ſignis levantur, & qui in bonis non remittunt difficiles.*

Hic Aphoriſmus bipartito dividitur. In prima ejus parte aſſerit: Signis quæ levamen afferunt citra evidentem rationem, id eſt citra criſim vel inſignem evacuationem &c. non eſſe fidendum. In ſecunda vero parte, cauſam hujus ſuæ propoſitionis affert, quia ſcilicet talia neque permanere, neque morari diu ſolent, iis credendum non eſt, quæ levant abſque evidenti ratione, atqui quæ levant abſque criſi aut evacuatione aliqua ſenſibili aut medicamento, levant abſque ratione, ergo iis credendum non eſt.

Generaliter notandum I. quod alleviationes abſque ratione dicantur eſſe, cum criticam evacuationem non ſequuntur vel ſi fortaſſe illa præceſſit, diminuta & imperfecta illa fuit, nec per eas vias per quas fieri oporteret; aut non ejus humoris, qui expurgandus eſt. Hac de cauſa dejectiones in morbis pectoris non conferunt: Stillæ ſanguinis in febribus pravitatem indicant: ſudores frigidi in internis inflammationibus mortem portendunt, & id genus alia. Sic etiam ſi abſque illa evacuatione videantur morbi ab humoribus pendentes declinari & ſubito remitti, proculdubio redibunt, & fortaſſe impetuoſiores, quia eorum cauſa injecta non eſt, ſed in corpore latens, fieri non poteſt, quin denuo reſurgat & vehementius invadat. Ejusmodi ergo mutationibus, quibus ægri videntur melius ſe habere nullatenus oportet fidere, quoniam alleviationes hæ ſtabiles non ſunt, & perſiſtente adhuc in corpore cauſa morbifica, neceſſe eſt ut morbus redeat, non ſine vitæ periculo. Porro indubitatum eſt, eatenus morbos & morborum ſymptomata duratura quoad cauſæ eorundem non fuerint è corpore penitus eliminatæ.

Verum enim vero, viſæ ſunt tamen aliquando febres, imo & pleuritides & Anginæ aliique ſimiles morbi ex humoribus progeniti, ſponte ac ſine omni ſenſibili & manifeſta evacuatione ſalubriter deſiiſſe ſine recidiva aut alterius morbi impetu, Fortaſſis quia ſoluti & attenuati

nuati inſenſibiliter perſpirarunt. Hinc ut in his judicium recte feratur perpendere oportebit, num morbus omnino deſinat, ſimulque ſymptomata omnia recedant ipſis enim penitus ablegatis judicio erit, cauſam quoque morbificam funditus eſſe deletam. At vero ſi unum vel alterum perduraverit, de regreſſu morbi timendum. Quemadmodum non fidendum iis (inquit) quæ abſque ratione fiunt, ita non metuenda mala (ſubdit) quæ præter rationem eveniunt, cujusmodi ſunt ſymptomata criſes concomitantia & antecedentia, de quibus locutus Hippoc. Aph 13. cum enim hæc accidunt ex inſtante criſi, inſtabilia merito dicuntur, ſcilicet quia mox ab illa deſinunt, quod ſi præterea perdurarent, non omnino parvi facienda forent, utpote aliud quid indicantia, quam quod ex motu naturæ critico contingere ſolet. Utraque autem debent morbo, morbique cauſæ reſpondere, ne ſpes inſida ſequatur.

Generaliter autem notandum 2. quod in acutis febribus, præter calorem, pulſum, & vires, etiam Phænomena ſeu ſigna cujusque generis, id eſt mutationes ſint attendendæ. Signum triplex eſt in ſignificando. Vel enim eſt omnino *fidum* & *rationale* v. g. alleviatio ſeu remiſſio morbi totalis in die critico, præcedente coctione & evacuatione, & facta criſi perfecta omnino fida eſt ad bonum.

Vel eſt omnino *inſidum* & *irrationale* v. g. gravitas quæ cruditates ſequitur ad malum. Si v. g. apparente coctione & evacuatione, morbus ingraveſcat, vel nullo ex iis apparente levetur.

Vel eſt partim *fidum* partim *inſidum* ſeu *neutrum*. V. G. ſi apparente coctione & evacuatione morbus ingraveſcat, vel etiam ſi nec coctione nec evacuatione præſente, morbus omnino remittere videatur. Vel etiam alleviatio ſine coctione ſed in die critica: Vel apparente coctione, ſed ſine evacuatione, vel apparente coctione & evacuatione, ſed non in die critica.

Signa Inſida (de quibus maxime in hoc Aphoriſmo loquitur Hippocrates) iterum dividuntur dupliciter ſeu in duas claſſes. Vel enim apparent in morbo uniformi ſeu ſuam naturam ſervante (morbus enim uniformis eſt qui ſigna ſuæ naturæ convenientia ſervat) uti ſunt ſitis, dolor capitis, vigilia, ſeu nox inſomnis &c. in febre

febre ardente. Vel in morbo diſformi v. g. ſi febris ardens ſit, nec tamen ſigna habeat uniformia ſuæ naturæ convenientia, ſi abſit ſitis, dolor capitis &c. certum eſt, quod non ſit febris ardens exquiſita & uniformis, ſed diſformis. Hinc ſignum uniforme eſt fidum, diſforme vero infidum. *Signum* uniforme & conforme eſt ſumma laſſitudo à principio durans, & perſeverans, cum pulſu bono, & laudabili urina, quod evidenter malignitatem indicat, adeoque ejuſmodi ſignis fidendum eſt, quia ſunt perdurabilia & non inſtabilia.

Sæpe autem cum bonis ſignis morbus invaleſcit, ut v. g. quando pleuritis tranſit in peripnevmoniam, à parte nempe ſenſibili ad inſenſibilem, dolor quidem miteſcit ſed male: Vel etiam fiunt alleviationes ob ſenſum partis mortuum, quod utique malum eſt, & ſic cum malis ſignis miteſcit morbus, quod fit vel ob cauſas externas, v. g. temporum & aeris mutationes, aſtrorum influxus, commiſſos in victu errores. Vel ob cauſas internas, nempe ob humorum perturbationes inſtante criſi: vel ob materiæ cruditates & conſtitutiones inæquales, quas natura uniformi actione ſuperare non poteſt, vel ob malignam aliquam humorum diſpoſitionem; vel ob novas de parte in partem materiæ morbificæ translationes, quæ etſi a parte nobili ad ignobilem fiant, non ſunt contemnendæ, ſemper enim maximum & importunum naturæ laborem ſignificant; vel ob animi pathemata, quorum quædam calorem ſuſcitant ut ira, quædam ſuffocant, ut triſtitia. Et ſic de pluribus aliis.

Hic Aphoriſmus, ut paucis multa dicam, inter primas Practicantium maximas habendus. Medicum enim ignorantem à docto exactiſſime diſtinguit. Et in hoc Aphoriſmo Hippocrates, nimiam confidentiam præter rationem & nimium timorem ſine ratione à Medico auferre conatur, quæ duæ paſſiones Medicum à recto operationis tramite non raro ſeducunt, ita, ut non ita operetur, uti deberet. Hinc occaſio quæ in morbis eſt momentanea & præceps teſte Hippoc. 1. Aphoriſmo 1. præterlabitur, cum manifeſto ægri periculo. Medicus igitur tamquam Miniſter rationalis naturæ, ſolida prius rationis trutina exacte omnes conſideret circumſtan-

Y 2

Digitized by Google

cumſtantias, omnia examinet ſymptomata, antequam temerariam ferat prognoſim, quia perverſum & ſolidum vulgus, mortem à Medico non prævisam ordinarie Medico adſcribere ſolet de quibus Poeta

- - - O ſtulti! morbo non arte peritur
Ars non peccavit, ſed Adamus & Eva, nepoſque
Poſthumus & quotquot nuper tumulavimus una,
Quid Medicum vexas inſontem vane ſophiſta
Debita naturæ damnati ſolvimus omnes,
Solvemusque. Cinis ſumus in cineremque redimus.

Rem declaramus exemplo Calor in febre eſt igneus, ratio requirit. ut ſymptomata quoque veluti effectus ſint intenſiſſima & propterea in tantum non reformidanda, quia *propter rationem eveniunt*. E contra ſi urgente febrili incendio, ut ſupra diximus, abſit ſitis, urinæ mingantur crudæ & albæ &c. ſtatus multo periculoſior eſt, quia ſymptomata morbo non correſpondent, adeoque *præter & contra rationem ſiunt*.

Aliud exemplum quod etiam jam ſupra attulimus, & pro meliori captura repetimus. Febris v. g. remittat ſine coctionis ſignis, ſine excretione critica, die non critico: hinc allevationi fidendum non eſt *quia ſit ſine ratione*: E contra augeantur in febribus improviſo omnia ſymptomata, accedat difficultas ſpirandi, delirium, anxietas, jactitatio &c. Medicus propterea non ocyus fiat puſillanimus & terreatur; ſi enim coctionis ſigna præceſſerint fiat die critico, ſignum eſt perturbationis criticæ, quam mox ſuperventura evacuatio & hujus pediſſequa ſanitas excipiet.

Notanter dixit Hippocrat. *Plurima ſtabilia non ſunt neque multum durare conſueverunt*. Morbus enim corpus eſt, ſymptoma ejus umbra, adeoque umbra magnitudinem corporis præſentet neceſſe eſt, ſi omnia in corpore ſecundum rationem & naturam fiant.

Fallit quidem ſubinde umbra juxta illud Poëtæ:

Curtus es & quovis tibi longior eſſe videris
Umbram mane tuam aut veſpere menſus eras.

Fallit

Fallit inquam ſubinde umbra: ſi enim morbo creſcente decreſcat umbra id eſt ſymptoma, vel morbo decreſcente creſcat res ſuſpecta eſt, & mutatio hæc diu durare nequit. Nam ſi morbo declinante hoc fiat, ordinariæ à cauſis externis ortum trahit, quod Medicum non terrefaciat, brevi enim tempore talis tempeſtas diſparere ſolet.

E contra non fidendum, ubi ſymptomata creſcente morbo remittunt, nam & hoc diu durare nequit, cum ſit infida & ſymptomatica morbi remiſſio, ſeu potius naturæ de obtinenda victoria deſperatio, ex qua ſymptomata detepeſcunt, vergente ad exitum ægroto.

Hæc omnia hactenus dicta, ut perbelle perpendat Medicus methodicus, tanquam verus & unicus naturæ miniſter ſumme neceſſe eſt. annuente Ovidio:

Non eadem eſt ratio, ſentire & demere morbos
Senſus ineſt cunctus: tollitur arte malum.

Hinc eſt quod antiqui Apollinem pingebant ceu judicem in ſolio ſedentem, dextra Scipionem, draconis caput ſiniſtra prementem, cane domeſtico ad ejus pedes devoluto.

Indicatum, judicium Medicum tribus indigere conſiliariis. *Reſolutione Prudentia & fidelitate.*

Dices Hippocrat. in coacis prænotionibus: faciem bonam laudavit in morbis malignis. Et præter rationem extenuatam in morbis pravis damnavit. iisque fidem adhibuit, cum tamen non ſint ſecundum rationem, quod eſt contra Aphoriſmum. ℞. Ideo Hippocrates iis fidem adhibuit ibi, quia vidit eſſe durabilia? In hoc autem aphoriſmo loquitur Hippocrates de ſignis præter rationem, quæ non diu durant.

Dices 2. In malignis febribus ſæpe fiunt concoctiones apparentes in urinis & excretiones diebus criticis imo etiam alleviationes, nihilominus ægri moriuntur. Illa priora ſunt ſecundum rationem & tamen his fidendum non eſt. ℞. Has alleviationes non eſſe durabiles. ℞. II. Coctiones in febribus malignis ut

ut diximus fallunt cum ſit occultum quid & non cruditas aut putredo.

Dices 3. Perturbationes quæ fiunt inſtante mala criſi, fiunt cum ratione, & tamen maxime ſunt reformidandæ. Ergo dantur perturbationes cum ratione, quæ ſunt formidandæ. ℞. In his perturbationibus non præceſſiſſe ſigna concoctionis, ergo non ſunt cum ratione.

Inſtabis: perturbationes iſtæ fiunt die critico, ergo ſunt ſecundum rationem. ℞. Negando antecedens, quia criſes malæ plerumque non attingunt dies criticos

Quæres, quænam ſint mala, quæ fiunt ſecundum rationem ℞. Ea eſſe, quæ fiunt à cauſis, quæ ſemper lædere ſunt aptæ v. g. ſi aquæ frigidæ aſperſione febris calorem mitigemus, qui paulo poſt vehementior redit, quia tale quid ex medendi ratione prohibetur, utpote quæ jubet, potius aperire poros quam occludere, ita etiam calor in principio paroxiſmi & ſitis, epota frigida in principio miteſcit, ſed redit auctior, eo quod bibendi tempus non fuerit. Ita ſanatur ulcus ſordidum, obducta cicatrice, ante baſis ſublationem, ſed alleviatio hæc & ſanatio non durat. Ita vulneratus à cane rabido facile ſanatur & ulcus occluditur, ſed lupus in ſtabulo clauditur, eſtque mendax alleviatio, quia venenum paulo poſt ſuas vires exerit: Et omnes tales alleviationes fiunt præter artem & rationem.

Aphoriſmus XXIIX.

Febricitantium non omnino leviter corpus ſibi conſtare (id eſt permanere) & nihil minus, aut etiam plus æquo colliquefieri, malum: Illud ſiquidem morbi longitudinem hoc vero imbecillitatem ſignificat.

Con-

Contentum ſeu Intentio.

De ſtatu corporis febricitantium.

Connexio: Cum Hippocrates in præcedenti Aphoriſ. ſtatuiſſet non eſſe fidendum ſignis inſidis & irrationalibus In hoc Aphoriſmo ſignum ſumit a corporis conſtantia vel extenuatione, quando præter rationem fit. nempe in magnis febribus nimia permanentia corpulentiæ humoralis in codem ſtatu longum morbum: nimia vero extenuatio, virium imbecillitatem & brevi futuram partium ſolidarum aggreſſionem, à febris vehementia ſignificat, ut nempe Medicus febrium longitudinem & brevitatem hiſce ſignis notam habeat.

Hic Aphoriſmus in duas partes dividitur, in prima concluſionem affert In ſecunda cauſam ſuæ intentionis allegat. Quidquid enim morbi longitudinem, vel virium imbecillitatem ſignificat, eſt malum, atqui corporis nimia & durans conſtantia, ita & nimia ejuſdem extenuatio, vel morbi longitudinem vel virium imbecillitatem ſignificat, ergo eſt malum.

Sciendum autem eſt, quod febris quædam ſit vehemens, alia levis, alia mediocris. Leves ſeu parvæ febres uti diaria, niſi malignitatem eximiam conjunctam ſibi habeant, extenuare per ſe non ſolent, Mediocres & vehementes febres frequentius extenuant, hinc ſi medioeres extenuent, præter rationem id faciunt, & conſequenter major ſubeſſe cenſenda eſt virium debilitas; Ita etiam robur & vires corporis ſibi conſtantes, per ſe quidem nobile laudabile præbent ſignum, ſed comparatione facta ad morbum, quando non ſunt ſecundum rationem morbi longitudinem, in corpore ſcilicet denſo & minus perſpirante, præſuppoſita ſcilicet humorali corpulentia & copia humorum vitioſorum.

Extenuatio ſeu colliquatio etiam nimia ſeu præter rationem ſemper cenſetur eſſe mala & præcipue ſi fuerit extrema, vel ſi appareat in primis tribus diebus ſine cauſa manifeſta, mortalis eſt apud Hippocratem.

Ubi

Ubi igitur corpus conſtat ſeu permanet præter rationem, Medicus debet humores attenuare & calefacere, habitum rarefacere ſeu poros aperire, & prohibitam tranſpirationem reſerare & reſeratis ductibus evacuare per loca conferentia.

At ubi præter rationem corpus extenuatur, debet humores incraſſare, habitum denſare, poros & tranſpirationem obtundere & vires corroborare adhibitis etiam Alexipharmacis.

Signum autem extenuationis vel permanentiæ corporis manifeſtiſſimum ſumimus a facie, ideo hanc imprimis conſiderandam eſſe à Medico ſcripſit Hippocrates I. prognoſticorum quando naſus eſt acutus, oculi concavi, collapſa tempora, ungues curvi &c. quia primo ſe offert: Prærerea extenuationis ſignum deſumitur a ventre inferiori, ſiquidem etiam ibi manifeſte hoc ſignum paret quoniam magis in illa parte quam alibi viget pinguedo. Ideo ſcripſit Hippocrates infra 2. Aphor. 35. *Partes ad infimum ventrem pertinentes, craſſiores eſſe præſtare: Illarum vero extenuationem malam eſſe.*

Illa autem quæ præcipue corpus noſtrum extenuant, ſunt, cauſa morbi morbus & ſymptoma, efferatio, malignitas, ſpirituum debilitas, raritas corporis & cutis, abuſus rerum non naturalium, humores acres, anni tempus calidum, evacuationes extremæ, ætas ſenilis &c.

Dices. Raritas corporis in febribus facit ad expulſionem cauſæ morbificæ, ergo non facit ad extenuationem corporis. ℞. Non tantum per raritatem excludi humores noxios ſed etiam utiles, adeoque adhuc eam poſſe corpus extenuare.

Dices 2. Hectica laborantes non febricitant fortiter, & tamen extenuantur. ℞. Non febricitant fortiter intenſive concedo, non febricitant fortiter extenſive nego, totus enim habitus in hectica afficitur. ℞. Varios eſſe gradus hecticæ ergo etiam major vel minor poteſt fieri extenuatio.

Apho-

Aphoriſmus XXIX.

Incipientibus morbis, ſi quid movendum videtur move: vigentibus autem, quieſcere multo præſtat.

Contentum ſeu Intentio.

De Tempore Evacuantium in febribus.

Connexio: Cum Hippocrates in duobus prioribus Aphoriſmis ſtatuiſſet, non eſſe fidendum ſignis, quæ præter rationem gravant vel levant, & per conſequens, non debere Medicum victus rationem ob illa mutare: In hoc Aphoriſmo de medici actione tractat. docens magis operandum à principio morborum, quam in ſtatu ſeu vigore. Connectitur ſecundo hic Aphoriſmus cum 24. ubi intra quatuordecim dies judicari dixit acutos morbos, ideo ſvadet in hoc Aphoriſmo ſtatim in principio ſubveniendum.

In duas dividitur partes præſens Aphoriſmus: In prima dicit maxime operandum in morborum initiis. In ſecunda vero magis in vigore illorum quieſcendum. Et ratio utriusque partis eſt, quia in morbi principio vires ſunt fortiores, & morbus debilior atque ſymptomata miniora & remiſſiora, ergo cum tunc temporis omnia adminiculentur, tutius erit operari magnis & univerſalibus remediis, ut pote venæſectione, purgatione, vomitivis, & ſudoriferis, quam in ſtatu, ubi & vires naturales præcipue in ratione ſui debiles ſunt & morbus fortis & ſymptomata maxima, quæ ſingula mox dicta remedia limitant, & Medicum monent, ne tunc Naturam cum morbo pugnantem & ſe defatigantem, minime à ſuo opere divertant, & magis his remediis affligant, Medicus enim Miniſter, Imitator, & Corrector Naturæ eſt: Ideo quando illa non movet, ſtimulanda eſt, ubi neceſſitas urget, ideo dum Natura quieſcit moveat Medicus, dum natura movet, Medicus quieſcat.

Morbi enim ordinarie, cum inchoant ab humoribus pendent, qui in primis ductibus conſiſtunt, & nondum in arterias & venas permanarunt: quandoque etiam multi ſunt, atque ad exitum parati, ut quocunque levi auxilio promptiſſime egerantur. Hos ergo antequam naturam obruant, interiora viſcera inficiant & graviora pariant ſymptomata, monet Hipp. ſtatim inter initia, ne altiores figant radices poſſe promoveri, at vero ubi conſtiterint, quieſcere ſatius eſſe putat. Morbi autem in principio eſſe dicuntur, cum ut diximus nondum vires per ſymptomata adepti ſunt, quamvis aliqui primos tantum tres vel quatuor dies ex eodem Hipp. interpretentur qui 4. acutorum 64. Hos *ſi ab initio* (inquit) *purgare volueris id ante diem quintum facito:* Cum tamen 4. *Epidem.* famulæ Ariſtidis idem Hipp. purgans medicamentum propinavetit & 3. *Epidem.* 5. Anaxioni, ſangvinem detraxerit octava die.

Ly verbum *movere in principio* intelligendum eſt de magno remedio, id eſt de venæ ſectione, & purgatione electiva (minorativa enim & lenitiva à multis ſemper & ſine ſcrupulo adhibentur) *quando materia turget ſeu orgaſmus adeſt* (non autem quando non turget) juxta Hipp. *in principio ſtatim movendum in acutis, tardare enim in talibus malum.* Et quo acutior morbus eo magis indicat à principio operandum, turget enim ſemper materia in acutisſimis morbis:

Hippocrates autem (quod bene notandum) non dixit *ſimpliciter & omnino* movendum eſſe, ſed ſi videatur prudenti Medico faciendum. Quare non perpetuo vult ejuscemodi evacuationes promoveri oportere, ſed cum occaſio tulerit, & humores ad exitum diſpoſiti ſint, nec ſemper ſolis purgantibus, ſed iis omnibus, quibus congruenter Naturæ moventi ſuccurrere valeamus. Unde *ipſe Hipp. 1. Aph. 24. exiſtimavit, raro & in principiis medicamentis purgantibus, uti licere, idque, ſi aliquando fieri neceſſum ſit, maxime cum præmeditatione faciendum.*

Quemadmodum autem in hoc Aphoriſmo initiantibus morbis movendum conſulit, ita pariter in eodem idem dehortatur, cum conſiſtunt ac vigent, atque ad augmentum & ſtatum pervenerint; his enim temporibus ut diximus, natura à ſymptomatibus tunc ingruentibus maxime affligitur, vires langvent, & coctio ac ſecretio, quæ tantopere deſideratur, uſu medicamentorum, præſertim purgantium pluri-

plurimum interturbatur. *Verum tamen non omnino malam eſſe* dicit, aliquid movere, ſed ſolum melius eſſe, ſi illo tempore quieſcamus, nam ſi forraſſe neceſſitas urgeat, vel opportuna agendi occaſio præſtetur, nil prohibet, quin & per eadem tempora moveamus, indicationes enim operandi, non a temporibus, ſed à motu Naturæ, ab indicantium diſpoſitione & virtutis robore, ſumuntur,

Hic Aphoriſmus noſter videtur e diametro contrariari Aphoriſmo Sectionis primæ 22 ubi dicit *concocta medicari oportet non cruda, neque in principiis morborum* Plurimi tamen in hoc conveniunt dicendo Hipp in Aphoriſmo 1 Aph. 22 loqui de principio ſecundum concoctionem, in hoc præſente Aphoriſmo autem de principio ſecundum accidentia: cum autem principium accidentium coctionem præcedat, qui ergo in horum principio purgat concoctionis principium antevertat neceſſe eſt, adeoque rationi magis conſonum videtur, ut quis purgationes per tempora partiatur, ita ut hæc ſententia de *minorativa*, illa autem, *concocta mederi oportet* de *eradicativa* purgatione intelligatur.

Quamvis Hippocrates autem de morbis omnibus hanc ſententiam protulerit, magis tamen illa febribus congruit, in quibus quatuor illa tempora ſenſibilibus obſervantur majus imminet vitæ periculum, cum ob intempeſtivam medicamentorum exhibitionem, natura plurimum avertatur ab opere coctionis & ſecretionis, quibus valetudo recuperatur Compertum enim habemus, ſe pejus ſemper habuiſſe febricitantes ab importuno uſu medicaminum purgantium, vel ſaltem ſero admodum convaluiſſe, quam à ſolis corrigentibus & coctionem morbificæ cauſæ adjuvantibus Si quid vero unquam primam ventris regionem occuparit, plani feliciter primo, ſecundo aut tertio die vomitoriis eductum, febrem vel extinxit vel remiſit Et hoc ex Antimonio parata præcellunt ceteris veluti tutiora & efficaciora, quæque ſimul ſuperne & inferne vitioſos ſuccos extrudunt.

Dices primo Concocta medicari oportet, ſed in vigore morbi ſunt concocta, ergo tunc medicari oportet. ℞. In principio vigoris ſeu ſtatus ſunt concocta nego, in fine vigoris (id eſt vergente ad declinationem concedo; in fine ergo ſtatus non prohibetur purgatio cæteris conſentientibus.

Dices ſecundo: Medicus non eſt imitator naturæ, quia in ſtatu

 movere

movere non debet, quando Natura movet. ℞. Medicus non eſt Imitator Naturæ male agentis & ſemper concedo, bene agentis & aliquando nego.

Inſtabis. In ſtatu Natura bene agit movendo, id eſt pura ab impuris ſegregando, ergo etiam Medicus Naturam imitari debet & movere. ℞. quando dicitur Natura eſt imitanda, id eſt illo die, per illas vias & illo modo, quo bene agit eſt imitanda concedo, ſimul & ſemel & dum male agit, nego.

Dices tertio. Omne remedium purgans electivum eſt calefaciens, ergo nec in principio febrium convenit, ſed potius refrigerans, dicit enim Hipp. 4. de victus ratione in acutis; purgantia carnes colliquare. ℞. *Primo* tranſeat Catharcticum aliqualiter calefacere, ergo non convenit nego conſequentiam, quia licet omnis febris indicet refrigerans ratione ſui, ratione tamen cauſæ febris id negatur, à cauſa autem indicationem purgationis deſumimus non a febre ipſa. ℞. *Secundo:* Hippocratem dicere medicamentum in principio carnes colliquare intelligit de vehementiſſimo medicamento.

Dices quarto. Plurimi purgant materiam febrilem elective, quæ nec turget nec urget nulla exſpectata concoctione teſte Rhaſi lib. 3. tract. 3. cap. 4. Et Hippoc. 2. de victus ratione textu 11. in pleuritide cruda exhibet verarum ſeu elleborum: Ita etiam Galen. Lib. *quos, quibus & quando*, docet tenues humores ſtatim eſſe evacuandos. ℞. in locis illis ab Hippoc. & Galen. adductis vel intelligit Cacochymiam primæ regionis evacuari, à qua materia morbi dependebat aut poterat augeri, vel humores maſſæ ſangvineæ non commixtos expurgari debere.

Dices quinto. Humor tantum crudus cauſat febrem, coctus enim non amplius nocet, ergo purgatio debetur humori crudo & non cocto, ergo in principio debet purgari. ℞. Licet coctus humor non creditur nutritioni aptus, imo retentus in corpore cauſat recidivam & eſt adhuc cacochymicus per purgationem requirit, nam etiam cocta ſi retineantur febrem cauſare poſſunt. Si vero coctus humor ſit laudabilis, ille non amplius nocet, quia talis humor per coctionem fit aptus nutritioni.

Dices ſexto: Dum adeſt indicans purgationis, debet adhiberi purgatio, ſed in principio adeſt indicans, nempe humor cacochymicus,

micus, ergo debet adhiberi purgatio. ℞. Si humor cacochymicus ſ t ſeparatus a ſangvine concedo, ſi conjunctus nego, quia in hoc caſu requiritur venæſectio & non purgatio.

Dices ſeptimo: Quando Natura movet, Medico quieſcendum eſt, ſed Natura movet in principio, quia turget, ergo Medico quieſcendum eſt. ℞. Quando Natura movet humores coctos critice, Medico quieſcendum eſt, quando movet humores crudos, uti hic fit, nego.

Aphoriſmus XXX.

Circa initia & fines morborum, remiſſiora (ſeu imbecilliora) ſunt omnia, vigentibus vero (id eſt circa ſtatum,) vehementiora, ſeu fortiora.

Contentum ſeu Intentio.

De Temporibus morborum.

C*onnexio*: In priori Aphoriſmo Hippocrates ſtatuit, magis movendum eſſe à principio morborum, quam in eorum ſtatu: In hoc vero cauſam hujus affert & rationem reddit; interroganti enim cur inchoantibus morbis aliquid movere conveniat, in vigore vero & ſtatu potius quieſcere? apte reſponderi poteſt, quia circa principia & finem omnia ſymptomata ſunt miniora, circa ſtatum vero validiora. Cum evacuationes ut conferant & facile tolerentur robuſtas vires exigunt & Naturam à ſymptomatibus vel nihil vel leviter divexatam. In ſtatu vero morbi Natura maxime affligitur & à cauſa morbi exagitatur vehementior, ideo non eſt laceſſenda amplius, & quod pejus avocanda ab opere coctionis & criſeos.

Connectitur proinde hic Aphoriſmus cum priori tamquam cauſa cum effectu. Cum ergo in priori dixerit potius in principiis morborum moveri endum eſſe quam in ſtatu, in hoc rationem, inquam, reddit, dicens, circa initia & fines omnia remiſſiora ſunt, id eſt omnia ſymptomata ſunt magis quieta *in principiis morborum* præprimis, cum natura nondum certamen aggreſſa ſit circa morbum & ejus cauſam pro inchoando pepaſmo ſeu concoctione, hinc nondum ſeſe doloroſe movet, nec humores pellit de parte in partem, niſi adſit turgentia, nec tanta adhuc humorum adeſt fermentatio, nec tantam adhuc contraxerunt acrimoniam, unde natura & partes corporis non adeo ſtimulantur, punguntur & dolent.

In *Declinatione* vero ſimiliter omnia ſunt quietiora, quia humores jam ſunt concocti & a natura ſuperati, imo alienis & acribus ſuis qualitatibus corpori noxiis exuti, naturam non amplius moleſtantes, ſtimulantes aut ſua mole opprimentes.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem ſuam unimembris eſt & nullam patitur diviſionem, ſimpliciter enim docet tempora morborum diverſum ſymptomatum ſtatum diſtingvere, id eſt, tempora morborum univerſalia variare remedia tum univerſalia tum particularia.

Unde autem tempora iſta morborum internoſci poſſint, ne unum pro altero ſumatur breviter dicimus & declaramus. quatuor potiſſimum ſignorum genera traduntur. *Primum* deſumitur à viribus. *Secundum* a ſymptomatibus. *Tertium* a motibus Criticis. *Quartum* à cruditate vel coctione cauſæ morbificæ, & quidem cum vires ægrotantis validæ ſunt, ſymptomata mitia, & motus critici non apparent, imo ſæpe numero omnes fere evacuationes conſveta magna ex parte deficiunt, ac demum cruditas viget. *Principium* morbi *univerſale* dicitur; concuſſis vero viribus, augeſcentibus ſymptomatibus vel conſiſtentibus & apparentibus criticis evacuationibus, *augmentum* & *ſtatus* appellatur. Denique cum ſymptomata remittuntur vel deſinunt, criticæ evacuationes libere prodeunt & coctiones in uno quoque genere perſiſtunt, quamvis vires remaneant imbecilles, *univerſalis declinatio erit.*

Quia ergo in principio, morbifica cauſa, nondum per fermentationem in arterias & in ſangvinem irrepſit, vel ſaltem non usque quaque exagitavit vel infecit nec viſcerum operationes deturbavit; inde-

clina-

clinatione vero ſubacta atque evicta foras extruditur, idcirco circa initia & fines, omnia ſunt debiliora.

In hoc ergo Aphoriſmo quatuor perpetuo & potiſſimum morborum tempora manifeſtantur, *principium* nempe & *declinatio*, in quibus omnia ſymptomata ſunt remiſſiora, *augmentum & ſtatus*, in quo ſunt vehementiora, quia illo tempore, ut diximus omnia ſunt fortiora, quia magis patitur æger, atqui hoc fit in ſtatu ſeu vigore morbi, ergo omnia ſunt fortiora.

Hic autem non accipitur morbi vigor penes coctionem & cruditatem, ſed pro illo tempore quo patiens magis patitur & affligitur. Aliud enim eſt *ſymptomatum*, aliud *concoctionis* vigor. Vigor *ſymptomatum* per ſe non prohibet remedia, quia tunc temporis natura non poteſt agere contra morbum, ergo medicamenta ipſam non impediunt ab actione, cum non agat? E contra vigor *concoctionis* remedia prohibet, quæ naturam a ſuo opere revocant & impediunt.

Quando ergo ſymptomatum vigor ſeparatur à vigore coctionis, non omnia in illo ſunt vehementiora ut in pleuritide, quando vero cum eo conjungitur tunc omnia in eo ſunt vehementiora.

Sunt nonnulli morbi ut *ſynochæ febres*, quæ tantum vigoris tempus ſenſibile obtinent, principium vero & augmentum percurrunt inſenſibiliter. Alii morbi peracuti ſua tempora ita habent conjuncta, ut fere unum ſint ſenſibiliter, alio tamen modo inſenſibiliter ſeſe habeant.

Dices primo. Initium febris v. g. tertianæ eſt moleſtiſſimum cum vomitu, ſiti, inquietudine, quod non eſt in ſtatu, ergo falſum eſt, quod circa initia omnia ſint imbecilliora. ℞. In principio febris tertianæ omnia ſunt fortiora, quoad ſymptomatum vigorem concedo, quoad coctionis vigorem, nego, taliter enim ſunt imbecilliora.

Dices ſecundo. In morbo ſalutari omnia in ſtatu ſunt mitiora, quia in lethali omnia ſunt vehementiora, contrariorum enim eadem eſt ratio. ℞. In morbo ſalutari omnia ſunt mitiora in ſtatu quam in lethali, concedo, quia reſpective cauſa morbi & conſequenter ipſe morbus mitior eſt, & magis quidem quam in principio ubi aderat major malignitas, nihilominus vigor coctionis eſt major. Ex hoc tamen non ſequitur, quod in ſtatu ſemper mitiora ſint omnia, quoad omnia.

Apho-

Aphoriſmus XXXI.

Si à morbo belle comedenti corpus non proficiat, malum.

Nota hic Aphoriſmus quaſi idem eſt cum Aphoriſmo 8. hujus Sectionis: ſi à morbo cibum capiens quiſpiam vires non recipiat copioſiore alimento corpus uti indicat, ſi vero cibum non capienti idem eveniat, vacuatione indigere ſciendum eſt.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi appetitus reconvaleſcentium.

Connexio: Cum Hippocrates in mox allegato Aphoriſmo octavo hujus Sectionis, cauſas retuliſſet, cur convaleſcentes cibati non reficiantur. Dixit enim Aphor. 8. *Si à morbo cibum aſſumens quis non corroboratur, pluri alimento corpus uti ſignificatur: ſi vero non aſſumenti, nec appetenti hoc accidat, ſcire oportet, quod indiget evacuatione.* In hoc Aphoriſmo, illius octavi facit prognoſticum & dicit malum eſſe ſi appetens non proficiat, & quod lateat anguis in herba, ſubſitque periculum recidivæ, vel pejoris alicujus affectus. Hunc ergo Aphor. Divus Senex in *Signum* tantum, illum vero in *Cauſam* adduxit, quo nimirum & cauſam ſciamus *Cur* quis per cibum non corroboretur, & medelam ſimul adhibeamus auxilio evacuationis. Addit pariter *Cardanus, majus & deterius eſſe nihil proficere quam non corroborari: non corroborari enim neceſſario non eſt malum, ſed nihil proficere, nec viribus, nec carne, nec colore, quæ tria in morbis reperiri ſolent, hoc malum eſt. Malum* inquit *ſimpliciter*, ſed in quo genere non explicat Hippocrates. Arbitramur nos, in digeſtione, trajectione & nutricatu: ſi quidem avide comedentes, nihil tamen inde proficientes incidere ſolent in ciborum faſtidium & vomitum, mox etiam in obſtructiones, cachexiam, ventris profluvia, aliaque hujus generis mala.

Specialius autem meminit Hippocrates ſequenti Aphoriſmo pro-

proſtrati appetitus, veluti ab oppoſito provenientis: etenim ubi primum avide comedentes nihil profecerint, tandem cibum faſtidientes, non amplius appetent, ab excrementis in ventriculo congeſtis.

Verum nec hi procul aberrant à vero, qui exiſtimant (ut à principio innuimus) hic non de convaleſcentibus de quibus Aphoriſmus octavus, ſed de ægrotantibus ſermonem habere, ſi fortaſſe ex morbo ſeu morbi cauſa avide comedant & nihil inde proficiunt, quandoquidem malument, cum univerſa illa ciborum quantitas cupide ingeſta, nec in alimentum transmutata neceſſario in excrementitios ſuccos ſit convertenda, qui deinceps non tantum morbo priori ſuppetias dabunt, ſed etiam novum generantes, Naturam opprimient, cum vita diſcrimine, ut latius in ſequenti Aphoriſmo dicemus. Hic Aphoriſmus cum breviſſimus ſit, non patitur diviſionem.

In praxi paſſim obſervatur, a morbo reconvaleſcentes ut plurimum impense eſſe voraces, præſertim juvenes. Certum præterea eſt, quod appetitus in morbis revertens vires brevi reparare ſoleat. Accedit; quod ſi quis reconvaleſcens (vel etiam quiſcunque) appetat, neceſſe eſt ſtomachum bene ſe habere; quando autem non proficit, ſignum eſt adeſſe, vel pravos humores, vel partium intemperiem ſeu diætaſiam, vel alias cauſas externas vel internas, unde rurſum corrumpatur & vitietur alimentum. Ut v. g. ſi lateat in venoſo genere, aut meſenterii tractu ſaburra aliqua cacochymica, quæ chylum etiam optimum corrumpit, ut teſtatur Hippocrates in *Coacis, qui à morbo bene reficientes non proficiunt, ii maligne in recidivam incidunt.* *Vel* ſi calor naturalis copiæ ciborum aſſumptorum ſit adhuc impar, ut teſtatur Hippoc in dicto Aphor. octavo. *Vel*, ſi pravio febrili calore ſucci nimis evaporati & particulis activis depauperati, acorem præternaturalem eſurinum contraxerint, quo mediante non tantum cibos, ſed etiam ipſam corporis ſubſtantiam (non obſtante ciborum euchimorum uſu adhibito) depaſcuntur, ita ut fame quaſi perpetua reconvaleſcentes lancinati, ac ſi ſtomachus fundo careret, inſtar pullorum comedendo emarceſcat: In hos Poeta

Sunt tria queis nunquam ſatis eſt, mare, fæmina, flamma
Tu macilente vorax hectice quartus eris.

In his itaque caſibus, quando tale quid accidit, Medici requiritur officium & auxilium ut corpus per Epicraſim ſeu paulatim & per vices

evacuet, deinde nutriat & reficiat. præterea debet Medicus intemperiem vel diſcraſiam viſcerum corrigere alterantibus & cordialibus ſeu corroborantibus &c.

Signa autem quæ corpus refici docent, ſunt coloris in dies melioratio, marcoris deperditio, corporis profectus, actionum omnium reſtauratio. Secus autem fit, quando etſi bene cibetur in dies homo magis gracileſcit, calorem amittit, actiones deficiunt, ut patet in Cachexia.

Dices Hipp. 4. Aph. 23. dicit: *qui ventriculo ſunt calido præditi, frigidas habent carnes, tenuesque exiſtunt* &c. hoc loco agere videtur de ſanis, calidum ventriculum habentibus, & ob id gracilibus non proficientibus, ergo id non tantum dicitur de convaleſcentibus. R. Aliud eſt eſſe graciles à natura, aliud a morbo, prout noſtri convaleſcentes ſunt & de his agit noſter Aphoriſmus.

Aphoriſmus XXXII.

Ut plurimum omnes male habentes, circa initia quidem cibum bene ſumentes, neque quidquam proficientes, tandem cibum rurſum averſantur: qui vero circa initia, cibum vehementer faſtidiunt, poſtea autem bene appetunt, ii melius evadunt.

Contentum ſeu Intentio.

De Appetitus in morbis alteratione ſeu varietate.

Connexio. Hippocrates in præcedenti Aphoriſmo dixit appetentiam, quæ fit ſine ullo profectu eſſe malam & damnandam: In hoc præſenti Aphoriſmo dicit ejusmodi appetentiam ad finem rurſus in faſtidium mutari.

Hic Aphoriſmus in duas partes dividitur: in prima de his agit, qui in principio appetunt: in ſecunda vero de his, qui cibum faſtidiunt.

Duos

Duos differentes caſus proponit in hoc Aphoriſmo Hippocrates: *Primus Caſus* eſt illorum, qui Criſi imperfecta judicati, appetunt quidem cibos ſed comedendi non proficiunt: *Appetunt*, cum morbi reliquiæ non hæreant in primis viis, non *proficiunt*, cum chylus depravetur antequam in alimentum tranſeat, ex quo non corpus ſed morbus nutritur; hi ergo rurſus inappetentes fiunt, eo quod fermentum morbificum, in dies magis dilatatum, ſuccos tandem laudabiles, & fermenta viſcerum de novo inquinet: Nam teſte Ariſtotele, *omne agens agit, ut aſſimilet ſibi paſſum*, ex quo appetentia rurſus dejicitur. teſte Ovidio.

> Parva ſubinducta latuit ſcintilla favilla,
> Creſcere & veteres agitata reſurgere flammas.

Secundus Caſus illorum eſt, qui *circa initia non valde appetunt*, id eſt non magnum habent appetitum, quod cum ex levi cauſa oriatur, nihil mirum, *ſi rurſum appetentes fiant*, cum diſpoſitiones leviores natura ſola facile ſuperet.

Caſus ergo ultimus melior eſt quam primus; faſtidium nempe converti in appetentiam, quam è contra appetentiam converti in faſtidium.

Quæres utrum hic Aphoriſmus de convaleſcentibus, an etiam de ægris intelligendus ſit? ℞. *Primo*: Galen in commentario dicit eum de convaleſcentibus ſcriptum eſſe, alii autem etiam de morbi affectis interpretantur, eo quod ægrotantes, ſi circa initia morbi cupide comedant, nec inde quidquam proficiant, in declinationem perducti, cibos non appetant. Si vero ineunte morbo cibum valde faſtidiant poſtea bene appetentes proficiant in melius procedunt. ℞. *Secundo*: Sive Hipp. de convaleſcentibus ſive de ægris exponatur, certum illud erit, præſtare illos inter initia fame deſtitui, mox progreſſu temporis appetere atque edendo proficere, quam à principio, citra commodum avide comedere, & ut diximus poſtremo non appetere. Ratio hujus deſumitur ex eo, quia avide ab initio cibum aſſumentes nec proficientes, illum nec bene conficiunt, nec in aliti ſubſtantiam convertunt, unde neceſſario excrementitios & viſcoſos ſuccos cumulant, qui ventriculum opplentes, nauſeam tandem & ſtomachi faſtidium inferent; qui vero circa initia cibos abhorrent, diffuſos per ventriculi cavum humores, quibus fames obtunditur, media tandem corrigunt ac dige-

 runt,

runt, hiſque exſolutis appetitus redit, quo per cibum convenienter ingeſtum debite reficiuntur. Succi pariter ciborum digeſtioni & diſſolutioni addicti, licet inter initia inertes ſint ſenſim per mediam acuuntur, & vegetiores fiunt. Unde poſtmodum appetitum excitant, & aſſumptos cibos in ſuccos alibiles permutant pro virium & carnium inſtauratione.

Cur autem convaleſcentes plus appetant, quam quod poſſint concoquere, præter cauſas ſupra allatas eſt, quod ſint exſangues, unde cibi ex prima regione velocius & præpropere attrahuntur, hinc crudi permanent, qui poſtea corrumpuntur, unde cacochymia & vitioſa viſcerum fermenta, ut mox ſupra diximus, ſuboriuntur. Et revera melius eſt à principio reconvaleſcentiæ minus appetere, debilis enim natura non plus appetit, quam neceſſe eſt, dummodo inappetentia non diu duret, ne nimium deficiant.

Hinc modo colligere eſt, perperam eos agere, qui ſtatim à principiis morborum immodice cibos ingurgitant, putantes hoc pacto ſe viribus pro toto morbi decurſu opportune proſpicere. Tantum autem abeſt, ut id aſſequatur, ut potius excrementa multiplicantes, morbificam cauſam adaugeant, & morbum ipſum, ſi non deteriorem certe longiorem reddant. Non tamen hinc quis ſcrupuloſus exiſtimet, cibos ab initio morbi appetere, malum eſſe, cum alias in *quovis morbo mente conſtare & bene ſe habere ad ea, quæ offeruntur bonum* dicatur in ſequenti Aphoriſmo, ſed ſolum malum eſſe ut ægri ſtatim inter initia, multum ex appetitu comedant, quod plane digerere exacte nequeunt, præſertim quia appetitus in principiis morborum vigens naturalis & verus plerumque non eſt, quippe qui fieri ſolet a vitioſis & acidis humoribus ventriculum occupantibus, quod ſi adhuc conſentaneus & naturalis ſit, neque tamen multo cibo gravandus, ne plenitudine diſtrahatur natura ab opere coctionis cauſæ morbificæ, quæ ſæpe etiam intepeſcit à cibis, eorumque recrementis, unde poſtremo nauſea ventriculi torpor & diutius ſaltem morbus perdurat. Cæterum ſententia hæc non tam eſt univerſalis, ut aliquando non fallat, quo circa Hippocrates dixit *omnes fere*, ut nimirum ſignificaret, non ſemper, ſed plerumque fieri, ut id quod ipſe notavit, eveniat.

Appetentia duplex eſt. Naturalis & præternaturalis.

Prima eſt, quæ fit a ventriculo ſano, ſed in reliquo corpore adeſt caco-

cacochymia, ſive in una ſive in pluribus partibus ſubſiſtat, quæ poſtea ventriculo communicatur.

Secunda eſt, quando ventriculus vel eſt affectus intemperie ſeu diſcraſia, vel repletus acribus, acidis aut auſteris humoribus.

Svademus proinde Praxim exercere volentibus ægros convaleſcentes circa initia bene appetentes parce cibandos eſſe, juxta illud Hippocratis *corpora impura quanto magis nutries, tanto magis lades.* Idem tenendum in febricitantibus & in neutro ſtatu conſtitutis, de quibus etiam intelligendus eſt noſter Aphoriſmus.

Pro coronide hujus Aphoriſmi. Nota: His, qui à principio multum appetunt, nec quidquam proficientes, cupide comedunt, *moderata diæta* remedio erit, *Purgatio* vero, vel vomitus, his qui cibos faſtidiunt, ſi forte ſtomachum roborantia non profecerint.

Aphoriſmus XXXIII.

In quovis morbo valere ratione (id eſt mente bene conſtare) recteque ſe habere ad ea, quæ offeruntur, bonum, contrarium vero, malum.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi ex ratione & appetitu.

Connexio: Cum in antecedenti Aphoriſmo Hipp. magis laudaſſet inappetentiam, quam appetentiam in convaleſcentibus. Ne quis putaret, hoc in univerſum verum eſſe, in hoc Aphoriſmo, appetentiam cum ratione conjungit, magni enim momenti ſunt in morbis iſta duo.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem non admittit diviſionem, niſi quis ſecare velit in duas partes, propter duas concluſiones contrarias.

Duo in hoc Aphoriſmo Hippocrates univerſalia & præſtantiſſima ſigna ad prædicendam ſanitatem adducit nempe *mente conſtare, & bene ſe habere ad ea, quæ offeruntur.*

Certiſſima eaque Univerſalia in Praxi ſigna ſalutis & mortis: brevitatis & longitudinis morbi ab excrementis deſumuntur, quæ ſi fuerint cocta, ſalutem, ſi depravata & corrupta, mortem, ſi cruda morbi longitudinem indicant.

Ex majori enim vel minori receſſu à conſveto ſanitatis ſtatu, morbos graviores vel leviores conjicere ſolemus: illum autem à læſis operationibus metimur & quidem quo magis vel minus, vel plures vel pauciores illæ offendantur. Id ergo conſiderans hic Hipp. inquit: bonum ſignum eſſe in morbis quibuscunque operationes, tum ad partem animalem, tum ad naturalem ſpectantes bene ſe habere quippe quæ leviorem & minorem receſſum à naturali ſtatu feciſſe ægrum, arguant.

Poſt excrementa vim prædicandi & prognoſticandi magnam habent, hæc duo mox dicta in Aphoriſmo propoſita præcepta: *Mente conſtare & bene ſe habere ad ea quæ offeruntur*: *Primum* facultatis animalis integritatem: *Alterum* facultatis naturalis vigorem denotat: hinc optima ſalutis ſpes, cum facultates principes in membris principalibus robore polleant, in operationibus mentalibus nihil præter rationem & conſvetudinem agere.

Depravatur hæc actio *quatuor* modis, *primo* delira & abſurda contra rationem loquendo. *Secundo* motus habere incompoſitos & inconcinnos: *Tertio* in motibus & ingenio immutari; *Quarto* dolorem non ſentire. Hæc omnia in acutis peſſimum præſagiunt eſſectum, cum febris vel debeat eſſe violentiſſima vel ſaltem maligna, quæ tantam ſpirituum animalium confuſionem ſuſcitet (delirium enim nonniſi malis ægri rebus contingere poteſt, ſi illud excipias, quod rariſſime criticas evacuationes præcedit) maxime ſi fuerit continuum, quod ordinarie ipſius cerebri inflammationem denotat.

Appetitus itidem 4 modis depravatur.

Primi conſvetos tantum cibos ſumunt: *Alii* conſvetos nauſeant & recuſant, atque inſvetos deſiderant. *Alii* appetunt & appoſitos reſpuunt. *Alii* nec appetunt nec aſſumunt. Et hi omnium ultimo peſſime habent: Signum enim eſt ipſam facultatem appetitricem paulatim extingvi.

Patulum eſt Naturam optimum eſſe Medicum, ſi ergo robur Naturæ vigeat ſemper bene ſperandum: E contra ſi ad morbi vim accedat Naturæ debilitas, vix non deſperandum. cognoſcitur primum, ut diximus quod ſe ægri bene habeant ad ea quæ offeruntur: Alterum eluceſcit à contrario.

Per *mentem* intelligit Hippocrates, omnem ſenſum internum, ita ut

ut æger nihil præter conſvetudinem agat, vel ſibi imaginetur, nec judicet, nec timeat, nec lætetur, nec triſtetur, nec furiat, nec turpia loquatur nec obliviſcatur nec vigilet, nec ſopiatur, nec alimenta nec medicamenta reſpuat, nec difficulter ſpiret &c. Ratio enim ſtatus facultatis animalis appetitus naturalis præcipuum eſt argumentum. Meminit ergo Hippocrates in hoc Aphoriſmo *operationem animalium* quæ mentis & rationis: & *naturalium* quæ ventriculi appetentis & concoquentis ſunt; tacuit vero *vitales*. Fortaſſe, quia fuit illi in animo, eos potiſſimum morbos commemorare, quæ vitæ cominus inſidiantur; vel quia vitales non omnino labefactatas putavit, cum naturales & animales conſtant, vel quia vitalibus læſis comparare voluit naturales & animales bene valentes, vel quia demum, non omnes ad cerebrum & ad viſcera naturalia pertinentes, ſed duntaxat ratiocinationi & appetitui inſervientes operationes ſpecialius perpendentes exiſtimavit. Dicit enim *mente conſtare & bene ſe habere ad ea quæ offeruntur*: quaſi his duabus conſtantibus, reliquæ etſi deficiant, ſint ægroti convalituri. Tantum autem ejusmodi facultatibus, videtur tribuendum, ut ad vitam quoque ſpectantes inde foveri, ſint, qui crediderint, cum & cor moveri non poſſe dicatur, niſi per nervos & roriferum nervorum ſuccum à *Cerebro* ac puriorem chyli ſubſtantiam è Ventriculo ſuggeſtam. Unde non ſolum in hoc, ſed etiam ſuperioribus Aphoriſmis, plurimi fecit Hippoc. appetentis & concoquentis virtutis, quam, prout bene vel male ſe habeat, cæteræ pariter eodem modo affectæ conſequantur. Atque hinc *ſicut bonum dixit*, ſi æger mente conſtet, *& bene ſe habeat ad ea, quæ offeruntur*; ita ex adverſo, *malum ſi ad utrumque ſe male habeat*: quandoquidem præter læſas alias vitæ operationes, contingit quoque animales & naturales depravari; unde profecto diu vita prorogari nequit, ob maximum & remotiſſimum receſſum a conſueto ſanitatis ſtatu, ergo his duobus, ut diximus, veluti generibus ſignorum & gravioris & levioris morbi fidelibus ſeu fidis teſtimoniis, veriſimile eſt, voluiſſe Hippocratem de morborum acutorum eventu tradere prædictiones, de quibus antea meminerat, non licere tam certo præſagire.

Dices: Appetitus caninus & pica quandoque fit in morbis v. g. in chloroſi abſque damno, nam bene valent etiam comedentes cretam, calcem, conum &c. ℞. Etſi in pica non videantur ſtatim lædi, tamen illa tolerantior non eſt permanens, quia plerumque incidunt

in

in ſummum faſtidium, ideoque non poſſunt dici ad ea quæ offeruntur ſe bene habere.

Dices ſecundo: Maniacus mente non conſtat, cibos reſpuit & tamen curatur, ergo falſus eſt Aphoriſmus. ℞. Etſi maniacus curetur, attamen caput velut partem nobiliſſimam ægrotare malum eſt. Præterea quod Maniacus cibos reſpuit, ſæpe non fit ob defectum appetitus, ſed quia judicium habet depravatum.

Dices tertio: In principio febris tertianæ ægri ſeſe male habent ad ea quæ offeruntur, & tamen non eſt malum, ergo falſus eſt Aphoriſmus. ℞. Illam intolerantiam non eſſe permanentem, de qua intelligendus eſt Hippocrates.

Quæres: Quomodo ægri dicantur appetere medicamenta, cum illud rariſſimum ſit. ℞. Hic appetere ægri [illegible] non reſpuere.

Aphoriſmus XXXIV.

In morbis minus periclitantur, quorum Naturæ & ætati & habitui, & anni tempeſtati morbus magis cognatus fuerit, quam quibus in nullo horum cognatus fuerit.

Contentum ſeu Intentio.
De Morbis congruis.

C*Onnexio*: Cum in præcedenti Aphoriſmo mentis conſtantiam & ſtomachi appetentiam, veluti certiſſima duo ſalutis prognoſtica, attuliſſet Hippocrates. In hoc Aphoriſmo aliud univerſale ſignum adducit, quod ad prognoſticandum de ægri ſalute maximum affert emolumentum.

Quamvis quidem exitus morborum in ancipiti perpetuo ſint, ut alibi dictum, nihilominus, ſi illi congruant Naturæ, ætati, conſvetudini, habitui, anni tempori &c. minus de vita ægrotantis, vereri contingit, quam ſi omnino diſſentiant.

Hic

Hic Aphoriſmus propter materiæ unitatem, dividi non poteſt, ſed unimembris manet.

Aphoriſmus autem præſens, aureo calculo & omnium practicantium memoria digniſſimus eſt: vult enim Hippocrates, morbos eſſe ſalubriores, ſi conſentiant *Naturæ*, periculoſiores vero ſi diſſentiant, per naturam Galen. intelligit temperiem, Neoterici craſim, ſeu potius propriam cujusque corporis conſtitutionem, unde ratione hujus dicuntur morbi conſentientes, vel diſſentientes: v. g. febris ardens in temperamento pituitoſo: morbus in aſſveto repugnat conſvetudini, ætati v. g. febris in ſene; unde dixit Hippocrates 1. Aphoriſmorum 14. ſenes raro & difficulter acutis febribus corripi, facillime Juvenes: *Habitui* v. g. febris in corpore craſſo, denſiore: *Tempori* v. g. febris in hyeme vel autumno. Et hoc non tantum de vitæ periculo, ſed etiam de longitudine morbi intelligendum eſt. Verificatur autem hæc regula primario, ſi morbus cum temperamento noſtro diſſentiat; Ratio eſt, quia cum morbus auferri nequeat, niſi ablata cauſa morbifica, ſequitur morbum illum curatu difficiliorem eſſe, cujus cauſa eſt vehementior, major & violentior. Præſupponitur autem, cauſam, quæ cum natura noſtra diſſentit, talem eſſe: nam teſte Ariſtotele, *inhabentia ſymbolum, facilis eſt tranſitus*, Et magna noſtræ naturæ debet inferri violentia, ſi in corpore bilioſo, in juventute, in macilento, in æſtare, pituitoſus humor colligatur. Hæc eadem eſt ratio cur juvenes robuſtiſſimi, ex morbis acutis citius intereant, quam imbecilles & valetudinarii, robuſti enim non niſi ex cauſa vehementiſſima decumbunt; Imbecilles levis etiam cauſa proſternit. Non inepte, & non absque Joco ex hoc Aphoriſmo Poeta quidam ingenioſus conatur diducere rationem, cur parvi fures catenis ferreis ſuſpendantur, magni aureis exornentur.

Fur dives ſplendet, fur pauper ab arbore pendet,
Qui neſcit cauſam, conſulat Hippocratem.
Cum Natura malum fovet, eſt ait, absque periclo,
Res eſt divitibus, congenita accipere
Magnates ſunt Magnetes: quia ferrea magnes
Corpora, Magnates aurea dona trahunt.

Id quod diximus de Natura, ætate, habitu, conſvetudine, tempore etiam de aere, ſexu, regione, & vitæ conditione &c. debet intelligi.

Hæc enim & ſimilia ſive congrua ſint, ſive incongrua, variant progno-ſin, ſic morbi congrui diſpoſitionem humorum, incongrui indiſpoſi-tionem & ſic majorem receſſum a ſtatu naturali denorant, & ideo in-congrui præ congruis magis periculoſi.

Verum in his omnibus hactenus dictis, contrarium viſum eſt Diocli Caryſtio, qui proximus poſt Hippocratem temporibus claruit, exiſtimans longe pejus ſe habere ægros a ſimilibus quam a contrariis, quippe qui a ſimilibus afficiantur, ab oppoſitis vero curentur, ut ipſe-met Hippocrates ſtatuit *Lib. de flatibus*. Et quidem videntur minus reſiſtentes facilius ſuccumbere, quam qui diſſentientem nacti ſunt temperaturam, corporis conſtitutionem ac habitudinem. Unde gra-ciles facillime evadunt tabidi, & obeſi, & otioſi, quacunque levi ex cauſa incidunt in hydropem, & pituitoſi ſenes, gravedines ac raucedines immedicabiles incurrunt.

Verum his aliisque argumentis ſatis abunde feciſſe videtur Gal. in commentario, qui aliter ac Diocles à cauſa temporis, ætatis & habi-tudinis contrarietatem ſuperante, Hippocratem ſic tuetur: *Cum enim, ipſe inquit, anni tempus cohibere non potuerit cauſæ magnitudinem, cum tamen haberet ſanitatem ſibi ſuffragantem, multo minus jam facto morbo ſuperaverit, non aſſiſtente ſanitatis robore.* Atqui Hippocrates dixit, minus periclitari eos, quibus aliqua ratione congruit morbus, quia mi-norem receſſum patiuntur à ſanitatis ſtatu, qui vero in diſſentientes ſibi morbos incidunt, à potentiori ſane cauſa corripiuntur, quæ ſcilicet va-luerit omnino diſſimilem ætati, naturæ, conſvetudini, & anni tempo-ri morbum inferre. Finge ſenem incidiſſe in ardentem febrem, vel alium acutum morbum, procul dubio cauſa, quæ acutum ejusmodi morbum intulit, validiſſima exiſtimanda eſt, quæ ſenilem ætatem cum tanto receſſu à ſuo ſtatu deturbavit. Sic etiam quod ſenibus contin-gant, Podagræ, calculi, catharri, nihil mirum, cum vel levi ex cauſa hos morbos incurrant, ſed iisdem juvenes vexari, gravius omnino, quoniam cauſæ deſignantur adeo validæ, ut potuerint cum tanto re-ceſſu à naturali & conſveto ſtatu juventutem pervertere & labefacta-re. Hic animadvertere decet, non dixiſſe Hippocratem minus affici, corripi aut laborare, ſed *minus periclitari* quorum Naturæ, *ætati, con-ſvetudini aut anni tempori congruit morbus*, ſiquidem licet omnino ve-rum ſit, difficilius homines ardente febri corripi hyemali tempore,

quam

quam æſtivo; ſenes quam juvenes, pituitoſos quam biliosos, ſedentarios quam exercitatos, attamen quandocunque ardens febris hyeme aliquem invaſerit ea vehementia, qua ſolet æſtate, tum profectò æger in magno diſcrimine cenſendus eſt ob cauſæ vehementiam, quæ potuerit febrem ardentem hyeme progignere.

Dices primo Convulſio ſeu Epilepſia teſte Hippocrate 4 de morbis. eſt pueris familiaris, & tamen eſt illis periculoſiſſima, quia plurimos inde mori quotidie contigit. ℞. Pueri à convulſionibus ſæpiſſime moriuntur per accidens, vel quia minus poſſunt reſiſtere ob debilitatem, vel quia plures convulſionibus afficiuntur, ergo etiam plures mori neceſſe eſt.

Dices ſecundo: Sputum ſangvinis eſt affine juvenibus, & tamen ex hoc teſte Hippocrate 4. de morbis facilius moriuntur, quam ſenes, ergo non ſubſiſtit Aphoriſmus. ℞. hoc etiam fieri per accidens, & non per ſe, id eſt, quia juvenes facilius & magis inflammantur quam ſenes, & magis acutioribus morbis afficiuntur quam ſenes.

Dices tertio Hippocrates 2. Aph 4. dicit Catharros in ſenibus non concoqui, ſed comitari usque ad mortem, atqui catharri ſunt affines ſenibus, ergo Aphoriſmus fallit. ℞. Catharros per ſe non eſſe cauſam mortis in ſenibus, ſed caloris debilitatem, qui eos non poteſt amplius concoquere.

Inſtabis: Iſti debili calori ſunt affines catharri, ergo affines morbi ſunt magis periculoſi. ℞. Affines morbi ſunt magis periculoſi per ſe nego. Per accidens concedo. Negatur etiam ſuppoſitum, quod catharri ſint affines ſenectuti, quia ſenectus quo ad partes ſolidas conſiſtit in ſicco & non in humido.

Dices quarto Febres in æſtate ſunt breviores, & tamen non omnes febres ſunt æſtati cognatæ. ℞. Sunt breviores, tranſeat, ſunt ſemper ſalubriores nego, de periculo enim hic loquitur Hippocrates.

Dices quinto: Ariſtoteles Problematum 25. dicit omnes morbos periculoſius afficere in æſtate, quam hyeme, ergo febris biliosa erit periculoſior, etſi ſit tempori cognata. ℞. Quando Ariſtoteles loquitur, omnes morbos æſtate eſſe periculoſiores, facit comparationem ad vires, quæ tunc temporis ſunt debiliores, non vero ad tempus.

Dices ſexto. Hippocrates dicit febres autumnales aut longæ aut

lethales, ſed hæ conveniunt tempori, ergo non ſubſiſtit Aphoriſmus. ℞. Febres autumnales conveniunt tempori ratione cauſæ concedo, ratione eſſentiæ nego. Quartana enim eſt intermittens, & periculo vacans. ſi vero febris quartana degeneret in continuam, fit lethalis, quæ tempori non eſt cognata, vel etiam ſi degeneret in hydropem, qua non fit ratione febris, ſed ratione errorum commiſſorum.

Quæres primo. an robuſti, & etiam ii, qui nunquam ægrotarunt, periculoſius ægrotent, quam debiles & valetudinarii. R. Quod ſic, quia major eſt receſſus à ſtatu naturali & cauſæ ſunt violentiores.

Quæres ſecundo. Quinam demum ſint morbi ætatibus & conſtitutionibus temporum congruentes. ℞. Eos late proſequitur Hippocrates Sect. 3. ubi ſingulorum morbos enumerat.

Aphoriſmus XXXV.

In omnibus morbis partes, quæ ad umbilicum, & imum ventrem ſunt, craſſitudinem habere melius eſt: valde vero tenues, & labefactatas eſſe, pravum, ſed & hoc quoque ad infernas purgationes periculoſum.

Contentum ſeu Intentio.

De Examine & conſtitutione infimi ventris.

Connexio. Cum in antecedentibus Aphoriſmis de univerſalibus ſignis, ad prædictionem egiſſet, quæ ex appetentia, mentis conſtantia, morbi aſſinitate, ejusque intenſione & remiſſione, tempore & eventu &c. petuntur. In hoc Aphoriſmo aliud ſignum aſſumit ad eandem intentionem à ventris inferioris diſpoſitione & conſtitutione: dicitque ejus craſſitiem, carnoſitatem, figuram hemiſphericam, non nihil tamen depreſſam eſſe bonam. Macilentiam & tabem præter naturam & conſuetudinem eſſe malam præcipue ad infernas purgationes.

Hic

Hic ergo Aphoriſmus in duas dividitur partes, in prima ponit ſignum, à diſpoſitione ventris ad bonum, in ſecunda vero ad malum. Ut ergo Medicus ex hoc ſigno de morbi eventu certior fiat, primo prognoſticorum 37 ſtatim à principio monet Medicum, ut viſu & tactu eos diligenter exploret, an tumeant, renitant, caleant, inquit enim citato loco optimum eſſe, hypochondria abſque dolore eſſe mollia & æqualia &c. Tales enim partes bene conſtitutæ ad alimentorum digeſtiones, diſtributiones, ad excrementorum ſeparationes, receptiones & tam naturales quam artificiales excretiones plurimum faciunt, ex quibus boni vel mali toti corpori accidit, dependet: nam quod eſt terra plantis, hoc eſt venter animali, hic enim robur maxime declarat, quod nempe earum partium pinguis ſubſtantia nullo morbo ſit abſumpta, craſſities enim partium ventris inferioris ex duplici cauſa bonum promittit effectum.

Primo quia ſignificat partium nutritarum (quæ ſunt viſcera inferioris abdominis) vigorem, ipſiusque ſangvinis nutrientis, tam laudabilem eſſe conditionem, ut à ſtatu naturali nondum (ut mox diximus) receſſerit: hæc autem omnia in omnibus morbis bene ſperare faciunt.

Secundo quia craſſities partium abdominis, etiam ut *cauſa* omnes digeſtiones, concoctiones, & ſeparationes plurimum promovet, eo quod calor naturalis in partium craſſitie conſervetur diutius & operetur intenſius.

Hinc patet ratio, cur macilenti illi Hypochondriaci, quibus umbilicus vix non dorſo alligatus, & omentum omni pingvedine deſtitutum, per modum telæ aranearum inteſtina involvit, quibus ſtomachus, inteſtina, & meſenterium, omnino macilenta & carnoſa eorum tunica, omnino ſubtilis, velut membrana pergamena exiſtit, perpetuam accuſent ſtomachi debilitatem. Nam calor digeſtivus ad chyloſim neceſſarius in partibus tam tenuibus, quam macilentis, nec eſt ſatis intenſus, nec ſatis copioſus, adeoque ad ſtomachi digeſtionem inſufficiens.

Conſiſtit autem hæc ab *Hippocrate* deprædicata abdominis craſſities in muſculorum abdominis & viſcerum debito & molli incremento, nec non proportionata abdominis pingvedine quæ veluti culcitra partes regendo, & fovendo, calorem naturalem non parum intendit.

Digitized by Google

Dicitur *debito, & molli incremento*. nam ſi viſcera ſolito duriora & majora forent, ipſeque venter quaſi inflatus excreſceret, non pro bono, ſed malo omnino habendum eſt. Nam venter ſolito durior & major, inflammationes, obſtructiones, ſcyrrhos &c. Solito flaccidior crudorum humorum abundantiam; ſolito magis inflatus, caloris nativi paupertiem & flatuum copiam denotat. Sagaciſſime proinde celebriores Medici in Italia, & Gallia, utpote genuini Hippocratis filii perpetuam tenent ventris inferioris rationem, & vix non in omnibus morbis, Hypochondria, & abdominis partes tangendo, craſſitiem, vel macilentiam, duritiem, vel mollitiem, calorem, vel frigus explorant: qui mos laudabiliſſimo medico Hippocratico digniſſimus, & abſolute neceſſarius eſt; Mirari proinde licet aliquorum in Germania Medicorum etiam celeberrimorum vel inexcuſabilem negligentiam vel culpabilem pudicitiam (ſupponimus enim Medicos in tangendo corpore debere eſſe Angelos) qui nullo habito hujus Aphoriſmi & Ventris inferioris reſpectu in chronicis & acutis, nec ſemel ventris aut Hypochondriorum regionem tangere dignantur, cum tamen hæc cognitio ad prognoſin & curationem abſolute ſit neceſſaria. Et hoc eſt quod vult Hippocrates, dum dixit, *ſed & hoc quoque ad inferiores purgationes periculoſum* quaſi vellet dicere. ſi velis ægrotum violentiore cathartico evacuare, explora prius abdominis regionem, nam craſſities harum partium in violentis purgationibus abſolute neceſſaria eſt: primo, quia in magnis purgationibus partium expellentium robur requiritur, quod per partium craſſitiem plurimum promovetur: *Secundo*, quod inteſtina tenuia & ſubtilia pingvedine deſtituta à medicamenti purgantis violentioris acrimonia facile excoriarentur. Unde Hippocrates ante magnas & violentas ſui temporis purgationes corpora, longo lactis uſu humectare & nutrire ſolebat. Et hinc ſequitur craſſiores ventres catharticis etiam violentioribus tuto, raræ texturæ corpora non niſi lenitivis tractari debent.

Hunc totum Aphoriſmum in compendio tradit Poeta.

Si pingvis venter, purgat Medicina libenter,
Si pingvedo perit, tunc Medicina ferit.

Sed nota Hippocrates in hoc Aphoriſmo dixit *melius eſſe*, non autem omnino bonum, nam nullam pati iſta interiora in morbis extenuationem, bonum non eſt, ut ſupra diximus, ſed & obſtructionem, hydro-

hydropem, & alium ſimilem affectum oſtendit. unde ſubjunxit; *multum vero extenuari & contabeſcere malum*: multam opponens extenuationem craſſitudini. Sicut enim impoſſibile eſt, nullam ex morbis quibuſcunque ſubſequi in abdomine extenuationem, ita multam & excedentem, malam omnino eredere opottebit: quippe hæc non tantum viſcerum in imo ventre contentorum magnam noxam oſtendit, ſed etiam ſucci alibilis malitiam & ineptitudinem: quare iſtæ ingentes emaciationes in malignis, & pernicioſis morbis plerumque obſervantur.

Quid autem abdomen ſeu venter inferior ſit, ubi incipiat & finiat, quæ in eo contineantur partes &c. ex Anatomia cuique ſatis patet.

Quæres, an etiam Hippocrates in hoc Aphoriſmo purgationes per ſuperiora intelligat. ℞. Implicite quod ſic, quia etiam in valde extenuatis non facile vomitoria propinamus. Nec obſtat Aphoriſmus 4. Aph. 6. *graciles, & facile vomentes per ſuperiora* eſſe purgandos, ergo etiam graciles & extenuati per inferiora ſunt purgandi. ℞. Hic non intelligi omnino graciles, & valde extenuatos, ſed aliqualiter graciles & lati pectoris facile vomentes & pronos ad vomitus: Extenuatis autem purgationes potenter nocent, quia privantur auxilio neceſſario, auſferendo utile neceſſarium quod abſque hoc eſt exiguum, & præterea etiam partes nudæ & graciles potenter vellicantur, & eroduntur à medicamentis purgantibus.

Aphoriſmus XXXVI.

Sana habentes corpora, pharmacu purgata, cito exſolvuntur, ut & qui pravo utuntur victu.

Contentum ſeu Intentio.

De Diſpoſitis ad Hypercatharſim.

Connexio: Expoſuit in præcedenti Aphoriſmo, eos qui ventris gracilitatem ſeu extenuationem habent, ineptos eſſe ad medicamenta

Google

menta purgantia; in hoc Aphoriſmo dicit ſana corpora, vel ſimpliciter ſeu abſolute talia, vel ut non talia, victu pravo nempe utentia, medicamentis purgantibus facile exſolvi, adeoque non eſſe temere fortibus movenda. Verbo, in hoc & ſequenti Aphoriſmo memorat Hippocrates medicamentorum purgantium damna, in ſanis præſertim corporibus. Nam quæ corpora malo victu utentia fortiter movent & exagitant, eadem facile exſolvunt, ſed medicamenta fortia id faciunt, ergo eadem facile exſolvunt, ergo ab iis abſtinendum eſt. Præterea medicamenta, ubi in corporibus ſanis humores peccantes non reperiunt, adoriuntur utiles & alibiles, ut in priori Aphoriſmo diximus, hypercatharticè ſpiritus & corpora reſolvunt.

Duas ergo habet partes hic Aphoriſmus: prima ad ſana corpora, altera ad male nutrita refertur.

Corpora proinde ſana, ſeu nimius ſuccorum vitioſorum cumulo affecta, graviter, & fortiter afficiunt purgantia, id enim quod Naturæ familiare eſt aggrediuntur. Sic pariter corpora, quæ alias ob pravum victum alia, meliori victu utentibus ſunt imbecilliora, acrimoniamque domeſticam jam foventibus, per medicamentum facilius & potentius diſſolvuntur, diutius hærendo in ſtomacho, teteros vapores tum cordi tum capiti communicando, partes vellicando, & multa alia ſymptomata excitando. ſatius eſt ergo talia adhibere, quæ per Epicraſim ſeu paulatim evacuant, & a viribus debilibus ſufferuntur.

Cum enim medicamenta purgantia & cathartica irritando quadam vi partibus infenſa humores educant, ſi fortaſſe vitioſi ſucci non adſint, utiles liquores ad expulſionem ſolicitari, pravos vero ad irritationem ingentem moveri neceſſum eſt, unde corpora labefactari contingit. Ejuſcemodi autem perturbationis, atque exſolutionis mala, atteſtantur, ſitis, ciborum faſtidium, vomitus, dejectio, ventris tormina, coloris faciei mutatio, macies, & id genus alia, quæ catharſim comitantur, vel conſequntur importunam. Quod autem irritante vi purgantia medicamenta humores expurgent, & educant, liquido conſtare poteſt ex eo, quod glandes ſeu ſuppoſitoria podici indita, à ſuperioribus etiam inteſtinis, ad motum periſtalticum laceſſitis fæces ſubmoverant. Mercurius vitæ lingva deguſtatus vomitum provocat, & dejectionem. Ungventum de Arthanita abdomini & umbilico illitum alvum ſolvit: Purgantia per inferiora, in majori doſi exhibita vomitum

mitum movent, non alia ex cauſa, niſi quia vehementius ventriculum vellicant, & citius quam diſſolutio peragatur, ſtomachi tunicas & fibras laceſſunt.

Non autem ſana omnino corpora, aut ea quæ pravo utuntur victu, à purgantibus offenduntur, & debilitantur, ſed etiam quæ nuper á morbo convaluere, poſt evictam, & extruſam cauſam morbificam, atque in priſtinum ſanitatis ſtatum ſunt reſtituta quin imo longe majus futurum damnum timere eſt in reſtitutis, quæ ſane imbecilliora eſſe ſolent, quam in his, quæ antea ægrotarunt ſiquidem illa non ſunt pravis cibis infarcienda, ita neque catharticis moleſtanda, cum perinde ſit, membra ſuo & convenienti alimento privare ac malis ſuccis replere.

Notandum autem, quod ſanum corpus duplex ſit: unum ſimpliciter *ſanum*, quod ſanum ſimpliciter dicitur. alterum ſanum ut nunc tale, quod ſuam propriam habet ſanitatem; de utroque loquitur Hippocrates in Aphoriſmo

Dices: Juxta hunc Aphoriſmum nunquam eſſent purgandi humores vitioſi, ergo eſt falſus. ℞. Si adſit cum humoribus vitioſis magna virium debilitas & inferioris ventris gracilitas, nunquam erunt purgandi fortibus remediis concedo lenioribus & per intervalla nego.

Dices ſecundo: Corpora robuſta facile ferunt purgationes, ſed ſana corpora ſunt robuſta, ergo. ℞. Corpora robuſta quatenus ægrotant & ægra ſunt, facile ferunt purgationes concedo quatenus ſana ſunt. Nego.

Dices tertio: Ruſtici & labotatores ſeu Opifices pravo utuntur victu, & tamen facile ferunt purgationes. ℞. Negando conſequentiam, imo peſſime ſe habent poſt medicinas, & licet pravo utantur victu, ob labores tamen, pauca progenerant excrementa, & ideo ad ſumendas medicinas inepti ſunt.

Dices quarto: Ergo purgationes majales & præſervativæ in ſanis corporibus erunt fruſtraneæ. ℞. Corpora in Majo non expurgantur ut abſolute ſana, ſed ut ſana ſecundum quid, ergo etiam ſecundum quid purgari poſſunt.

Dices quinto: Humores cacochymici & vitioſi ſunt expurgandi, atqui qui pravo utuntur victu, tales habent, ergo. ℞. dicendo minorem ſunt expurgandi fortibus remediis de quibus loquitur Hipp. nego lenioribus concedo.

Dices ſexto: Natura ipſa expellit humores, ergo etiam poteſt fieri per medicamenta. ℞. Naturam irritatam etiam expellere utiles & alibiles humores, atqui hoc non fit à Natura per ſe, ſed per medicamenti acrimoniam Naturam irritantem, ergo per accidens.

Aphoriſmus XXXVII.

Qui bona (id eſt) integra ſunt corporis valetudine purgationes difficulter ferunt.

Contentum ſeu Intentio.

De Purgatione ſanorum.

Connexio: Jure merito hic Aphoriſmus ordine doctrinæ, antecedenti præponi aut ſaltem eidem adjungi debuiſſet, Univerſalior enim eſt priore, ut pote qui ad omnem medicationem, & non tantum ad pharmaca, ſed ad omne genus medicamenti, ſive ex pharmaceutico, chirurgico, aut diætetico deſumptum ſit ſe extendere videtur.

Unde nonnulli ſunt, qui utrumque hunc Aphoriſmum nectunt hoc modo: *qui ſanitate corporis fruuntur, medicamenta purgantia aſſumentes, ſtatim debilitantur: quoniam qui corpore valent, difficulter ferunt purgationes.*

In hoc Aphoriſmo ob brevitatem nulla datur diviſio, ſed breviter Divus ſenex oſtendere vult, corpora ſana, non tantum a purgante medicamento exſolvi, & in alia multa incommoda incidere (quia nulla adeſt medicamenti cathartici indicatio) ſed etiam ab omnibus aliis medicamentis lædi. Nam primo purgatione offendi in præcedente Aphoriſmo probatum eſt; quod ſecundo à venæ ſectione lædatur quandoque, apparet, & docet experientia, quia ſæpe in vertigines, lethargum, deliquium incidunt ob motum humorum per venæ ſectionem factum.

Quod autem Hippocrates in hoc Aphoriſmo potius meminerit purgationis, quam venæ ſectionis, ratio eſt, quod frequentior committatur error in purgatione quam venæ ſectione; præterea, quia citius mederi

mederi poſſumus erroribus à venæ ſectione commiſſis quam à purgatione: Sanis enim & ægris ſæpe nocet purgatio, ſi non bona & attenta habeatur Naturæ humorum, & ipſius medicamenti fortioris aut lenioris conſideratio, ex his enim tormina, humorum motus, vertigo, ſyncope, & alia mala eveniunt.

Omnis denique quæcunque ſit medicatio, ſano corpori obeſt; Nam ſana corpora ſe bene habent ad conſervationem, ergo male ſe habent ad curationem; conſervatio enim fit per ſimilia, curatio per contraria, quæ dum non contrariantur morbo, utpote non exiſtenti, contrariantur corpori illud aggrediendo. Patulum enim in quotidiana praxi eſt, à medicamentis purgantibus bene valentia corpora plurimum turbari, & concuti, atque irritatione viſceribus illata, fermenta depravari, ſangvinem fundi, & ſuccos nutritios & alibiles exſolvi: ſunt enim purgantia, ut alibi diximus de genere venenorum, & ut Celſus habet, humano corpori inimica, quæ ſi fortaſſe inveniant, quos extenuent ac diſſolvant pravos humores, leviorem noxam inferunt: ſi vero ut in corporibus ſanis non habeant, quod Cacochymicum exturbent, utiles ac ſalutares humores invertunt, depravant, corrumpunt, unde non ſine gravi virium jactura tolerantur, ni forſan planè perimant, & occidant.

Neque tamen verum eſt, quod Galen. in Commentario habet, evenire ejusmodi mala in ſanis, quia purgantia medicamenta, cum ſibi proprium, quem attrahere appetunt, non inveniant humorem, neceſſario ſangvinem & carnes eliquant, ut ex ipſis illum ſeligant. Satis enim, ſuperque liquet, omnes, & quoscunque humores indifferenter educi, quocunque purgante Medicamento, niſi quod a benignioribus levius, à vehementioribus efficacius promoveantur, & expurgentur, ut latius alibi diximus & dicemus.

Quamvis autem ſupra dictum ſit, cathartica in ſanis difficulter tolerari, non tamen hinc quis exiſtimet, facilius illa ſufferri in ægris, quippe in utrisque eadem vel paria ſymptomata comperimus. Id vero in his diſcrimen aderit, quod purgatio in ægris, ſi recte & opportune inſtituatur, morbificam cauſam eliminando prodeſſe poterit, in ſanis vero præter noxam ab irritamento etiam utiles ſucci evertuntur, & evacuantur viribus infractis. Quamobrem jure optimo animadverſum hic eſt ab Hippocrate ægrius ferri à ſanis quam ab ægrotanti-

bus medicationes, cum revera cacochymica corpora ex quovis leviſſimo pharmaco ſubitas ſortiantur evacuationes, euchymorum vero purgationes difficilius fiant, & maxima cum univerſi corporis perturbatione.

Dices primo: Venæ ſectio prodeſt hominibus ſanis, ergo in hoc Aphoriſmo non comprehenditur. Prob. Anteced. Prodeſt Athletico corpori, ſed Athletæ ſunt ſani, ergo prodeſt ſanis corporibus venæ ſectio. ℞. Athleticos non haberi pro vere ſanis, de quibus loquitur Aphoriſmus, quia tales ad ſummum repletionis gradum pervenerunt, & licet de facto non ægrotent, brevi tamen futurum eſt teſte Hipp. 1 Aph. 3.

Dices ſecundo: Diæta medicamentoſa non videtur in ſanis prohiberi ex hoc Aphoriſmo, quia hæc corpori non obeſt. ℞. Etiam diætam medicam in corporibus vere ſanis ſuperfluam eſſe, imo ex ſuppoſito, quod omnia ſint bene conſtituta in corpore, plus obeſſe, quam prodeſſe.

Plura repete ex Aphoriſmo præcedente, quæ hic locum habent.

Aphoriſmus XXXVIII.

Paulo deterior & potus & cibus, ſuavior tamen, melioribus quidem, ſed inſuavioribus (ſeu ingratis) præferendus.

Contentum ſeu Intentio.

De aſſumptorum gratia & ſalubritate comparata.

Connexio: Cum in antecedenti Aphoriſmo tractaſſet Hippocrates: quomodo ſana corpora ſe habeant ad Medicamenta, in hoc Aphoriſmo oſtendit, quomodo ſeſe habeant tum ſani tum ægri ad cibi & potus, vel melioris vel deterioris exhibitionem, dum ait (quod multis paradoxum videtur) paulo deteriorem, ſed ſvaviorem ad guſtum ſaltem. Ita & ſvavem ſeu ad guſtum, meliori & ſaniori non tamen ad guſtum, id eſt ingrato, præferendum eſſe, dicitur paulo deteriorem, id eſt, non

nimis

nimis malum, aut ex ſe omnino pravum & malum, de quo non loquitur Aphoriſmus.

Brevitas hujus Aphoriſmi nullam patitur diviſionem. Hoc tamen brevi Aphoriſmo Hippocrates (licet paſſim conſtet, quod nemo in propria cauſa poſſit eſſe Judex, & arbiter) inſinuare velle videtur, quod Medicus miſſa omni moroſitate & ſcrupulo, aliquando ſed prudenter, guſtui patientum debeat indulgere, & gratificari quantum fieri poteſt, & licet; imo ejusdem decreto aliquid concedendum eſt, conſvetudini, ætati, anni tempori, Regioni &c. dum non noceat, prout faciunt quidam Adulatores Medici & medicaſtri, qui ne Patientes offendant, deterrima quæque concedunt, & potius à patientibus reguntur, quam patientes à Medicis. Cordatus vero & fundatus Medicus in rebus nocentibus debet eſſe inexorabilis teſte Gal. 1. Meth. inquiente: Medicus debet imperare ægris, ſicut Imperator & Dux imperat ſubditis.

Cum ergo pateat *primo* cibos alios, ita & potus, ab aliis ſapore, guſtu, gratia, & ſalubritate differre: Patet *ſecundo* optimum ciborum & aſſumptorum omnium condimentum, & intrinſecum eſſe appetitum.

His ergo ſuppoſitis facile eruitur ratio hujus Aphoriſmi, quod ille cibus, etſi in ſe ſit deterior, modo magis ſapiat ægroti palato, vel conſvetus ſit (conſvetudo enim altera Natura) vel ſolidus & nutritivus ac utilis ſubſtantiæ, vel habens aliquam ſympathiam & proprietatem cum noſtro corpore (ſicut enim per antipathiam multa averſamur, ita per ſympathiam multa appetimus) præferendus ſit meliori. Ratio rationis datur; ad quæ enim Archæus ſeu Natura magis fertur, eo facilius feruntur & concoquuntur, quæ vero averſatur, minus feruntur, & concoquuntur: quod enim ſapit, nutrit, & conducit, quod non ſapit, nocet, gravat, & deſtruit. Hinc experientia videmus, plurimos curatos, vel per avide devoratos crambes (vulgo Köhl-Kraut) quibus ſe à quartana liberarunt: alios hal. cum eſu idem præſtitiſſe. Non autem horum & ſimilium ciborum ſvavitas, extendi debet & poteſt ad omnes ſeu ad totam ſpeciem, ſed tantum ad quædam individua v. g. Petrum vel Paulum, ejusmodi cibos appetentes, quos forſan Joannes & Jacobus, & omnes alii averſarentur.

Et licet, ejusmodi cibi, vel cauſæ morbi, vel morbo ipſi ſimiles

eſſe videantur, attamen quod tam avide appetantur, vel his ita delectetur Natura, eosdem in ſinu ſuo fortisſime conſtringit, virtusque unita fortior efficiatur, Natura enim optima alimentorum coqua, & optimæ morborum medicatrix eſt. Ratio ergo generalis hujus noſtri Aphoriſmi deducitur a *ſuavitate*: quia ſuaviorem cibum aut potum ventriculus arctius amplectitur, retinet, melius digerit, atque in probum chylum transmutat, unde vires & membra reficiuntur. De hoc plura vide in Hippocrate Lib. de Affectionibus: Item 6. Epidem. ſ. 4.

Hinc & Autopſia docemur laxiorem paulo diætam & copioſiorem ſæpe ſtrictiori, modo intra terminos maneat, & appetitus eam fe[r]at, præferendum eſſe.

Docemur ſecundo: Multos langventes & ægrotos, diuturno alicujus deſiderio percitos (dictante indubia Natura, eo tandem obtento ſanatos eſſe.

Similem nacti ſunt conditionem (ut ſeriis jocoſa miſceam) plurimi juvenes qui vetulas edentulas non ex amore ſed ob divitias duxerunt, qui ægram, miſeram & moleſtam vitam duxerunt, quibus tandem (faventibus ſuperis) per mortem ſublatis, & obtenta aliqua diu fortaſſis deſiderata & ſibi præfixa ſponſa quaſi rejuveneſcunt: Ecce tantum poteſt immiſſio poſſeſſoris in rem diu deſideratam. Idem fit ſi Natura cibum aliquem avide appetat, nullumque ad alia prorſus habeat appetitum, etſi paulo deterior ſit, concedendus eſt. Nam Natura non gratis rem tam avide appetit, & nemo Naturæ tam conſcius eſt, quam ipſa ſui ipſius.

Quod diximus de alimentis & potulentis, id quoque de medicamentis intelligendum volumus, quantum fieri poteſt, & licet. Nam morbi vix ſemper ſvavibus curari queunt, qui ſæpe amara dulcibus miſcere oportеat. Et bene attendendum ne per ſvavitatem vim medicamenti tollamus.

Quæres: Cur ſtomachus plerumque nauſeet ingrata? ℞. quia illa neque amplectitur neque digerit & multa alia procreat.

Dices: In febre ardente partes appetunt aquam frigidam, à qua tamen læduntur. ℞. Id fieri per accidens, quatenus aqua diu in ſtomacho ſtagnans bileſcit, aut corrumpitur, aut concoctu fit difficilior, exinde materia febris, quod Natura appetens ignorat, & ideo lædit:

non

non tamen ſequitur inde, aquam febrili calori non eſſe opponendam, licet aliqua minora inde ſequantur incommoda.

Dices II. Intemperies omnis præternaturalis appetit contraria, ergo ea ſemper ſunt concedenda. ℞. Si morbus ſit à ſola intemperie concedo ſi autem ab aliis fiat. v. g. obſtructionibus, quæ à refrigerantibus augentur nego.

Dices III. Febricitantes multi appetunt vinum ut ſimile, ergo etiam illis illud erit concedendum juxta Aphoriſmum. ℞. Appetunt non tanquam potentia calidum, ſed tanquam actu frigidum, & humidum, id eſt non appetunt vinum ratione caliditatis, ſed ratione humiditatis, ergo illis concedendum nego Conſequentiam quia vinum non eſt potus paulo deterior, ſed multum nocens, adeoque non concedendus. Et revera plerique potius appetunt aquam, quia conſvetudo in cauſa eſt.

Dices IV. Similia debentur viribus, ſed paulo deteriora non ſunt ſimilia, quia quatenus deteriora ſunt, neceſſario aliquid habent, quod eſt Naturæ noſtræ contrarium, alias talia proprie non dicerentur. ℞. Non ideo contraria dici, quod multum contrarientur noſtræ naturæ, ſed quod ſint vel difficilioris digeſtionis, & craſſioris ſubſtantiæ, vel, licet quaſdam qualitates habeant contrarias, eæ tamen non ſunt tam intenſæ, ut noceant, cum Natura ea affecter.

Dices V. Mulieres gravidæ pica laborantes appetunt cretam, carbones &c. Sed hæc ſunt multo deteriora, quæ tamen conceduntur, ad præcavendum abortum. ℞. Etſi hæc ſubſtantia noceant, qualitate tamen proſunt, nempe humorem acidum picam excitantem abſorbendo, abſtergendo ab orificio ſtomachi. Prætereà talia non regulariter & ſemper conceduntur, ſed tantum coacte ad evitandum majus malum.

Dices VI. Non in omnibus morbis & morbi temporibus hæc regula aphoriſtica locum habet, nam in morbis acutiſſimis exquiſitiſſimo victu, ergo non deteriori utendum eſt juxta Hipp. 1. Aph. 8, ne morbi cauſa augeatur, & deterius fiat. ℞. Hic non eſt quæſtio de morbi temporibus, in quibus omnino abſtinendum eſt, ſed ſi cibi vel potus minimum ſit dandum, ſemper eligi poteſt illud, quod ſuavius eſt, etſi paulo ſit deterius, neque hoc inter errores computandum, ſiquidem ad coctionem, & diſtributionem plurimum facit ſuavitas, ideo à mul-

tis

cis varietas ciborum præfertur ſimplicitati, ob ſuavitatem & facilem coctionem.

Duplex autem eſt ſuavitas in cibis, naturalis, quam ex ſe habent, & artificialis, quæ arte culinaria & condimentis comparatur.

Quæres ergo, cur Hippocrates non nomine deterioris ſed ſuavioris uſus ſit? R. Ex Hippocrate deterior is cibus intelligendus eſt, qui minus ad vires reſtaurandas valet, minusque cauſæ morbificæ adverſetur, at vero ſuavior qui guſtum voluptuoſius afficiat, & ventriculum ad appetendum, & conficiendum, jucundius alliciat, ut ſi quæ nauſea, vel ſtomachi ſubverſio aderat, tollatur, vel temittatur, eadem profecto tunica lingva, fauces, & ventriculus veſtiuntur.

Solent autem ſuaviores eſſe cibi, qui tempore ſanitatis ſumi conſueverunt, nam quæ conſveta ſunt, minus moleſtare ſolent, præſertim ſi materno deſiderio ab incunabulis appetivimus, vel ab uberibus depulſi, primos à lacte eſitavimus. Unde Hippoc. de ratione victus in acutis inquit, facilius ferri malos cibos conſvetos, quam bonos inſvetos, quia ut dictum, conſvetudo altera natura. Deteriores etiam cibi ſi rite & recte condiantur, ſalubriores fiunt, & aviditatem excitant. Attamen non ſunt illa in eſcam concedenda, à quibus nullus utilis ſuccus elicitur qualia eſſe ſolent, quæ à picacea fame laborantibus expetuntur, ea etenim veluti deteriora, omnino ſunt interdicenda, ſed & neque permittenda ſunt, quæ dulcem ſuccum præſeferre videntur, ut ſunt bellaria omnis generis ex ſaccharo potiſſimum confecta, hæc enim facillime, aut amareſcunt, ſeu bileſcunt, aut aceſcunt, & in ſuccos ventriculo infenſos, quam citiſſime vertuntur.

Aphoriſmus XXXIX.

Magnam partem ſenes juvenibus minus ægrotant; quicunque vero morbi iis accidunt, diuturni plerumque commoriuntur, id eſt eos comitantur ad mortem.

Con-

Contentum ſeu Intentio.
De valetudine ſenum.

Connexio. Cum in præcedentibus ſigna tum à partibus ventris extenuatis, tum à corporibus ſanis expurgatis, tum a cibo & potu paulo deterioribus, ſed ſuavibus deſumpſiſſet Hippocrates. In hoc præſenti Aphoriſmo ſigna deſumit ab ætate, ſenectute nempe & juventute.

Duas habet partes & concluſiones hic Aphoriſmus. Prima dicit ſenes minus ægrotant quam juvenes. Secunda aſſerit, ſenes diuturnis morbis comprehenſi, eos uſque ad ipſam mortem comitari.

In hoc Aphoriſmo oſtendit Hippocrates quantum poſſit moderatus vivendi modus: ſiquidem ſenes licet invalidi, & imbecilles, tali tamen victu moderato utentes, minus ægrotant, quam juvenes, licet robuſti ſint, per inordinatam temperantiam ſæpius & frequentius ægrotant, errores enim in victu majores & frequentiores ſunt juvenibus quam ſenibus, qui utpote prudentiores, & quid proſit, vel obſit agnoſcentes attentius ſuam curant valetudinem. Præterea ſenes præ juvenibus ob longe moderatius calidum innatum rarius corripiuntur morbis acutis febrilibus, quia ſenes putredini minus obnoxii. Verum hæ cauſæ, quia nimis communes ſunt, niſi alia magis ſpecifica cauſa accedat, per quam rariuſculos acutis morbis laborare contingat, non plene Hippocratis ſententia cenſebitur explanata. Exiſtimandum ea propter, ſenectutem idcirco rarius acutis morbis corripi, quia ſangvis ætatum mutatione deſciſcit ab illa prompta & facili, quæ per juventutem vigere ſolet acredine, ac fermentatione, ſenſim enim hebeſcit, & alkali ſuo vivifico ac volatili ſpoliatur, quo ſeu ex cauſa in juvenibus concitatur, & effervеſcit. Succi etiam ex illo provenientes effæti fiunt, & in acidum declinant, quo potius concreſcit ſangvis, & ideo raro acutæ febres ſenes invadunt. Si enim ex ſupradictis cauſis, & temperantia ſolum victus non ægrotarent, illa profecto non minus quoque prodeſſet, ne in chronicos morbos inciderent, cum tamen his frequentius capiantur *& correpti fere commorantur.* Itaque à conditione potius ſangvinis mutata, quæ per ætatem ſenſim acquiritur id illis accidere dicendum eſt.

D d E con-

E contra vero licet ex hactenus dictis ſenes non ita facile corripiantur, correpti vero difficilius curantur, & difficilius etiam evadunt, ſed commoriuntur. Unde in ſenibus quam primum curare & non tardare debet Medicus. Nam *principiis obſta, ſero medicina paratur, cum mala per longas invaluere moras.* Si enim morbus in ſenibus perſeveret, non amplius tolli poteſt. Unde ratio, cur ſenes ſuis diuturnis morbis commoriantur hæc eſt. Natura duabus utitur alis, quibus operationes ſuas perficit, & evolando morbo ſuperior evadit. *calore* ſcilicet naturali, & ſpirituum aſſiſtentia. Ambæ hæ alæ ſenili muco veluti viſco oblinita, ad ulteriores operationes in dies magis, magiſque inhabiles redduntur, hinc natura beneficio harum alarum destituta, ſolito modo evolare neſcit, ſed à priori materiæ morbificæ onere impar ſuccumbit. Cum enim ad Victoriam de morbo, neceſſario requiratur ut materia peccans, vel reſolvatur vel expellatur, vel concoquatur. *Reſolutio* autem corporis *raritatem*. *Expulſio* humorum *tenuitatem*. *Coctio* caloris naturalis *vigorem* præſupponat, quid mirum: ſi nulla ex his operationibus in ſenio perficiatur: obſtat enim *reſolutioni cutis craſſities*, & *caloris evaporantis pauperies*. *Expulſioni* humorum omnium præſertim ſanguinis effœti & inutilis *glutinoſitas*: *Coctioni* ſumma & extinctioni proxima caloris naturalis *imbecillitas & penuria*. adeoque morbi plurimi in juvenibus vix periculoſi, ſenibus decrepitis lethales ſunt, & ſiunt, per modum terræ motuum, qui licet ſint mediocres, domum tamen ruinoſam & ex ſe proxime lapſuram facile proſternunt. Plurimi enim morbi maxime autem per ſe chronici in ſenibus magis radicantur, longius durant, & facile vel repetunt, vel ad mortem usque comitantur: quos Hippoc. 3. Aph. 31. pleroſque enumerat. Vix enim aliquis morbus per criſim in ſenibus terminatur, ex rationibus jam datis. Non male proinde Hippocrates 1. de diæta dixit. *Inter ætates maxime ſani ſunt pueri, ſecundo loco juvenes, morboſiſſime qui maxime ſenes & his proximi.* Senes itaque ſunt juvenibus inſalubriores, id eſt ex ſe & natura ſua, licet juvenes juxta Aphoriſmi tenorem frequentius ægrotent quam ſenes, id enim fit, quod juvenes magis (ut diximus) ſint dediti exceſſibus, quam ſenes, quia mortem timent, & ideo ſunt abſtinentiores, adeoque minus infirmantur; ſi tamen infirmantur, deſperate ut multi volunt, id eſt usque ad mortem (niſi ocyus ſuccurratur) morbidi degunt.

Notan-

Notandum autem hic bene eſt: Iſtas duas concluſiones in Aphoriſmo allatas, veras tantum eſſe ut plurimum, non autem abſolute, quandoque enim etiam falſas. Unde non gratis Hipp. dixit ut *plurimum ſeu vere*, non enim omnino ex chronicis quibuſcunque morbis ſenes decedunt, cum a quibusdam ſaltem liberari poſſint, adhibita præſertim diligenti curatione. Illos vero plerumque inſanabiles experimur, qui langvorem partium conſequuntur atque à perverſis & hærentibus humoribus dependent: ut aſthma, hydrops, renum & veſicæ affectus, ſuffuſio oculorum, ſurditas, & alii ſimiles. Rationes autem cur etiam acutis morbis corripi, vel etiam a chronicis morbis liberari vel non liberari poſſint præter dictas ſunt *primo*, quia ſenes, qui mala utuntur victus ratione, vel qui in juventute multum deliquerunt, non rarius ægrotant quam juvenes, de his ſenibus autem non loquitur Hippocrates quia cum illi in juventute & ætatis progreſſu fuerint morbidi, quomodo in ſenio ſani evadent, imo tales ante tempus ſeneſcunt.

Secundo: Poteſt tamen fieri (licet rarius) ſaltem aliquando, ut morbus per illa tria nempe reſolutionem, expulſionem, vel coctionem ſolvatur in ſenibus ut teſtatur Hipp. 5. Epidem. Sed (quod bene notandum) illos ibi intelligit ſenes, qui à juvenili ætate ſunt commutriti: vel loquitur in citato mox textu de prima ſenecta, in qua multi morbi curantur: hic vero in Aphoriſmo loquitur de ſenectute decrepita, quæ morbis commoritur. Nam multi ſunt primæ ſenectutis homines adeo robuſti & validi, ut multos ſanitate & viribus juvenes facile ſuperent. Verum proinde eſt meum à pluribus annis uſitatum vulgare proverbium: Vir ſenex robuſtus, juvenis. Vir juvenis morbidus, ſenex. In teutonico ſenſu ſic ſonat. **Ein alter Mann/ ein geſunder Mann/ ein junger Mann/ ein junger Mann/ ein krancker Mann/ ein alter Mann.**

Comparatio igitur ſenum ad juvenes, multipliciter fieri poteſt. *Primo*. Vel fit in eodem homine, vel diverſis hominibus, utroque modo vera eſt prima Aphoriſmi concluſio.

Secundo. Fit ad morbos in univerſum, & ſic etiam vera eſt.

Tertio. Poteſt fieri comparatio de cognatis morbis, ut nimus ægrotent ſenes morbis frigidis quam juvenes calidis & hoc modo etiam vera eſt prima concluſio.

Quarto. Vel ſit comparatio quo ad pericula, & ſic periculoſius ægrotant juvenes quam ſenes quo ad acutos morbos, contra ſenes magis quam juvenes in longis ſeu chronicis. Sed

Dices Morbi frigidi ſunt cognati ſenibus, calidi juvenibus, ergo periculoſius deberent ægrotare ſenes calido quam frigido morbo. ℞. Omnes morbos tam acutos quam chronicos eſſe ſenibus periculoſos, præcipue in extrema ſenectute propter imbecillitatem virium, licet etiam leviores morbi ſint. Juvenes autem magis periclitantur in acutis, propter inflammationem, quæ in iis tam violenta eſt, ut calorem innatum facile ex toto diſſipet.

Dices Senectus ipſa eſt morbus, ergo falſus eſt Aph. ℞. dicendo Ant. per ſe & ex Natura ſua concedo per accidens in temperatis, & libidini minime obnoxiis ſenibus, & qui in juventute magnos exceſſus non fecerunt, adeoque illorum corpus validum conſervarunt. Nam quando Hipp. dixit ſenes minus ægrotare quam juvenes, vitam ſpectavit, non ætatem, quod bene notandum eſt. Neque etiam negari poteſt, ſenes, qui mala utuntur victus ratione, aut qui in juventute multum & ſæpe exceſſerunt, multo frequentius ægrotare, quam juvenes: de his enim non loquitur noſter Aphoriſmus ſed de ſenibus temperatis & amantibus ſuam ſanitatem, noxia prudenter fugiendo, quæ juvenes audaces & imprudentes ambabus manibus amplectuntur, & luxui, conviviis, luctis, curſibus, venationibus & aliis vitiis dediti ſunt.

Dices III. Hectica etiam eſt morbus longus, ſed huic magis ſunt obnoxii juvenes, quam ſenes, ergo ſenes non ſunt magis obnoxii morbis longis quam juvenes. ℞. Licet magis obnoxii ſint hecticæ juvenes, non tamen tam periculoſa eſt illis, quia eorum ætati magis convenit.

Dices IV. Qui minus ægrotant, ſunt minus inſalubres ſed ſenes juxta Aphoriſmum minus ægrotant, ergo ſunt minus inſalubres. ℞. Negando majorem; licet enim ſenes minus ægrotent quam juvenes, ſunt tamen juvenibus longe inſalubriores, quare morboſiſſimos ſenes appellat Hippocrates Lib. 1. de Diæta. Sunt igitur juvenes ſalubres, ſenes vero inſalubres: ſed non eſt idem, ſed longe aliud eſſe inſalubre, & actu ægrotare. Inſalubre enim duo ſignificat, nempe male ſanum eſſe, & actu ægrotare. poſſunt autem ægrotare, & non eſſe male ſanos, ſeu inſalubres, id eſt, non habere illam contractam longo tem-

tempore inſalubritatem, ſeu valetudinariam diſpoſitionem, quam habent ſenes, adeoque in hoc ſenſu, qui minus ægrotant, non ſunt ideo minus inſalubres: ergo primo modo ſunt ſalubriores juvenes; ſecundo modo ſenes, quia calorem habent imbecillum & ſangvinem paucum, quare etiam non tot ac juvenes morbis v. g. febribus, inflammationibus &c. obnoxii. Uno verbo totum dicimus. Juvenes magis ægrotare, & minus mori: Senes vero minus ægrotare & magis mori. Nec mirum, ſi enim homo uni pedi innixus facile proſternitur, hinc levis ſufficiet cauſa, quæ ſeniculos dejiciat, cum unum jam pedem in cymba Charontis habent: hinc Ovidius de ſenectute dicit

In te continuas tua ſunt quæcunque fatiſcunt,
Ultima quæque ſuo, conficis ipſa malo

Dices V. Senes etiam laborant morbis acutis & curantur, ergo non tantum juvenes his laborant, & curantur. ℞. Senes laborant morbis acutis & curantur, ſi morbi calidi ſunt curantur, ſed raro concedo ſi morbi ſint frigidi, curantur, nego. Sunt enim etiam morbi non acuti calidi, à quibus ſenes aliquando juvantur v. g. Cephalæa, hemicrania, arthritis &c. alii frigidi, aſtma, calculus, paralyſis &c. ab his raro, aut nunquam ſenes liberantur.

Dices VI. Hipp. 6. Epidem. ait ſeſe vitia renum & veſicæ poſt 50. annum nunquam vidiſſe ſanata. ℞. à negante autoritate non ſequitur firmum argumentum. ℞. Licet Hippocrates & plures alii non viderint renum & veſicæ vitia ſanara fuiſſe ſolius naturæ ope perfecte, arte tamen & ſectione id fuiſſe factum, quamvis rariſſima exſtent exempla.

Aphoriſmus XL.

Raucedines & gravedines in valde ſenibus non concoquuntur (ſeu concoctionem non admittunt.)

Contentum ſeu Intentio.

De Catharris ſenum.

Connexio. In priori Aphoriſmo dixit Divus ſenex morbos longos ſenibus commori. In hoc vero prioris exemplum affert, & illius

rationem reddit, cur nempe longi morbi in ſenibus non curentur, dicit enim *raucedines & gravedines* in valde ſenibus non concoquntur, ſunt enim ambæ hæ valde ſenibus infeſtæ, ut quacunque ex cauſa etiam ambientis frigoris, vel venti auſtrini illos divexent.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem nullam patitur diviſionem.

Antequam ad debitam hujus Aphoriſmi explicationem nos conferamus, operæ pretium erit, pauca quædam ſcitu digna præmittere.

Sciendum ergo eſt primo Hippocratem per raucedines & gravedines, non tantum intelligere has præciſe affectiones, ſed etiam quoscunque Catharros & fluxiones, imo alios morbos chronicos & longos intelligere.

Sciendum ſecundo Quod raucedo fiat ex humectatione aſperæ arteriæ & faucium, unde vox aut nulla aut obſcura redditur, quia aer impulſus & repercuſſus nequit libere excurrere, & reflecti, ad vocis modulationem, ſed tubæ interius humefactæ vix ſonum edunt. Huic contrarius eſt clangor, per quem vox ſonora redditur, & ſolet accidere in acutis febribus cum pernicie ægri, exſiccata humiditate aſperæ arteriæ. *Gravedo* vero ſeu *coryza* vox attica eſt humoris fluxus ad nares vel palatum.

Sciendum tertio. Quod vulgus & plerique veteres paſſim ſed erroneè crediderint, omnem Catharrum eſſe fluxionem à capite ad quamvis corporis partem: quod falſum ipſa ratio dictat, autoritas & experientia tum veterum tum recentiorum convincit.

Non negamus quidem caput ob figuram & ſitum, tanquam alembicum eſſe capax omnis repletionis. Unde à veteribus fons & origo pituitæ, & conſequenter catharrorum dictum eſt. Accedit, quod cerebri ſubſtantia tam corticalis ſeu cineritia, quam medullaris ſeu albicans, ſit tota glandulosa, quæ exſugit facillime & recipit: Verum his non obſtantibus.

Præſciendum quarto: Sangvinem noſtrum (idem dicendum de aliis humoribus, & liquoribus circulantibus) ad omnes partes totius corporis moveri (motu circulari) & in quibusdam earundem aliquam mutationem (vi fermentorum particularium) pati & ſubire, imprimis quidem in viſceribus internis, maxime in iis, in quibus fiunt ſolennes digeſtiones & ſecretiones: & inter cætera viſcera, vix non primatum

locum

locum & nomen obtinent, quando prædictus ſangvis & liquores ad glandulas moventur ut in iisdem aliquid ſeparetur, quod ad ſeri ſeu lymphæ conſtitutionem ſeu elaborationem requiritur. Unde

Præſciendum quinto: Subjectum ſeu partem affectam mandantem primariam & univerſalem eſſe maſſam ſangvineam vatiis liquoribus præſertim lympha ſeu ſero inundatam, ut mox diximus. Partem affectam vero partim *mandantem* partim *recipientem*, eſſe glandulas tam conglomeratas, quam conglobatas, cum ſuis vaſis lymphaticis, ob quamcunque cauſam diſtentis, ruptis, aut quocunque alio modo læſis, vel vitiatis, quibus cerebrum, omnesque alia partes inundantur. Ergo

Præſciendum ſexto: Materiam catharrorum eſſe lympham, quæ aut quantitate peccat, & nimia eſt: aut qualitate excedit, & acris, & acida, ac tandem nimia ſalſedine prædita lixivialis, & corroſiva evadit. Proinde:

Præſciendum ſeptimo: Per glandulas lympham recentiorum, ſeu ſerum veterum, aut copioſe ſeu nimis abundanter excluſum, aut vitiatum, ſeu vitioſe conſtitutum, excretum, catharros, id eſt defluxus lymphæ aut copioſæ aut vitiatæ ex glandulis præprimis conglomeratis circa caput, collum, laryngem, aſperam arteriam, aliasque ſimiles partes vicinas conſtituere: Hinc

Præſciendum octavo: Opiniones veterum, & recentiorum de Catharri materia, non eſſe contrarias & diſcrepantes, ſive enim ſerum ſive lympham, ſive laticem cum Helmontio appellemus, parum intereſt, dummodo eandem rem intelligamus. Hoc quidem verum eſt veteres in modo quo Catharri fiunt aliqualiter erraſſe, eo quod in motu circulari ſangvinis & lymphæ ſeu ſeri minus fundati & inſtructi, & præterea de vaſis lymphaticis minime informati hanc rem obiter, & magis ſpeculative, quam practice pertractaverint. Sed de his enucleatius & fuſius tractatum eſt in Praxi Titulo de Catharris.

Præſciendum nono: Quod ſenectus ſit illa ætas, in qua diminuitur animal, ſeu imminutio animalis à tempore contingens: Seu eſt menſura durationis vitæ humanæ ſub frigido, & ſicco temperamento, ratione multitudinis annorum proveniens. Dicitur ſub temperamento frigido & ſicco. Licet enim ſenes ex defectu caloris multis ſcateant humiditatibus, & excrementis, & ſic potius frigidi & humidi di-

cendi

ſtrone copioſioris cibi, qua ſola obſervata plures à Catharris liberati ſunt

Unde bene notandum binas ſupra ægritudines, gravedinem nempe & raucedinem, non adeo & ſemper pernicioſas eſſe, ut perpetuo inſanabiles credantur in ſenibus, quin imo ſæpiſſime obſerventur curatu faciles præſertim ſi illi cautius res ſuas agant, & in victus genere errata non admittant. Lepide quidem, & acute reſpondit olim Alberto Savarolæ hunc Aphoriſmum objicienti Leonicenus, cum fere centenarius raucedine laboraret, eum non fuiſſe pro Medicis ſcriptum, indicans prudentem & temperantem hominem poſſe infauſtum Aphoriſmi omen cavere, & a raucedine liberari, ut evenit; nam jure caponum & ſeminibus goſſipii tandem convaluit. Plures alii referuntur exacta diæta id ipſum aſſecuti, conferente tamen plurimum valida corporis conſtitutione, & ſpiritalium partium amplitudine, atque energia. Verum tamen etſi raucedo & gravedo inemendabiles non ſint, evadunt nihilominus plerumque tales in valde ſenibus ob langvorem ejus ætatis, quaſi dixerit Hippocrates & gravedines in aliis ætatibus facile curabiles, imo nullius fere momenti, ſi in ultima ſenectute contingant, ob viſcerum laxitatem & ſangvinis jam effœti, viriumque langvorem coctionem non admittunt, & ferme inſanabiles fiunt. Quamobrem animadvertendum eſt, ſpeciatim notaſſe Hippocratem *valde ſenes*, id eſt in ſumma ſenectute conſtitutos, qui plerumque langvidi cum ſint & cadaveroſi, etiam levibus ſuperandis morbis impotentes evadunt, ut hinc facile inferatur, quod minime curationi ſubjici queant, Aſtma, Hydrops, Empyema, tuſſis, morbi longe graviores, quos conſulto tacuit, ſi leviores, ut raucedo & gravedo difficulter in illis matureſcant. Sed revera raucedinem & gravedinem in decrepitis, nec inſanabiles ipſe aſſeruit, ſed ſolum coctionem non admittere, ut poſtremo prorſus deſinant, cum non raro extremo ſenio confecti intereqieſcunt quidem, ſed non omnino ejuſcemodi morbis potiſſimum productis convaleſcant, etſi valentiores videantur, & opportunis remediis ſint adjuti. Coctionem autem in his vel nunquam vel raro admittunt, tum à confluente continuo humore eas partes relaxante, qui ſæpiſſime in ſenibus tenuior plerumque eſt, tum a ſangvinis vitio, quam à cerebri, & glandularum laxitate, tum etiam ob contractum acorem in provecta ſenectute increpeſcentem qui ſuo alkali

viſciſco non coercitus, nec ſubactus coctioni refragatur. Et hoc non tantum valde ſenibus ſed & aliis languidis contingit.

Quæres cur Aſthma non curetur in ſenibus? R. quia plerumque mutatur in hydropem tranſeunte materia ad capacitatem abdominis. Hinc illud

Hydrops, & Aſthma mirabile phantaſma,
Quod nullum curat Cataplaſma.

Quæres II. An opiata & incraſſantia in valde ſenibus locum habeant? R. raro aut potius nunquam.

Aphoriſmus XLI.

Qui ſæpe & vehementer, ſine cauſa manifeſta animo linquuntur, ii derepente moriuntur.

Contentum ſeu Intentio.

De prognoſi ſyncopes.

Connexio: In præcedenti Aphoriſmo Hippocrates præmiſit prognoſticum gravedinis & raucedinis in ſenibus, in hoc Aphoriſmo progreditur & ſtatuit aliud prognoſticum, de iis, qui ſæpe & vehementer ac ſine cauſa manifeſta animo delinquuntur, quod illi derepente moriantur. In hoc Aphoriſmo Hippocrates docet Medicos mortem vel prævenire, vel ſaltem ſumma ſui nominis gloria prædicere. Eſt enim ejuſmodi exſolutio præceps omnium virium lapſus, quomodo ægri derepente concidunt, fiunt aphoni (id eſt perdunt uſum linguæ & vocis) ſudores frigidos emittunt, calorem totius corporis mutant, nec ullus (ſicut in ſolo animi deliquio fit) remanet pulſus, adeoque potius ſyncopen intelligit Hippocrates, quam animi deliquium.

Brevitas Aphoriſmi non patitur diviſionem. Ut autem hujus Aphoriſmi veritas perpetuo conſtet, *tria* ſimul hæc ab Hippocrate recenſita jungi oportet, ut nempe *ſæpe vehementer & ſine cauſa manifeſta* defectus animi inſequatur, cum in hyſtericis affectibus, in melancholicis, inedia confectis, & aliis, quos ſæpe ſæpius linqui animo contingit, ut

ut ſæpe vel vehementer, non certo repentinus interitus timeatur, ut in Aphoriſmo dicitur. Itaque junctim expoſuit Hipp. *frequentiam* id eſt iteratas animi defectiones & plures brevi repetentes *Vehementiam*, ob quam pulſus omnino langveant, vires diſſolvantur, corpus concidat, vultus palleat, & partes præſertim extremæ frigeſcant, quin & frons, & collum glutinoſo ſudore perfundantur. Demum ſine cauſa manifeſta; Nam ſi a mœrore inedia immodica, quacunque evacuatione, aliave evidenti cauſa animo deficiat æger (quamvis & ab his quoque perire poſſit) repentinus interitus minime contingeret, de quibus mox infra fuſius.

Delinquentia ergo ſeu exſolutio eſt repentinus omnium virium lapſus, ejusque diverſi ſunt gradus, alia levis, & tranſitoria, alia vehemens, & conſtans: ubi igitur omnes vires repente concidunt cum prædictis mox ſignis, & accidentibus ſyncope dicitur: ubi vero deficiunt vires, lypothymia ſeu defectus animi naſcitur, conſtante adhuc motus, & pulſus robore.

Dicitur autem *ſine cauſa manifeſta*, non quod ſi fiat à manifeſta, non occidat, ſed quia non ita neceſſario quoniam cognita cauſa, illius ablatione fortaſſe tolli poteſt; per manifeſtam autem cauſam intelligit cauſam cognitam, ſive illa ſit externa, ſeu interna in ipſo ſangvine vel corde ſita, tales ſunt cordis intemperies ſeu dyſcraſia, abſceſſus, tumor præternaturalis in ipſo corde vel pericardio, frequentiſſima eſt Polypus cordis, qui ſæpe derepente mortem infert, aqua nimia in pericardio, tetri vapores a febre maligna, vel miaſmate venenato attracto vel aſſumpto, cholera, dyſenteria, diarrhæa, lienteria, hæmorrhagia, Hypercatharſis, ingens fames, morſus & ictus venenati, inflammatio viſceris, Gangræna, dolor ingens, vigiliæ nimiæ, graves obſtructiones, ſpirituum exceſſus, vel defectus &c. Epilepſia ſæpe & valide recurrens. Apoplexia, ſangvinis nimia copia, ut patet ab effectu venæſectionis, affectio hyſterica fortior & continua.

Omnium autem cauſa frequentiſſima hujus tum vehementis animi defectionis (ut ſubito ac repente perimat) eſt vitalium ſpirituum diſſolutio, qui vel deleterio humore infecti penitus exſtingvantur, vel craſſo & frigido ſucco ſuffocentur, vel maxima exſolutione diſpereant, ut in peſtilentia. Huic cauſæ nos alteram addimus nempe ſangvinem vitiatum: is enim cum nimia craſſitie, acore, aliove vitio,

in additu dextri & ſiniſtri ventriculi concreſcit, & hæret, ſyncopen mortiferam infert: ſic in multis peſtiferis conſtitutionibus repente concidunt extincti homines, ac beſtiæ, quia peſtilentes halitus, ſeu vapores per aerem diffuſi, ejus ſunt conditionis, ut inſpirati, atque in pulmonibus cum ſangvine cor ingreſſuro commiſſi illum concreſcentem, & hærentem reddant, inter valvulas arteriæ venoſæ, vel in ipſo ſiniſtri ventriculi hiatu, atque ſimul ejus cavum exitiali contagione inficiunt, & labefactant: Unde motu cordis & ſangvinis intercepto, ſyncope accidit & mors.

Sed & non raro evenit, ut ſangvinis vaſa quæ ad cor tendunt, ſenſim lentis & tenacibus ſuccis obſtruantur velut uti diximus polypis, qui poſtmodum præter fluentem ſangvinem retardent, ſintque in cauſa, ut hic in alias partes irruens, vel opprimat, vel diſrumpat, quæ cordis motui ac vitæ ſunt omnino & penitus neceſſaria. Quoniam vero hæc & alia valde differentia ſolent plerumque paulatim fieri, & ex variis cauſis augeri aut miteſcere, ideo eſt, ut iterato redeant gravius vel lenius, pro circumſtantiarum varietate, potiſſimum vero quia ſangvis inductus cordis libere permeare nequit, & quousque obſtaculum a novo ſuperveniente propulſu vicerit, animi defectio perdurabit: at vero cum propelli nequit, non tantum ſibi, ſed & ſuccedenti ſanguini impedimento eſt, quare intumeſcens vaſa primum dilatat, mox diſrumpit, unde mors ſequitur repentina. Si diutius præterea ſangvis grumefactus alicubi remoretur, vel contra impetuoſius & liberius in dextrum cordis ventriculum influat, id ipſum plane eveniet, ut cum a diuturno mœrore, & ſubito metu, immodico, & inſperato gaudio quis deprehenditur. Hinc & hujus mali externæ cauſæ ſunt balnea, motus, ira, triſtitia, metus, gaudium (omnia excedentia)

Cum autem ſyncope ſit pernicioſiſſima paſſio, & quidem membri principaliſſimi adeoque hominem citiſſime necans, nec ullum tempus Medico concedens, ideo ſine mora illi occurrendum, cum ne fiat, tum etiam magis poſtquam facta eſt, partes principes roborando frequenter & fortius internis & externis remediis, epithematibus, odoribus a[illegible] inſperſione, frictionibus, extremorum ligaturis, adhi[illegible] ſeu cauteriis actualibus. Interne cordialibus, aromaticis, ſpiri[illegible] volatilibus de quibus vide in Praxi. Si vero ab utero, Antihyſtericis, Epilepticis 1. hic mirari non ſatis poſſum quorundam eru-

crudelitatem, qua ſibi perſvadent ad cordis vigorem & ſpiritus refectionem valere margaritas, & lapides pretioſos &c. quæ nullam analogiam cum ſangvine & ſpiritibus habent, cum potius à ſpirituoſis, aromaticis, volatilibus, odoratis id aſſequi liceat, quæ concreſcentem ſangvinem diſſolvunt, & acidum coagulans infringunt.

Notandum adhuc, ut ſyncope fiat, requiri magnam & validam debilitatem, & exſolutionem, unde non omnis debilitas cauſa eſt ſyncopes, alias enim omnes debiles eſſent ſyncoptici.

Notandum ſecundo. Sive debilitas illa ſit facultatis animalis, ſive vitalis, poteſt induci ſyncope, in illa per conſenſum, in hac per eſſentiam.

Aphoriſmus XLII.

Solvere apoplexiam vehementem (ſeu fortem) impoſſibile quidem, levem vero (ſeu debilem) non facile.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi Apoplexiæ.

Connexio. In priori Aphoriſmo de affectu periculoſo mortem repentinam inferente egit Hippocrates, in hoc agit de alio, nempe Apoplexia, quæ æque exſolutio quædam eſt, & mortem repentinam infert.

Hic Aphoriſmus dividitur in duas partes, una loquitur de forti Apoplexia, & incurabili, altera de levi, & difficulter curabili.

In hoc Aphoriſmo Divus ſenex Medicum docet debite & caute prognoſticare, ne temere promittat ſalutem in morbo tam deſperato, ſed præmiſſo ſemper prognoſtico providi Medici officium faciat.

Apoplexia ut patet ex praxi eſt ſenſus & motus omniumque functionum animalium privatio, ſuperſtite reſpiratione, licet & hæc multum quoque offendatur, unde differentiæ ſeu gradus illius juxta læſionem reſpirationis & ſtertoris magnitudinem, aut parvitatem, quatuor

 recen-

...cenſentur à Galen. maxima, ſeu fortiſſima apoplexia eſt, in qua fere nullus patet reſpirationis ſenſus. Magna ſeu fortis, in qua reſpiratio violentiſſima eſt, & intermittens. Mitis ſeu levis, in qua non eſt violenta ſed intermittens reſpiratio. Leviſſima ſeu debilis, in qua ordinata, & non intermittens reſpiratio. Unde fortiſſimam & fortem ſolvere ut plurimum impoſſibile eſt: Levem non facile, quia priores ſeu fortiſſima & fortis hominem ſuffocat, adeoque lethalis eſt. Levis autem difficulter curatur, quia eſt gravis affectus & obſtructio partis principis ſeu ſtagnatio motus circularis ſangvinis & ſpirituum animalium per tubulos impedimentum à multis cauſis antecedentibus ortum ducens, & ab hac non niſi pauci & juvenes & robuſti evadunt, & plerumque in paralyſin commutatur, de quibus fuſe actum eſt in praxi, quo lectorem remittimus.

Dices: Hippocrates in Prorrhet. dicit apoplexiam febre ſupervenientе ſolvi, ergo poteſt curari. ℞. Poteſt ſolvi apoplexia ab arte nego antecedens, poteſt ſolvi a Natura concedo.

Dices II. Ab arte poteſt induci febris, ergo ab arte poteſt curare. ℞. Licet multi ſe jactent, applicatis ſcarabæis cornutis ad pulſus manuum febres ſe inducere poſſe, attamen fides ſit penes Autorem. deinde etſi per artem febris induci poſſet, adhuc manet naturæ curatio, quæ eſt morborum medicatrix.

Inſtabis a contrario: à cerebri inflammatione Eriſipelatoſa fit Apoplexia, ergo à febre, ergo ab eadem non curatur. ℞. Eſſe cauſarum diverſitatem; nam in hoc caſu excitatur tumor, qui comprimit cerebrum, in altero vero calor febrilis conſumit materiam ſtagnantem apoplexiæ cauſam: ubi nota, ſi Apoplexia fortis eſt, nec eam febrem ſupervenientem ſolvere vel ſaltem rariſſime. ſi vero levis, facilius negotium ſuccedere poſſe non dubitamus,

Dices III. Hyſtericæ mulieres poſſunt aliquot horis vivere abſque reſpiratione, ergo etiam apoplectici. ℞. Eſſe magnam diſparitatem, quia apoplexia eſt morbus organicus, hyſterica paſſio, eſt morbus humoralis ſeu potius a vapore maligno & narcotico ortus.

Quæres, quænam ergo genuina ſit ratio, quod Apoplexia immedicabilis cenſeatur? ℞. Veteres obſtructionem ventriculorum cerebri & impeditum tranſitum ſpirituum animalium in nervos incuſant: Sed ℞. ſecundo. Hæc veterum opinio vana & levis eſt, & jam à cunctis

retu-

reſutata, cum omnibus jam innotuerit, cerebri ventriculos, repurgandis potius recrementis, quam generandis ſpiritibus uſui eſſe, qui nec, ſi ſibi in nervos deduci poſſent, quod nulli ductus ibi pateant, in cerebri meditullium, atque nervorum principium, quin & amplo hiatu patuli requirent illi genitos ſpiritus continere, qui tenues cum ſint ac valde mobiles, ſponte ſua citiſſime evolarent.

Verum veriſimiliorem nos cum recentioribus adſtruimus rationem, nimirum cum ea potiſſimum cerebri pars, quæ nervorum origo eſt, ab humore illuc appellente vitiato obſtruitur, aut hebetatur, vel ab intercepto ſanguinis motu perplexus, nempe reticularem & choroidem, aliave de cauſa afficitur, gravatur, aut ſtupet, ut nervis, ſenſui & motui addictis minime ſuffragari queat, attonitum, ſyderatumque corpus evadit: ab hoc autem nervorum principio, his & ſimilibus modis affecto, fit ut reſpiratio in apoplecticis tam graviter offendatur, quippe quæ nervis & muſculis egeat, ut peragatur, ea vero omnino impedita ſenſibiliter læſa, ſive intercupta nequit ſanguis ex dextro cordis ventriculo libere per pulmones in ſiniſtrum permeare, quamobrem is, tum in eodem dextro cordis ventriculo, tum in ipſis pulmonibus, penitus vel majori ex parte reſtagnet, exhauſto interea ſiniſtro, qui exceptum antea ſanguinem propellere non ceſſat in aortam arteriam. Unde in extinctis, apoplexia, non aliter ac in præfocatis, dexter cordis ventriculus, multo & concreto ſanguine turgidus invenitur, ſiniſter vero penitus inanitus. Liquet igitur quam ob cauſam apoplectici cum gravi reſpirationis læſione omnino pereant, & cum leviori non tam facile convaleſcant, quia difficile admodum eſt eos ſanguinis ductus medicamentorum ope reſerare, atque ſanguinem abſque ulla remora circumeuntem tueri, cum pulmones ſenſim concidant, & reſpirationi inhabiles fiant. Accedit quod motus ipſe cordis etiam non ſine nervorum influxu habeatur, ut proinde iſto deficiente ille quoque deſinat.

Quamvis autem Hippocrates in Aphoriſmo aſſerat impoſſibile eſſe fortem ſolvere apoplexiam, quod & argumenta mox allata ſuadere videntur, non tamen non tentandum (quoad naturæ vires tulerint) quodcumque prodeſſe poterit, aut aliquando contuliſſe viſum ſit, & quidem in duplici claſſe continentur, quæ proficere ſunt obſervata.

Eva

Evacuantia nimirum, quæ reſpiciunt cauſam hebetantem, aut obſtruentem, & corrigentia humoris malitiam ac cerebri torporem, Antiapoplectica dicta. Inter priora præſtat Extractum Catholicum & Extract. Ellebori nigri cum modico Caſtorei. Inter poſteriora vero præcellunt ſpiritus Antiapoplecticus, ſpiritus ſangvinis humani, ſpiritus ſalis armoniaci correctus ſimplex vel aromatizatus, Spiritus C. C. Liquor C. C. ſuccinatus, Sal volatile oleoſum Silvii, vel Sal volatile oleoſum meum nobile, mixtura ſimplex, Spiritus ceraſorum nigrorum, Elixir Cephalicum, vel magnanimitatis, Elixir vitæ Mathioli, oleum cinamomi, cariophillorum. *Extra.* Oleum ſuccini, rutæ, aniſi, roriſmarini, & ſimilia, quæ Diaphoreſim & diureſim moveant. Cætera remedia plerumque adhiberi nequeunt in attonitis, omni motu & ſenſu privatis, quin imo, etſi illa per vim indantur, ægre admodum ob hebetem & conſopitam virtutem proficiunt.

Aphoriſmus XLIII.

Ex iis qui ſtrangulantur, ſeu ſuffocantur & diſſolvuntur, nec dum tamen mortui ſunt, non ſe recolligunt (id eſt ad ſe non redeunt) quibus ſpuma circa os fuerit.

Contentum ſeu Intentio.

De prognoſi ſtrangulatorum ſolutorum.

C*onnexio*. Hic Aphoriſmus eſt Exemplum celebre prioris, in qua de magna & forti apoplexia egit, in hoc vero Aphoriſmo ſignum fortis apoplexiæ adducit, nempe *ſpumam circa os.* Apoplectici enim non aliter intereunt, ac ii, qui ſuffocati moriuntur.

Hic Aphoriſmus ob ſuam unitatem & brevitatem non patitur diviſionem.

Reſpirationis maximam eſſe neceſſitatem ad vitam ſuſtentandam palam conſtat, vita enim & reſpiratio pari paſſu ambulant, nam impoſſibile eſt vivere ſine reſpiratione, & reſpirare ſine vita.

Reſpi-

Reſpirationis autem abolitionem adeſſe in ſtrangulatis demonſtrat ſpuma circa os, unde quando ad illum terminum devenerit apoplexia, inter mortales reponenda, extinctionem enim caloris nativi denotat, quod mortale eſt.

Nota quæ Hippocrates hic de apoplectica ſuffocatione videtur indicare, plerique etiam extendunt in ſtrangulatis laqueo vel angina, in ſubmerſis aqua, & aliis non diſſimili fato enecatis, adeo ut generalius locutus fuiſſe videatur de quibuscunque ab intercluſo ſpiritu pereuntibus: Et quidem in his omnibus ſpuma circa os apparens funeſtum eſt ſignum, denuntians ſpiritalium partium læſionem, & reſpirationis noxam, unde referri in vitam difficile eſt. Verum

Notandum ſecundo. Quod Hippocrates dicit: *qui ſuffocantur, & à vita defi sunt*: non enim ſatis eſt ſuffocari, ſive ſpiritalium ductuum anguſtia premi, ſed etiam eſt opus vita deficere, quod ſcilicet cordis & ſanguinis motum interceptum arguat, quamobrem utrumque junctim ægros perpeti neceſſum eſt: hac quippe ratione præter ſpiritalium viscerum læſionem, deſignatur pariter cordis labefactio: quare cum res ita ſe habet, de vita ſperare amplius non licebit, ubi ſpuma os occupaverit. Sed qua de cauſa mors inde certo ſit exſpectanda, cum cæteroquin ſpuma pleriſque accidat, ſine ullo vitæ periculo, & epileptici ore ſpumoſi non raro fiant, attamen reviviſcunt. Hanc difficultatem mox in ſequentibus ſolvemus.

Spumæ cauſa materialis eſt aer & aqua ad invicem commixta, & commota, vel ut dicit Galen. in Commentario, cauſa ſpumæ eſt duarum ſubſtantiarum mixtio, *una ſpiritnoſa, altera humida*, ex quibus in multa perfractis, & mutuo complexu commixtis ampullæ gignuntur; ſicut enim ſpuma in aqua maris fit poſt magnam ejusdem agitationem & motum, qui eſt cauſa efficiens una cum calore. Vel in vino & cereviſia poſt fermentationem, vel in loquacibus & garrulis poſt magnas & ferventes concertationes, ita & iratis in pugna & ultimo conatu contra inimicum funeſte facto, & extinctione caloris vitalis, tandem prodit illa ſpuma circa os: vel ſicut in lebetibus igne ferventibus

Cum autem humida ſubſtantia tenax eſt ſpiritus ſeu ſubſtantia aerea concluſa difficulter evolat, diuque conſiſtit, qua de cauſa ſpuma diu quoque perdurat. Duplicem autem hanc ſubſtantiam eſſe in apoplecticis & ſuffocatis evidens eſt, ſpiritum, nimirum, qui exſpira-

tione propellunt, atque à compreſſo pulmone per anguſtos ipſius ductus quodammodo intercipitur, & lymphaticum illum humorem ac ſaliualem humorem e glandulis faucium & gutturis exſtillantem, qui ex impedito ſanguinis circuitu, non tam fluidus eſſe ſolet, imo aliquantum crasſeſcit, ut propterea arctius offendat rem ſpiritum, & pulmonis initiis detineat, atque ampullas & ſpumam pariat conſiſtentiorem: atqui hæc omnia in ſtrangulatis ſenſibiliora eſſe ſolent, quippe qui præter crebritatem & violentiam pectoris & pulmonis commotionem, loci anguſtiam, & aeris plus iuſto perflatu exagitationem cum impedito prorſus ſanguinis, & lymphæ circuitu, ſubitam & maximam ſubeunt in faucibus & gutture præfocationem. Atque hinc apta modo deducetur ratio, cur non redeant in vitam, quibus ſpuma circa os apparet: nimirum quia ingentem pulmonis compreſſionem, ſummam reſpirandi difficultatem, & viarum tum ſanguinis tum aeris interceptionem maximam denunciat: quod etiam indicare uſus eſt Hippocrates *Lib. de morbo ſacro, & Lib. de flatibus*. Cæterum in Epilepticis vel nulla, vel levis nox accidit pulmonis & cordis motui, cum reſpiratio in illis perennet, & ſanguis per pulmonis ductus in cor traducatur: quamobrem ſpuma in ore comparens, nullatenus ſequitur oſtendentis ſpiritus & perflatus ex tracheolis pulmonum aeris interceptionem, ſed ſolius ſaliualis roris ob concuſſionem muſculorum mandibularum expreſſionem, atque addentes, aliasque oris partes colliſionem, intercluſo aere, in concamerato palati fornice commixti. Itaque ut de veritate Aphoriſmi perpetuo conſtet, nunquam reviviſcent, qui ſpumam emittunt, ab intercepto ſpiritu in pulmonis ductibus, atque impedito ſanguinis per eoſdem motu: qui vero aliis de cauſis ſpumant, bene poſſunt in vitam revocari.

Per ſtrangulatos ſeu ſuffocatos eos intelligimus, qui ex defectu reſpirationis male, imo ſæpe peſſime habent. Strangulationis autem variæ ſunt cauſæ: Externæ, & internæ. Externæ ſunt laqueus, aer venenatus ſumma aeris denſitas. Internæ ſunt bronchiorum pulmonis, [illegible] tæ arteriæ, & venarum omnimoda interceptio, vel per obſtru[illegible] vel compreſſionem, vel ſubſidentiam & reſolutionem facta[illegible] [illegible] luxationem ſpinæ dorſi, vel per tuberculum, & tumorem præter naturam v. g. in angina, & peripneumonia, tales ægri neque loquuntur ob reſolutionem ſextæ conjugationis nervorum nempe vocalium,

calium, neque moventur, neque ſentiunt, intercepto nempe animali ſpiritu per nervos reſolutos, vel obſtructos. Intercepto etiam vitali ſpiritu per arterias carotides, vel etiam intercepta ſanguinis circulatione per venas jugulares compreſſas, vel obſtructas, tandem jugulantur eo quod ob copiam retentæ fuliginis & prohibitam aeris intromiſſionem calor nativus ſuffocetur.

Ad Aphoriſmi autem noſtri ſtabiliendam ulterius veritatem oportet ſupponere, non modo *ſtrangulatos*, ſed & *reſolutos*, ideo Hippocrates dixit, ***nondum mortuus*** quia in Epilepſia, ſeu paroxiſmo epileptico ſuffocantur & convulſi ſiunt, ſed non moriuntur, etiamſi ſpuma appareat in ore, quia non ſunt *reſoluti*. Nam ſpuma in Epileptico fit magis à pituita, ſeu potius ſalivali rore, in ore à mandibularum & linguæ violento motu agitata, ut mox ante pluribus diximus: In apoplectico autem fit ex fuligine, quæ oritur ex cordis, & præcordiorum, ſeu pulmonis reſoluto calore: in hoc adeſt maxima reſolutio, in illo autem non, quia liberatur: fit tamen ſæpe ut apoplexia fortiſſimo Epilepſiæ inſultui ſuccedat, & tunc nulla eſt diſtinctio.

Notandum bene: Non ita pridem excogitatum eſſe modum, quo iſti, & qui ſub aquis ſunt demerſi, in vitam referantur, niſi tamen penitus ſint extincti, quod plerumque poſt duas horas evenit. Primum ſunt inverſo corpore, & ſublatis ſurſum pedibus, ac capite deorſum pendulo, eo usque detinendi, circum accenſo interea igne, quousque recaleſcere incipiant, & aquam per aſperam arteriam eructent; facto ſenſim corde, totoque pectore cum ſpiritu vini, Elixir vitæ, vel pane calente, generoſo vino irrorato, hisque ſæpius, & ſæpius iteratis: fiet enim, ut mox (niſi omnino deceſſerint) cor in ſuo motu reſtituatur & paulatim ſanguinem admittat, atque in arteriam propellat cum vitæ reſtauratione. Qui vero laqueo ſuſpenſi ac ſtrangulati nondum perierunt in vitam facile redire ſolent, inſufflato per aſperam arteriam aere, ut nimirum pulmonum bronchiis turgentibus, ſanguis poſſit è dextro in ſiniſtrum ventriculum protrudi, ſubindeque reſtitui motus tum cordi, tum ſanguini qui ex ſtrangulata ſubſtiterat. Ad promovendum autem ſanguinis motum, atque ad diſſolvendum eum, qui forte in dextro ventriculo, & in vaſis pulmonicis hærere, ac concreſcere cœperat, plurimum conferent Elixir Vitæ, magnanimitatis, proprietatis, ſpiritus ſalis armoniaci, ſpiritus theriacalis, oleum

oleum cinamomi volatilia ſpirituoſa aromatica, & id genus alia, ſenſim atque iterato, ut res ipſa tulerit, exhibita. Cæterum quiqui ultra duas horas præfocati ſupervixerunt, ut de eo confert Cardanus, cui aſpera arteria oſſea erat, ſicuti ductum aeris interclusionem omnino non ſunt paſſi, ita ſanguinis & cordis motu revera non ſunt defecti, nisi etiam in parem cum Amphybus & nobili illo Urinatore *Cola* Caranenſe piſce cognominato, ſortiti ſint Naturam

Dices Irati, imo homines loquaces generant ſpumam, ergo etiam illi inter ſtrangulatos etiam numerandi? ℞ In loquacibus, & iratis ſpuma generatur ex ſaliva fortiter, & frequenter agitata, cum qua vapor & aer ex pulmone afflatus miſcetur In apoplecticis & ſtrangulatis vero, omnis ferme ſpiritus ſupprimitur, hinc etiam hæc ſpuma non generatur ore, ſed per modum vaporis ex pectore exſurgit, & exprimitur, & in extremo ore concreſcit.

Inſtabis: Si ejusdem ſpuma naturaliter præcederet ex pectore, deberet tuſſim cauſare, quod tamen non facit ℞. Eſſe ſuavem humiditatem, quæ naturam non ſtimulat deinde etſi ſtimularet, non ſentiretur, hinc nec eſſet tuſſis

Dices ſecundo Qui laqueo ſtrangulantur non emittunt ſpumam, & tamen cenſentur a pleriſque apoplexia interire ℞ Id fieri, quando laqueus immediate infra mentum injicitur ſupra laryngem, & ſic via præcluditur, per quam vapor è pulmonibus ſpuma materia fieri deberet, arcte intercluditur.

Dices tertio Dictum eſt, ſpumam fieri vel à motu ſeu agitatione, vel à calore, ſed neutrum eſt in apoplectico, id eſt nec motus, nec calor, quia eſt affectus frigidus. ℞ Motum fieri in pectore. *Secundo* calorem eſſe concentratum, & in illo conflictu ultimo contra morbum inſtitutum.

Dices quarto Cum Galen. in Comment aſſerat, non evadere apoplecticos cum ſpuma niſi rariſſime, ergo tamen aliquando evadunt. ℞ ſi fortis ſuccedat febris, ſecundum Hippocratem evadunt, ſed rariſſime.

Quæres: Utrum omnis ſpuma in Apoplectico ſit ſignum lethale? ℞. non ſed rubra maxime, quæ ſummam cordis compreſſionem, & quaſi crepaturam oſtendit, ob quam etiam ipſum ſanguinem expellere cogitur, tale Exemplum triſtiſſimum obſervavi in meo Digniſſimo

Pro-

Profeſſore piæ memoriæ Domino --- Franchimont, qui apoplexia forti correptus, eidem copioſiſſima ſpuma ſanguinolenta ex ore effluxit.

Aphoriſmus XLIV.

Qui Natura ſunt valde craſſi (ſeu obeſi) citius moriuntur, quam qui graciles.

Contentum ſeu Intentio.

De obeſis & gracilibus comparatis.

Connexio: In præcedenti Aphoriſmo Hippocrates egit de ſtrangulatis, & ſuffocatis. In hoc vero agit de obeſis, & gracilibus, & dicit obeſos eſſe facilioris ſuffocationis, quam graciles, hoc eſt, citius ex Apoplexia, animi defectione, ac ſuffocatione obeſos interire quam graciles. Alioquin enim certum eſt valetudinariam perpetuo vitam magis ducere pingues quam graciles.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem non patitur diviſionem. Hippocrates hoc Aphoriſmo Medicum docet, quomodo de obeſis & gracilibus prognoſim facere, de longitudine & brevitate pronuntiare, & debitam prophylaxim ſeu præcautionem ſeu præſervatoriam curam inſtituere per diætam, tandem etiam prædicere poſſit, quibusnam morbis magis obnoxii ſint obeſi, quam graciles, quod nimirum craſſi a prima ætate & naturali conformatione citius ſuffocentur. Dicimus à Natura ſeu à naturali conformatione, quia qui vitam ſedentariam ob lautam diætam craſſi & carnoſi magis quam pingues evadunt, magis longævi, magisque ſalubres eſſe poſſunt, quam extreme graciles, quia illis non deeſt amplitudo venarum & robur partium. Aphoriſmus ergo *valde craſſos* intelligit, qui non tantum multo adipe ſcatent, ſed & venas & arterias habent exiles & oſſa tenuia, quæ ingentem corporis molem ægre admodum regere valent, & alia incommoda ſufferunt, ut mox dicetur. Non vero intelliguntur etiam Athletæ, & carnoſi, & lacertoſi, exſarca enim corpora cunctis præferuntur.

Ff 3 Hinc

Hinc benenotandum, quod habitus corporis quidam eſt extremus in craſſitie, alius in tenuitate, alius inter hos mediocris, de prioribus duobus loquitur Hippocrates.

Craſſitiei & obeſitati multa paſſim adſcribuntur damna, & effectus: Pigritia ad motum, humiditas & frigiditas ſuperflua, vaſorum anguſtia, & ideo modicus ſanguis ſaltem comparate ad carnium multitudinem, paucitas calidi innati, & vivifici caloris, vitæ fomitis, & vigoris, cutis denſitas, & tranſpirationis defectus, inde multa congerunt excrementa, & inutilibus ſuccis ſcatent, & gravantur, graviſſimiſque morbis ſuccumbunt, difficilis reſpiratio, obſtructio vaſorum & viſcerum, Circulationis ſanguinis impedimentum; ſterilitas, hebetudo verbo, obeſitas, & humiditas ſuperflua eſt putredinis *fomes*. *Cauſa* variatum corruptionum; *Effectus* deficientis nativi caloris *Signum* fermentorum exoletorum. de illis Poeta.

Pinguia nam tennem ſuffocant corpora ſenſum,
Et mala farta ſuas, conculcant viſcera mentes.

Pinguedo enim & craſſities ordinarie & communiter defectui caloris naturalis ſuam debet originem, ſanguis etenim in hoc caſu, neque debite attenuatur, neque dextre diſtribuitur, ſed pinguedines, ſeu glutinis forma membranoſis partibus adhæret, & ob mucilaginoſiorem conſiſtentiam ſemi crudus aſſimilatur, quo ſcilicet ii adeo pingueſcunt: Unde corporis molem, & inconcinnam craſſitiem jam olim Pythagoras carceri comparuit, in quo velut in tenebris calor naturalis incluſus emarceſceret; ſuntque præterea obeſi ordinarie torpidi in actionibus obeundis unde Poeta:

Omnia craſſa tibi, Venter, pes, labra, manuſque
Craſſus es, at nihil eſt craſſius ingenio.

Quod eſt evidens ſignum, quod tales ſpirituum & ſanguinis penuria laborent, ob anguſtata illorum vaſa, cum tamen calor & vita in ſpirituum & ſanguinis copia, mors & frigus in ſpirituum & ſanguinis paucitate conſiſtat. Aliam rationem, cur pingues citius moriantur quam macilenti invenit Poeta dicens:

Quo

Quo magis aule bibis, mirum! minus hoc bibis aule:
Quo magis aulus edit, quo minus aulus edit.
Mors jugulat craſſos Ventres: pingueſcere vellet
Nempe ſaginatis mors macilenta cibis.

Præterea obeſi variis iiſque graviſſimis morbis obnoxii ſunt, Cachexiæ, Aſthmati, hydropi, Apoplexiæ&c.

Graciles quoque ſua damna & difficultates habent: debilitatem & magis in quovis motu, à calore, & frigore externo afficiuntur, difficile ferunt violentias, & caſits, vigilus infeſtantur, facile læduntur, famem non tolerant: obnoxii ſunt febribus bilioſis, ardentibus, tabi, hecticæ, etſi ſunt valde extenuati, brevem vitam ducunt ob defectum caloris, & humidi.

Sed Hippocrates non loquitur de nimium gracilibus, ſeu omnino macilentis, vel plane extenuatis ſeu tabidis, ſed de moderate gracilibus, qui venas & arterias latas & amplas habent, & robuſta membra, & moderate quoque carnoſi, ſanguinis vivacitatem, corporis perſpirabilitatem. Si ergo corpora fuerint nimium craſſa & obeſa, illa ſunt extenuanda ſecundum Hippocratem *Lib de diata:* Pingues inquit, qui graciles fieri volunt omnes labores jejuni facere debent, & cibos aſſumere anhelantes, non niſi fatigati, & non refrigerati præ poto vino, vel diluto, vel puro & generoſo, abſtineant à refrigerantibus, obſonia condiantur aromatibus, ſemel tantum & moderate in die comedant, mollia lecti ſternia fugiant, aceti ſquillitici, vel oximellitis ſquillitici cochlear unum vel alterum matutino tempore ſumant &c.

E contra ſi graciles ſunt & pingues fieri volunt, non nimium corpus moveant aut laborent, jejunium vitent, cibis veſcantur Euchymis, & multi nutrimenti, vinum aqua temperatum bibant, refrigerantibus & ſubſtantiſee humectantibus nutriantur, aromata & condimenta reſpuant, molliter dormiant, iram & triſtitiam vitent.

Dices. Mors fit per conſumptionem humidi à calido ſed hæc potius fiet in gracilibus quam obeſis, ergo falſus eſt Aphoriſmus: ℞ Univerſaliter negando majorem quia multi pereunt per ſuffocationem caliditab humido quod eſt contrarium. ℞ II Negando minorem, nam calor in obeſis potius exiguum humidum primigenium abſumit,

abſumit, quam multum in gracilibus, obeſi enim multum habent humidi adventitii patum radicalis.

Dices ſecundo: Dilatatio corporis eſt ſignum ex ſuperantis caloris, ſed hæc eſt in obeſis, ergo. ℞. Dilatatio venatum & arteriarum concedo dilatatio corporis per pinguedinem nego. Pinguedo enim fit potius per concretionem quam per rarefactionem.

Dices tertio Qui parum nutriuntur, brevius etiam vivunt, ſed tales ſunt graciles, ergo ℞ Tales ſunt graciles temperati nego. Extreme graciles concedo de his autem non loquimur.

Dices quarto: Obeſi habent humidum radicale magis oleoſum, & minus ſiccabile, ergo etiam vita illorum erit longior. ℞. Habent magis oleoſum ſeu humidum adventitium concedo humidum oleoſum radicale Nego.

Dices quinto Illi diutius vivunt, qui ſunt minus obnoxii morbis, ſed tales ſunt obeſi, ergo ℞. Negando majorem. Nam valetudinarii quandoque ſanis diutius vivunt, quia ſalubrius & attentius vivunt ſanis, qui multis exceſſibus deditı: ſi autem ſani moderate vivunt, diutius etiam vivunt valetudinariis. Deinde obeſi ſunt minus obnoxii morbis à cauſa externa ortis concedo interna. Nego.

Aphoriſmus XLV.

A comitiali morbo juvenes qui laborant mutatione potiſſimum ætatis, ſeu temporis & regionum, ſeu loci, id eſt aëris, & victuum liberantur.

Nota. Aphor. 7. Sect. 5. eſſe fere eundem: Epilepſia, quibus ante pubertatem contingit, mutationem recipit, quibus poſt vigeſimum quintum annum, eos fere comitatur usque ad mortem.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi Epilepſiæ.

Connexio: Poſtquam ſupra Hippocrates ſtatuiſſet de Apoplexia, eam aut non, aut cum difficultate curari, in hoc Aphoriſmo agit de

de Epileſia (tanquam valde affini apoplexiæ affectu) eam non ſolum curari poſſe, ſed ſimul modum oſtendit ipſius curationis.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem non admittit diviſionem.

In hoc Aphoriſmo Hippocrates oſtendit per tria remedia velut extrema, difficiles alias curatu morbos, nullaque prorſus alia re juvante curari, adeoque Medico in deſperatis & rebellibus morbis eſſe amplectenda: Patet enim *primo* morbos plerumque ſolvi per *alterantia, digerentia, & evacuantia*. Ergo Epilepſia maxime ſolvetur, *mutatione ætatis*, ſeu temporis, *victus & regionum* ſeu loci, ſiquidem hæc alterant, digerunt, ſeu coquunt & evacuant. Patet *ſecundo*: Longos morbos, & qui ſenſim geniti ſunt, ſenſim quoque eſſe curandos, id eſt tribus jam dictis remediis, quibus Medicus ſe confidere poteſt. Ac ſi vellet dicere, morbus Epilepticus à primordio contractus non curatur, niſi tota individui Natura immutetur, mutatur autem ætate, victu & loco. ſi ergo puer v.g. in loco humido laborat epilepſia, tranſportetur ad locum, & regionem ſicciorem; vel ſi accedat ad pubertatem, procul dubio magnam ſentiet alterationem, cauſa epilepſiæ digeretur, & tandem ſtatuta per naturam criſi (quæ plerumque in mutatione ætatis fit) evacuabitur.

Huic Sententiæ & Aphoriſmo contradicit Ethicus:

Quod morbos tollat, non credo Juventa caducos,
Nil Juvene ad lapſum, pronius eſſe poteſt.

Epilepſia quid ſit ex praxi abunde patet, affectio ſeu paſſio, ſeu motus convulſivus, per quem homo concutitur ſine ſenſu, ita ut nec videat, nec audiat, nec præteritorum reminiſcatur, calcitrat, quandoque ululat, & repente concidit.

Epilepſiam morbum eſſe puerorum, vel Juvenum, ſeu pueris propriam tradidit Hippocrates *Lib. de morbo ſacro, Lib. de aëre, locis, & aquis* 6. Epidem. & mox allato Aphoriſmo Sect. 5 Aphor. 7. Quid autem Medici intelligant per pueros vel Juvenes, parum intereſt. Hoc ſolum breviter hic dicimus Hippocratem univerſam hominis vitam in duo ſolum tempora diſcriminare, Juventutis nimirum & ſenectutis: qua ratione non tantum Juvenes, ſed etiam pueri, & adoleſcentes morbo comitiali correptos mutatione ætatis, temporum, locorum, & victuum ſanari poterunt.

De cauſis illius videatur: Differentia illius principalis eſt,

quod vel ſit *primaria* ſeu eſſentialis, ſeu Ithiopathica, id eſt primario affecto cerebro, ejusque partibus: *Secundaria* ſeu per conſenſum aliarum inferiorum partium ſeu ſympathica, id eſt quando ab aliis partibus viciniis & inferioribus cerebrum in conſenſum trahitur v. g. utero, ventriculo, inteſtinis, veneno vel morſu venenato, quæ non niſi curatis fermentis prædictorum viſcerum curatur.

Epilepſia invadit in pueritia, alia poſt pueritiam à decimo quarto ad vigeſimum quintum annum, prima igitur, ſi duret usque ad vigeſimum quintum annum & tranſcendat decimum quartum annum incurabilis ponitur, ut diximus ex Hippocrate 5. Aph 7. & plerumque usque ad mortem comitatur.

Puer ſeu pubertas vulgo dicitur, quando vir ſemen, fœmina menſtrua emittit, quare qui morbi ab ortu, in hac ætate non ſolvuntur, ad mortem usque perdurant, recte enim dixit Celſus comitialem morbum in pueris veneris, *in Puellis menſtruorum initium tollere.*

Ab ætate enim in curandis morbis plurimum ſperandum eſt ad ætatem nos etiam tempora referimus, ne entia multiplicemus ſine neceſſitate, ætas enim tempora, & tempora ætatem faciunt & conſtituunt.

Per victum non ſolum alimentum ſeu cibum est potum ſed abſolutum regimen in ſex rebus non naturalibus intelligimus, ſi nempe in contrarium cauſæ morbificæ mutetur.

Per locum non tantum intelligimus diverſum ſitum in ea civitate, vel regione, ſed ad diverſas & diſſitas etiam regiones, non tamen extremas, ſed temperatas & morbi cauſæ contrarias.

Quamvis autem Hippocrates pro ſolutione & curatione hujus morbi, prædicta tria remedia tum ſigillatim, tum conjunctim ſvadent, non tamen interim omittenda ſunt apta remedia ad hunc morbum curandum; nam licet Natura prima ſit morborum medicatrix, nihilominus in arduis & difficillimis morbis opem & ſuppetias exquirit ab arte. Et cum conſtet pueros hoc morbo tum intra tum extra uterum corripi, mox ergo dum naſcuntur ab omni impuritate mundandi ſunt, ipſisque nutricibus quoque proſpiciendum eſt. reliquum naturæ & ætati committendum, major enim mutatio in humido corpore, toto vitæ decurſu non fit quam pubertatis tempore.

Google

pore: Imo nova quaſi Natura tunc temporis individuo inducitur, quod non fit in aliis ætatibus, in quibus quidem mutationes etiam fiunt ſed non ita confertim, & ſolennes.

Quæres. Utrum motus Epileptici à ſola Natura vel à ſolo morbo fiant. ℞. Motum Epilepticum fieri à Natura non libera ſed irritata, ergo à Natura & morbo ſimul.

Aphoriſmus XLVI.

Duobus doloribus ſimul obortis, non eadem tamen in parte (ſeu non eundem locum infeſtantibus) vehementior alterum obſcurat.

Contentum ſeu Intentio.

De doloribus non una in parte concurrentibus.

Connexio: In præcedenti Aphor. Hippocrates docuit exemplo Epilepſiæ, ejus curationem fieri per contrarium, nempe ætatis, loci & victus: In hoc vero Aphoriſmo docet exemplo doloris, ejus curationem fieri per ſimilia.

Hujus Aphoriſmi brevitas non patitur diviſionem.

Hic notandum quod Hippocrates de doloribus fatetur, non nulli de cæteris quibuscunque affectibus intelligendum volunt, ita ut non tantum vehementior debiliorem dolorem obſcuret, ſed etiam quilibet affectus præter naturam gravior, minus gravem inſenſibilem reddat, adeoque inflammatio pulmonis, meningum, cerebri, hepatis & alterius interni viſceris, externos humores præoccupet: Sed revera ſenſus genuinus Aphoriſmi ad dolentes tantum partes, videtur congruentius optari poſſe, quia per dolorem ſenſibiliter afficiuntur, indeque judicium ferri poteſt gravioris, vel levioris affectus, cum cæteroquin in aliis morbis falli ſæpiſſime poſſint patientes, æſtimantes leviorem, aliquo tamen dolore vel moleſtia ſociatum, longe graviorem eo, qui revera infenſior foret, ſed dolore vacat. Dolorifica itaque affe-

Google

ctus inter ſeſe duntaxat comparantur, & quidem acerbiores cum mitioribus, qui tales erunt, relati ad cauſas dolorem inferentes, & ad partes ipſas dolorem ſubeuntes; quo enim illæ acriores & vehementiores fuerint; atque hæ nervoſiores & ſenſibiliores, eo quoque dolor acerbior & moleſtior erit. Hac plane ratione humores acredine præditi, acidi, ſalſi, tenues, mobiles, aſperius excruciant, dolentque ſenſibilius membranæ quam parenchymata.

Non debent autem duo dolores eandem omnino partem infeſtare, nam aliter mutuo confunderentur, & potius alter alterum adaugeret, ut cum dolens membrum inciditur, & cutis ex admotis cucurbitulis tumida, adeoque dolens ſcarificatur, ſed diverſas & diſtinctas partes afficere ut comparatio fieri poſſit: puta ſi una ſimul doleant cerebri meninges & dentes pleura, & lumbi, renes & femur, tunc quippe vehementior, aut propter cauſæ acerbitatem, aut ob loci & ſenſus præſtantiam, alterum debiliorem obſcurabit, ſeu in cauſa erit, ut minus ſentiatur.

Sed unde deveniat, non eſt adeo facile explicatu: ſunt qui dicunt, vim ſentientem unius partis diſtrahi ad vehementiorem, aut ſpiritus in partem vehementius dolentem, ſubſidii ergo demandari, adeoque in parte minus dolente ſenſionem impediri aut infringi. Sed inania iſthæc verba ſunt eorum, qui rem ſibi fingunt pro more ſufficienter explicatam, quam revera magis implicant; cum cæteroquin ſenſiones, quæ fieri videntur in ſenſibus externis, præcipiantur ab interno: nihil enim eſt in intellectu, quod non prius fuit in ſenſu. Qui inſuper id ipſum explicare conantur exemplo luminis majoris obſcurantis lumen minus, longe etiam, lateque falluntur, cum non ex eo quod diurno tempore, lucente ſole ſtellarum lumen non conſpicatur, bene inferri poſſit, ſtellarum lumen obſcurari à lumine ſolari, nam ex profundo puteo, quis cælum interdiu ſuſpiciens, ſtellas ſaltem primæ magnitudinis, perpendiculariter ſitas clariſſime intuetur. Et nihil eſt novi *Venerem* per diem conſpici poſſe licet aliæ videri nequeant ad aſpectum luminis ſolaris, quia ita eo oculi noſtri afficiuntur, ut ad perceptionem minorum inidonei reddantur.

Sic pariter auditus organa ingenti ſtrepitu percuſſa nequeunt exiles ſonitus percipere. & tactu ipſo non perſentiuntur, quæ leniter contrectantur, cum fortaſſe uſtione, vel ſectione illius organa percelluntur.

ſuntur. Hæc autem omnia non alia de cauſa contingunt, niſi quia ſenſiones omnes in cerebro fiunt per motum in organis ſenſuum externis excitatum, atque per nervos, nervorumque fibras illi communicatum, ut propterea, quæ moleſta partibus ſubjectis accidunt, percipiantur à mente, prout in eas partes intenta eſt, unde ea abalienata, vel alio diſtracta, dolor, vel voluptas nec percipitur: Cum igitur à vehementiori motu dolorificæ cauſæ affecta eſt, nequit profecto leviores perſentire; hæ quippe mitius nervorum fibras commovent, & lenius cerebri meditullium concitant, quam ut valeant mentem avocare in partem lenius affectam.

In hoc Aphoriſmo plurimum gloriantur chymici eo quod ſuis mixti principiis ſtatuunt curationes morborum non per contraria (ut mei hodiei ſentiunt) ſed per ſimilia eſſe inſtruendas: Et hujus Aphoriſmi occaſione etiam alios adhuc arripiunt Aphoriſmos, quos pro ſe citant, nempe quod vomitus vomitu curetur. Verum hæc chymicorum gloria, vanitas & fumus eſt, & famoſis hoc in puncto innituntur fundamentis, immemores præcedentis Aphoriſmi nec credentes hoc levamen ſeu obſcurationem non eſſe veram curationem, ſed tantum palliativum, ſeu ad apparentiam tantum. Voluit enim in hoc Aphoriſmo Hippocrates inſinuare Medico, quandoque ad minuendum unum dolorem alterum excitare, ut ſcilicet, retractis ex uno ſenſorio ſeu parte ad aliam ſpiritibus & ſanguine, doloris ſenſus in una parte minueretur, ad eum enim locum maxime fluit ſanguis & ſpiritus, qui magis dolet.

Cauſa autem quod ſanguis & ſpiritus ad partem dolentem confluant, eſt Naturæ providentia, quæ ſuppetias mittere cupiens per accidens, non ex propoſito dolorem auget, parte ſcilicet magis inflammata & diſtenta, unde major continui ſolutio contingit: ſi vero ſpiritus & ſanguis retrahantur ad aliam partem, fit remiſſio doloris.

Duplex autem eſt dolor, unus corporis, alter animi, de utroque verus eſt Aphoriſmus. Unde comparatio hæc fieri poteſt, vel inter duos dolores corporis, vel duos dolores animi: Vel unum animi, & alterum corporis: ſic dolor corporis v. g. Colica obſcurat podagram & econtra: ſic dolor capitis, ſcarificatis & ligatis auribus lenitur: ſic etiam in dolore animi, major triſtitia tollit minorem: timor vitæ obſcurat timorem perdendæ pecuniæ, vel veſtis, ita lætitiam.

Sic etiam non tantum dolor major ejusdem ſpeciei tollit dolorem minorem ejusdem, ſed etiam diverſæ ſpeciei, nam dolor animi tollit dolorem corporis juxta Aphoriſmum Hippocratis, *qui dolentes aliqua corporis parte, dolorem non ſentiunt, iis mens ægrotat*, Ita è contra corporis dolor animi dolorem tollit v. g. in pueris flentibus ſi flagellentur &c. quia Natura diſtrahitur circa ſingula minus attenta. Raro autem duæ partes ita æquales ſunt ſibique ſimiles ut æqualiter objecto violento reſiſtant, & ab eodem æqualiter patiantur. Interim tamen regula communis eſt *urgentiori dolori præ altero minus urgente eſſe ſuccurrendum.*

Sed nota, non licere tamen tenore Aphoriſmi dolorem dolore levare, & ad partes ignobiles referre, ſicut deduci videtur ex eodem Hippocrate 6 Epidem Sect. 8. Cum Hippocrates hic dixerit dolorem vehementiorem *obſcurare* non autem tollere aut ſedare minorem. Nec boni Medici eſt graviorem dolorem excitare ſub dubia ſpe, quod minor deſinat. Sed & perperam & inutiliter agere experimur, qui in gravibus morbis partium ſupernarum tibias & pedes aſperius attrectando, vitioſos humores in artus avocare nituntur, putantes ſe ita illas exſolvere.

Dices. Si tollit dolor dolorem, ergo ſimile ſimili curatur. ℞. Licet dolor ſit dolori ſimilis quo ad cauſam, eſt tamen diſſimilis & contrarius quo ad affectum quia revellit & attrahit in partem contrariam ſeu oppoſitam: Doloris enim ſicut caloris eſt attrahere.

Inſtabis: Major dolor in eadem parte obſcurat minorem, ergo nulla ſolutio. ℞. Etiam in una, eademque parte ut mox diximus dantur partes ſibi oppoſitæ, pars enim non eſt indiviſibilis & una partis particula præ altera magis vel minus ſentit. Poteſtque in una parte eſſe duplex dolor v. g. in pleuritide dolor pungens & diſtendens: alias autem duo dolores ejusdem ſpeciei in una eademque particula ſe ipſos potius augent quam minuunt, ut diximus.

Apho.

Aphoriſmus XLVII.

Dum pus fit, dolores ac febres accidunt magis quam confecto.

Contentum ſeu Intentio.

De Dolore ſuppurationis ejusque Indice.

Connexio: Poſtquam in Antecedenti Aphoriſmo Hippocrates egiſſet de dolore majori, obſcurante minorem; In hoc Aphoriſmo, utiliſſimum nobis reliquit diagnoſticum de dolore, vigore & declinatione inflammationum, quando dicit: *Dum pus fit, dolores ac febres magis accidunt, quam confecto*: denotat nobis tempus Divus ſenex, quo fit pus, cum illo quo factum eſt juxta illud ſupra dictum, *circa principia & fines omnia ſunt remiſſiora, in ſtatu vero fortiſſima.*

Hic Aphoriſmus ob brevitatem non dividitur.

Hic notandum: Cum ſanguis alicubi reſtagnat, & tumorem ac inflammationem parit, concreſcit primum, mox ſenſim corrumpitur, & vertitur in pus, in cujus generatione vehementi quadam fermentatione ſubigitur, & ſimul carnes quodammodo diſcerpendo dolorem excitat, atque per commotionem & disjunctionem partium tenuium à craſſioribus calorem excitat, & febrem accendit. Id autem conſiderans Hippoc. inquit, *dolores & febres accidere majores, dum conficitur, quam jam confecto pure.* Equidem in ipſa puris confectione, partes illæ tenuiores per fermentationem adiguntur & adnituntur craſſiores ſubigere unde tumefactionem, expanſionem, & pulſationem moleſtam inferunt. Poſtquam autem pus confectum fuerit, extricatis tenuioribus particulis agitatio, atque commotio ceſſat, fermentatione ad præcipitationem perducta, niſi quod ſolum moleſtia illa perſiſtit, quæ ab ipſo pure, veluti a re morboſa provenit, cujus cauſa circumjacentes partes infici atque in ſuis operationibus deinceps lædi poterunt,

niſi

Digitized by Google

niſi cito data porta educatur. Id quod plane expertum in cujuslibet tumoris ſuppuratione, & mox à ſectione confecti puris expulſione. Sed & non raro per ſuppurationem egeruntur ea, quæ vix ac ne vix quidem aliter extrudi poterant, omni adhibita diligentia, ſic ſpica digito infixa, niſi aliter poſſit extrahi, ſuppuratione promota ſubducitur. ſic etiam oſſium ſquammulæ ſeu ramenta in vulneribus & ulceribus ſponte foras educuntur, aliaque plura præter naturam corpori ingenita, vel adverſo caſu affixa.

Quoniam vero à ſuppuratione habita dolores miteſcere ſolent, hinc videmur apprime admoneri in tumoribus atque inflammationibus internis, quæ diris cruciatibus miſeros ægros divexarunt, ſi fortaſſe deinde ſedentur, cautos eſſe oportere, tum in prognoſi facienda, tum in remediis adhibendis, ne rupto apoſtemate, effuſoque in partem vitæ neceſſariam pure, mors repente accidat, aut ſaltem gravior morbus inſequatur, cum æger ſe jam curatum credat. Id quod in vomica Pulmonis, Empyemate, Angina, Pleuritide, aut hepatide ſuppuratis, aliisque ſæpe evenit.

Confectio ergo puris ſua habet tempora ut alii morbi principium, augmentum, ſtatum, & declinationem. per ly *fit* intelligenda ſunt tria prima principia, per ly *confectio* intelligitur declinatio.

Notandum *ſecundo*: Quod actio Naturæ duplex eſt in materiam: Una agit in materiam (ſeu humorem) Naturæ familiarem, domeſticam, & benignam, unde fit alimentum quæ proprie dicitur nutritio. altera agit in materiam extraneam: Et hæc triplex eſt, vel Naturæ vincentis, & dicitur coctio & reſolutio: Vel Naturæ victæ & dicitur corruptio ſeu putrefactio. vel medio modo ſe habet, & hæc pus generat. Terminus ergo actionis qua fit alimentum eſt *nutritio* in qua ſolum humor benignus mutatur: Sed dum fit corruptio ſeu putrefactio, non ſolum humor benignus ſeu ſanguis ſolum, ſed etiam pars ipſa præcipue carnoſa tranſit in pus: juxta illud: *Carnes contuſas neceſſe* eſt *putreſieri*, ut patet in vulneribus capitis.

Quatuor paſſim ſunt tumores præter naturam Phlegmone, Eryſepelas, œdema, ſcirrhus. Et hi tumores quinque modis terminari poſſunt; reſolutione, tranſudatione, ſuppuratione, induratione, & corruptione. Priores duo ut plurimum boni, ultimi duo ut plurimum mali, ſuppuratio vero medio modo ſe habet. Phlegmone

ſæpius ſuppuratur quam Eryſipelas, & reliqui tumores, quia ſit a ſanguine ad ſuppurationem maxime apto. Eryſipelatis materia ut pote tenuis non facile ſuppuratur, niſi per ſuppurantia externa frigida incraſſetur, & concentretur & dum exulceratio peſſima ſit. Oedema difficilius ſuppuratur, ſcirrhus difficillime, non autem ſuppuratio tantum fit in tumoribus ſed etiam in ulceribus.

De puris bonitate abunde diximus in inſtitutionibus & praxi, quod nempe debeat eſſe album leve & æquale. Oportet autem bene diſtingvere inter *Pus*, *Saniem*, & *Ichorem*. Pus enim fit ex ſanguine ſolo vel mixto vel etiam ex partibus præcipue carnoſis contuſis. Sanies quam Barbari virus appellant eſt excrementum tenue & aquoſum, quod emanat extra ulcus, ex calore debili, cui ſuccedit corruptio facta & tandem Gangræna. Ichor eſt aquoſa vel ſeroſa humiditas intra corpus proveniens ab humore quocunque.

His præſuppoſitis, nunc danda eſt ratio noſtri Aphoriſmi, quod dum pus fit id eſt a principio inflammationis, adſit dolor & febris causa eſt, dum quia circa principia & fines (ut diximus) omnia mitiora, circa ſtatum vero omnia vehementiſſima, quia maxime eo tempore ſolvitur continuum, eſt ſummus naturæ & morbi conflictus. Et tum cauſa eſt ebullitio ſeu effervеſcentia, quæ fit in parte, in qua fit ſuppuratio, a qua calidi & putridi vapores per adjacentes venas cordi communicantur, qui illud accendunt, & illud poſtmodum accenſum, eundem calorem per totum corpus, mediante circulatione diffundit, & hinc febris oritur.

Dolor autem fit, quando fit pus, quia Natura copioſis ſpiritibus ad hoc opus perficiendum ad partem confluxit, unde fit diſtenſio partium, nempe membranarum, fibrarum, panniculi carnoſi &c.

Febris autem ut mox diximus adeſt ob putrefactionem; pus enim fieri non poteſt abſque magna fermentatione & putrefactione, unde febris ſymptomatica non eſſentialis excitatur. Proinde optimo jure dixit Hippocrates *Lib. de flat.* omnem morbum eſſe ulcus aut ulceris ſeu putredinis aut putrefactionis conditionem præſeferre.

Poſtquam vero pus confectum eſt, victrix natura quieſcit, omnia ſymptomata v. g. dolor & febris remittunt, quia ceſſat effervеſcentia, & diſtenſio, coctumque pus extra corpus natura eliminat, modo ſit pus

 leve,

leve, æquale, album & minime grave olens: ſi vero ſit fæculentum lividum & fœtidum (uti fit in vomica integra vel rupta) in hoc caſu ſuperata eſt Natura, & ad expurgandam hanc materiam vires ſæpe non ſufficiunt, ſed æger moritur, Hipp. 2. prognoſticorum.

Signa fientis uti & facti puris in externis tumoribus deſcribit Poeta.

> Durities longa, pulſus, dolor & calor auctus,
> Signat pus fieri, ſed facto dicta remiſſa,
> Sub digitis undans, albeſcens pars & acuta.

Cæterum quæcunque poſſunt tenues particulas concitando & exagitando craſſis & adhærentes fermentationem promovere, atque poros cutis obturando, perſpirationem in partibus tumefactis impedire, valent pariter ſuppurationis opus adjuvare, qualia ſunt pinguia & calorifica dicta, *calidum* enim inquit Hippocrates eſt *ſuppuratorium*.

Dices I. Hippocrates in Aphoriſmo dicit deſtillationes in Ventrem ſuperiorem ſuppurantur intra viginti dies, ergo alii humores præter ſanguinem & carnes ſuppurantur. ℞. *Primo*: Per deſtillationes Hippocratem intelligere inflammationes, quæ dictis partibus incumbunt. ℞. *Secundo* Hippoc. per ly ſuppurantur, incitato loco intelligere concoquuntur non proprie ſuppurantur.

Dices II. Hippocrates primo prognoſticorum dicit molles tumores ſuppurari, ſed molles tumores ſunt œdematoſi ergo ℞. Molles tumores, qui à ſola pituita ſiunt, & puri œdematoſi ſunt ſuppurantur nego à pituita mixta cum ſanguine concedo.

Dices III. Si ſanguis poſſit in pus mutari intra venas, ergo etiam in febribus putridis continuis generabitur pus in venis quod eſt falſum. ℞. Si in febribus putridis tanta fiat humorum putredo, ut ipſe ſanguis in ſpecie corrumpatur concedo, ſed tanta putredo non eſt, niſi ſumma adſit malignitas, ſi vero hoc fiat, homo moritur, quia à purulenta materia ad verum ſanguinem nullus datur regreſſus, ut abunde diximus de putredine, titulo de febribus in genere.

Dices IV. Putredo eſt paſſio mixtorum, ſed humores v. g. bilis, lympha, pituita cum ſanguine ſunt mixta, ergo poſſunt putreſcere, ergo in pus converti. ℞. Concedo totum, negando ultimam conſequentiam, ſi enim omnia mixta putreſcibilia poſſent verti in pus, etiam herbæ

herbæ & ligna, putredini alias obnoxia poſſent verti in pus, quod eſt falſum.

Dub. V. Dicitur pus fieri per coctionem, cum tamen etiam fiat per putredinem, atqui coctio & putredo utpote contraria non poſſunt eſſe in eodem ſubjecto, ergo pus non poteſt fieri per coctionem à calore naturali, ſed potius à calore putredinali. ℞. Contraria eſſe circa idem ſubjectum, & ſeſe ex eodem ſubjecto expellere, adeoque ut ſeſe ex eodem ſubjecto expellant, debent eſſe in eodem ſubjecto, nec calor putredinalis & naturalis contraria immediate dici poſſunt, ſed tantum mediate, ratione effectus contrarii, quia calor naturalis generat, putredinalis corrumpit.

Aphoriſmus XLVIII.

In omni corporis motu, ubi fatigari cæperit, quies ſtatim laſſitudinem levat.

Contentum ſeu Intentio.

De termino motus.

Connexio: Cum in duobus præcedentibus Aphoriſmis Hippocrates egiſſet de doloribus, nunc in præſenti Aphoriſmo ad doloris ſpeciem quam gignit laſſitudo, progreditur.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem unimembris & indiviſibilis eſt. Nemo autem hunc brevem ſed enucleatum Aphoriſmum ſecundum exteriora verba accipiat, & credat Hippocratem tam fuiſſe ſimplicem, ut id docere voluerit, quod quies laſſitudinem, & defatigationem à motu cauſatam auferat; nam tali modo hic Aphoriſmus Hippocrate dignus non foret. Hoc enim noverunt Ruſtici, hoc naturali inſtinctu callent ipſæ beſtiæ, quæ poſt exantlatos magnos labores ſua membra humi proſternunt, remedium in quiete conſiſtere non ignorantes. Senſus ergo verus & genuinus hujus Aphoriſmi eſt, juxta illud tritum *contraria contrariis curantur*, quod ſi membra laborent laſſitudine naturali ex motu, tunc quiete tanquam contrario oppoſito, *ſtatim* (id

eſt brevi temporis intervallo) reſtituuntur: ſi vero quies laſſitudinem non *ſtatim* auferat, ſignum eſt laſſitudinem illam eſſe præternaturalem & morboſam ſeu morbi prænuntiam quam Hippocrates ſupra hac Sectione Aph. 5. *Spontaneam* appellavit, adeoque eidem quantocyus congruis remediis obviandum eſſe, cum eodem teſte citato loco morbos prænunciet. Oſtendit ergo in hoc Aphoriſmo Hippocrates ad ablationem cauſæ tolli effectum: oſtendit etiam exercitii terminum & effectum eſſe laſſitudinem: oſtendit pariter motum omnem ultra ſuos terminos productum facile evadere mor[...]eum: oſtendit tandem ut cognoſcat Medicus, quando a quiete non tollitur laſſitudo, eſſe jam confirmatam & morbum parituram, niſi ocyus & convenienter remedia adhibeantur.

Motus naturalis terminus eſt fatigatio ſudor & Euphoria ſeu tolerantia, quam tranſcendere non temere licet: quies eſt optimum fatigationis, doloris, & virium recuperandarum remedium. Proinde omnis motus corporis & animi maxime quiete interpolandus, & emendus eſt. Præterea ſicut motus excedens exaſperat humores & ſpiritus, ſic quies nimia torpidos reddit, & ad motum minus aptos efficit.

Motus ergo corporis duplex eſt, unus carnium & partium externarum, alter viſcerum: carnes & partes externæ recreantur exercitus loco motivis, viſcera vero cibo, potu & ſomno. Motus rurſum duplex eſt, unus levis, qualis eſt ambulatio, alter validus, qui proprie dicitur exercitium. *Primus* omnibus naturis convenit, calidis ſeu frigidis, pueris ac ſenibus atque debilibus, *Secundus* magis robuſtis pituitoſis & torpidis.

Cum autem is, qui ſe movet (ſive ad partes externas nempe ambulando, luctando, ludendo in palæſtra & quovis modo immoderate laborando, venerem exercendo &c. ſive quoad viſcera edendo aut bibendo, aut dolendo, fatigetur, corpuſque laſſari incipiat, ei quies imperanda eſt. Nam

Quod caret alterna requie durabile non eſt,
Hæc reparat vires, feſſaque membra levat.
Vel.
Sterne diu neſcit, quod non aliquando quieſcit.
Et Seneca:

Qui-

Quiſquis medium defugit iter
Stabili nunquam tramite curret.
Nam:
Omne quod eſt nimium, vertitur in vitium,
Quia:
Omne nimium Naturæ inimicum.

Sic ergo per laboris & exercitii intermiſſionem & quietis viciſſitudinem, ſuum laſſitudo remedium invenit, ſiquidem, ut diximus, ablata cauſa tollitur effectus, laſſitudinis autem cauſa eſt motus immoderatus qui duratione ſua reſolvit, liquat, & exſiccat aliquatenus humidum.

Quies per quam tollitur laſſitudo tria ſignificat: vel abſolutam motus privationem, vel ejusdem remiſſionem, vel ſomnum. Omnia hæc tria laſſitudinem tollunt, quæ ex motu naſcitur. Nam *primo* quies ſeu privatio motus omnino motum tollit, quia otiantur, quæ prius laborabant membra. *Secundo.* Motus etiam remiſſus tollit laſſitudinem, unde ambulandum eſſe leniter poſt exercitium (id eſt luſum, vel ſaltum etc.) monuit Hippocrates, id quod in equis Equites obſervant poſt vehementem curſum, eos deambulare lente præcipiunt, ut eo leni motu, humiditates per carnes diſperſæ diſſlentur. *Tertio.* De ſomno quoque non eſt dubium, quod laſſitudinem tollat.

Per quietem ergo ſpiritus diſſipati recolliguntur, debilitati reſiciuntur, diminuti reſtaurantur: quies autem non ſit exceſſiva. Nam
Otia damnantur, quæ nulla negotia tractant.
Et Ovidius:
Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus,
Et capiant vitium, ni moveantur aquæ.
Et Silius.
Plandoque veneno
Deſidiæ virtus paulatim evicta ſeneſcit.

Quemadmodum enim ferrum nimis quieſcendo rubiginem & aquæ ſtagnando putredinem contrahunt, eodem modo calor nativus continua quiete emarceſcit, putreſcit, niſi ex eo veluti ex lapide pyrio attritione & motu flamma elidatur.

Per ſomnum pariter partes, motu & vigiliis exſiccatæ iterum humectantur, exhauſtæ replentur, laxatæ reſtringuntur, hinc ortum eſt illud proverbium. *qui cum ſiti dormitum eunt, ſurgunt cum ſanitate:*

 ſomnus

ſomnus enim ſtatim ſitim levat, quia humectat è contra qui bene poti cubitum eunt, plerumque ſurgunt male habentes, ut vulgo dicitur: Es thuen die Haar wehe.

Si ergo per ſomnum laſſitudo non ſit ſublata, ſignum eſt, eam jam eſſe radicatam, & morbi imminentis prodromum

Dices: Quies non reponit, quod per motum eſt deperditum, quia non reponit liquatum humidum, ergo nec tollit laſſitudinem, quia non reponit quod eſt deperditum. ℞. Quies non reponit, quod deperditum eſt, per ſe concedo per accidens, quatenus nempe vires non amplius fatigantur, & quatenus moti & diſſipati ſpiritus quieſcunt, & reuniuntur, & tandem quatenus per motum violentum alimenta non amplius diſtrahuntur. Nego Verum quidem eſt per quietem, tolli recentem, & quæ eſt in fieri, laſſitudinem, eam vero quæ eſt in facto eſſe, non tollit, ſed tamen impedit, ne magis invaleſcat.

Quæres Utrum hoc præceptum ſpectet ad Therapeuticam ſeu ad tuendam ſanitatem, an vero ad aliam partem. ℞. *primo* Therapeutice, tam curativam prophylacticam, quam eradicativam reſpicit, ergo optimo Jure ad eam pertinet. ℞. *ſecundo*. Si laſſitudo ſit ſymptoma morbi de qua ſupra 2. Aph 5. & hic etiam diximus, concedo non pertinere proprie ad prophylaxin: ſi vero non eſt ſymptoma cauſæ aut morbi Nego. Hic autem Hippocrates ſumit laſſitudinem non quatenus eſt ſymptoma, & jam producta à morbo, ſed quatenus accidens a nimio motu inducta, quod facile per quietem miteſcit. Sed contra

Dices: In laſſitudine eſt actionum læſio, ergo morbus. ℞. Eſt læſio & morbus tranſiens concedo eſt permanens ſeu in facto eſſe, quod requiritur ad morbum, & ejus ſymptoma Nego.

Inſtabis: Cum laſſitudine debet adeſſe dolor teſte Galen. in Comment. ſed ubi eſt dolor eſt ſolutio continui, ergo & morbus, quia ſolutio continui eſt morbus. ℞. Pariter. Dolor & ſolutio continui tranſiens concedo permanens nego. Et hæc requiritur adeſſe vere morbum.

Urgebis: Motus calorem nativum auget, partes roborat, excrementa tertiæ regionis evacuat, ergo laſſitudinem non inducit, ſed bona efficit. ℞ Motus calorem nativum auget & roborat. Dicendo motus brevis & moderatus in corporibus moderatis, tempera-

tis, & bene affectis concedo, longus, & immoderatus in impuris corporibus nego.

Dices II. Quies ſanis hominibus non prodeſt, ſed obeſt, Ergo. R. Sanis hominibus non laſſis & fatigatis tranſeat, laſſis & fatigatis nego.

Dices III. Triſtitia & mœror inducit corporis laſſitudinem per longas meditationes, atqui hæc laſſitudo non quiete, ſed motu tollitur, nempe per diſtractionem animi & corporis, ergo falſus eſt Aphoriſmus. R. Etiam hæc laſſitudo per ſe requirit quietem, licet fortaſſis cauſa ejus motum requirat, quia per motum melancholici & fixi vapores diſcutiuntur, & hoc nihil facit contra Aphoriſmum.

Dices tandem. Per nimiam cibi & potus ingurgitationem, fit repletio, ergo non fatigatio ſeu laſſitudo, quia hæc fit a contrario, ab inanitis nempe partibus, ergo falſus adhuc eſt Aphoriſmus, qui ex cibo & potu (ut interpretes volunt) dicit fieri laſſitudinem. R. Nos & omnes alii tenemus laſſitudinem fieri non tantum ab exhauſto vel diſſipato humido, ſed etiam ab exceſſu & repletione: Nam ut diximus

Omne nimium Naturæ inimicum.

Aphoriſmus XLIX.

Conſueti ſolidos (id eſt quotidianos) labores ferre etſi fuerint invalidi aut ſenes, non conſuetis (ſeu inſuetis) quamvis robuſtis & juvenibus facilius ferunt.

Contentum ſeu Intentio.

De conſuetis laboribus, eorumque tollerantia.

Connexio: In præcedenti Aphoriſmo nobis præceptum tradidit Hippocrates de laſſitudine orta ex motu: In præſenti Aphoriſmo docet & oſtendit nobis effectum ulteriorem motus, laboris, & exercitationis, tam in aſſuetis, quam inſuetis, ſimulque vim conſuetudinis, quæ tum à Galen. 2. de tuenda ſanitate 6. tum ab Ariſtotele 7. Ethic.

acqui-

acquiſititia ſeu altera Natura dicitur, declarat. Eſt autem conſuetudo habitus ſeu facilitas in nobis, qua prompte operamur in his, quæ exercuimus.

Duas hic Aphoriſmus patitur partes, in prima conſuetudinem ejusque vim explicat, in altera docet conſuetudinem & exercitia conſueta ob ætatem vel imbecillitatem non eſſe omittenda.

Conſuetudinem ergo alteram eſſe Naturam audivimus jam, & quotidie etiam in nobismet ipſis abunde experimur, ſic quoque conteſtatur Princeps Poetarum Virgilius

Nimirum quidquid primis adolevit ab annis,
Non facile aufferrur, Naturam parturit uſus.

Sanctus Auguſtinus Lib 6. de *Muſica. Conſuetudinem ſecundum & quaſi affabrefactam Naturam appellat*: Curtius aſſerit imperium conſuetudinis Natura potentius eſſe credit: hinc eſt, qud Juris conſulti vim legis ſeu Jus non ſcriptum conſuetudini attribuant, unde Poeta:

Conſuetudo & mos vim legis habere videntur,
Improbitas hodie vim quoque legis habet,

Seneca hanc conſuetudinis in Naturæ vires potentiam admiratur & exclamat!

O graviſſimum conſuetudinis Impetium.

Fertur enim Natura in conſuetudinem & conſuetudo in Naturam, fraterno quaſi vinculo & Amore: & tanto quidem ut Natura illatas ſibi à conſuetudine injurias, ridente quaſi & benigno ſuſcipiat animo. Teſtes hujus harmoniæ ſunt ſenſus exteriores: Nonne *guſtus* cibos aſſuetos & familiares, licet peſſimos, aliusque ſtomachum everſuros v. g. Hiſpanus ita & Polonus Raphanum, Gallus Lardum, Germanus Braſſicam conditam (vulgo Sauer-Kraut) Ungarus allium &c. avido amplectitur appetitu. Sic fætor vicinæ cloacæ, aut putreſcentis fimi, ruſticorum nares non ferit: Sic lunarum inſuperabilis ſtridor fabri ferrarii aures non offendit: Sic conſuetis Africanis nigredo Æthiopum oculos non male afficit: Hæc autem & ſimilia in non aſſuetis, heu! quam triſtem, & contrariam ſenſationem ſenſorio imprimunt, quæ tandem ſola conſuetudine in amicitiam Naturæ recepta non amplius nauſeoſo, fœtido, ſtridulo, & ingrato, ſed blando omnino contactu Naturam afficiunt unde Ovidius:

Quod male fers, aſſueſce, feres, bene cuncta vetuſtos
Lenit.

De

De *Tactu* res etiam clara eſt. Nam Italus patrium calorem, Germanus patrium frigus conſuetum facile ſufferunt. Hinc Ariſtoteles tradidit veteres Germanos, filios Neo natos, gelidis intinxiſſe fluminibus ut explorarent, an à genitoribus ſuis, non degeneres, connatam haberent Naturæ Germanæ duritiem, & omnibus injuriis reſiſtendi potentiam, de qua Poëta.

Explorabat aquis ſpurios Germania partus
Nunc Teuto Vini ſe probat imbitio.

Quanta autem ſit conſuetudinis in Naturam Potentia præter quotidianam experientiam docet Plinius de Milone Crotoniate, qui vitulum in dies portare aſſuetus, tantum roboris ſuo corpori adjecit, ut bovem etiam ex vitulo factum ad ſtadium circumambulerit. Unde vere verificatur noſter Aphoriſmus, *qui conſueti ſolitos labores ferre, & fuerint imbecilles & ſenes* fortioribus atque Juvenibus facilius ferunt. quod Ovidius de ſeipſo in exilio exiſtens canit

Quique fugax rerum, ſecuraque in otia natus
Mollis, & impatiens ante laboris eram
Nunc mea continuo cedens Natura labori,
Accepit vires, vixque ferenda tulit.

Sic multi aſſueti ſunt ter vel quater, imo ſemel tantum de die, hoc eſt a mane usque ad veſperum vorare & cibum ſumere carnibus infumatis & ſuillis, bubula, vervecina crambe condita (Kohl- oder Kraut-Fleiſch) pane ſiligineo etiam nigerrimo qualem paſſim Weſtphali vulgo Pomvernickel veſci, & cereviſiam craſſam haurire: & illi tamen, etſi ſint debiles & ſenes, quam inſueti, facilius ejusmodi victum ferunt. Imo vini potatores, ſi abſtemii fiant de mala concoctione & ventriculi languore conqueruntur. Idem dici poteſt & obſervatur de omnibus aliis laboribus durioribus, quos aſſueti facile ſufferunt, inaſſueti tufferre non poſſunt.

Ratio autem, quod continuati labores corpus efficiant robuſtius duplex eſt. *Primo* Quia conſuetudo motus facilitatem & tollerantiam promovet. Facilitas ſeu habitus ex frequentatis actibus oritur, muſculi enim ad hunc vel illum motum ſæpius applicati multo facilius ſeſe contrahunt, & extendunt, quod etiam in rotis & aliis rebus mobilibus contingit, in quibus omnes motus primi ſunt difficiliores ſubſequentibus.

Tollerantia per robur acquiritur; roborantur autem partes per conſuetos labores, cum conſuetudo reſte proverbio, *rebus quaſi callum inducat*. Cutis enim exinde evadit craſſa, dura, calloſa, minus ſenſibilis, robuſtior, omnibus injuriis, igni etiam & ferro reſiſtens juxta illud: *ab aſſuetis non fit paſſio*.

Secundo Ratio eſt, quia per motum calor partis duplicatur humidum radicale fit magis vegetum, ſpiritus ſunt agiliores, ſanguis elaboratus, & ab excrementis purus atque ad circulationem aptior, partes ipſæ, articuli, tendines, ligamenta, muſculi ſicciores & ſpiſſiores evadunt. In calore autem & ſiccitate robur partis conſiſtit, ſicut in frigiditate & humiditate ſegnities & ad motum ineptitudo tum fluidorum tum ſolidorum.

Accedat & hoc quod Natura ad partem labore exercitum continuum mandet ſpirituum & ſanguinis commercium, quod novum quoque vigorem parti addit, ambi dextrorum exemplo res clara eſt. Præterea conſuetudine fibræ muſculorum motrices aptantur certa ſerie ad ejusmodi munera peragenda imo ex his uſu habitus magis roborantur & virtute cæteris omnibus præcellunt.

Natura & conſuetudo igitur uno paſſu ambulant, in hoc tamen differt Natura à conſuetudine, quod Natura unum finem terminate petat v. g. ſeminis virtus formationem fœtus, ſeu hominis, unde formato homine ſentit, attrahit, coquit, expellit, nulla facta aſſuetudine, ſed à Natura. Quia vero Natura fertur in finem cum quadam latitudine, ideo confunditur Natura cum conſuetudine; appetit enim ſtomachus naturaliter, ſed quod hunc victum magis quam illum id ex aſſuetudine ſequitur; moventur membra a Natura, ſed quod adhuc motum magis quam illum, id a conſuetudine eſt. Conſuetudo enim determinat Naturam, quæ alias in unum finem certum collimabat, ut in alium terminaretur.

Tanta ergo eſt vis conſuetudinis, ut quidam Philoſophi fuerint, qui aſſeruerunt mundum univerſum conſuetudinem eſſe & gubernari, non ſecus ac contingere videmus in gubernatione regnorum & urbium vulgo **Lands Gebrauch/ oder ländlich ſittlich**: Plura de conſuetudine dicemus ſequenti Aphoriſmo 50.

Dices ex hoc ſequeretur Aphoriſmo, quod ſenex debilis laborioſus ſit validior Juvene robuſto, quia exercitati nunquam eſſent debiliores

res inexercitatis. ℞. Juvenem abſolute eſſe fortiorem ſene debili habito tamen reſpectu ad certas conſuetudines cenſetur debilior v. g. ſenex aſſuetus injurias temporum & itinera difficilia, uſum medicamentorum (de quibus etiam intelligendus Aphoriſmus) & ciborum, facilius tolerat quam Juvenis inſuetus.

Dices II. Senes in univerſum facilius jejunium ferunt, quam Juvenes (ut ſupra in Aphoriſmis dictum) etſi Jejunio non ſunt aſſueti ſenes. ℞. Senes facilius jejunium ferunt, verum eſt, id autem non fit ob conſuetudinem, ſed ut ſupra diximus, ob temperamentum & craſin frigidam & ſiccam, quæ tantum non appetit quam Juvenum, ergo nihil eſt contra Aphoriſmum.

Quæres: Utrum per Imbecilles intelligendi ſint à morbo tales, & per fortes a Natura tales. ℞. Ad utrumque negative. quia imbecilitas a morbo ſeu morboſa, ad gravia quævis ſuſtinenda cenſetur inepta, quamvis etiam morbis aſſueti, morbos ipſos facilius tolerent, quam qui nunquam fuerunt ægroti. Unde per imbecilles intelligimus à Natura per fortes non a robore ſed a conſuetudine tales. Et hæc eſt ratio noſtri Aphoriſmi.

Dices III. Robur facit, ut quoscunque labores feramus, ergo Juvenes omnes labores ferent, quod eſt contra Aphoriſmum ℞. Verum eſt, quod robuſti omnes labores tolerent, conſueti tamen facilius ferunt quam inſueti.

Dices IV. Per labores perduntur vires, ergo non acquiruntur. ℞. Deperduntur vires ad tempus concedo perduntur ita ut per conſuetudinem non reddantur eo tempore fortiores & habiliores nego.

Quæres. Utrum qui à cibo abſtinere aſſueti ſunt, facilius abſtineant, quam non aſſueti? ℞. Affirmative. Hoc probant antiqui milites, qui multo graviora, quam Juvenes pati & ſuſtinere poſſunt.

Aphoriſmus L.

Conſueta longo tempore, etiamſi deteriora ſint, inſuetis minus moleſta eſſe ſolent: quam ad inſolita quoque fācienda mutatio.

Contentum ſeu Intentio.
De Euphoria ſeu tolerantia conſuetorum.

Connexio. Tractavit in Antecedenti Aphoriſmo Hippocrates de conſuetudine, facta comparatione ad labores: In præſenti autem de eadem univerſaliter & generaliter agit, non tantum demonſtrando conſuetudinem eſſe alteram Naturam, ſed etiam mutationem exprimit, quomodo nempe ad inſueta quandoque mutationem facere oporteat, quod præceptum & exemplum aphoriſticum medico medenti plurimum eſt obſervandum, quomodo nempe ab aſſuetis paulatim recedendum ſit, & ad inſueta meliora tranſeundum ſit, pro conſequenda, & obtinenda, & conſervanda vitæ ſecuritate.

Hic ergo Aphoriſmus duas habet partes: in prima loquitur de conſuetudine: In ſecunda deducit conſuetudinis mutationem, in omnibus rebus, quæ humano corpori poſſunt adhiberi, aut quocunque modo in vitæ uſum evenire.

Primæ partis ratio eſt, quia conſueta longo tempore, etiamſi deteriora ſint, Naturæ tamen ſunt amica, adeoque minus moleſta, uſus enim continuatus amicitiam parit inter Naturam & aſſueta, unde hic vim & efficaciam conſuetudinis includat.

Secundæ partis ratio deducitur ex prima; nam ſi minus moleſta ſint aſſueta, ergo ad ſecuritatem vitæ, facienda eſt ad contraria mutatio. Conſuetudinem autem in conferenda ſanitate poſſe plurimum extra dubium eſt, & abunde demonſtravimus præcedenti Aphoriſmo unde Ovidius:

Fac tibi conſueſcat, nil conſuetudine majus.

Sic Jure merito conſuetudo dicitur Natura aſcititia, quæ primævam corrigere & permutare valet.

Nam ſi quis tota die hypocauſto vel lecto concluſus & incluſus fuerit, porrecto è feneſtra capite facile Cathatro corripietur, quia inaſſuetus aura, ejus injurias minus ſuffert. Sic alii cum ſtomachum ſuum ex Natura alias robuſtum, & durioribus digerendis non imparem, non niſi ad tenerrima etiam debiliore calore ſuperabilia, inertiore menſtruo ſolubilia aſſuefaciant, tam delicatum & ſubtilem ſibi efficiunt ventriculum, ut non niſi mollioribus digerendis aptus, cibos duriores

niores indigeſtos & crudos cum magno ſanitatis & longævæ vitæ diſpendio relinquat. Id ipſum quoque accidit iis, qui corpus ſuum continuo otio, ſomno, & deliciis marcidum, & effœminatum reddunt, hi ad quosvis graviores labores ſubeundos plane inepti, ad ſuperandos varios internos & externos exceſſus inhabiles & in media & florente ſanitate valetudinarii efficiuntur.

Sic è contra videmus, quod aer frigidiſſimus, & incolatus borealium & nivoſarum regionum, non tantum commode & ſalubriter, ab illorum locorum incolis toleratur ſed etiam valde proficit ad corporum firmitudinem: ſi deinde in calidiorem commutetur, & in regiones temperatas, graviter afficiet, & noxam adferet. Sic qui purgantibus medicamentis aſſveſcunt, inde ſuccedentes facillime ſufficiunt evacuationes, quo facto, ut Medici inter contradicantia purgationis conſuetudinem retulerint. Sic pariter qui Toxica & venena ſumere conſveverat, nullo unquam tempore ab aliis viſus eſt damnum percentire: Taceo plura, quæ paſſim in Autoribus legi poſſunt.

Ut vero conſvetudo id praſtet, longo tempore inducta ſit, oportet, quo circa appoſite notavit Hippocrates, *quæ ex longo tempore conſueta ſunt*: Etenim quo vetuſtior illa eſt, eo radices altiores figit, atque firmam ac ſtabilem maſſuetis promptitudinem & repugnantiam ad oppoſita operatur.

Conſvetudo autem triplex eſt: alia bona, alia mala, alia peſſima. Bona eſt, quando homo alias bene temperatus, temperatis aſſuefactus eſt. Mala eſt, quando intemperans aliqualiter eſt. Peſſima eſt, quando homo eſt exceſſive intemperans. *Prima* licet ad ſanitatem commendetur, non tamen ad vitæ ſecuritatem utilis eſt, quare monet ficiendam eſſe mutationem per intervalla ad contraria, ſic v. g. qui vino eſt aſſvetus & illi conducit, confert aliquando aquam bibere. Mala conſvetudo ſi fuerit recens, ſtatim mutanda eſt, nam temporis progreſſu ſolet valde lædere. At vero ſi *mala* conſvetudo fuerit vetus & antiqua, non eſt ſubito, ſed paulatim tollenda, & ſenſim mutanda in contrarium, ne ab uno extremo ad alterum fiat tranſitus cum Naturæ diſpendio; nam quod molliſſimum eſt, non poteſt una ſtatim vice fieri duriſſimum, & è contra. *Peſſima* conſvetudo, ſeu à Natura ſua ſit exceſſus ſeu per accidens ſic v. g. ſi quis aquam bibat, & illi ſit aſſvetus usque ad ſenectutem, & talis laboret cruditatibus, & ſit imbecillis,

mutanda eſt conſvetudo & tranſeundum ad vinum, quia aqua ſenibus & imbecillibus peſſima eſt, vinum autem lac ſenum, quia lætificat cor hominis præcipue ſenis.

Unde peſſime illi faciunt, qui in Juventute ſeſe vario cibo & potu non aſſvefaciunt, cum delicata & uniformis diæta tam ſit periculoſa teſte Celſo: qui dicit Lib. 1. Cap. 1. Hominem ſanum, nullam vivendi rationem ſervare oportere, ſed modo plus quam decet ingerere, modo abſtinere, modo vigilare, modo dormire, modo foris, modo domi eſſe debere.

Corpus ergo noſtrum ita & animus (nam teſte proverbio animus duris aſſvefactus minus læditur) ad aſpera etiam & violenta aſſvefaciendus eſt. Hos enim poſtea neque aëris injuria, neque ciborum quantitas aut qualitas facile offendit. Imo Arabes pro ſanitate conſervanda, ebrietatem ſemel in menſe etiam ad vomitum usque continuatam proficuam eſſe voluerunt. Ex qua Arabum regula Poeta in ebrioſum ſic invehitur.

Quovis menſe ſemel Medicus jubet, ebrius eſto.
Quovis menſe ſemel, ſobrius eſſe ſoles.

Uno verbo, ut Natura noſtra, induſium ferreum (ut proverbium Germanorum ſonat) vulgo ein Pantzer per conſvetudinem induat non ſemper temperato, ſed quandoque calido & frigido, non ſemper moderato ſed ſubinde pauco, & nimio, non ſemper molli, ſed ſuo tempore aſpero & duro aſſvefacienda eſt. Hinc Fabri ferrarii, ut ferro duritiem concilient, ignitum in aqua frigida ſemel iterumque extingvunt.

Hoc autem neutiquam in hoc ſenſu intelligendum volumus ac ſi ab uno extremo ad alterum Natura violenter deducenda foret: hoc enim eſſet Naturæ vim & violentiam inferre a lege Naturæ damnatam. Nec mens noſtra eſt, quod ſolis aëris, ciborum, aliarumque ſex rerum non naturalium exceſſibus ſit aſſvefacienda; nam peſſimus exinde contraheretur habitus, qui utique ſine ſubjecti corruptione diu ſupereſſe non poſſet.

Notandum autem mutationem conſvetudinis, vel fieri in ſanis, vel in ægris: ſi fiat in ſanis, paulatim facienda, unde docet Hippocrates 6. Epidem. *contraria paulatim eſſe adhibenda*: In ægris vero repente facienda mutatio, neque ideo lædit, quia corpus per morbum etiam

repente

repente mutatur, & quo major fuerit morbus, eo major ſit mutatio, ideo in acutiſſimo morbo nihil exhibemus, & pro vino aquam pro cibo ſorbitionem præbemus, & quietem ſine noxa imperamus. Præterea hæc mutatio ſecurius inſtituitur in Juventute: Et ſenſim ſine ſenſu fieri debet. Inveterata vix ſine periculo mutari poteſt, maxime in ſenio juxta illud: *Antiquus Canis catena non aſſueſit*. In genere ergo à malis ad bona, & a bonis ad meliora tutior ſemper eſt mutatio.

Dices I. Multi Catharris tota vita ſunt obnoxii & iis conſequenter aſſveti, & tamen ab uno catharro moriuntur, ergo. ℞. hic Aphoriſmus non intelligitur de morbis, ſed de victu, & ſex rebus non naturalibus ſpectantibus ad valetudinem conſervandam.

Dices II. Hic Aphoriſmus contradicit priori in hoc dicit conſveta immutanda, in priori dixit conſveta etſi etiam deteriora, minus eſſe nociva adeoque in iis perliſtendum & non immutanda etſi ad meliora. ℞. Non eſſe immutanda etſi meliora repente (niſi conſvetudo ſit recens in illa licet repente) concedo paulatim nego. Repentinæ enim mutationes nocent, paulatinæ ob vitæ ſecuritatem ſunt proficuæ.

Dices III. Longo tempore conſveta tranſeant in habitum nec amplius poſſunt nocere, ſicut venenum Regi Mithridati ergo non ſunt immutanda. ℞. Licet conſveta tranſeant in habitum etiam ipſa venena, & nec amplius noceant pro nunc concedo in futurum nego, venenum ut venenum non poteſt nutrire, ergo tamen ſucceſſu temporis nocere.

Dices IV. Ex dictis conſveta longo tempore derepente poſſunt mutari in morbis, ergo magis in ſanis, quia ad mutationem requiruntur vires, quæ in ſanis ſunt fortiores quam in ægris. ℞. Nego conſequentiam; mutantur enim tempore morbi velut ſumme noxia actu, tempore ſanitatis velut moderate noxia in futurum, ergo non eſt par ratio nec par neceſſitas.

Inſtabis: Omnes mutationes repentinæ ab uno extremo ad alterum ſunt noxiæ, ergo etiam in morbis. ℞. Mutationes ſunt noxiæ ratione virium tranſeat, ratione morbi & cauſæ ejus nego ſemper autem illud quod magis nocet & urget, agendum, ſed magis urget & nocet morbus & ejus cauſa, quam vires, quæ in principiis morborum

ſemper

ſemper ſunt fortiores, adeoque illarum tanta non eſt habenda ratio, quam morbi & ejus cauſæ.

Dices V. Victus mutatio eſt periculoſa, ſed iſta ſvadetur, ergo. ℞. Svadetur paulatina pravi victus mutatio concedo. Repentina. Nego.

Aphoriſmus LI.

Plurimum & repente evacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, aut alio quovis modo corpus movere, periculoſum: omne ſiquidem nimium Naturæ inimicum: Paulatim autem quod fit, tutum, & præſertim, ſi quis ab uno ad aliud tranſierit.

Contentum ſeu Intentio.

De Mutationibus ſubitis.

Connexio: In præcedenti Aphoriſmo dixit Hippocrates oportere ad inſveta mutationem fieri; in hoc Aphoriſmo docet, quomodo mutatio facienda, & cum Natura non poſſit ferre ſubitaneam mutationem (omne enim nimium Naturæ inimicum, quale eſt ſubita mutatio) ergo eam dicit ad ſecuritatem vitæ, tarde & paulatim eſſe faciendam. ſi v. g. aliquis ſeptem vel octo diebus bene jejunaverit, & derepente multis ſeſe cibis repleverit: Vel ſi ſiti & calore confectus aliquis repentine gelido hauſtu ſeſe ingurgitaverit, in maximum vitæ periculum, ob ſubitaneam mutationem Naturæ inimicam incidit. Vel ſi quis ex intenſiſſimo frigore ſeſe recipiat in locum calidiſſimum, utique periclitatur, quia calor ex frigore violente concentratus ad præſentiam alterius caloris ſeſe violente exerit, & ita diffundit, ut penitus una cum ſpiritibus & ſangvine diſſipetur, & mox ſequitur ſyncope aut plane extinctio. Sic videmus eos, qui in denſiſſimis tenebris diu de-

tenti

tenti fuerunt, de repente in locum lucidiſſimum adductos excutire, de quibus Poeta:

Heu miſer! in medio perdo mea lumina ſole,
Quique diem generat, ſurripit ille mihi.

Quia omne nimium, in quanto, quali, tempore, modo, & more Naturæ inimicum, ſed mediocritas Naturæ amica & proficua.

Hic Aphoriſmus duas habet partes, in una de mutatione repentina loquitur, & eam damnat: in altera de mutatione paulatina, eamque commendat.

Natura ergo cum in mediocritate quadam & harmonia conſiſtat, mutatio ſubitanea eam diſſolvit, unde non hac, ſed illa, nempe paulatino, id eſt, quæ fit tranſitu per medium non ab uno extremo ad alterum, delectatur. Sive enim fit mutatio à bono in malum, vel à malo in bonum, ſive in ſanis ſive in ægris, parum vel multum calidis, aliisque quibuscunque naturalibus & non naturalibus ſemper debet eſſe paulatina & per medium, non violenta aut repentina & ab uno extremo aliud. Apprime proinde inquit Hipp. *Plurimum ac repente*, ut ſcilicet denotet vehementiam ſimul & violentiam alterationis quædam enim alterant quidem plurimum, ſive calefaciendo, ſive refrigerando, at ſine violentia & longo temporis tractu quædam vero violenter ac citiſſime, at non cum tanto ſucceſſu, ſi autem utrumque præſtent, *plurimum* ſane exagitabant, *ſubitam* ſimul ac ingentem mutationem inferendo. Et quamvis alterutrum ſi humano corpori accidat, grave ſit, & potenter immutet, ac depravet illius œconomiam, ubi tamen utrumque conjungatur, periculum vitæ minabitur, divexata nimirum impenſe Natura, quæ mediocritate ſolum, ut diximus, gaudet, & immoderationem ferre nullatenus poteſt. Subdit inſuper Hipp. *Evacuare vel replere, calefacere, vel refrigerare*: De evacuationibus & repletionibus immoderatis dixerat etiam 1. Aph. 3. illas ad extremum ductas eſſe periculoſas; quia inanitionibus immodicis exſolvitur corpus, membra laſſantur, & vires deficiunt. Repletionibus vero, cuncta gravantur, infarciuntur, ſuffocantur. Vehementer quoque *calefacere* periculoſum, quia à calore nimio, carnium mollities & laxitas, imbecillitas nervorum, mentis torpor, ſanguinis profluvium & animi defectio oboritur, quibus tandem mors ſuccedit, ut dicitur 5. Aph. 16. *Frigidum* vero, convulſiones, tetanos, livorem, & rigores febriles parit, eſtq; inimicum oſſibus, dentibus, nervis, cerebro, ſpinali medullæ. 5. Aph. 17. & 18.

Utque omnem violentam & repentinam mutationem complectatur, addit, *ſive quovis alio modo corpus movere*: omne enim nimium naturæ inimicum, ſanitas quippe in mediocritate ſubſiſtit: quo etiam argumento ductus Hipp. docuit *ſomnum & vigiliam utraque excedentia malum*. Item *nec ſatietatem nec famem*, neque aliud quidquam quod modum naturæ excesſerit bonum.

Tam ergo ad ſanitatem conſervandam quam ad morbos abigendos, & tum in caſu alimentorum, tum etiam in uſu medicamentorum ſententiam hanc probatam eſſe demonſtrant adjecta verba *evacuare vel replere*. Unde medicamenta cathartica validiora, ſanguinis detractiones, victus plenioris frequens exhibitio, immoderata quies &c. ſunt omnino devitanda.

Cum hoc Aphoriſmo concordat aurea illa *Avicennæ* ſententia, dicentis: *In morborum curationibus a levioribus progrediendum eſſe*: quia quod paulatim fit, tutum eſt. Hanc regulam ipſa Natura in omnibus ſuis operationibus exacte obſervat: quæ hyemi & æſtati vernum tempus, æſtati & hyemi autumnum interpoſuit, quin imo in ipſo generationis & corruptionis opere, non niſi per paulatinos gradus, omnia ad ſuum eſſe, & perfectiorem inſenſibiliter deducit: ſi vero inverſo naturæ ordine ab uno extremo ad aliud ſimultaneus fiat tranſitus, ſumma omnibus rebus infertur violentia. Paulatinis ergo greſſibus ad fortiora deveniendum, nec non niſi levioribus in caſum tentatis, ſæpe enim levioribus remediis ducendo & cunctando plus proficitur, quam gravioribus pellendo & feſtinando. Teſte Seneca:

Quisquis medium defugit iter,
Stabili nunquam tramite curret.

Olim oraculi loco in Delpho ante fores templi Apollinis tabulæ inſcripta fuit majuſculis verbis hæc ſententia: *Ne quid nimis*: Ratio eſt, quia cum Natura in omnibus actionibus ſui conſervationem intendat, neceſſario odit extremum & amat medium, id eſt temperatum, nam teſte Ariſtotele 2. Ethicorum Cap. 6. *Virtus in medio conſiſtit*: Per temperatum enim omnes actiones viventium meliorantur: per intemperatum quocunque modo excedat, deſtruuntur: Eſt enim violentum repentina vis, ex qua natura fortis violenter concutitur, debilis omnino proſternitur. Nonne multi ex violenta majorum tormen-

torum

torum bellicorum exploſione auditum? alii ex peſtifera exhalantium fœtorum aporrhæa olfactum perdiderunt? quis neſcit vitrum quantocyus crepare, ſi à ſummo calore repentino frigori exponatur. Baculus vel arbor ſimul & ſemel flexa rumpitur, teſte Ovidio:

> Flectitur obſequio curvatus ab arbore ramus
> Frangas, ſi vires experiere tuas.

Interim non abſolute negamus, cum extrema neceſſitas urget, etiam extremam mutationem eſſe arripiendam, quia ut diximus Sect. 1. Aph. 6. *Extremis morbis extrema remedia optima*. Sed hæc eſt cura coacta, non regularis, de coacta autem in noſtro Aphoriſmo Hippocrates non loquitur. Nam dum etiam in extremis morbis extrema adhibentur remedia, non negat Hippocrates, ea etiam cum periculo adhiberi, ſed inter duo mala minus eligendum, ut majus evitetur.

Dices: Nonne faciendum malum, ut bonum eveniat? ℞. Moraliter concedo. Medice nego, ſic urimus, ſecamus, ut ſanemus.

Inſtabis: Galen. ait corporis ſanitas in mediocritate conſiſtit, ergo per extrema contraria acquiri non poteſt. ℞. Per extrema contraria velut ultimos fines acquiri non poteſt concedo per extrema contraria velut media tendentia ad fines, vel quibus fines ſanitatis acquiruntur nego.

Inſtabis: In extremis morbis extrema tentari debent, ergo etiam ultimi fines. ℞. Tentari debent coacte & cum periculo concedo regulariter & ſine periculo nego.

Dices ſecundo: Hippocrates dicit: ***quod paulatim fit tutum eſt***: ergo etiam paulatim erit agendum in morbis acutis, nec elective purgandum, nec ſanguis in copia mittendus, quod eſt contra experientiam. ℞. Dicendo pariter eſt paulatim agendum, regulariter concedo urgente neceſſitate nego. Menſurare enim oportet diſpoſitiones corporum, ſi enim ſumme ægri, inſigniter oportet agere, ſi minus ægri, mediocriter, ſi ſani parce.

Aphoriſmus LII.

Omnia ſecundum rationem facienti, ſi non (ſeu minus) ſuccedant ſecundum rationem, non eſt tranſeundum (id eſt protinus) ad aliud, manente eo, quod ab initio viſum fuit.

Contentum ſeu Intentio.

De Mutatione methodi medendi.

Connexio: Facilis & manifeſtus eſt nexus hujus Aphoriſmi cum priore. In priore egit variis mutationibus circa res naturales, non naturales & præternaturales, in hoc Aphoriſmo tradit utiliſſimum præceptum, nempe rationale remedium, non debere mutari, etiamſi non ſuccedat; vel quando in morbis mutanda ſunt remedia & quando non ſunt mutanda.

Hic Aphoriſmus proinde duas habet partes. In prima ponit hoc præceptum. In ſecunda autem illius cautionem adducit.

Ubi ergo primo notandum: Methodum medendi eſſe viam Regiam omnis curationis morborum: eam autem obtentam, & ſemel initam, temere nunquam derelinquendam.

Notandum ſecundo: Indicationes eſſe medium terminum demonſtrationis in quovis morbo decenter curando: tunc enim dicuntur ſecundum rationem fieri remedia, quando per ſuas indicationes rite & recte examinatas fuerint opportune adhibita. Cognita nempe à Medico prudenti cauſa morbi congruentibus ex diæta & pharmacia deſumptis utitur auxiliis, & licet ea non ſtatim juvent, cauſam hujus adferat, vel quod morbus in augmento, vel ſtatu ſit, vel craſſities & tenacitas cauſæ obſtet, vel coctio & ſecretio non fiat &c. Unde potius inceptæ curæ inſiſtat, nec ad aliud tranſeat, quamdiu eadem ratio, & indicatio ſubſiſtit. ubi vero cauſa & morbus & ſymptomata mutata fuerint, & eadem indicatio non perſiſtat, ad alia tuto tranſitus faciendus eſt.

Non tamen hinc velim, ut quis pertinaciter inſiſtens præconceptæ ſuæ opinioni, idem prorſus medicamentum commendare ac præſcribe-

ſcribere non deſinat, dum illud viſum eſt, non ſolum non profuiſſe, ſed etiam obfuiſſe ægrotanti. non enim deſunt, ut mox dicetur, qui errorem ſemel conceptum, adhuc in perniciem hominum tueri non verecundantur, & cum inconſtantes, aut falſi videri nolunt, grave dedecus & propriæ famæ jacturam ſibi pariunt. Imo quod gravius eſt, nec morbum multoties, nec cauſam morbi cognitam habentes, ſibi multa fingunt & congerunt, ac in medium afferunt. His profecto effatum Hippocratis nullatenus ſuffragatur, nihilque rationabile ſuppetit, quod à principio rectum & probatum ſit: tales enim nec de eventu aut ſucceſſu judicare poſſint, cum ſecundum rationem non ſint operati, cum penetralia Naturæ illos lateant, cujuſmodi ſunt medicæ Notiones à juvantibus & lædentibus rationabiliter deſumpta. Quare non tranſeundum ad aliud, ex Hippocrate monemur, cum exhibitum medicamentum, licet omnino non juverit, minime nihilominus nocuerit, quippe aliquando juvare ſubito non ſolet, *vel ex repugnantia cauſæ morbificæ*, quæ ſucceſſu temporis ſuperabitur, *vel ex languore Naturæ*, quæ ſenſim oppreſſa & morbum excutiet.

Verumenimvero, quæ per morborum tempora variant, diverſum plane exigunt temperamentorum uſum, ut propterea ad alia atque alia pro ratione tranſeundum ſit, ſicut enim cum re mutare conſilium prudentis eſt, ita expediet omnino in his pro re nata permutare medicamenta: ſic v. g. in inflammationibus internis, quæ ab initio probantur proficere coctioni & ſuppurationi, omnino mutanda deinceps erant in detergentia, expurgantia, conſolidantia, poſtquam maturuerint.

Notandum tertio: Punctum ſeu momentum feliciter curandi ſitum eſſe in initio: juxta illud

Dimidium facti qui bene cœpit habet.

Notandum quarto: Immutari quidem quandoque poſſe remedia ſeu medicamenta, eorumque formulas, ſed mutare methodum non facile licere, quia incerta redditur curatio.

Curatio autem morborum (ut patet ex methodo) duplex eſt, una ſcientifica, altera conjecturalis. *ſcientifica* eſt illa, quæ fit per indicationes & ſemper ſecundum rationem, & derivatur ex perfecta morbi, ejusque cauſæ cognitione, provenitque ex notitia temperamenti & craſis, loci ſeu partis affectæ, virium, anni temporis, regionis, aeris, conſuetudinis,

 ſexus,

ſexus, ætatis ſecundo, quæ omnia ſcientifice inventa, ſcientificam indicant morbi curationem, & de hac loquitur noſter Aphoriſmus.

Conjecturalis curatio eſt iterum duplex. Nam una prope eſt accedens ad ſcientificam: altera procul recedens: quia vero non ſemper poſſumus habere ſcientificam morborum curationem utpote quæ ſæpe in obſcuro & profundo corporis ita latet, ut ſagaciſſimis etiam Medicis laborem imponat, & neceſſe ſit quandoque confugere ad conjecturalem.

Scientificam autem erimus, eo quod manifeſta ſit morbi cauſa ſeu manifeſtum adſit indicans, illudque perſiſtat & ſigna à principio perſeverent. Unde ſi curationem per auxilia & medicamenta incepērimus, etiamſi nullum inde evidens perſentiamus commodum, nullamque meliorationem, eo quod morbi adſit pertinacia, cruditas & inſuperabilitas, quæ medicamentorum activitatibus & viribus licet generoſis cedere recuſat, vel quod medicamenta exhibita brevi tempore ſuam operationem non perficiant *ex defectu* naturæ actuantis, ad medicamenta contraria ſeu diverſi generis (nam ejuſdem generis medicamenta, quandoque doſin, vel gradum augere & formulam immutare licet) refugere non licet.

Nam ſi rationale remedium permutetur in contrarium fit irrationale, & ſumme noxium. Et hoc ipſum obſervandum eſt in curatione conjecturali prope accedente ad curationem ſcientificam: In curatione autem conjecturali recedente & valde remota à ſcientifica, ut quando aliquid divinum eſt in morbis, ob propria delicta a DEO vindice immiſſis, vel quando morbi ſunt confuſi & ipſam Promethei figuras induunt, in conjecturali hac cognitione licet tranſire ad remedia contraria ſecundum illud: ubi remedia ordinaria non proſunt, tranſeundum eſt aliud. teſte Hippocrate *Lib. de locis in homine* ſequiente. *ſi quis morbum non cognoſcat*, medicamentum præbeat non forte, ſi itaque levatur æger, demonſtratur, quod curandus ſit, ſi non levatur, faciendum eſt contrarium: unde ubi morbus non cognoſcitur, licet mutare remedia omnibus modis.

Deinde morbi acuti plerumque ſunt evidentes & cito curantur vel occidunt. E contra morbi Chronici longi ſunt & occulti ſæpe, unde lente tractari deſiderant: ſic v. g. ſi qui curam quartanæ medicamentis violentioribus, purgantibus, diaphoreticis, febrifugis calidioribus

bus & fumoſis maturare laborant, non tantum contra rationem faciunt, & fine ſuo ſæpe fruſtrantur, ſed eandem in continuam manifeſto ægri periculo tranſmutant. Unde in his & ſimilibus properandum & feſtinandum non eſt: *Sat enim cito ſi ſat bene*. Nam ſicut indulgentis & præcipitis eſt Medici aliquid obiter facere, ita inconſtantis eſt ſubito auxilium & conſilium mutare, ut innuit *Fabius* dicens: Medicos & Imperatores ſæpe magis proficere quieſcendo, quam multum agendo: Unde non tantum manus & pedes ad cognitionem morbi animent rationales Medici, ſed & oculos & præcipue mentem, ab omni affectatione, ita & crapula liberam & ſerenam habeant. Maxime enim intereſt, quia nihil boni præſtare poteſt, qui morbum ignorat: Morbus autem cognitus (inquit Hippocrates) morbus eſt curatus; ſive morbi cognitio eſt media curatio: Patientia & diſcretione opus eſt, *gutta enim cavat lapidem non vi ſed ſæpe cadendo*: & juxta illud, *applicata juvant, continuata ſanant*: Patientia enim colligit roſas, & ſola patientia deſperati alias morbi curati ſunt.

Hic igitur Aphoriſmus ſcriptus eſt iis Medicis, qui neſcio ex qua animi inconſtantia, per modum mulierum & vetularum, ut mox diximus, praxim medicam exercentes, ut aliquid ſapere videantur, & ne ſi moriatur æger, infamentur, ob auxiliorum inopiam, vel ne fruſtra mercedem ſuſcipere videantur, ſingulis diebus, imo in qualibet viſitatione, ad minimarum circumſtantiarum variationem, novam ſibi fabricant medendi methodum, vel ſi quid ab adſtantibus exhibendum propoſitum fuerit, ambabus quantocyus manibus, ad auram vulgi captandam ampleƈtuntur, & medicamentorum copia Naturam à ſalubri opere & officio abſtrahunt & diſturbant: Cum tamen teſte Hippocrate *Secundo Acutorum quieſcendum ſit dum morbi vigent*: ſeu, vigentibus morbis quieſcere multo præſtat. Hos Medicos ſeu potius Medicaſtros vivis coloribus depingit Poeta:

Quod cupis id cupio, quod ſpernis, ſperno: tuumque
Velle meum velle eſt, nolleque nolle meum.
Propter te varios, ut Protheus in duo vultus.

Dices I. Empyrici pleraque remedia in omnibus morbis tentant, continuo mutant, & tamen curant, ergo hic Aphoriſmus non eſt obſervandus, ℞. Hoc Empyrici audacter faciunt, & etiam ſæpe audacter occidunt, quia ignorant & non conſiderant morbi naturam, temperamen-

mentum &c. Et licet curent, hoc ſorti, fortunæ, caſui, & Naturæ robori non iis adſcribendum.

Dices II. Sunt multi qui totum negotium Naturæ committunt, & voti ſui ſiunt compotes, ergo ℞. Hoc facere meticuloſos medicaſtros, non vero rationales medicos, qui tales procraſtinationes odiunt: Natura enim multitudine materiæ morbificæ oppreſſa ope medica ſecundanda eſt, ne obruatur.

Dices III. Medicina duobus cruribus innititur *ratione & experientia*, ergo defectuoſe dixit Hippocrates omnia ſecundum rationem facienti, ſed debuiſſet addere etiam ſecundum experientiam. ℞. Etiam medicamenta quæ per experientiam inveniuntur, maxime à rationabilibus Medicis rationi ſubjici, adeoque implicite ſaltem experientiam incluſiſſe.

Dices IV. Natura, temperamentum, tempus & alia multa mutantur quotidie in morbis, ergo quotidie erit tranſeundum ad aliud ℞. ſi mutatio fiat per contrarium ſtatum concedo ſi minus. Nego. Mens autem Hippocratis eſt de iis morbis, qui permanent ſub eodem genere non de iis qui tranſeunt in aliud genus.

Dices V. Medicamenta per longum uſum ita nobis familiaria redduntur, quæ tandem amittunt omnem virtutem & actionem, ergo nullatenus continuanda ſunt. ℞. Medicos rationales ordinarie & regulariter incipere à mitioribus & progredi ad fortiora, adeoque non poſſunt fieri omnino familiaria.

Inſtabis A mitioribus ad fortiora tranſire eſt ad alia tranſire, ergo vel errat Medicus primo dando mitiora, vel eo ipſo tranſit ad alia ℞. eſt tranſire ad alia diverſi generis nego. Ejusdem generis concedo. Ergo erravit Medicus nego conſequentiam, quia non tranſit ad contraria.

Aphoriſmus LIII.

Quicunque alvos humidas habent, ſiquidem Juvenes fuerint, melius degunt iis, qui ſiccas habent: At in ſenectute deterius degunt, nam ſeneſcentibus ut plurimum ſiccantur.

Nota. *Hic Aphoriſmus eſt prorſus idem cum illo quem hac Sectione ſupra Aphoriſmo vigeſimo explicuimus. qui ſic ſonat.*

Quibus

Quibus per juventutem alvi ſunt humidæ, iis ſeneſcentibus exſiccantur. quibus vero in juventute alvi ſunt ſiccæ iis ſeneſcentibus humectantur.

Contentum ſeu Intentio.

De Diverſitate alvi excretorum ratione ætatis.

Connexio: Hic Aphoriſmus ut diximus abunde explicatus eſt ſupra in Aphoriſmo vigeſimo hujus Sectionis, quo Lectorem remittimus: nihilominus tamen paucula quædam doctrinæ gratia ſubnectemus.

Connectitur ergo hic Aphoriſmus cum Antecedente: in illo egit de actione Medici ſeu mutatione facienda per Medicum, in hoc agit de actione Naturæ ſeu mutatione, quæ fit per ætatem.

Hic Aphoriſmus duas habet partes, quia etiam duas concluſiones; in prima parte ponitur concluſio, nempe, *juvenes, quibus eſt humida alvus, melius degunt iis, quibus eſt ſicca.* In ſecunda parte ponitur altera concluſio, nimirum, *juvenes facilis dejectionis in ſenectute pejus habent.*

Differt tamen ergo hic Aphoriſmus à vigeſimo ſupra allato, quia ibi ſolum de commutatione alvi per ætatem agit, in hoc vero docet melius eſſe alvos humidas habere abſolute quam ſiccas: *Secundo*: Melius eſſe, ſenes eſſe humidæ alvi quam juvenes. *Tertio*: Rurſus ibi abſolute dixit transmutari alvum à ſicca ad humidam, & è contra in juventute & ſenectute. In hoc magna ex parte fieri dicit & ſimul meliorem vel deteriorem ex his conſtitutionem addidit; Nam in hoc Aphoriſmo non tantum agit de Naturæ actione, ſed etiam de ejus qualitate. dicit enim meliorem eſſe Naturæ actionem in juventute, qua alvum apertam & laxam ſervat, quam quæ ſtrictam habet: ſed & dicit juvenibus laxis difficiliorem contingere ſenectutem, eo quod ſecundum *Aphoriſmum 20* hujus Sect. iis alvus exſiccetur.

Strictam autem alvum nunquam eſſe ſalutarem, patet ex hoc, quod obſtructi plurima in corpore retineant excrementa, unde obſtructiones, putredines, febres, & vapores plurimi ad caput feruntur, unde defluxiones catharrales & arthriticæ. Flatuum copia retenta & inde colica, Tympanitis; & ex retenta per obſtructiones bile, ſitis, oris ſiccitas &c. Alvi è contra facilitatem tanti fecit Hippocrates, ut ſcripſerit *Lib. de aëre, locis & aquis. Homines faciles egeſtionis fere acutis morbis non laborare.* Generaliter alvus lubrica ſemper melior eſt adſtricta.

Digitized by Google

Cur autem ſenes obſtricti pejus habeant quam Juvenes, ratio eſt, quia in Juvenibus adhuc magna fit perſpiratio excrementorum per poros, motu & exercitiis apertos: *Secundo* Calor Juvenum moderatus plurimos humores concoquit, ſuperfluitates diſſolvit, & per varia corporis emunctoria rejicit, quod non fit in ſenibus: *Tertio:* plus etiam in Juvenibus, pro temporis nutritione conſumitur quam in ſenibus, in quibus perſpiratio eſt exigua, ob habitus corporis exiccationem, pororum conſtipationem, egerendi impotentiam, hinc ſenes tot abundant excrementis unde illud *ſenectus ipſa eſt morbus.*

Dices I. Celſus ait, melior eſt in Juvenibus fuſior ſeu laxior in ſene ſtrictior alvus, ergo falſa ſunt quæ diximus. ℞. Celſus hic putat meliorem eſſe alvum ſtrictiorem in ſene, quam exceſſive lubricam, quod & nos concedimus.

Dices II. Juvenes ſunt Naturæ calidæ & ſiccæ, ſed tales ſunt ſtrictioris alvi, quia obſtructio alvi provenit à calore, ergo non ſunt laxioris alvi. ℞. Diſtinguo majorem, ſunt calidæ & ſiccæ Naturæ denominative à toto ſeu à partibus principalioribus, concedo, denominative à parte v. g. inteſtinis nego. ℞. *Secundo:* Non omnes qui ſunt calidæ & ſiccæ Naturæ eſſe conſtipatos, imo plurimos biliosos obſervamus eſſe alvi laxioris, ob bilem ad inteſtina delatam eaque ſtimulantem.

Inſtabis: Quale eſt totum, tale etiam eſt pars, ſed ex conceſſis totum eſt calidum & ſiccum, ergo etiam pars. ℞. Si totum ſumatur pro omnibus partibus totius corporis concedo, ſi pro una vel altera parte nego.

Dices III. Dictum eſt in ſuperioribus ſenes quoad contenta eſſe humidos, ergo non habebunt alvum ſiccam. ℞. Senes ſunt humidi quoad contenta, qui in Juventute fuerunt alvi ſtrictioris concedo, qui fuerunt alvi laxioris ſunt humidi quoad inteſtina nego.

Inſtabis. Omnes ſenes abundant pituita, ergo etiam ii, qui fuerunt alvi laxioris in Juventute. ℞. Omnes ſenes abundant pituita quoad inteſtina nego quoad alias partes tranſeat.

Pro coronide Nota: cum hactenus dicta tam varie accidant hominibus ex cauſis jam fuſe allatis, nos paucis dicendo omnia credimus, quod ex hoc certa regula deduci nequeat, cum multi ſic, alii alio modo ſe melius habeant.

Apho

Aphoriſmus LIV.

In procero corpore Juventutem exigere, liberale eſt, nec indecorum: eidem vero inſeneſcere incommodum & deterius brevitate. (alii aliter habent.)

Longa corporis ſtatura in juventute quidem degenda, liberalis nec indecora eſt, in ſenectute vero inutilis & brevitate deterior.

Contentum ſeu Intentio.

De Statura procera commodis & incommodis.

Connexio: In præcedenti Aphoriſmo comparavit Hippocrates humidam alvum Juventutis cum ſicca ſenectutis & è contra: In hoc Aphoriſmo proceram ſtaturam Juventutis comparat cum procera ſtatura ſenectutis; & è contra parvitatem Juvenis, cum parvitate ſenis: Dicitque longitudinem corporis, in Juvene quidem eſſe decoram, ſpectabilem, & authoritativam, ſed in ſenectute eſſe inutilem & deteriorem parvitate.

Unde hic Aphoriſmus duas habet partes: In prima ut mox diximus, comparat Juventutem ad magnitudinem. in ſecunda ſenectutem ad magnitudinem.

Damnatur ergo corporis magnitudo in ſenectute, & damnatur parvitas in Juventute. *Medium* ergo *tenuere Beati*, medioeritas itaque magis laudanda in corpore, quam magnitudo & parvitas, ad commoda vitæ & ſanitatis.

Hoc quidem vulgariter verum eſt corporis quadratnram & carnoſitatem ſemper magis quam gracilitatem, ita & magnitudinem magis, quam parvitatem in hominum delectu & æſtimatione eſſe.

Magnitudo conſideratur vel ſecundum unam dimenſionem v. g. in *longum* vel ſecundum omnes id eſt, longam, latam, & profundam: de utraque acceptione verus eſt Aphoriſmus, licet Galenus, & ex eo Fuchſius & Celſus magis de longitudine intelligat, ſed non bene, quia

 lon-

longitudo ſine latitudine non videtur formoſa & liberalis, quia tales deſpiciuntur, unde Cardanus invehitur in Galenum de ſola longitudine ſententiam hanc interpretaſſe.

Quando comparatio fit magni ad parvum, debet fieri cæteris paribus ſi ergo fiat ſecundum longitudinem, dicimus corpora breviora eſſe magis laudanda, quia prudentiora, agiliora, robuſtiora. *Virtus enim unita fortior.* Vitæ ſunt diuturnæ, nec gravantur mole corporis, aut torquentur in ſenectute, & calor ſufficit corpori parvo regendo & movendo. Magna vero & procera corpora inepta ſunt ad labores & magiſia & in ſenectute inutilia, irregibilia a paucitate caloris, ſanguinis & ſpirituum, hinc fiunt gibboſi impotentes, claudi, multis infirmitatibus obnoxii, vires effœtæ, flammula vitæ à mole nimia & obeſitate ſuffocatur, languent, & pigreſcunt, ingenii ſunt ſtupidi & puerilis, unde illud *Senes bis pueri.*

Cauſa proceritatis eſt calidi & humidi copia. hinc Hippocrates *Lib de aëre, locis, & aquis* dicebat Aſiaticos eſſe præ Europæis magnitudine præſtantiores. Cauſa parvitatis calido & ſicco magis accommodata, & ideo prudentiores, & ſagaciores.

Nota. Hippocratem hic pro Juventute etiam pueritiam & adoleſcentiam intelligere, ut ſupra monuimus

Quares. Cur viri mulieribus plerumque ſint proceriores cum tamen hæ plus humiditatis obtineant, quæ facit ad extenſionem. ℞. id fieri ob majorem virorum calorem, & licet mulieres ſint humidiores, calor tamen debilis materiæ humidæ extendendæ, plerumque non ſufficit. Sufficiat autem nobis hujus Libri & Sectionis Aphoriſticæ

FINIS.

LIBER TERTIUS
SEU
SECTIO TERTIA
DE
VARIETATE MORBORUM
SECUNDUM ANNI TEMPORA ET ÆTATES.

Aphoriſmus I.

Mutationes temporum potiſsimum pariunt morbos: & in quibusdam temporibus magna mutationes aut frigoru aut caloru, & alia pro ratione eodem modo.

Contentum ſeu Intentio.
De Mutationibus temporum morboſis.

PRiusquam ad Aphoriſmi explanationem me conferam neceſſe eſt, aliqua præmittere ad ejus meliorem captum: Sciendum proinde *primo*: Intentionem Hippocratis in hoc Libro eſſe breviter explanare, quam vim & virtutem tempus & ætas ad procreandos morbos habeant, non tantum unius hominis, ſed integratum

 etiam

etiam Provinciarum generandos & ſolvendos, dignoſcendos & præ-noſcendos, præſervandos & curandos. Hanc Doctrinam Hipp. 1. prognoſt in proemio teſte Galen. prorſus divinam, ſimul & difficillimam vocavit.

Sciendum ſecundo: Hanc Doctrinam magnum afferre emolumentum, ex eo, quod in hac compendioſiſſime tradantur, quæ firma ratione, & longa experientia in libris Epidemiorum, in libro de aere & aquis aliisque voluminibus, longe lateque tradidit & congeſſit.

Sciendum tertio: Hanc Doctrinam demonſtrare Medicis morbos qui ex aere pendent, non ſolum ad manifeſtas, ſed & occultas qualitates, ad ventos & aſtrorum mutationes referri.

Sciendum quarto: Pro mutatione caloris & frigoris ſicci & humidi in Macrocoſmo, alterationem etiam ſuo modo fieri earundem qualitatum in Microcoſmo ſeu corpore humano.

C*onnexio:* Quamvis hic Aphoriſmus, cum primus ſit in ordine, & antecedentem non habeat, connecti non poſſe videatur, cum tamen Hippocrates in præcedentibus damnaſſet magnas & repentinas mutationes generaliter, inter eas autem etiam ſit mutatio temporis, ideo ab univerſali ad particulare deſcendit, & in hoc Aphoriſmo, magnas temporum & aeris mutationes, velut morborum genitrices affert, ut oſtendat aerem maximopere, corpora noſtra immutare. Inter cæteras enim cauſas externas, morbos inferre valentes, præcipuus plane eſt aer, qui, cum nos perpetuo ambiat, & per habitum, poros nempe & canaliculos attrahatur, atque aſſidua inſpiratione, viſcera vitalia ſubeat, & cum ſanguine in pulmonibus miſceatur, ita quidem, ut ubi purus & ſalubris eſt, vitam & valetudinem tuetur, ſi vero alieno vitio afficiatur, aut halituum labefactetur, potenter admodum ſanitatem immutat & eandem inquinat: proinde ejus neceſſitas indiſpenſabilis eſt, & ſpirituum indoles & ſanguinis Natura & ciborum transmutatio, imo & terræ fertilitas & ſterilitas, de hoc plurimum participat, ſed nulli mortalium mirum videri queat, ab eodem magnas & repentinas morborum mutationes fieri. Hinc Ovidius in Exilio.

Nec

Nec coelum, nec aquæ faciunt, nec terra nec auræ;
Heu mihi! perpetuus corpora languor habet.

Per has mutationes enim Naturæ violentia infertur, teſte Hippocrate 2. Aph. 51. *omne nimium Naturæ inimicum, quod autem paulatim fit tutum*. Etenim ex hoc repentino impetu, temperamentum robuſtum concutitur, debile omnino proſternitur: accinente Ovidio.

Cum modo frigoribus premimur, modo ſolvimur æſtu:
Aere non certo, corpora languor habet.

Hic Aphoriſmus in duas partes dividitur. In prima parte ponitur concluſio magis univerſalis: In ſecunda vero magis particularis, in qua etiam explicatur, quarum rerum mutatio aërem alteret.

Aer autem, ut reſtantur Autorum volumina, & autopſiæ quotidianæ convincunt, innumeris propemodum mutationibus obnoxius eſt, & variis, atque differentibus, vaporibus, halitibus, fuliginibus, nebulis, rore, pruina, nivibus, ventis &c. depravatur, unde & nos diverſimode afficit, propterea factum puto, cur Hippocrates illius rationem maximam præ ceteris habuerit, atque Libro de Nat. homin. decreverit, à ſpiritu ſeu aere & à cibis & potibus omnia morborum genera proficiſci, idem teſtatur Libro de flatibus. Hoc autem Libro ſpeciatim memorans mutationes aëris contingentes à temporum varietate, primum inquit, illas potiſſimum morbos parere, ut propterea cæteris aliis cauſis externis morbos inferre valentibus, temporum mutationes præferat.

Verum quænam ſint ejuſmodi mutationes? non levis eſt inter Autores diſceptatio, proinde.

Notandum quod mutatio temporum, à Philoſophis & Medicis dupliciter conſideretur. *Una* ratione ejus quod mutatur: *altera*, ratione illius quod mutat. Prima rurſum duplex eſt. Vel *naturalis* ubi tempora ſibi invicem ſuccedentia qualitates ſuas ſervant. vel *fortuita præternaturalis* cum peregrinas habent qualitates, ſeu id in una anni parte vel in pluribus vel etiam in toto anno fiat. *Naturalis* iterum temporum mutatio alia eſt mediocris ut in Regione temperata: alia *Magna* quæ in Regione intemperata ſuccedit, qualis eſt Regio ad Aquilonem vergens. *Altera* mutatio temporum ratione ejus quod mutat: ea multis modis contingere poteſt in aëre vel ſecundum primas qualitates vel ſecundas vel tertias quas Neoterici proprietates,

Philo-

Philoſophi ſubſtantificas nominant vel etiam ſecundum tranquillitates & ventos, vel ſerenitates & nebulas, vel ſecundum influxum ſtellarum & aſtrorum vel totius ſubſtantiæ corruptionem.

Notandum II. Mutationes aeris alias iterum eſſe regulares alias irregulares, *regulares* ſunt, quas ſol conſtanti velut naturæ regula, ſingulis annis, in æquinoctiorum & ſolſtitiorum vicinis cauſat, has mutationes Hippocrates Lib. de aere aqua & locis periculoſiſſimas dicit: præprimis ſolſtitia maxime autem æſtivum, ita & æquinoctia præſertim autumnale, quippe tunc valde mutabilis fieri ſolet aeris flatus, & repentini plerumque contingunt caſus & alterationes. *Irregulares* mutationes ſunt, quando æſtas v. g. multum a ſuo ſtatu naturali deflectit, & tum ſi multum deflectat, magnos & multos, ſi parvum, parvos & paucos generat morbos & hos quidem in corporibus irritabilibus, qualia ſunt potiſſimum, quæ morborum cauſam habent quietam in corpore latitantem. His prænotatis

Quæritur quanam ex his mutationibus temporum in hoc Aphoriſmo intelligantur? Nonnulli eas ſolum exiſtimant, quæ in quatuor anni temporibus contingunt, præſertim cum vices illæ commutant & novos etiam morbos generant. Sed hanc opinionem refutat Galenus in commentario hujus Aphoriſmi, propter adjectionem verbi *potiſſimum*, nam hæ mutationes paulatim fiunt, & morbos antiquos potius corrigunt, quam novos producunt; itaque intelligendæ ſunt non *paulatina* ſed *magna & repentina* temporum alterationes, nunc in calidum, nunc in frigidum, nunc in humidum nunc in ſiccum, & præcipue à contrario in contrarium, ſemper enim anomalia ſeu inæqualitas iſta noxia eſt. Imo non ſola iſta mutatio quæ fit de calido in frigidum morbos gignit, ſed etiam illa quæ fit à parum calido, in calidiſſimum: Exemplo eſſe poſſunt, Pleiadum, Hyadum & Arcturi atque caniculæ exordia, ſub quibus teſte Hippocrate citato loco, graviſſimi caloris exceſſus, & ad eorum occaſum ejuſdem caloris in frigus receſſus, ac per conſequens morbi, præcipue in ſubjectis debilioribus, & ad morbos recipiendos diſpoſitis fiunt. *Alii* mutationem eam intelligunt, ubi prædicta Anni tempora debitam temperiem non ſervant, ut cum æſtas autumni, & ver æſtatis morem referre videtur. Plerique autem juxta verba Aphoriſmi caloris & frigoris in æqualibus viciſſitudinibus adſcribunt.

Verum

Verum ut meam ſuper hac re feram ſententiam exiſtimo, omnem & quamcunque mutationem ſubitam, ac humanis corporibus incongruentem in hoc noſtro aphoriſmo intelligendam eſſe, cum indefinite illas Hippocrates memoraverit, & ab omnibus pari modo noſtra corpora præternaturam affici poſſint. Et quidem cum ab hyeme in ver mutatur temporis conſtitutio, quemadmodum aer incaleſcit, dies noctes ſuperant & ſol diutius noſtrum Horiſontem illuſtrat, ſic pariter humana corpora ad alia diſponuntur, valde differentia ab his, quibus ex præcedenti hyeme fuerant affecta, & multo magis cum ex temperato vere fit tranſitus in æſtatem, per quam ex maximo aeris æſtu ob ſolis acceſſum ad noſtrum verticem vehementius corpora alterantur, & in acutas admodum ægritudines incidunt, quæ & longe graviores accidunt ſub autumno, aliter alterque affectis corporibus, ex immutato in aliam habitudinem aere, ut & adventante hyeme, in aliam omnino differentem, uti ſubſequentibus aphoriſmis, ſingulatim recenſebimus.

Notandum tamen bene eſt, quod huiuſmodi ſupra dicta quaternaria anni diviſio, quæ nobis Europæis zonam temperatam incolentibus congruit, minime cæteris omnibus terræ habitatoribus pariformiter reſpondet cum ſub Zona torrida aliquibus ſcilicet ſub æquatore ſitis æſtas duplex accidat, ſole perluſtrante ſigna arietis & libræ, quæ nobis ſunt æquinoctialia. aliis vero videlicet Accolis cum ſol utrinque poſita ſigna migrat, quæ cæteroquin fixa dicuntur, prout in alterutram, ab æquinoctiali partem declinant: In aliis vero ſignis à vertice remotioribus hyemes, aut potius caloris remiſſiones, veri & autumno quodammodo reſpondentes fiunt. Sed & Arctis diverſa quoque accidunt; nam quibus in ſignis ſol nobis æſtatem facit, illis parit Hyemem & è contra: & ubi nobis incipit ver, illis inchoat autumnus. Silentio prætereo, quas diverſas etiam ſortiuntur tempeſtatum mutationes, qui antipodes nobis ſunt, & qui frigidas Zonas inhabitant, ab Aſtronomis & Geographis abundantiſſime recollectas. Unde ridiculus plane fuit ille, qui inter Theſes quaſdam publico propugnatas, primam fecit, qua indefinite atque univerſim ſe defenſurum aſſeverabat,

quatuor ſolum eſſe omnibus anni tempora huic apprime conveniebat illud Plinianum ex Apelle Non ſutor ultra crepitam. Ad clariorem hujus rei doctrinam, non omittenda eſt quæ veteribus fuit in uſu annui temporum diſtributio. Illis enim etſi communem zonam eademque climata nobiſcum colerent, annum aliter partiri viſum eſt, & quidem in ſeptem tempora, ut memorat Gal. hoc eodem libro comment. 14. & ſuſius 1. Epid. Comment. 1. *Primum* autem ab æquinoctio verno, ſive ab ingreſſu ſolis in ſignum arietis ad ortum Vergiliarum ſeu Pleiadum, ver conſtituebant, ab iſtarum ortu ad ſolſtitium æſtivum *tempus ſecundum* & quodammodo æſtatis initium. *Tertium* æſtivum a ſolſtitio ad ortum caniculæ extendebatur. *Quartum* ab ortu caniculæ ad ortum arcturi, opora dictum, *Quintum* autumnale, ab ortu arcturi ad Pleiadum occaſum vocabant *σπορητὸν*. *Sextum* ab occaſu Pleiadum ad ſolſtitium hybernum. *Septimum* demum a ſolſtitio hyberno ad vernale æquinoctium quod *τὸ φυταλιὰν* appellabant, ſeu tempus inſitionis, cum nempe a flante Favonio purpureæ violæ exoriuntur.

Cum his quoque obſervabiles ſunt dies caniculares ab ortu utriuſque canis ad finem uſque Auguſti de quibus Hippocrates 4. Aph. 5. ſub cane & ante canem purgationes id eſt medicationes difficiles. *Item* dies Halciony qui circa feſtum divi Martini tranquilli & aprici eſſe ſolent. *Item* ortus & occaſus Hyadum elabente Majo atque ineunte Decembre. *Item* lunæ elationes & depreſſiones circa tellurem in ſuis Apogæis & Perigæis; aliaque hujus generis plura, ab agricolis potiſſimum & nautis paſſim obſervata, cum ex his putent aerem plurimum immutari, exoriri ventos, grandines, procellas, unde corpora etiam vehementer affici contingit.

Præterea cum anni tempus naturalem & conſuetam (ut ſupra innuimus) non ſervat conſtitutionem, varias & diverſas ægritudines progignit. V. G. cum per æſtatem pluviæ ingruunt & per hyemem Auſtri perflant impetuoſius. Ver alget, æſtuat autumnus, Ita namque graves & morboſas conſtitutiones accidiſſe refert Hippocrates in libris epidem. & hujus libri variis Aphoriſmis.

Licet autem Hippocrates ſolum caloris & frigoris in noſtro Aphoriſmo mentionem fecerit non tamen credendum ſolum caloris & frigoris vehementes & ſubitas alterationes ſed etiam humidita-

tis

tis & ſiccitatis mutationes morbificæ eſſe conſueverunt, ut propterea quacunque de cauſa aer permutetur, aut afficiatur, humana corpora perturbari contingat, unde ſi craſſus, nebuloſus, turbulentus, nimboſus, ventis agitatus, mox omnino tranquillus, apricus, fervidus, denſatus, aut laxatus fiat, non leviter nocebit. Natura enim noſtra ſicut congruentibus & aſſuetis gaudet, ita repentinas & incongruentes mutationes atque viciſſitudines ægre ferre ſolet: quamobrem ſubdit Hippocrates: *& in quibuſdam temporibus, magna mutationes aut frigoris aut caloris, & alia pro ratione, eodem modo*: quibus quoque comprehendi videntur, quæ incolatu, exercitus, veſtimentis, aliiſque ſimilibus ſubiræ mutationes fiunt, ut quotidie experimur, ab his etenim mutatis repente, diverſimode quoque aer nos afficit, turbata præſertim perſpiratione, quanta autem ſit vis aeris in corporibus quibuscunque permutandis & alterandis, vel ex eo quisque conjiciet, quod omnia quæ ab eo defenduntur, diutiſſime perdurent; Sic v. g. vinum ad annos integros ſervatur, ferens æſtatem & vigorem inconcuſſum, quando oleo ab ambiente aere præmunitur: Fructus recentes, cera obliti ad remotiſſimas regiones deferuntur, & nedum incorrupti, ſed perinde ac ab arboribus mox decerpti, pari modo multa ſervantur in melle, vino, ejusque ſpiritu, aliisque liquoribus: ſed & in milio arena, cineribus, aliisque quibus illa ab aeris contactu præcaveantur. Et in machina pnevmatica Boyle, exhauſto aere, diutiſſime carnes fraga, mora, ceraſa, pruna, atque alii fructus & varii flores adeo illibata conſervantur, ut nec marceſcant, nec acorem contrahant: Vinum quoque cerevisia ac ſanguis ipſe ab animalibus eductus, etſi longo tempore in eadem ſint repoſita, non aliter inde poſtea extrahuntur ac fuerunt incluſa. aeris quippe vi, atque efficacia, quam elateris nomine inſignitam recentiores Philoſophi voluerunt, ſuſcitantur in corporibus fermentationes & commotiones internæ, ut & acerba quæque maturitati ſubjiciantur, atque in jam maturis mobiles, tenuioresque partes adigantur & exſolvantur, quin imo pro variorum corporum halituum & vaporum cum ipſo intermixtione, variæ & multigenæ excitentur mutationes. Unde *experimur* ædificia ad oras maritimas expoſita per elaterem, cum vaporibus acido muriaticis æquoris commixtum ſenſim corrodi atque manifeſte conſumi, quamobrem optimo jure credi poteſt, vorax tempus cuncta conſumere dentibus

ab aere mutuatis, præſertim cum diverſimode is affertur per tempeſtatum viciſſitudines, multifariam quoque halituum & vaporum commixtione acuitur & erodentior evadit: unde illud Nemeliani:

Omnia tempus alit, tempus rapit, uſus in arcto eſt.

Ab uno ſiquidem aere conſumimur ſimul & alimur, unde principium alimenti aer Hippocrati dicitur, & enarratorum hactenus accidentium cauſa: uſus quoque ejus in arcto eſt, nam ſicuti juvat in pleriſque, ita in multis aliis nocere ſolet unde cauſa indifferens ſtatuitur à Medicis, cum pro vario illius uſu & obeſſe & prodeſſe poſſit.

Verum præter temporum anni varietates, notabiles quoque in aere fiunt mutationes, indeque corporum alterationes, atque ægritudines à *Ventis*. Hi namque non ſolum aerem vel repurgant, vel inquinant, adeoque ſerenitatem vel nebulas afferunt, æſtum vel algorem, ſed etiam variis & multigenis vaporibus & halitibus inficiunt, nitroſis, ſulphureis, alumnoſis, vitriolicis, Mercurialibus & aliis quibus reſpiratio in animantibus, non minimum offenditur, & permeans ſanguis per pulmones inficitur, unde ſæpe numero catharri, tuſſes, hæmoproes, pleuritides peripneumoniæ & periculoſiſſimæ exoriuntur. Sunt autem ex his ventis aliqui ſtatis temporibus perflantes, ut etiam aves ad certas regiones perducant, Sunt & alii qui indifferenter flant Veruntamen & regiones pleræque certis quibusdam ventis ſubjiciuntur aliæ Provinciæ peculiares ventos ſunt ſortitæ, ſtatis temporibus proſperos vel adverſos Notum abunde eſt peſtes ex una regione in alteram fuiſſe delatas ventorum afflatu, quas ſolus ignis correxit & delevit accenſis etiam ipſis ſylvis, ut teſtatur Hippocrates Plura dicemus de ventis aphoriſmo quinto hujus ſectionis, Verum non omnes homines in ejusmodi temporum mutationibus & aeris alterationibus æqualiter afficiuntur vel ægrotant, ſed ii ſolum qui aut habitudine aut humoribus ſunt diſpoſiti propterea ſequentibus aphoriſmis quibus tempeſtatibus ac particularibus temporum mutationibus corporum habitudines ſpecialiter ſubjiciuntur ſigillatim enucleabimus. Aerem ſalubrem in intima corporis penetrantem fortius operari quam cibum & potum patet 1. in Medicarum rerum & præcipue prognoſticorum vero ſcrutinio, ut patulum eſt cunctis in arte verſatis Medicis. Patet 2. ex eo quod ſi tranſitus aeris ex morbi-

fica

ſica conſtitutione in ſalubrem fiat morbi qui prius facti ſunt mite-ſcunt, ex data mox ratione.

Aer autem vario modo ſe habet & varie quoq; agit ſic 1 aer temnis & ratus, influentiis cœleſtibus impraegnatus, vitam in corporibus conſervat, & animalem ſpiritum excitat, eoque ſemper melius, quo minus alienæ inſolitæ & excedentis mixtionis, ex ſublimibus & infimis ſeu ex cœlo, terra & aquis &c. participat, ſecus vel agitatus per ventos, vel alteratus per calores frigora &c. magnos facit in humoribus & ſpiritibus motus quibus facile ſanitas e corpore eliditur. Unde ſi ſimpliciter aeris cataſtemata conſideres, ille magis ſalubris eſt, qui moderate frigidus, ſiccus & ſerenus eſt, aer autem quovis modo excedens nocet. Aeris ſtatus frigidus & humidus, niſi ſit congener tempori, calori nativo plurimum contrariatur: frigiditas quidem temperat, ſed cum humiditate non putrificat, hinc actionum læſiones. Prioribus longe deterior eſt aer calidus & humidus velut vaporoſus, turbulentus & febrilis. Hinc ſi aeris alteratio contingat ad caliditatem atque ſiccitatem febres ardentes ſeu cauſones ſunt infidus: aer qui ferret aut alget, cum humiditate vel ſiccitate, corpora quibus contrarius eſt disponit ad intemperiem ſeu diſcraſiam, quam ſequuntur aliæ primis cognatæ qualitates & paſſiones, a quibus humores ad infligendos morbos apparantur. Exemplo ſunt auſtrini venti, diuturnæ pluviæ & exſuperans humiditas, decubitus ſub radiante luna, aut in cubiculo humido, vel cujus parietes, cemento recenter ſunt incruſtati, diuturna verſatio in locis paluſtribus, hinc mirum non eſt ſi inſueta aliqua derepente exorta & terrifica tempeſtas, atque irregularis conſtitutio ingentes in corporibus noſtris jam ante diſpoſitis excitent meteoriſmos, & conſonum eſt, vel ipſis temporibus, ſi talia fiant in Macrocoſmo, ſi aqua in diluviis & ex imimis terræ visceribus in ſuperficiem eliciantur, profecto idem, humiditates corporis noſtri fermentare, alterare & fovere poterit, quæ omnia nobis ſub concisa hac Aphoriſmi brevitate Hippocrates innuere videtur.

Dices 1. Ariſt. in Problemat. dicit graviorem eſſe mutationem aquæ quam aeris, atqui hoc eſt contra noſtram doctrinam. R. Gravior eſt aquæ quam aeris mutatio, in minori terræ ſpatio concedo. in majori vero non.

Dices 2. Mutatione temporis curantur morbi, ergo non generantur,

rantur. ℞. Mutatione temporis naturali temperata & paulatina curantur morbi concedo. præternaturali immoderata & repentina nego.

Inſtabis etiam naturalis temporis mutatio parit morbos ergo ℞. Naturalis temporis mutatio parit morbos per ſe nego, per accidens concedo; quatenus nempe corpora diſpoſita tangit, alias autem corpora temperata & ad morbos indiſpoſita conſervat.

Urgebis non fit actio, niſi in paſſum diſpoſitum. Ergo etiam præternaturalis mutatio temporum per ſe nihil poterit. ℞. Magnas etiam & vehementes mutationes corpora indiſpoſita aggredi, ad morbos diſponere, & tandem morbis afficere, magis tamen diſpoſita.

Dices 3. Singulis annis fiunt vehementes ejusmodi mutationes; Ergo ſingulis annis etiam corpora indiſpoſita ægrotabunt, quod eſt contra experientiam. ℞. Alia corpora magis, alia minus ejusmodi mutationibus objici, non eſſe opus, ut quæ minus objiciuntur ægrotent.

Dices 4. Mutationes à calido moderato ad calidum immoderatum ſunt etiam noxiæ, ergo Galeni commentaria in quibus ſolum meminit contrariorum, non ſubſiſtunt. ℞. Licet calor moderatus, cum intenſiſſimo non ſint contraria per ſe, ſunt tamen contraria per accidens, & ratione effectuum; nam ſicut calor moderatus & temperatus conſervat, ita intemperatus deſtruit: majus enim lumen obſcurat vel extinguit minus, major dolor ſepit minorem. Sic dupliciter generantur morbi, nempe per qualitates ſpeciem mutantes, & per ea quæ modum non ſervant.

Dices 5. In hoc Aphoriſmo tautologice id eſt de eadem rebis & repetitim loquitur. ℞. Alias eſſe mutationes temporum, alias caloris in frigus, vel frigoris in calorem ergo non tautologice loquitur.

Inſtabis: Non videtur poſſe dari unum absque altero, nempe mutationem caloris in frigus absque mutatione temporum ergo nulla ſolutio prioris argumenti ℞. Nego antecedens, quia poteſt eſſe mutatio temporum, absque hoc quod magna caloris in frigus vel è contra fiat mutatio Deinde mutatio caloris in frigus non eſt formaliter temporum mutatio, ſed tantum quid conſecutivum.

Apho-

Aphoriſmus II.

Naturarum quædam ad hyemem, quædam ad æſtatem melius pejusve ſeſe habent.

Contentum ſeu Intentio.

De Temperamentis ad anni tempora collatis.

Connexio: Cum in præcedenti Aphoriſmo Hippocrates dixiſſet, quod temporum mutationes morbos producant in hoc præſente Aphoriſmo exponit, quæ potiſſimum ſint illæ mutationes, & in cujus naturæ corporibus temporum mutationes eosdem morbos producunt.

Innumeris enim exemplis & quotidiana docemur experientia non omnes homines, quovis anni tempore, æque bene vitam degere, atque inculpata valetudine frui, ſed quosdam in una, alios in alia ſalubrius vivere. Hic Aphoriſmus utpote brevis, unam, tantum eamque brevem habet concluſionem, & ideo diviſionem non admittit. Quid per *naturam* intelligatur, variæ tam veterum quam recentiorum ſunt ſententiæ. Veteres cum Galeno dicunt 1 quod per naturam intelligi poſſet *temperies* ſimplex vel compoſita, totalis vel partialis, temperata vel intemperata, ſiquidem veteres omnia humanis corporibus contingentia, calore, frigore, humiditate ac ſiccitate, velut primis qualitatibus ſunt metiti 2 Dicunt naturæ nomine intelligi poteſt, *calidum innatum* prout accipitur, ubi dicitur *ventres hyeme & vere natura calidiſſimi.*

3 Natura ab ipſis ſumitur pro toto corporis habitu, nempe pro corporis compoſitione ex omnibus prædictis Et de his omnibus intelligitur aphoriſmus iisque ſubſtcinitit natura, quæ potiori ex parte melius ſeſe habet, ad diſſimilem aeris ſtatum quam ad ſimilem nam a ſimili plerumq, exaſperatur, à diſſimili vero corrigitur & emendatur, nunquam enim æſtivus aut hybernus aer, noſtræ naturæ tam ſimilis eſt, ut eam non excedat, ipſique noceat, nam ad conſervationem noſtri corporis, non ſolum requiritur qualitas ſimilis ſed etiam quantitas gradus æqualis,

Google

æqualis, ſimile enim quod modum mutat æque parum nobis confert quam diſſimile, etſi quoad qualitatem ſuam nobis ſit ſimilare. Sic v. g. æſtivus calor, bilioſo temperamento ſimilis quidem eſt & magis quidem quam hyemale frigus, attamen æſtivus calor, non conſervat, temperamentum bilioſum in ſubjecto bonum ſed potius in ruinam, hybernum autem frigus, bilioſum temperamentum corrigit ac præſervat, quæ præſervatio hic non ſecus ac curatio potius fit à contrariis quam a ſimilibus. Sic bilioſo temperamento ſeu calidioribus naturis bene eſt in hyeme pituitoſo ſeu frigidioribus in æſtate; ita etiam iis quibus ſerum eſt exuperans, vel intemperatum, ſalſum, acre &c. Vere & autumno pejus habent. Dicta autem hæc de intemperatis ſolum intelligenda eſſe volunt nam temperata verno tempore temperato, bene habent male vero ad hyemem & æſtatem. Verbo, temperamenta alterationes accipiunt ſecundum temperiem temporum, in pejus declinantia ad ſtatum morboſum, in melius conformi magis contrarietate. ſic intemperata natura, quæ non nihil excedit, bene ſeſe habet ad ſimilia, quia ſervatur, ſi vero multum excedit male ad ſimilia, bene ad contraria ſeſe habet. Scorbutici vero cum heterodiis & hetrogeneis abundent humoribus, alii ad calidum alii ad frigidum cœli ſtatum exacerbationem vel meliorationem perſentiunt. Si per naturam intelligat Hippocrates calidum innatum, illud quoque vel bene vel male ſeſe ad hyemem vel ad æſtatem habet, prout eſt in ſubjecto, nam ſi eſt in corporibus obeſis, bene ſeſe habet in hyeme, quia fortius eſt, male in æſtate, quia deficit, eo quod diſſipetur. calidum innatum in gracilibus & exſanguibus male ſeſe in hyeme habet, quia frigus penetrans illud vincit, bene autem vivit in æſtate, nam ſub hac augetur.

Si natura ab Hippocrate ſumatur pro habitu corporis & toto compoſito, ii homines, qui ſunt denſi habitus bene ſeſe habent in hyeme, etſi ſint frigidiores quia frigus non penetrat, obſtante ſcilicet ſubacuta illa naturali, nempe pinguedine aut carnoſitate. Hinc non bene ſequitur, læditur à frigido, ergo eſt rari habitus, quem frigus facile penetrat, ſimiliter homo calidi, ob raritatem habitus facile læditur & è contra.

Phthiſici & Tabidi male ſeſe habent ad autumnum univerſaliter loquendo, ſanguinei in vere, bilioſi in æſtate, melancholici in autumno,

tumno, pituitoſi in hyeme. nam iis temporibus, fiunt fermentationes ſuigeneris, hinc vel pejus habent, vel ſaltem mutationes quaſdam experiuntur, quibus bene inſtituta victus ratione ex ſex rebus non naturalibus occurrendum eſt.

Hæc eſt ſententia veterum Medicorum, de quiditate naturæ ſeu quid ly natura ſit, & juxta quam hactenus Aphoriſm intentum explicarunt Nunc autem audiendi ſunt Neoterici, quid illi per naturam intelligant.

Neoterici æque ratione, Authoritate, & experientia ducti, tenent, non omnes homines quovis anni tempore, eodem prorſus modo ſe habere, & valere, ſed quoſdam in uno melius, quoſdam in alio deterius vivere prout nimirum ipſorum habitudo & propenſio id eſt vulgo natura, huic vel illi tempori magis ſubjicietur.

Per naturam igitur Neoterici aliud non intelligunt, quam certam quandam materiæ proportionem, pro cujus variis gradibus & modis, magnitudinis, ſitus, figuræ, connexionis &c. exoritur certus & peculiaris quidam effectus, in aliquo corpore naturali Unde dicunt ſic verum eſſe, naturam eſſe principium ſive cauſam certi alicujus motus aut quietis, in quo eſt primo & per ſe; Sive certum & peculiarem materiæ in ſingulis corporibus diſpoſitionem ſeu texturam eſſe cauſam, juxta quam neceſſario actiones ſive effectus, illi texturæ poſſibiles ita fiant & non aliter, niſi quid præternaturam accidat. Alii brevius dicunt, quod ly natura aliud non ſit, quam corporum conſtitutio & habitudo, deſumpta a textura, diſpoſitione ſeu modificatione, partium ſimilarium, organicas componentium, una cum ſanguinis, illas irrigantis, conformatione. Unde dicunt 2. (ſuppoſitis jam dictis de nomine naturæ) quibus ineſt ſanguis floridus, vegetus, vividus, qui quaqua verſum partes ſubeat, & ad obeundas operationes agitet, hos calidam temperiem ſeu craſim ſeu conſtitutionem nactos aſſerunt, quibus vero parte auctifica potius refertus eſt, obeſiores fieri, ſed minus calida præditos temperatura affirmant.

Ac proinde hiſce pariter prælibatis pro explicatione hujus noſtri aphoriſmi dicunt: Conferre ambientem aerem ſive calidior ſive frigidior evadat, ad ejusmodi corporum conſtitutiones vigorandas vel permutandas, inſpiratione ſimul ac perſpiratione; quamobrem tempore æſtivo, quia tenuior ſanguis evadit, ex inſpirato aere, & ex cute rariori promptius perſpirant, craſſiora ejusdem repurgamenta, propterea hebetes & humidæ corporum conſtitutiones, ſalubrius tum degunt, deterius vero hyeme, impedita ejuscemodi perſpiratione, & ſanguine à frigidiore aere aliquantulum conſtiparo. Ità pariter reliquæ corporum habitudines, melius æſtate, pejus hyeme degent, quatenus ab utroque hoc vel alterutro aeris beneficio, emolumentum aut detrimentum ex adverſo ſortientur.

Neque vero perpetuo verum eſt, frigidas, quas veteres vocant, aut calidas temperaturas, æſtate bene hyeme male ac viciſſim ſe habere, niſi ex memoratis cauſis, inſpirationis & tranſpirationis, ſanguis bene vel male afficiatur: ſiquidem fieri poteſt ut frigido præditi temperamento, ſicut & calido, obeſi ſimul ac graciles neque male ſe habeant, in hyeme ac in æſtate, ſi nimirum effœtus in illis ſanguis, in his valde tenuis, facile diſperdatur & evaneſcat, ab ingenti aeris æſtu, & opprimatur atque hebetetur à Brumæ algore. Unde experientia conſtat, ex utraque anni tempeſtate aſpera, fere quotannis ægrotare, & ſolum vitam ducere, ſalubriorem tempore verno, aut etiam æſtivo, modo calor remiſſior foret, aut aerem incolerent temperatiorem, Zephyrisque perflatum, quoniam in his imbecilla ſanguinis conſtitutio, & laxa textura membrorum, utrumque exceſſum ferre non poterat, Sic levis lucernæ flammula, cito extinguitur, cum ſi algenti, denſatoque aeri exponatur, tum ſi diſtracto & ventilato, imo etiam radiis ſolaribus vehementer verberato aut aliter intenſius calefacto. Jure ergo optimo Hippocrates, naturas hominum indiſcriminatim comparavit, nulla caloris aut frigoris, alteriusve qualitatis mentione.

Quæſtio famoſa inter Medicos movetur an magis conducat totum annum temperatum eſſe, ſicut in vere, an vero melius ſit temporum varias eſſe mutationes & contrarias? Reſpondemus breviter, in univerſum neceſſariam eſſe contrariorum viciſſitudinem ſed quo minor & frequentior eſt, eo etiam eſt præſtantior, ut v. g. ſub æqui-

nocta-

noctiali, nam ibi tot mutationibus terra eſt fertiliſſima: Et Hippocrates Lib de aere & aquis ſcripſit, ob temporum æqualitatem omnia eſſe grandiora & pulchriora Et licet validæ temporum mutationes, ſimpliciter non ſint meliores, ad robur tamen, fortitudinem & audaciam magis deſiderantur Unde idem Hippocrates teſtatur, fortiſſimas gentes, uti ſunt Helvetii populi Alpini &c. hyemes & æſtates habere validiſſimas, regiones aſperas & montanas inhabitare, ventis validis expoſitas

Dices 1 Ventres hyeme & vere calidiſſimi ſunt juxta aphoriſmum, ergo tum temporis minime patientur corpora: Prob conſeq. quia quo major eſt calor innatus, eo minor etiam erit morbus, ergo etiam mutationes illæ temporum minus nocebunt, & omnia corpora ad hyemem melius habebunt, quia univerſaliter ventres ſunt hyeme & vere calidiſſimi.

℞. 1. Etſi ventres ſint calidiſſimi, non tamen ſequitur quod mutationes temporum non noceant:

℞. 2. Quod quædam naturæ ad hyemem melius, aliæ pejus habeant, nam ut ſupradictum nimium frigus, corporibus ſanguine & calore deſtitutis, ſumme nocere, ſiquidem ſatis reſiſtere non poſſunt.

Dices 2. Si aliqui homines ad hyemem ſeſe bene haberent, tales eſſent biliosi, atqui ſi non bene ſe habent ad hyemem ergo Prob Min. ab hyeme, utpote macilenti & rari habitus facile offenduntur Ergo ℞. Alios eſſe biliosos macilentos, alios carnoſos & quadratos, illi ab hyeme læduntur concedo, hi nego

Inſtabis Hyems, auget bilem ergo ſemper & omnes læduntur Prob. Ant Hyems concentrat calorem ergo auget bilem, ergo omnes biliosos lædit. ℞. Bilem augeri à calore extraneo & aſcititio concedo, a naturali nego, imo ab hoc concoquitur & expellitur: Urgebis conſervatio fit a ſimilibus, ſicut curatio à contrariis, ergo omnes biliosi in æſtate melius habebunt quam in hyeme. R. Conſervatio intemperatorum fit à ſimilibus nego, temperatorum concedo de prioribus autem eſt noſtra ſententia.

Inſtabis denuo leo eſt calidiſſimæ naturæ, & tamen bene ſe babet ad ſimulta, quia optime vivit in regionibus calidiſſimis, in frigidis vero peſſime, atqui leo eſt intemperatus, ergo in temperata

ſimilibus & non contrariis conſervantur. ℞. Leonem eſſe intemperatum reſpectu aliorum animalium concedo. Reſpectu ſui ipſius nego, quia illi proprium eſt habere naturam calidiſſimam. ℞. 2. Leonem ſe bene habere à calidis quo ad conſervationem, non vero quo ad correctionem.

Dices 3. Si corpora quadrata bene habent ad hyemem, ergo male habebunt ad æſtatem, eo quod dictum, calor innatus diſſipetur in iis. ſed hoc videtur eſſe falſum, quia dictum eſt macilenta corpora, æque ab æſtate ac hyeme lædi, ſiquidem ab extrinſecis facilius, quam ab intrinſecis læduntur, e contra obeſa ab intrinſecis facilius quam extrinſecis offenduntur, ergo tuentur carnoſa à calore æſtivo & in iis calor nativus non diſſipabitur ut dictum eſt. ℞. Alia eſſe corpora carnoſa, alia obeſa & pinguia, obeſa ſunt conſtipati habitus & a pinguedine inſtar ſubuculæ cuſtodiuntur, ſed carnoſa ſæpius ſunt rari quam denſi habitus, hinc calor ſolaris in æſtate magis penetrat, & calorem innatum diſſipat.

Dices 4. Quædam corpora ſe melius habent ad ver, quædam ad autumnum, ergo hic aphoriſmus eſt defectuoſus quia iſta duo tempora ſunt omiſſa. ℞. Ver ad æſtatem ſpectare, ſecundum partem poſteriorem, ſecundum priorem ad hyemem: Sicut autumnus, ſecundum priorem partem ad æſtatem, ſecundum poſteriorem ad hyemem ſpectat, ergo hoc modo omnia quatuor tempora anni complexus eſt Aphoriſmus.

Quæres utrum per naturam hic intelligatur genuina vel aſcititia ℞. utraque ſive ratione æſtatis ſive aeris ſive victus ſive cujusvis alterius conſuetudinis fuerit contracta. Hoc ſiquidem a ſimilibus ſuæ temperie aut craſeos cauſis læditur, ſervatur autem à modico contrariorum uſu, quæ vero nullum exceſſum habet a ſimili bene habet, male a contrario.

Aphoriſmus III.

Morbi quoque alii ad alia tempora, bene vel male ſe habent, & quædam ætates, ad tempora, & loca, & aliud victus genus.

Con-

Contentum ſeu Intentio.

De morbis & ætatibus, ad anni tempora collatis.

Connexio. Adeo pendet hujus aphoriſmi ſenſus & ſententia, à priori ſeu mox præcedente, ut fere unum cum illa efficiat aphoriſmum, cumque in antecedenti comparaſſet naturas & corporum conſtitutiones, ad tempora: modo ea ipſa tempora, loca, victus, morbos & ætates & ſic non ſolum res naturales v. g. ætatem, non naturales v. g. victum (ut in priori fecit) ſed etiam morbos, tamquam res præter naturales comparat, ad tempora, regiones & victus, unde Medicus colligat tum ad conſervandam ſanitatem tum ad pellendos morbos, magnam vim habere tempus, ætatem, & regionem, quemadmodum enim temporum ad naturam aliquod eſt maleficium ita etiam beneficium, nam ſicuti morbi quibusdam temporibus ſimilibus generantur, ita contrariis curantur, quæ generatio & ſolutio maxime attenditur in hoc aphoriſmo. In duas partes dividitur hic aphoriſmus. In *prima* comparat morbos ad anni tempora. In *ſecunda* ætates ad loca & victus genera.

Senſus ergo hujus aphoriſmi eſt, morbos in quibusdam mitiores evadere & ſecuriores; in aliis vero graviores & periculoſiores, prout ægri ipſi hac vel illa natura ſeu habitudine prædìti, in unam vel alteram morborum conſtitutionem proclives fuerint.

Notandum 1. Quod morbus quatuor modis poſſit comparari ad anni tempora, regiones, & victus: 1. Quoad generationem: 2. Quoad periculum. 3. Quoad brevitatem. 4. Quoad ſolutionem. *Primo modo*, morbus male ſe habet ſemper ad ſimile, morbi autem nomine ægrum intelligimus. *Secundo modo*, melius ſe habet ad ſimile juxta illud, minus periculoſe ægrotant, à morbo proportionali tempori homines. *Tertio modo* melius ſe habent omnes morbi ad ætatem, quia eo tempore omnis morbus brevior eſt, ut quartanæ exemplo demonſtravit Hippocrates 2 Aph. 25. *Quarto modo* conſiderati morbo correpti, omnes bene ſeſe habent ad contraria; male vero ad ſimilia, ideo morbos hyemales ſanari ad æſtatem, autumnales vero ad ver docuit Hippocrates.

Nn 3 *Notan-*

Notandum 2. Quod ſi morbi comparentur ad regiones, eadem ratione ſe invicem reſpiciunt. habet autem regio unaquæque ſuos peculiares morbos, ratione ſitus ad ſolem, ac ventos, ſeu ratione aquarum & victus, qui endemii græce dicuntur, tam vel illam Provinciam communiter infeſtantes.

Dices aer patrius ſimilis eſt & tamen magis curat morbos quam contrarios R. Id fieri per accidens, ſcilicet ratione conſuetudinis & naturæ quæ ſimilia indicant, unde majus fit Juvamentum quam a contrarietate aeris. Si iterum morbus comparetur ad victum, non diverſa ratione id efficietur, etſi aliquando ſimilia ſanent, ut v.g. piper & cæpe febrem, id enim à multa contrarietate fit ſeu ſympathia quam plerumque licet ignorare videamur, attamen in ſententia neotericorum & veterum facile eruitur, tum talia cauſæ crudæ, craſſæ, acidæ proſpiciendo febrem tollunt.

Notandum 3. Quod ætates cum ſint ſecundum naturam, ideo fit ut bene ſe habeant ad ſimilia, quæ temperatæ ſunt, ad contraria vero quæ intemperatæ, quare pueri & adoleſcentes vere & prima æſtate, bene ſe habent & valent æſtate autem & ad autumni partem ſenes reliquo tempore & hyeme, media ætatis homines· celſus Lib 2. Cap. 1. ætas autem *Puerilis* licet humida ſit, ſimilia poſſit, & tempore & regione & victu, quia ea humiditas nativa eſt, & neceſſaria ad augmentum, vel etiam quia talem temperiem ſeu craſim temperatam veteres calidam & humidam, neoterici craſim optime conſtitutam appellant. Ætas autem *ſenilis* licet frigida & ſicca, quia vitæ repugnat talis temperies & craſis, bene ſe habet ad victum calidum & humidum, licet ſi primæ intentioni attendamus, cum ætas ſit res naturalis ſimilia expoſceret, nihilominus tamen Hippocrates, per contrarium victum regit ætates, qui reſpicit tutiorem victum, nam à natura & ætate, quamvis intemperatis ſumi debet indicatio ad ſimilia, cum de ratione naturæ ſit, conſervatio, non vero reductio aut curatio.

Notandum 4. Quod aer dupliciter nos immutare ſolet vel ut *alimentum*, vel ut refrigerans ſeu *alterans*. *Primo modo* ſimilis eſſe debet noſtræ naturæ, *Secundo modo* vero contrarius & hoc eſt illud quod ſcripſit Hippoc. *Libro de alimento: omnia membra ſimile trahere alimentum, pulmonem vero contrarium.* His ergo notatis: Patulum jam

jam eſt, quod ſicut æſtas calida & ſicca, congeneres producit morbos, ita frigidos & humidos ſolvit, & è contra in hyeme. Eodem modo ætas juvenilis, calida & ſicca, generat morbos calidos & ſiccos, curat frigidos & humidos, velut Epilepſiam, Paralyſian &c. Sic juventus exceſſive bilioſa pejus in æſtate, melius valet in hyeme Sic ſenes gaudent regionibus calidis, juvenes frigidis, ſenes gaudent calida victus ratione, juvenes frigida Sic morbi quicunque geneti in frigidis temporibus vel ætate decrepita, vel in regione frigida, vel à victu humido, & vita otioſa ſeu ſedentaria &c. calidis temporibus, regionibus calidis, victu calido &c. curantur & è contra.

Sic graciles & macilenti, ex deſtillationibus, tuſſi dyſenteria, obeſi & pingues vero ex aſthmate, hydrope ſopore gravius afficiuntur, Sic in ætate Puerili minus periculoſæ ſunt variolæ quam in ætate conſiſtenti vel ſenili Sic facilius pariter deſinunt quartanæ, obſtructiones & articulorum dolores in æſtate, quam hyeme. Hydropes & cachexiæ in montanis ac maritimis locis levius affligunt, & melius curantur, in campeſtribus vero Phtyſes & atrophiæ. Sic attenuans victus, gravior in juventute, & in morbis a tenuibus humoribus exortis, uti & plenior ac conſiſtentior in ſucci plenis. Horum autem latiſſime meminit in Lib. *Epidemiorum Lib 1 & 3.* ubi Epidemios morbos referens, populariter graſſantes, non omnes tamen ægros, æqualiter affectos narrat, ſed pro varia cujusque habitudine, natura, ætate, tempore, regione, diæta alios gravius, alios levius ægrotaſſe, neque ſingulos, cum uno eodemque genere ſymptomatum.

Reſtat notabilis quæſtio, num Hippocrates in hoc aphoriſmo potius an verius ad cauſas reſpexerit, & unde bene vel male ægritudines ſe habere dixerit ad alia atque alia comparatas. ℞. 1. Et quidem in textu videtur ſolum ægritudines memoraſſe, tanquam effectus noſtris ſenſibus magis obvios R. 2. Revera magis cauſas reſpexiſſe dicendum videtur, nam morbi bene vel male ſe habent, ad alia aut alia, quatenus cauſæ illos efficientes, aut conſervantes abſcinduntur vel emendantur, aut è contra augentur & exaſperantur: non enim alia de cauſa tertianæ febres æſtate breviantur & ingraveſcunt, niſi quia humor illas fóvens, promptius diſſipatur aut è contra acuitur: Sic pariter dolores articulares, citius deſinere ſolent æſtate, ſerius hyeme, quia per æſtum, vitioſi ſucci attenuantur & ſolvuntur, per hybernum

num vero frigus detinentur & incraſſeſcunt. Perperam proinde agunt, qui in præſcribendo victu ægrotantibus, ſummo ſtudio admituntur adverſus morbos pugnare, cum in calidis quos vocant morbis refrigerantia cibaria præcipiunt, etiamſi humores prædicent crudos & phlegmaticam & tenacem pituitam, quamobrem omnes febricitantes, pari modo cibant oleribus, juſculis conſumptis, cum ſeminibus, ſyrupis & electuariis refrigerantibus, ut propterea morbos inſanabiles reddant, & diutiſſime protrahant. Adjecit præterea Hippocrates quaſdam ætates, ad quædam tempora, loca, & victus genera, etiam vel bene vel male ſe habere, quorum omnium rationes jam ſupra dedimus, de iis qui mala utuntur victus ratione, hic dicendum non eſt, cum patulum ſit tales raro aut nunquam ſe bene habere poſſe, hi enim plerumque vel in phthiſim vel hydropem incidunt: Sic Helluones & Bibulos corripit phthiſis & hydrops teſte Poeta.

Ut valeant reges, diadematique Monarchæ
Sæpius & plusquam ſit ſatis, aule bibis
Unde tibi ſitiens num venit & aridus hydrops,
Hoc bibere eſt alius, aule, ſitire ſibi,

Deguloſis & voracibus, tamquam plenis catharris & obſtructionibus, canit idem Poeta.

Non ſola nobis mors inſidiatur in olla
In pateris etiam, lancibus, inque cibis.

In omnibus ergo hactenus dictis pro bono hominum conſervando & malo avertendo, prudens Medicus pro varia corporum conſtitutione & habitudine, diverſimode in illorum morbis ſe gerat, & prout noverit in hanc vel aliam, tum morbos, eorumque cauſas tum ægros & eorum naturas atque ætates propendere conſtitutionem, ita hoc vel illo utetur victu & medicamento, cavendo ea, quæ omnino diſſentanea ejuscemodi temporibus & conſtitutionibus videntur & videbuntur.

Veruntamen ſæpe contigit, experientia duce, populares quosdam morbos feliciter depuliſſe in dicto ſtatim a principio vomitu, alios potionibus frigidis alexipharmacis. Sic præſtat ſæpe morbum protinus validiſſimis remediis adoriri interdum vero ejus impetum effuge-

effugere ac declinare, *Celſi* conſilio Lib. 2. Cap. 5. Qui itaque ſciverit morbos per ſuos impetus ac tempora, in variis corporum temperaturis & habitudinibus, atque ætatibus, ſecundum viciſſitudines moderari, is plane in facienda Medicina magnus erit.

Objicies 1. Ægroti melius habent & non tam periculoſe laborant à morbo proportionato ſuæ ætati, temperamento, regioni &c. Ergo juxta aphoriſmum ad contraria melius non habebunt. ℞. Melius habent, ad ſimilia, ratione periculi & generationis concedo, ratione ſolutionis nego, morbus enim variis modis comparatur ad anni tempora ut ſupra diximus vel ratione generationis, vel periculi vel brevitatis vel ſolutionis.

Dices 2. Aer patrius ſimilis eſt, qui tamen potius curat morbos quam Extraneus ℞. Aerem patrium curare morbos per accidens, nempe ratione naturæ & conſuetudinis, quæ ſibi indicant ſimilia.

Dices 3. In multis locis præſertim Regionibus Septentrionalibus febres curantur piper zingibere & aromatibus in ſpiritu vini ſumptis, ergo ſimilibus ℞. Diſtinguo conſequens, curantur ſimilibus quoad febrem ipſam, tranſeat, quoad cauſam febris nego conſequentiam, cauſa enim ſæpe eſt humor craſſus, viſcidus, acidus, crudus, cui talia calida tanquam contraria opponuntur, ſicque tali cauſa correcta & ſublata, etiam effectus ſeu febris tollitur.

Dices 4. Ætas eſt res naturalis ut ſupra dictum ergo requirit ſimilia ergo non debet corrigi per contraria. ℞. Tutius corrigi ætates, præcipue ſi excedant per victum moderate contrarium; nempe, cum intenditur paulatina reductio prodeſt.

Dices 5. Tempore & ſignis morbi origini oppoſitis fiant criſes bonæ vel malæ ergo ad contraria tempora morbi non bene habent ægri ſeu morbi ut dictum eſt ℞. Aphoriſmum loqui de temporibus anni non vero morbi, illa tempora autem ab his de quibus agere, mens Hippocratis minime fuit, plurimum differunt.

Dices 6. Si ad frigida corpora, requirantur calida, ergo ad frigidum corpus, requiritur aer calidus, ergo cor non refrigerabitur, Ergo pulmo (ut mox ſupra ex Hippocrate Lib. de aliment. diximus) non attrahit alimentum frigidum, ſicut omnia alia membra calidum ℞. Etſi aer calidus attrahatur, tamen cor refrigeratur utpote calidiſſimum, quod ab aere minus calido ſufficiens recipit refrigerium.

Quæres 1. Cum pueri ſint humidi, cur vinum potentia ſiccum ipſis non poſſit? ℞. Humiditatem in pueris non eſſe moleſtam modo non excedat, ſed potius naturalem & convenientem, quia facit ad corporis extenſionem & incrementum &c. ergo non eget correctione: cum autem pueri obtineant ſubſtantiam, cito diſſipabilem, & reſolubilem, hinc eſt quod vinum ipſis ante decimum octavum annum ut vult Galenus non competat.

Quæres 2. Cur temperata corpora ſimilibus, Intemperata diſſimilibus gaudeant? ℞. Quia temperata ſunt ejuſdem rationis, intemperata vero diverſæ hinc à ſe invicem multis modis diſtant, & diſſimilibus gaudent.

Dices cum intemperata ſint diverſæ rationis, & appetant heterogenea, illa heterogenea videntur eſſe ſimilia, quia ratione partium heterogenearum, quas habent, quævis harum ſibi ſimilia appetit, Ergo adhuc ſibi videntur appetere ſimilia ℞. Etſi illa quæ appetunt, ſint ſimilia disjunctive, non tamen ſunt collective.

Aphoriſmus IV.

In temporibus, quando eadem die modo calor, modo frigus fit, autumnales morbos exſpectare oportet.

Contentum ſeu Intentio.

De inæqualitate temporis dierum morbifera.

C*onnexio*. Præſens Aphoriſmus, non tam exacte cum præcedente, quam cum primo connectitur, in quo nimirum dictum eſt in genere, mutationes temporum morbos gignere. In hoc vero in ſpecie ſeu in particulari, de mutationibus loquitur, quæ fiunt vel in uno die vel duobus, tribus, aut quatuor diebus, ut patet 7. Epidem. ubi inquit, quod dum fiunt ejusmodi mutationes & inæqualitates temporum, generentur morbi, non generaliter ſeu univerſaliter & indeterminate ut in primo dixit, ſed in ſpecie ſeu particulariter,

Ratio

Ratio autem eſt, quia tempus morbos non gigneret niſi alterato aere.

Hic aphoriſmus ob tantam brevitatem non patitur diviſionem. Ad faciliorem captum hujus aphoriſmi autem eſt prænotandum 1. toto anno non eſſe majorem temporum inæqualitatem, quam in autumno, omnibus notum videtur: Fervet enim ſubinde in meridie calor, æſtivo ſimilis, cum tamen aurora redux ob noctium longitudinem, frigus, vix non hyemale reducat & producat, & hinc eſt quod morbi autumnales ſint plerumque longi aut mortales, præceps enim aeris mutatio, naturæ noſtræ infert violentiam, & cauſis morbificis addit incrementum & vim, quod jam olim cognovit Juvenalis dum de Medico aliquo in Satiris canit:

Quod Themiſon ægros, autumno occiderit uno.

Quo enim major eſt aeris inæqualitas, & quidem citiori viciſſitudine contingens, eo magis corpus alterat & afficit, quia revera motus nimis contrarios, minus natura ſufferre poteſt, ex eo quia valde à ſe differunt: ſi ergo tempora mittentur naturam autumni id eſt quando eodem die, modo calor, modo frigus fit, non eſt mirum morbos quoque ab illa mutatione productos autumnales, id eſt curatu difficiles, longos periculoſos & mortales eſſe.

Prænotandum 2. Hunc aphoriſmum ab Hippocrate allatum, non ſimpliciter & ſolum de autumno intelligendum eſſe, ſed etiam de aliis anni temporibus, quando illa quoad mutationes, autumno ſunt ſimilia, ut paſſim fieri obſervamus, ſicque per anomalias & inæqualitates illorum morbi autumnales vel autumnalibus ſimiles, ab humoribus mixtis, variegatis, & crudis generentur, quique modo torpent, modo exaſperantur, nullumque ſervant ordinem, in temporibus ſuis univerſalibus, & modo per certas periodos, modo non, raro per criſes, ſæpe hoc vel illo incerto modo fauſte vel infauſte terminantur. Unde:

Prænotandum 3. Quod quatuor anni tempora ſuas habeant qualitates, quatuor elementis peripateticorum correſpondentes: *Ver* calidum eſt & humidum: *Æſtas* calida & ſicca: *Autumnus* frigidus & ſiccus: *Hyems* frigida & humida cum ergo ita ſe habent illa tempora, ſuas ſervant naturas. & ſibi peculiares ac proprios procreant morbos, de quibus infra dicemus: at cum ut mox diximus alterus

terius temporis, potiſſimum autumni naturam aſſumunt, morbos illius progenerant, id quod Hippocrates in hoc aphoriſmo de autumno pro exemplo adducit.

Prænotandum 4. Morbos autumnales (ne crambem repetamus) Hippocrates infra Aphoriſmo vigeſimo ſecundo hujus libri per extenſum refert, quo lectorem cauſa brevitatis remittimus, morbique tales ſunt qui vel cito occidunt vel corpora noſtra diu affligunt.

Prænotandum 5. Cum autumnus frigidus & ſiccus ſit, ſimiles morbos, frigidos nempe & ſiccos, difficulter mobiles, periculoſos graves & incerti prorſus judicii producit.

His prænotatis ad aphoriſmi explicationem accedimus. quemadmodum autem damna ex mutationibus temporum univerſaliter & paſſim contingunt, ſic pariter & ſpeciatim morbi autumnales id eſt morbi difficiles, longi, maligni, periculoſi, nullius judicii, imo lethales oriri poſſunt, quandocunque nempe eodem die, modo calor modo frigus viget, idque ſive in vere, æſtate, autumno aut hyeme contingat. Neque autem quis credat, hoc evenire, ſi ſolum eadem die, ſed etiam longa dierum ſerie, ejuſmodi mutationes fiant: id tamen extra dubium non eſt, quod eodem die contingentes, frigoris & caloris mutationes, procul dubio, longe periculoſiores ſint, quia nimirum ſubitaneæ & repentinæ celeriter corpora agitantes & perturbantes, atque quaſi vi violenta trahentes ad oppoſita nempe frigoris & caloris alternationem utpote qua ſenſibilius, liquidas & ſolidas corporis partes commovent, & in contraria deducunt: calore enim humores liquantur attenuantur atque ad ſudores diſponuntur viſcera laxantur, pori cutis rareſiunt, & halituum perſpiratio uberior ſit, frigore vero iſta cohibetur, denſantur humores, & promotus ſudor impeditur, quare ex inæquali & ſubita hac commotione graves noxas ingruere neceſſum eſt, quales paſſim Medici per antonomaſiam morbos autumnales vocant, idque vel propter illorum inconſtantiam & peſſimum morem, quia nullum plane anni tempus majores habet inæqualitates quam ut plurimum præſefert autumnus, etenim mane & circa ſolis occaſum frigus perſentitur & longe majus noctu, meridie vero calor nimius quandoque invaleſcit, qua ratio eſt, ut ea tempeſtate plurimi & graves morbi paſſim ingruere ſoleant. Non tamen

quis

quis exiſtimet, ex unico duntaxat die mutationem ex calido in frigidum viciſſim habitam, morbos portendere graves & autumnales, ſed cum diu perduraverit. Siquidem quod ſemel accidit facile à quocunque etiam debili toleratur, neque tantæ efficacitatis eſſe poteſt, ut vehementer corpora concutiat & ſenſibilem noxam imprimat; itaque oportet ut iteratis diebus tales permutationes contingant, ſubitæ igitur & repentinæ viciſſitudines, non tantum ipſo vigente autumno, ſed etiam extra hoc tempus quandocunque contingunt, timendæ ſunt, cum ſubinde vagari ſoleant, illa morborum genera quæ ea tempeſtate graſſantur, ſiquidem non à tempore, ſed ab ipſa viciſſitudine cauſæ morborum, ipſique morbi propter ſubitas corporum alterationes progignuntur, quamobrem plurimum degenerabunt à conſueta & naturali conſtitutione, reliquæ anni tempeſtates, ſi fortaſſe non æquabilem ſervaverint, aut caloris aut frigoris habitudinem, ſicque neceſſario, & à potiori longe deterior fiet autumnus, ſi & ipſe in ſua inæqualitate adhuc ſit juſto inconſtantior & inæqualis.

Cæterum ſi mutationes iſtæ, & viciſſitudines aeris repentinæ nocent ſanis, multo magis afficient ægrotos, unde experiuntur ægritudines cæteroquin leves ac benignas, ob autumnalis tempeſtatis varietatem, & inconſtantiam protinus in malignas & exitiales commutari: perperam proinde agunt, qui præter aeris inclementiam, ultroneas ſibi excitant hujuſmodi permutationes, cum modo calido, modo frigido aeri ſe exponant, modo æſtuent & ſudent, modo refrigeſcant & frigida laventur, modo integumentis duplicatis, modo ſimplicioribus utantur.

Dices Galenus de cauſis pulſuum cap. 6. ait pulſus in autumno ſunt vehementiſſimi ergo tunc fortior erit natura, & conſequenter nec tot nec tam graves morbi juxta aphoriſmum generabuntur. ℞. Galenum intelligendum eſſe de principio, autumni quod non eſt tantæ intemperiei & inæqualitatis, & non de ejuſdem medio & fine de quibus intelligendus eſt aphoriſmus.

Dices 2. Toto anno ſunt tales dierum viciſſitudines ergo ſemper erunt morbi autumnales. ℞. Sunt viciſſitudines remiſſæ & inconſiderabiles concedo, intenſæ & conſideratione dignæ nego.

Aphoriſmus V.

Auſter auditum hebetat, caliginem viſus inducit, caput gravat, pigros & languidos reddit: cum hic dominatum tenuerit, talia in morbis patiuntur: Si vero aquilonia fuerit tempeſtas, tuſſes, farcium aſperitates, alvis dura, urinæ difficultates, horrores, laterum & pectoris dolores fiunt: cum hæc tempeſtas dominatum tenuerit, talia exſpectare oportet.

Nota Aphoriſmus decimus ſeptimus ejusdem quaſi eſt ſenſus & contextu, tantum aliis verbis explanatus.

Contentum ſeu Intentio.
De Ventis morbificis.

C*onnexio*: In præcedenti aphoriſmo Hippocrates deſcripſit damna & effectus caloris & frigoris, unius vel plurium dierum, in hoc præſente aphoriſmo, detrimenta & effectus, à ventis præcipue auſtris & Boreæ ſeu Aquilone utpote cæteris inſenſioribus, frequentioribus & principalioribus, oriundos deducit.

In duas partes dividitur hic aphoriſmus: *Prima* agit de effectibus Auſtri, *altera* de effectibus aquilonis ſeu Boreæ:

Antequam autem ad deductionem Aphoriſmi nos convertamus, operæ pretium erit prius enodare quid, quot & quales venti ſint, qui in Macrocoſmo, tum à Philoſophis tum Medicis notabiles obſervantur. Quid venti ſint patet ex Philoſophia quo lectorem remittimus. Plinius cæterique veteres *quatuor* ventos Cardinales ſeu principales, à quatuor mundi cardinibus ortos & ſecundum quatuor Horiſontis partes dictos, nempe *orientalem*, *occidentalem*, *meridionalem* & *ſeptentrionalem* adſtruxerunt; Et hi ſunt *Auſter* ſeu *Nothus*. *Boreas* ſeu *Aquilo*, *Zephyrus* & *Eurus*: Penes hos adhuc numerant alios

minus

minus principales ſeu collaterales. *Orientalis* partis, nempe medium, *Subſolanum* & *Zeſiam* *occidentalis*, *Favonium Corum* & *Affricum*; *Meridionalis Euronothum* & *Libanothum*. *Septentrionalis*, Coryzeam & Boream.

Auſter de quo Hippocrates loquitur eſt calidus & humidus, nebuloſus, pluvius, mollis & quandoque vehemens ſpiſſat & laxat, torporem & putrilaginem humoribus infert, & quia à meridie ſpirat, ſeitus & evaporationibus aquoſis gravidus (illa enim mundi plaga, magis aquoſa eſt; ſeptentrionalis è contra magis terrea) unde ob motus tarditatem, & copioſas, quas ſecum vehit, humiditates, terra potiſſimum incumbit. hinc quoque ſuper abundantem illam humiditatem, potiſſima ſui parte, aquæ marinæ ſobolem, non facile diſcutit, ſed a potiori in copioſas pluvias reſolvit; vel ſaltem humido extraneo, inferiorem noſtrum aerem ita inquinat, ut non tantum corpus humanum, ſed ipſa ſaxa & trabes, præternaturali humido irrigentur de hoc Virgilius

Ingeminant Auſtri nunc & denſiſſimus Imber
Nunc nemora ingenti vento, nunc littora plangunt.

Alterius Auſtri mentionem facit Hippocrates *in Epidemiis*, qui ſiccum & ſerenum facit cœlum, ſed hoc loco dicitur ſiccus non abſolute, ſed reſpective, quia minus eſt altero humidus, nec hunc in noſtro aphoriſmo intelligimus ſed primum, qui etiam rurſus conſiderandus venit, prout certum è certo loco perflat locum, nam ſi à mari fiet, *maritimus* dicitur, & eſt valde in ſalubris, ſi a media terra *Mediterraneum* nominatur, eſtque magis ſalubris, niſi proveniat à locis ſtagnoſis & paluſtribus qui etiam ut vult aphoriſmus, non tantum auditum ſed cæteros etiam ſenſus heberat quia Auſter ſua humiditate aërem humectat, & tenebroſum reddit, cerebrum replet multis humiditatibus & craſſis vaporibus, quibus congeneres generantur ſpiritus, nervique redduntur flaccidi, imbecilles & languidi, unde motus impotentia, ſomnolentia, pigrities, ulcera cacohectica, & putrida, capitis dolores, catharri, rheumata, vertigines, auditus hebetudo, & oculorum caligo &c. ubi tamen bene nota, hæc & ſimilia non contingere a quovis Auſtri flatu, ſed tantum ab eo, qui diù continuat & perdurat regionem pervadendo. Cum enim aer in auditu & viſione ſit medium neceſſarium, hic diaphanus & ſerenus ſit oportet; ſi ergo

aporrhæis

aporrhæis copioſis per Auſtrinam tempeſtatem congregatis fiat craſſior & ſpiſſior, eo ipſo ad prædictas functiones minus eſt habilis. Et quis ignorat? quod nebularum, nivium vel pluviarum decadentium tempore ſonus campanarum multo obtuſſior audiatur, Tympanum enim in auribus, ut debitum tremorem ad auditum neceſſarium, concipiat, non nimis flaccidum ſit eſt neceſſe. Hinc ſimilitudine à Tympano bellico ſumpta, Poeta aliam dat hujus Aphoriſmi rationem.

Tympana ſi madeant pluviis, quaſi laxa catharro,
Diſſona & obtuſo murmure rauca ſtrepant,
Tympana in aure hominum, ſenſus heberantibus Auſtris,
Sic nequeunt claros, pulla referre ſonos.

Præterea cerebro utpote visceri ex ſua natura molliori humidum extraneum præternaturale valde inimicum eſſe patet, exinde enim, flacceſſit, effæminatur & quaſi concidit. Spiritus animales itidem in hac aeris conſtitutione ut diximus, generantur ſolito aquoſiores & tardioris motus, qui cum partes debite non inflent, hinc pigritia ſeu inertia ſentiuum ortum ducit. Nervoſum quoque genus per auſtrinum aerem de robore ſuo congenito (quod in nervorum ſiccitate & ſpirituum animalium vigore conſiſtit) plurimum deperdit. Accedit, quod ſuperfluæ in maſſa ſanguinea ſeroſitates per inſenſibilem transpirationem obſtante aeris humiditate, non facile reſolubiles, in capite tanquam parte mere glanduloſa facillime deponantur. Nunc ad alteram Aphoriſmi partem tranſeamus. Aquilo ſeu Boreas, ventus tota natura auſtro contrarius & ideo aquilo dictus, quod celeritate & vehementia flandi aquilæ volatum imitetur, qui alias cenſetur omnium ventorum ſaluberrimus, ſicut ver inter partes anni, attamen non credendum eſt, quod ab aquilone nulli morbi generentur, ſed quod pauciores, quam ab aliis ventis fiant, Eſt frigidus & ſiccus, & ideo pectori inimicus, ſiquidem tuſſes excitat, ob aerem frigidum inſpiratum, qui laryngem & reliqua reſpirationis inſtrumenta lædit. Tuſſis ab aquilone excitata, vel eſt ſicca, in qua nihil vel parum exſpuitur, vel eſt humida, præcipue quando præceſſit Auſter humidus, cujus collectas in capite humiditates exprimit cerebrum, & ejus membranas condenſando, velut ſpongias, hinc plurima exſpuuntur, vel ab eodem aquilone fauces exſiccantur & exaſperantur unde raucedines & anhelitus difficultates fiunt; Aquilo enim concentrat

aerem

aërem, fibras ſtringit, exaſperat, & humores ad coagula magis diſponit; Hinc etiam alvi obſtruuntur, ab ejuſdem frigore, ſphinctere tem ani, & inteſtinum rectum condenſante, vel quia calor concentrans, excrementa minuit, & quia vis exiccandi Aquilonis major eſt, quam ſolis etiam intenſiſſimi, ut teſtantur ruſtici, & ipſa experientia, plus ventis quam ſole terram exſiccari, vel quia totum corpus exſiccatum, ab externo frigore attrahit humores à centro ad Peripheriam. Urinarum quoque difficultates, cum maximis horroribus contingunt, quia veſica à frigore offenditur, velut pars nervoſa, cui frigus eſt inimicum. Sic pariter oriuntur Pleuritides & peripneumoniæ, à frigore quoque humores repercutiente & impingente. Denique venti, non tantum manifeſtis qualitatibus nos afficiunt, ſed etiam occultis & venenatis, maxime quando oriuntur à Plagis, vel morte piſcium, vel aliorum cadaverum, vel putridorum terræ hiatuum, unde aura putrida & maligna efflatur, & calamitates mortalibus affert.

Quæres cum tanta & tam varia ſit ventorum vis & efficacia, quænam ſit hujus genuina cauſa & origo? ℞. Hanc quæſtionem hactenus, tantum Phyſiologorum fatigaſſe ingenia, ut inter arcana naturæ, illam pleríque repoſitam exiſtimaverint, cum poſt longam & continuam inquiſitionem needum hactenus patuerit. Antequam nos ad motam quæſtionem reſpondeamus, prius notandum eſt:

1. Certum ac notum eſſe unicuique, ventis aërem diverſimode agitari, atque huc vel illuc violentius commoveri, unde pleriſq; putatum, ventum non eſſe aliud, quam aërem motum, quibus aſſentitur Hippocrates *Lib. de flatibus*, definiens ventum, *aeris fluxum & fuſionem.*

Notandum 2. Ut autem aer impetuoſius moveatur, quidpiam omnino alienum, ac differens, quod agitet, & impellat, cum illo intermiſceri neceſſum eſt, cujus cauſa, varias quoque excitet alterationes.

Ariſtotelici, halitus, è terraqueo globo erumpentes cauſam commoti aëris dixerunt, qui vi ſolis in altum elati, ubi ad ſecundam ejus Regionem offenderint, repercutiuntur, ac nequeuntes deorſum, contra levium naturam tendere, in gyrum primum revolvuntur, deinde huc aut illuc diſſiliunt, & ventos gignunt, in hanc vel illam Plagam excurrentes. Verum ſi exhalationes iſtæ ejuſmodi ſunt, eandemque

Pp ſemper

ſemper terream naturam participant, profectò omnes venti, ſiccitatem præſeferrent, & ejuſdem obſervarentur conditionis. Neque verum eſt, quod Macrobius aſſerit *Lib. 2. in Somn. Scipio cap. 5.* Variari ventos, à locorum, per quæ tranſeunt varietate, adeoque auſtrum in ſua origine gelidum, per zonam torridam commeatu, ſenſim incaleſcere, atque poſtremo ad nos calidum pervenire, ut & ventum ſeptentrionalem, ad eos qui Auſtrales regiones inhabitant propter eandem rationem. Nam deberent quoque, qui æſtate calidi ſunt, fieri per hyemem frigidi, & qui hyeme frigidi, per æſtatem calidi, dum regiones ex oppoſito rigentes, aut ferventes pervaderent, quin & nulli per æſtatem frigidi forent, & nulli per Hyemem calidi, ſed omnes temporis conſtitutionem ſequi deberent, aut etiam locorum conditionem, atque ſub zona torrida calidiſſimi, in temperata moderati, in frigida frigidiſſimi ſemper eſſent. Atqui falſum omnino eſt, ventos ſub zona torrida æſtuoſos eſſe, etenim qui eas Regiones perluſtrarunt, referunt ſuaves Zephyros, ac largos imbres, & ventos, ibi vigere, & temperare plurimum perpendiculares ſolis radices, & propterea perperam creditum ſit Ariſtoteli, cæteriſque veteribus, zonam illam eſſe inhabitabilem, Neque præterea verum eſt, ventos tam vaſtas, & remotas Regiones percurrere, cum peculiaribus quibusdam locis concluduntur, & ſuos unaquæque Regio proprios, & particulares habeat flatus, quibus ſerenitate gaudeat, aut Imbribus irrigetur, caleat aut frigeat. Auſter & notus, aliis locis ſunt humidiſſimi, aliis ſerenitatem aſſerunt, quibus tamen pluit, flante Euro vel Cæcia. Sed & non raro alicubi venti perflant ſævitſſimi quo tempore alibi, modico telluris tractu interjecto, neque levis aura perſentitur, Cum Neapoli 1588. Nonis Junii, horribilis ille terræ motus accidit, quieſcente poſt dirum præſterem aere, viguit Romæ Auſter vehementiſſimus. Undeliquet, oriri, aut perire flatus, & ventos longe propius, quam ut vulgo putatur, ex ſpecubus, è clivis, faſtigiis, & radicibus montium, è mari fretis ſinubus, nec è tam diſſitis locis proficiſci. At vero, varietas ventorum, ferentium ſive frigus ſive calorem, referenda videtur ad halitus quidem, & vapores, qui è terra vel mari erumpentes, per aerem diffunduntur, ſed naturam diverſam referunt Spirituoſo Salinam, halinitri, ammoniaci, aluminis, ſulphuris, vitrioli, bituminis, aliusve, quique ſæpenumero diſſilunt, atque

atque ferantur, quo radii ſolis impellunt, & luna telluri propinquior deprimit, aut peculiaris quædam loci habitudo coarctat, Equidem Halinitroſi, aerem infrigidant, aluminoſi, ſulphurei, & ammoniaci calefaciant; mixti, grandines ſimul & procellas adducunt, & bituminoſi etiam tonitrua, ac fulmina; ut propterea ſit, cur primi poſt æſtatem imbres, procellis, grandinibus, tonitruis, ac vehementiſſimis flatibus conſocientur, quia ex præcalefacta tellure, varii ac diverſi ſalium ſpiritus, per aerem ſunt interſperſi, qui mox nubibus concluſi, procellas excitant. Statis etiam temporibus, ſpirant non raro venti, ejus plane pravitatis, ut illis ſata, fructus, flores, folia, palmites urantur, & veluti ſiderata vita priventur, ob hoſtilem & peſſimam vaporum, aut exhalationum, flatus ipſos promoventium conditionem, unde ros etiam ac pruina ex his decidua, infenſiſſima vegetantibus eſſe ſolet, & tranſit in rubiginem Sic quoque experimur, ſale nitro aquam congelari, & congelatam à ſpiritubus, ex alumine & ammoniaco elicitis, exſolvi & cale fieri. Eteſiæ venti ab Hippocrate memorati, circa ſolſtitium æſtivum, cum aquæ exundare incipiunt, quot annis ſpirant, atque aeris æſtum mirifice temperant, quoniam tum aquæ ipſæ, tum ſpiritus perſlantes, plurima nitri copia ſunt referti. Hinc etiam eſt, quod Boreales venti, aerem ſerenum & frigidum faciant, auſtrini vero turbent, & nubilum ac pluvioſum reddant, quia vapores aquei, à ſpiritibus nitroſis conglaciantur, ac præcipitantur, ab aluminoſis vero diſſolvuntur, & attolluntur, ſed & radii ſolis, & lunæ motus, propinquior noſtræ telluri, ſolent quoque ſæpe ſæpius, ventos in hanc vel illam plagam propellere, unde oriente ſole, venti plerumque ſpirant orientales, Eurus, ſubſolanus, & vulturnus, ita & occidui. Favonius, Circius & Zephyrus, ipſo in occaſum declinante In ſignis Auſtralibus, Auſtrini, & in Borealibus Borei, ſæpiſſime perſlant, quinimo ab Auſtrinis flatibus, calor in aere ſenſibilius perſentitur, frigus vero in Borealibus. Luna inſuper circa tellurem depreſſior, vim aeris elaſticam ſeu impetuoſam & penetrabilem comprimendo, & coarctando, ventos quoque excitat, plerumque turbulentos, & irregulares, ob variam Elateris commotionem & protruſionem, niſi tamen recta, ex concordi impetu feratur, diverſa demum locorum habitudo flatus etiam

jam excitat vel variat; Etenim in montibus ſpeluncis, Aſthmis, & in cujusvis generis fodinis, peculiares quidem flatus obſervantur, item in quibusdam maris Sinubus, fretis, ſcopulis, quia nimirum halitus, aut vapores, illic erumpunt, aerem commoventes, & magis minusque agitantes, huc aut illuc, pro loci & vaporum conditione. Hac ratione, venti in montibus, plerumque frigorifici eſſe ſolent, in oris maritimis humectantes & calorifici, atque in aliis locis alii, pro foſſilium varietate, quibus aer diverſimode refertus, diverſo quoq; modo, noſtra corpora afficit.

Hinc his prælibatis, facile reſponſio dari, & ratio reddi poteſt, cur Auſtri complura, corporibus præcipue debilibus incommoda afferant præſertim vero auditum hebetent, caliginem viſui offundant, caput gravent, quia nempe vapores plurimos concitant, & aerem turbant, qui viſcera laxat & inquinat, cunctos liquores fluxiliores reddit, ſed ſpeciatim ſanguinem à ſua compage laxiorem, unde morbi & incommoda, ſupra recenſita oriuntur. Ejusmodi autem a ventis impetuoſioribus, tum auſtrinis tum Boreis. Incommoda, qua ratione vitari & remederi poſſint, docuit Vitruvius, Palladius, atque medice magis Galenus, *in Libris de Sanitate tuenda*: memorabile vero eſt, quod olim eſt molitus Acron Agrigentinus (Laertius id etiam factum ſcribit ab Empedocle, ejusdem Acronis Auditore) inſignis ſui temporis medicus, atque Hippocrate vetuſtior, ad vindicandam ab immani peſte Siciliam: Is enim coriis bubulis, ad id affabre comparatis, ventos primum quorundam montium, unde illi ſpirabant, anguſtiis interceptis, coercuit, mox ignes plurimos accendi juſſit, ut pravi halitus per aerem diſperſi abſumerentur, isque meliorem nactus conditionem, remedio impoſterum foret ſanguini & cordi, quod prius infecerat. Idipſum quoque factum legimus ab Hippocrate, qui integras Sylvas, comburi juſſit, cum Græcia pravo ventorum afflatu, peſte vexaretur. Cæterum partibus ſpeciatim affectis, ex mala earundem tempeſtatum conſtitutione, ſi occurrendum erit iis præſidiorum generibus, quæ alibi documus in praxi. Breviter pro coronide reſpondemus ad ſupra allatam quæſtionem; Cauſam ventorum *Materialem* eſſe exhalationem nitro ſulphuream *formalem* entia meteorologica *efficientem* eorundem motum ab una regione in aliam *finalem* aeris ventilationem.

Dices 1. Dantur Auſtri & Favonii, qui terram reddunt fertilem, laxando emolliendo. Ergo falſus eſt aphoriſmus quod ita noceant ℞. Hippocratem hic non intelligere Auſtrum moderatum, & in limite ſe continentem, ſed eum qui diu durat, & terminos excedit.

Dices 2. Venti ut dictum eſt, ſunt nitro ſulphureæ exhalationes, ergo non ſunt noxii, ſulphur enim & nitrum corpus conſervant ℞. Ventus ut ventos non eſſe inſalubres, ſed prout, vel à Regionibus inſalubribus oriuntur, vel diſpoſitiones in corporibus noſtris inveniunt.

Dices 3. Venti purgant aerem, ergo non inficiunt ℞. Impurum purgant concedo, purum vero aliquando inficiunt, nimirum impuros humores aliunde advehendo.

Dices Similia non agunt in ſimilia, ſed Auſter utpote calidus & humidus, eſt ſimilis naturæ noſtræ, ergo non agit in corpus noſtrum ℞. Similia temperata non agunt in conſimilia concedo, intemperata nego, hæc enim ut ſupra dictum eſt, ad ſui correctionem requirunt contraria, non ſimilia, ergo ſuo modo agunt in corpora.

Aphoriſmus VI.

Quando æſtas ſit veri ſimilis, ſudores in febribus multos exſpectare oportet.

Contentum ſeu Intentio.

De Sudore febricitantium.

Commento. Hic aphoriſmus non tam cum præcedente, quam cum quarto connectitur, in quo dixit, *quando eodem die, modo calor modo frigus fit, autumnales morbos exſpectare oportet*: Poteſt autem etiam cum antecedente connecti, cum enim in priori Hippocrates egerit de his quæ accidunt ægris, ab auſtrina & Aquilonia tempeſtate, in hoc præſente Aphoriſmo, ea proſequitur, quæ a mutata & varie-

variata conſtitutione temporum eveniunt, præſertim autem æſtatis meminit, cum veris naturam æmulatur, & dicit, febricitantes plurimum ſudaturos, quando nempe æſtas ſit veri ſimilis, id eſt ingenti ſuo ardore deficit, & temperiem quandam refert, non abſimilem ei, quæ in vere naturaliter contingit, & quoniam morbi per æſtatem vagantes, plerumque ſudore ſiniuntur, quo carere ſolent ægritudines hybernæ, idcirco de æſtate ſolummodo hæc ſpecialiter notavit.

Hic aphoriſmus, ob brevitatem ſuam, diviſionem non patitur.

In hoc ergo Aphoriſmo Hippocrates rurſum demonſtrat, quod tempora anni, non ſolum ad gignendos, ſed etiam ad ſolvendos morbos vim habeant, maxime autem per ſudores id eſt non videtur innuere tantum ſolutionem morborum per ſudores fieri ob ſimilem cauſam, nempe quando æſtas eſt veri ſimilis, ſed etiam quod corpora apta ſint ad morbos generandos, eoſque etiam ſolvendos, quod autem in febribus ſint expectandi ſudores, ubi æſtas veri ſimilis, in promptu cauſa eſt, quia juxta Galenum, cauſa ſudoris *efficiens* eſt calor, & materialis ipſa humiditas. calor enim rarefacit corpora, & humiditates à centro pellit ad habitum, hinc ſiunt in febribus ſudores, qui multam requirunt humiditatem, & temperatum calorem; nam ſi calor eſt exceſſivus in æſtate, vel ſudores inſenſibiliter conſumit, & in halitum ſolvit, vel corpora exſiccando condenſat, unde vel pauci vel nulli ſiunt in febribus ſudores

Neque vero, meo Judicio, a temperie ſolum aeris vernali, per æſtatem contingente, ſituros in febribus ſudores evenire ſed (ut plerique mecum ſentiunt) etiam à pluvioſa conſtitutione, quippe quia ver pluvioſum eſſe ſolet; unde Ariſtoteles in meteoris, aſſeruit, pluvioſum magis eſſe tempus vernum quam Hybernum, tum enim ſol moderato calore, vapores e terraqueo globo elicit, elevat, & in imbres commutat, qui ſane per æſtatem extenuati diſpereunt, & in hyeme congelantur, vel alio ab Aquilonis ventus amandantur, cum igitur æſtas ſit veri ſimilis, imbribus abundans, ſudores multi in febribus aderunt, conſequenter ejus tempeſtatis humidam & pluvioſam conſtitutionem. Hinc 2. Epidem Sect. 1. dicitur *pluvias minutas in æſtate, febres ſudoriſicas efficere*: quia minutæ pluviæ, ſunt propriæ vernalis tempeſtatis

Ex his autem facile deducere licebit, qua ratione Hippocrates, ſudo-

ſudores afferat multos in febribus exſpectandos; cum enim corpora multo humore, per id temporis imbuantur, neceſſe eſt motu naturæ, cauſam morbificam depellere conantis, illam ſubinde educi ſudoribus, qui tam febris impetu, quam æſtivi temporis ratione, plurimi fient, quin imo etiam a principio comparebunt, exſudante nimium ſponte aqueo humore, poros cutis, & glandulas ſubtercutaneas occupante & impetente.

Memoravit autem Hippocrates ſpeciatim febres, non quod in cæteris morbis, qui eo tempore contingere poſſint, ſudores ejusmodi nulli fiant, ſed quia hi potiſſimum febres comitantur, & ab æſtu febrili promptius erumpunt.

At vero non diſtinxit febris ſpeciem, forte quia omnes voluit comprehenſas, ea ſolum differentia, quod in quibusdam ſudores iſti critici & ſalutares ſint, in aliis ſymptomatici & inutiles; utrosque enim hic intelligit.

Quamobrem tacite Medicos admonet, ne ſudoris copiam ac promptitudinem omnino reformident, aut ultro commendent, quaſi vero damnum aut emolumentum pro re nata non ſit interdum allaturus, omne enim nimium naturæ inimicum; etenim ab humida temporis conſtitutione, non vero à cauſa morbifica ſudor ille provenit, Quamquam poſſit etiam cum humore febrili conjungi, & ſimul excerni ſalubriter, ſiquidem cætera concurrunt, quæ criſim ſalutarem comitantur. Hinc quemadmodum præcedenti aphoriſmo adjectum eſt, *talia in morbis expectare oportet*, ſic pariter nunc dicitur, *ſudores multos in febribus expectare oportet cum æſtas ſit veri ſimilis*, non quidem à febre, ejusque cauſa, ſed ab ambientis humidi ac pluvioſi conſtitutione.

Quod ſi autem fortaſſe ejusmodi verna conſtitutio vigeat per æſtatem, nec tamen febricitantes ſudare videantur, oportebit omnem induſtriam adhibere, ut illi ad ſudorem diſponantur, ſecus duplici malo conflictabuntur, altero à febrili cauſa, altero a tempeſtate pluvioſa, unde impedita perſpiratione, febris in longius producetur, vel in priorem commutabitur: Verbo videndum eo, ut in febribus ſudores fluant, ſed iidem ne diffluant ægri ſedulo cavendum. Sudorum autem differentiæ (ut patet ex inſtitutionibus) deſumuntur vel à *quantitate* unde ſunt vel pauci vel multi; vel à *quali-*

tate

sate idque vel *primis*, & hinc ſunt vel calidi vel frigidi, vel *ſecundis*, unde ſunt ſalſi, acres, amari dulces. vel à *tempore morbi* hinc alius eſt criticus, alius ſymptomaticus, Vel *à diei naturalis partibus* & ſic alius eſt diurnus, alius nocturnus, Vel *à ſubjecto*, adeoque alius eſt univerſalis in toto corpore, vel particularis in aliqua tantum parte, Vel *ab Eventu*, hinc alius eſt bonus, melior, optimus, alius malus, pejor, peſſimus.

Dices 1. Quo magis temperata erit æſtas, eo pauciores fient febres, & conſequenter pauciores ſudores, ſed ubi æſtas erit veriſimilis erit magis temperata ergo pauciores febres. ℞ Nego min. nam æſtas veri ſimilis non eſt temperata, quia degenerat a ſua naturali temperie, nempe calida & ſicca.

Dices 2. Æſtas humida majorem habet putredinem, & conſequenter majorem calorem, ergo pauciorem ſudorem, quia calor abſumit ℞ Habet majorem calorem cum humiditate majori concedo, ſine illa, nego ergo pauciorem ſudorem, ſi ſit ſine humiditate concedo, cum illa, nego

Dices 3. In æſtate calida & ſicca plus bibitur quam in æſtate veriſimili ergo &c plures erunt ſudores in æſtate vera quam veriſimili ℞. Si plus bibatur plus etiam per urinas excernitur, & plus tranſpirat, in æſtate veriſimili, humiditas illa retinetur & poſtea febre accedente excernitur.

Dices 4. Omnis æſtas eſt calida & ſicca, ergo nulla veri ſimilis Prob. Ant. calor & ſiccitas eſt de eſſentia æſtatis ergo æſtas ut eſt & manet æſtas, eſt calida & ſicca concedo, ut deflectens à ſua natura, & alterius temporis naturam induens, nego.

Dices 5. In vere abſolute magis quam æſtate ſudores fiunt ergo falſa eſt propoſitio aphoriſmi ℞. Æſtate ſuam naturam ſervante plures fiunt ſudores numero, in vere autem plures quantitate.

Aphoriſmus VII.

Per ſiccitates febres acutæ fiunt, & ſiquidem annus, magna ex parte, talis exſtiterit, qualem effecerit conſtitutionem, tales ut plurimum quoque morbos exſpectare oportet.

Con-

Contentum ſeu Intentio.
De Morbis tempeſtati conſonis.

Connexio: Hic quoque aphoriſmus, magis cum quarto, quam præcedente connectitur ubi de qualitatibus activis, calore & frigore, temporis, & diei egit, In hoc de paſſivis agit, adducens ſiccitatem, temporibus dominantem, dicitque eam febres acutas generare, & quod ſi totius anni decurſus ſit talis temperamenti, quod etiam ſimiles morbi ſint exſpectandi

Prima fronte videtur hic aphoriſmus opponi 15. hujus ſectionis, in quo dicitur. *Siccitates ſunt imbribus ſalubriores & minus mortiferæ*: nam ſiccitates dicuntur ſalubriores, cur eſt quod nunc febres acutas parere dicantur? Verum ſolvitur hæc oppoſitio facile, quia in græco codice ſcribitur ἐν τοῖσιν αὐχμοῖσιν id eſt *in ſqualoribus*, qui extremam ſiccitatem, illamque diuturnam ſignificant, ut propterea non quamcunque ſiccitatem, ſed ſummam & vehementem adnotat in hoc aphoriſmo Hippocrates, ut plerique famoſiores authores tenent, qua ſcilicet nimio ardore cuncta pene exæſtuata, atque ambuſta videntur. Neque autem abſolute protulit ſalutares omnino eſſe ſiccitates, ſed tantum imbribus, ſeu Auſtrinis tempeſtatibus pluvioſis ſalubriores, facta nimirum inter ſe invicem comparatione, de qua re in ſequentibus dicemus.

Hic Aphoriſmus duas habet partes in *prima* ponitur concluſio: magnis ſiccitatibus febres acutæ fiunt in *ſecunda*, qualis fuerit in anno temporis ſtatus, tales morbi exſpectandi. Ex quibus concluſionibus Medicus & prædicere & præcavere poſſit morbos, qui in ſiccitatibus fiunt, atque in univerſum intelligat morbos ſequi conſtitutionem temporum,

Hic quæſtio ſolennis & intricata oritur, cur in ſiccitatibus extremis febres acutæ fiant? Plerique Authores rationem deſumendam putant, ex ipſamet natura ſiccitatis, quæ fere ſemper cum calore jungitur, ut propterea vigente conſtitutione calida ſicca, febres acutas oriri neceſſum ſit. Verum revera ego non video, quo jure iſti mentem Hippocratis ſic temere velint extorquendam. Si enim de tempeſtatibus

 calidis,

calidis, ſiccis, hanc ſententiam protuliſſet, ſane potius dixiſſet, in *caloribus* aut *æſtibus*, quam in *ſiccitatibus*, cum cæteroquin, calor habeatur potior & efficacior qualitas, vi longe excellentiori prædita inter eas, quas vulgo *Primas* vocant. at vero videtur congruenter Hippocrates notaſſe *ſiccitates*, non *calores*, quia mens ejus erat, referre detrimenta conſtitutionis oppoſitæ vi, quam in præcedenti aphoriſmo protulerat de æſtate, in *humidum* vergente, ut proinde gratia exempli notatum voluerit, quod quemadmodum ab humida tempeſtate, longi ſeu autumnales morbi ita ab arida breves ſeu acuti oriantur. Accedit, quod a ſiccitate longa, & deprædatoria, extenuentur humores, abſumentur aquoſæ corporis ſuperfluitates, lympha difflatur, & ſanguis ipſe bilioſior, acrior, calidior, ſincerior redditur, abſumpta nempe qua ipſum diluebat & frænabat humiditate, quæ morbos vel protrahit, vel hebetat ſi adſit, ſi vero abſit vel abſumpta ſit, eos præſertim febres, reddit breviores & acutiores, quia liquores circulantes acutioribus inſtructi particulis, non tantum ad coctionis ſed etiam excretionis opus, naturam inceſſanter ſtimulant. Habere autem acria hæc & ſalina ſubjecta, particulas hamatas, pungentes, irritativas, & quaſi dentatas, docet experientia & ipſe ſenſus teſtis eſt, omni exceptione major. licet eas particulas dentatas magis tamen aſcetico quam ſi necto modo quidam facetus Poeta conſtanter neget, ex ratione & experientia, quod fœmina nunquam mordacior quam dum edentula inquit enim:

Particulas quis dentatas, mordacibus eſſe
Credat? anus mordax fœmina dente caret.

Præterea ulterius de ſiccitate probatur noſtra ſententia: dum enim inſuper aphoriſmus, ſingulas anni tempeſtates complectatur, æque enim de æſtate, ac de autumno, hyeme & vere videtur pronuntiatus, propterea uſus eſt Hippocrates ea (loco exempli) conſtitutione, quæ communis omnibus eſſe poteſt, & indifferenter per utraslibet vagari, modo & ver & autumnus æſtas & hyems ſiccitatem præſeferre poſſunt, id eſt pluviarum vacuitatem & carentiam neque enim aliter res ſiccæ fieri dicuntur, niſi quia extenuatæ atque exſiccæ, omni penitus humore exhauriuntur, ut in expreſſa & exſucta ſpongia palam fit. Quando enim per ſiccitatem extremam pori cutis, ſupra modum conſtipantur, partes obdureſcunt, & perſpiratio plurimum

mum impeditur, quin & ſanguis ipſe, per pulmones trajectus, non leviter, ut diximus, à ſua craſi, & fluiditate declinat, unde alicubi reſtagnans & præſertim, in apicibus arteriarum, febres excitat vehementiſſimas, & admodum periculoſas: Sicut enim prætumidus aer & auſtrinus ex una parte noxius eſt, ſic ex altera parte aquilonius, & plus juſto attenuatur, diſtracto videlicet, & ut ita dicam, nimium furente ejus Elatere id eſt expanſione & impetu.

Secunda Pars ſeu ſecunda Concluſio hujus aphoriſmi deſumpta eſt, *ex Libro de Humoribus*, ubi & plura alia, ad annorum tempeſtates pertinentia ſcripta leguntur: neque aliud ex illa inferre vult Hippocrates, niſi quod morborum per tempora affectiones, magna ex parte ſequantur ipſius anni conſtitutionem, ut propterea ſi tempeſtas ſicca admodum eſſe pergat, per univerſa anni tempora, per omnes etiam tempeſtates febres acutæ, magna ex parte ſunt exſpectandæ, ſicut quoque alius generis ægritudines, pro ratione vagantis conſtitutionis; quo enim diutius ſqualor in aere ac tellure perduraverit, eo etiam acuti morbi graviores fient, ſcriptum eſt autem *magna ex parte, ſeu ut plurimum*, nam ſatis eſt, ſi plerumque tellus & aer imbribus non madeſcat, nec humectetur, & raro pluat, vix enim fieri poteſt, totum & integrum annum in noſtris Regionibus, imbribus fore cariturum. Sed utrum per idem omnino tempus, quo ſicca & imbribus vacua conſtitutio viget, acutæ febres, hic ab Hippocrate notatæ, obſervandæ ſint, an vero impoſterum? non levis eſt hujus loci difficultas: Et quamvis aliquibus videri poſſit, non niſi, quo tempore arida tempeſtas viget, acutas febres vagari, juxta effatum illud Philoſophorum, *cauſas tum reipſa effectus parere, cum adſunt, & vi atque impulſu operationes promovent*, Nihilominus, ſi verba aphoriſmi perpendantur, plane etiam imminentes, & futuras comprehenſas affirmabimus; dicitur enim, *Tales morbos oportet exſpectare*, Si ergo exſpectandi, igitur per idem tempus, quo ſicca viget conſtitutio, non ſunt. Neque vero effatum illud Philoſophorum, perpetuo verum eſt in cauſis Procatarticis & externis, ſed ſolum ſynecticis, conjunctis & proximis, illæ namque, ut morbos inferant, debent primo internas cauſas excitare, inter quas & morbos eſt neceſſaria connexio, ſecus vero cum cauſis Procatarcticis: Etenim adhuc vitato aere, atque remoto cibo, aut motu, qui morbus ab his ſemel inductus eſt perſeverat, nec deſinit, niſi

 cauſa

cauſa interna & proxima auſferatur: Cum itaque Hippocrates de cauſis externis & procatarticis, hic agat, nimirum de anni conſtitutionibus, proculdubio non modo de præſentibus, ſed & de imminentibus quoque & futuris morbis exponendus erit: recte ergo dicebat Celſus Lib. 2. Cap. 1. *neque ſolum intereſt, quales dies ſint, ſed etiam quales ante præceſſerint*.

Sciendum præterea verba in ſecunda concluſione addita *magna ex parte* ſeu *ut plurimum* non ſignificare eſſe neceſſarium tales fore morbos, quales temporum conſtitutio indicat, quia victus ratio cibus, potus, motus & alia, ſicut materia, ut mox diximus, poſſunt eos producere, ſic etiam debite celebrata eas prohibere poſſunt.

Sciendum tandem per febres acutas continuas (& non intermittentes, niſi & illæ intermittentes acutæ quo ad paroxiſmum forent) intelligi, febres autem acutæ intelliguntur vel eſſentiales vel ſymptomaticæ, cito & cum periculo curſum ſuum abſolventes inter quas etiam maligna, peſtilentes &c. ſubintelliguntur.

Dices 1. Hæc ſententia Hippocratis videtur eſſe falſa, ergo non admittenda Prob. Ant. ſiccitas juncta frigori, potius generat melancholiam quam bilem: præterea ſiccitas juncta calori non videtur generare morbos, quia eſt qualitas paſſiva, calor autem activa, cui attribuendi morbi. ℞. Nego primum antecedens, & diſtinguo ſecundum, ſumma ſiccitas juncta frigori generat melancholiam, tranſeat, non ita intenſa nego. ℞. Quod actio productionis morborum acutorum, non tribuatur calori ſed ſiccitati, jam mox ante diximus, id non fit ratione producentis ſed ratione producti, id eſt advertere, oportet quod humiditas juncta calori, morbis acutis & malignis producendis tam apta non ſit quam ſiccitas. Denique Hippocrates, non dicit a ſiccitatibus fieri morbos, ſed in ſiccitatibus.

Dices 2. In ſiccitate ſanguis aduſtus fit craſſior, ergo non tenuior, ergo potius in melancholiam degenerabit quam in bilem, ſed melancholia ob craſſitiem non eſt apta in producendis morbis acutis ergo. ℞. Sanguis multum aduſtus ſeu per ſecundum terminum fit craſſior, concedo, per primum nego, nam ſanguis dum caleſit, pro primo termino habet tenuitatem, & non craſſitiem, quæ primum fit conſumpta, ut plurimum humiditate, Et licet etiam ſanguis fit

valde

valde aduſtus, non ſtatim degenerat in melancholiam ſed in bilem aduſtam.

Dices 3. In aphoriſmo nono dicit Hippocrates, in autumno morbos in univerſum eſſe acutiſſimos, cum tamen eo tempore ſiccitas cum frigore dominetur, ergo falſus eſt aphoriſmus. ℞ In autumni parte æſtati proxima ſunt morbi acutiſſimi, concedo, in medio aut fine autumni nego.

Aphoriſmus VIII.

Conſtantibus temporibus, ſi tempeſtiva tempeſtive fiant, morbi ſtabiles, & boni judicii accidunt: Inconſtantibus autem inſtabiles & mali judicii.

Contentum ſeu Intentio.

De Tempeſtatis conſtantia & inconſtantia.

C*onnexio:* Cum in præcedentibus aphoriſmis Hippocrates, de hac vel illa temporis mutatione egiſſet in particulari, & ſtatuiſſet tales fore morbos, quales ſunt anni mutationes nunc idipſum magis explicat, & dilucidat, aſſumendo omnes mutationes totius anni, & omnium ejus temporum. Hic aphoriſmus duas habet partes ſeu duas concluſiones, *Prima eſt* conſtanti tempore, conſtantes fieri morbos, ac judicatu faciles, id eſt ſpecie, idæa, numero, tempore, &c. *Secunda* & primæ contraria eſt: Inconſtantibus temporibus inconſtantes fieri morbos, & judicatu difficiles.

Sermonem igitur hic habet Hippocrates, de morboſum ſucceſſu in anni temporibus, ut nimirum ex his varie procedentibus, ſagax Medicus præſagire ſciat, quemmodum illi ſint obſervaturi, & quem quoque finem habituri, dicitque morbos legitimos, & boni judicii futuros, ſi anni tempora convenienter proceſſerint. Illegitimos vero malique judicii, ſi præpoſtere atque intempe-

ſive ſe habuerint, & à propria, & naturali conſtitutione declinaverint.

Quamobrem inquit *conſtantibus temporibus* vel ut alii vertunt *legitimis*, vel ut Fuchſius *certis & moderatis* Legitima autem conſtantia, & certa tempora, intelligit, cum ſingula propriam ſervant naturam, & ſuis unumquodque limitibus concluditur, ut ſcilicet ſtato tempore incipiat, & deſinat, nec ultra quam deceat; & conſueverit, progrediatur aut morem, conditionem, idæam &c. naturalem excedat vel prævertat: Hac ratione ſi ver ſub æquinoctio ſtrictis, moderato calore inchoet, ſenſim aerem, ab exceptis ſolaribus radiis, hyemali exuere rigore, & ſuccedens à ſolſtitio cancri æſtas, calorem augeat, qui deinde paulatim miteſcat, ſole in æquinoctium libræ inflexo, legitima & conſtantia tempora dicentur, ſuamque ſervare temperaturam, & conſuetudinem. Itaque tunc tempora legitima erunt, & conſtantia, cum tempeſtive adveniant, & deſinunt, & convenienti viciſſitudine invicem ſuccedunt. Inſuper dicitur in Aphoriſmo *ſi tempeſtiva tempeſtivi fiant*, ſeu ut alii, *convenientem ſervantibus temperaturam* ubi nimium *Ver*, moderatum reſetat calorem, longe majorem & excedentem *Æſtas*, temperatiorem *Autumnus*, commutatum vero in algorem *Hyems*, prout ipſæmet temporum conſtitutiones expoſtulant. Quæ ſane non alia ratione variant, & viciſſitudine regulari commutantur, quam à motu ſolis accedentis, vel recedentis à noſtro vertice, qui prout ſpiras efficit modo ſublimiores, modo humiliores, ſupra noſtrum Horizontem, ita radios immittit, vel prope perpendiculares, vel admodum demiſſos, adeoque æſtatem & Hyemem parit, atque in mediis temporibus, ver & autumnum.

Præterea addit, *morbos ſtabiles ſeu conſtantes ſeu legitimos oriri* Stabiles ſeu legitimi autem morbi intelliguntur, aut qui ſimplices & uniformes ſunt, eundem ſemper modum ſervantes, atque ab eodem fomite pendentes: aut qui, cum aliorum morborum ſymptomatibus non junguntur: aut etiam qui conſtantes & ſynceri obſervantur, non autem inæquales, fallaces & varii, ut autumnales, (quia autumnus hoc habet particulare, ut ſua natura inconſtans ſit ſemper & ideo morbos inconſtantes gignit) nec male morati, velut maligni.

Demum addit *boni judicii*, id eſt ſalutaris judicationis, & exitus,

absque

abſque ulla recidiva, neque enim ingenti corporis perturbatione, aut in locis incongruentibus & periculoſis: cum enim ab inæquali, & heterogenea materia non dependent, citius ac facilius naturæ viribus ſubiguntur, atque coctione & ſecretione extra corpus, debito tempore, ordine, & competentibus viis (quod manifeſtiſſimum eſt naturæ victricis indicium,) critice ablegantur & expelluntur; eſt enim teſte Hippocrate, *natura morborum Medicatrix, Medicus autem ejus miniſter:* juxta Poetam:

Cur miſer ægrotus, Medica ſine ſponte reſurgit?
  Eludit Medicas, mors Libitina manus?
Eſt Medicus Medico, natura potentior omni:
  Langueat hic Phyſicus, nil poterit Medicus.

Hinc eluceſcit ratio, quod non alia de cauſa, ſpuriæ & illegitimæ febres dictæ, graviores & difficiliores ſolutu eſſe ſolent, niſi ex commixtione diverſorum ſuccorum, aut ex varia fermentorum febrilium conditione: Hippocrates etiam hemitritæum periculoſum dixit, quia unius generis febris non eſt, ſed quotidianæ & tertianæ naturam æmulatur.

Quod ſi ergo hæc non ſervaverint, ſed intempeſtiva, inconſtantia, & immoderata fuerint, puta, ſi æſtas humida ſit, & nequaquam calida, Vere nix & grandines cadant, aliæque tempeſtates, ſibi ipſis pro more non reſpondeant, inconſtantes illegitimi, & mali judicii, oppoſitis plane de cauſis, morbi fient.

Unde autem, boni vel mali judicii ſigna petenda ſint, inquiſitione videtur dignum; Et quidem a ſymptomatibus potiſſimum adjunctis, atque à coctione, vel cruditate, illa deſumi poterunt: ſymptomata enim leviora, vel morbo non diſſentanea, ſalutarem exitum portendere ſolent: graviora vero & morbo diſſimilia, periculoſum finem denuntiant. Coctiones etiam cito comparentes, non tantum bonum, ſed & brevi futurum morbi judicium ſignificant; coctio ſiquidem prævalentem naturam arguit, & cauſam morbificam jam evictam aut ſecretam, adeoque certam ſalutem portendit.

Unde Hippocrates 1 *Epidem. Sect. 2. Coctiones* inquit, *judicii celeritatem, & ſanitatis ſecuritatem ſignificant: cruditates vero judicationis ſublationem, aut diuturnitatem, aut mortem, aut eorundem recidivas.*

Dices

tum excitat vel variat; Etenim in montibus ſpeluncis, Aſthmis, & in cujusvis generis fodinis, peculiares quidem flatus obſervantur, item in quibusdam maris Sinubus, fretis, ſcopulis, quia nimirum halitus, aut vapores, illic erumpunt, aerem commoventes, & magis minusque agitantes, huc aut illuc, pro loci & vaporum conditione. Hac ratione, venti in montibus, plerumque frigorifici eſſe ſolent, in oris maritimis humectantes & calorifici, atque in aliis locis alii, pro foſſilium varietate, quibus aer diverſimode refertus, diverſo quoq; modo, noſtra corpora afficit.

Hinc his prælibatis, facile reſponſio dari, & ratio reddi poteſt, cur Auſtri complura, corporibus præcipue debilibus incommoda afferant præſertim vero auditum heberent, caliginem viſui offundant, caput gravent, quia nempe vapores plurimos concitant, & aerem turbant, qui viſcera laxat & inquinat, cunctos liquores fluxiliores reddit, ſed ſpeciatim ſanguinem à ſua compage laxiorem, unde morbi & incommoda, ſupra recenſita oriuntur. Ejusmodi autem a ventis impetuoſioribus, tum auſtrinis tum Boreis incommoda, qua ratione vitari & remederi poſſint, docuit Vitruvius, Palladius, atque medice magis Galenus, *in Libris de Sanitate tuenda* memorabile vero eſt, quod olim eſt molitus Acron Agrigentinus (Laertius id etiam factum ſcribit ab Empedocle, ejusdem Acronis Auditore) inſignis ſui temporis medicus, atque Hippocrate vetuſtior, ad vindicandam ab immani peſte Siciliam. Is enim coriis bubulis, ad id affabre comparatis, ventos primum quorundam montium, unde illi ſpirabant, anguſtiis interceptis, coercuit, mox ignes plurimos accendi juſſit, ut pravi halitus per aerem diſperſi abſumerentur, isque meliorem nactus conditionem, remedio impoſterum foret ſanguini & cordi, quod prius infecerat. Idipſum quoque factum legimus ab Hippocrate, qui integras Sylvas, comburi juſſit, cum Græcia pravo ventorum afflatu, peſte vexaretur. Cæterum partibus ſpeciatim affectis, ex mala earundem tempeſtatum conſtitutione, ſuccurrendum erit iis præſidiorum generibus, quæ alibi docuimus in praxi. Breviter pro coronide reſpondemus ad ſupra allatam quæſtionem; Cauſam ventorum *Materialem* eſſe exhalationem nitro ſulphuream *formalem* entia meteorologica *efficientem* eorundem motum ab una regione in aliam; *finalem* aeris ventilationem.

Dices

Dices 1. Dantur Auſtri & Favonii, qui terram reddunt fertilem, laxando emolliendo. Ergo falſus eſt aphoriſmus quod itanoceant ℞ Hippocratem hic non intelligere Auſtrum moderatum, & in limite ſe continentem, ſed eum qui diu durat, & terminos excedit.

. Dices 2. Venti ut dictum eſt, ſunt nitro ſulphureæ exhalationes, ergo non ſunt noxii, ſulphur enim & nitrum corpus conſervant. ℞ Ventus ut ventos non eſſe inſalubres, ſed prout, vel à Regionibus in ſalubribus oriuntur, vel diſpoſitiones in corporibus noſtris inveniunt.

Dices 3. Venti purgant aerem, ergo non inficiunt ℞. Impurum purgant concedo, purum vero aliquando inficiunt, nimirum impuros humores aliunde advehendo.

Dices Similia non agunt in ſimilia, ſed Auſter utpote calidus & humidus, eſt ſimilis naturæ noſtræ, ergo non agit in corpus noſtrum ℞ Similia temperata non agunt in conſimilia concedo, in temperata nego, hæc enim ut ſupra dictum eſt, ad ſui correctionem requirunt contraria, non ſimilia, ergo ſuo modo agunt in corpora.

Aphoriſmus VI.

Quando æſtas ſit veri ſimilis, ſudores in febribus multos exſpectare oportet.

Contentum ſeu Intentio.

De Sudore febricitantium.

Connexio: Hic aphoriſmus non tam cum præcedente, quam cum quarto connectitur, in quo dixit, *quando eodem die, modo calor modo frigus fit, autumnales morbos exſpectare oportet*: Poteſt autem etiam cum antecedente connecti, cum enim in priori Hippocrates egerit de his quæ accidunt ægris, ab auſtrina & Aquilonia tempeſtate, in hoc præſente Aphoriſmo, ea proſequitur, quæ à mutata &

variata conſtitutione temporum eveniunt, præſertim autem æſtatis meminit, cum veris naturam æmulatur, & dicit, febricitantes plurimum ſudaturos, quando nempe æſtas fit veri ſimilis, id eſt ingenti ſuo ardore deficit, & temperiem quandam refert, non abſimilem ei, quæ in vere naturaliter contingit, & quoniam morbi per æſtatem vagantes, plerumque ſudore finiuntur, quo carere ſolent ægritudines hybernæ, idcirco de æſtate ſolummodo hæc ſpecialiter notavit.

Hic aphoriſmus, ob brevitatem ſuam, diviſionem non patitur.

In hoc ergo Aphoriſmo Hippocrates rurſum demonſtrat, quod tempora anni, non ſolum ad generandos, ſed etiam ad ſolvendos morbos vim habeant, maxime autem per ſudores. id eſt non videtur innuere tantum ſolutionem morborum per ſudores fieri ob ſimilem cauſam, nempe quando æſtas eſt veri ſimilis, ſed etiam quod corpora apta ſint ad morbos generandos, eoſque etiam ſolvendos, quod autem in febribus ſint expectandi ſudores, ubi æſtas veri ſimilis, in promptu cauſa eſt, quia juxta Galenum, cauſa ſudoris *efficiens* eſt calor, & materialis ipſa humiditas calor enim rarefacit corpora, & humiditates à centro pellit ad habitum, hinc fiunt in febribus ſudores, qui multam requirunt humiditatem, & temperatum calorem; nam ſi calor eſt exceſſivus in æſtate, vel ſudores inſenſibiliter conſumit, & in habitum ſolvit, vel corpora exſiccando condenſat, unde vel pauci vel nulli fiunt in febribus ſudores.

Neque vero, meo Judicio, à temperie ſolum aeris vernali, per æſtatem contingente, futuros in febribus ſudores evenire ſed (ut plerique mecum ſentiunt) etiam à pluvioſa conſtitutione, quippe quia ver pluvioſum eſſe ſolet, unde Ariſtoteles in meteoris, aſſerit, pluvioſum magis eſſe tempus vernum quam Hybernum, tum enim ſol moderato calore, vapores e terraqueo globo elicit, elevat, & in imbres commutat, qui ſane per æſtatem extenuati diſpereunt, & in hyeme congelantur, vel alio ab Aquilonis ventis amandantur, cum igitur æſtas fit veri ſimilis, imbribus abundans, ſudores multi in febribus aderunt, conſequenter ejus tempeſtatis humidam & pluvioſam conſtitutionem Hinc 2. Epidem Sect. 1. dicitur *pluvias minutas in æſtate, febres ſudorificas efficere*: quia minutæ pluviæ, ſunt propriæ vernalis tempeſtatis

Ex his autem facile deducere licebit, qua ratione Hippocrates, ſudo-

ſudores afferat multos in febribus exſpectandos; cum enim corpora multo humore, per id temporis imbuantur, neceſſe eſt motu naturæ, cauſam morbificam depellere conantis, illam ſubinde educi ſudoribus, qui tam febris impetu, quam æſtivi temporis ratione, plurimi fient, quin imo etiam à principio comparebunt, exſudante nimium ſponte aqueo humore, poros cutis, & glandulas ſubrecutaneas occupante & impetente.

Memoravit autem Hippocrates ſpeciatim febres, non quod in cæteris morbis, qui eo tempore contingere poſſunt, ſudores ejusmodi nulli fiant, ſed quia hi potiſſimum febres comitantur, & ab æstu febrili promptius erumpunt.

At vero non diſtinxit febris ſpeciem, forte quia omnes voluit comprehenſas, ea ſolum differentia, quod in quibusdam ſudores iſti critici & ſalutares ſint, in aliis ſymptomatici & inutiles; utrosque enim hic intelligit.

Quamobrem tacite Medicos admonet, ne ſudoris copiam ac promptitudinem omnino reformident, aut ultro commendent, quaſi vero damnum aut emolumentum pro re nata non ſit inerdum allaturus, omne enim nimium naturæ inimicum; etenim ab humida temporis conſtitutione, non vero à cauſa morbifica ſudor ille provenit; Quamquam poſſit etiam cum humore febrili conjungi, & ſimul excerni ſalubriter, ſi nimirum cætera concurrunt, quæ criſim ſalutarem comitantur. Hinc quemadmodum præcedenti aphoriſmo adjectum eſt, *talia in morbis expectare oportet*, ſic pariter nunc dicitur, *ſudores multos in febribus expectare oportet cum æſtas ſit veri ſimilis*, non quidem à febre, ejusque cauſa, ſed ab ambientis humidi ac pluvioſi conſtitutione.

Quod ſi autem fortaſſe ejusmodi verna conſtitutio vigeat per æſtatem, nec tamen febricitantes ſudare videantur, oportebit omnem induſtriam adhibere, ut illi ad ſudorem diſponantur, ſecus duplici malo conflictabuntur, altero à febrili cauſa, altero à tempeſtate pluvioſa, unde impedita perſpiratione, febris in longius producetur, vel in priorem commutabitur: Verbo videndum eo, ut in febribus ſudores fluant, ſed iisdem ne diffluant ægri ſedulo caveantur. Sudorum autem differentiæ (ut patet ex inſtitutionibus) deſumuntur vel a *quantit ate* unde ſunt vel pauci vel multi: vel a *qualitate*

tate idque vel *primis*, & hinc ſunt vel calidi vel frigidi, vel *ſecundis*, unde ſunt ſalſi, acres, amari dulces: vel à *tempore morbi* hinc alius eſt criticus, alius ſymptomaticus; Vel *à diei naturalis partibus* & ſic alius eſt diurnus, alius nocturnus, Vel *à ſubjecto*, adeoque alius eſt univerſalis in toto corpore vel particularis in aliqua tantum parte; Vel *ab Eventu*, hinc alius eſt bonus, melior, optimus, alius malus, pejor, peſſimus.

Dices 1. Quo magis temperata erit æſtas, eo pauciores fient febres, & conſequenter pauciores ſudores, ſed ubi æſtas erit veri ſimilis erit magis temperata ergo pauciores febres. ℞. Nego min. nam æſtas veri ſimilis non eſt temperata, quia degenerat a ſua naturali temperie, nempe calida & ſicca

Dices 2. Æſtas humida majorem habet putredinem, & conſequenter majorem calorem, ergo pauciorem ſudorem, quia calor abſumit ℞. Habet majorem calorem cum humiditate majori concedo, ſine illa, nego ergo pauciorem ſudorem, ſi ſit ſine humiditate concedo, cum illa, nego.

Dices 3. In æſtate calida & ſicca plus bibitur quam in æſtate veriſimili ergo &c. plures erunt ſudores in æſtate vera quam veriſimili ℞. Si plus bibatur plus etiam per urinas excernitur, & plus tranſpirat, in æſtate veriſimili, humiditas illa retinetur & poſtea febre accedente excernitur.

Dices 4. Omnis æſtas eſt calida & ſicca, ergo nulla veri ſimilis Prob. Ant. calor & ſiccitas eſt de eſſentia æſtatis ergo æſtas ut eſt & manet æſtas, eſt calida & ſicca concedo, ut deflectens à ſua natura, & alterius temporis naturam induens, nego.

Dices 5. In vere abſolute magis quam æſtate ſudores fiunt ergo falſa eſt propoſitio aphoriſmi ℞. Æſtate ſuam naturam ſervante plures fiunt ſudores numero, in vere autem plures quantitate.

Aphoriſmus VII.

Per ſiccitates febres acutæ fiunt, & ſiquidem annus, magna ex parte, talis exſtiterit, qualem effecerit conſtitutionem, tales ut plurimum quoque morbos exſpectare oportet.

Con-

Contentum ſeu Intentio.

De Morbis tempeſtati conſonis.

CONNEXIO: Hic quoque aphoriſmus, magis cum quarto, quam præcedente connectitur ubi de qualitatibus activis, calore & frigore, temporis, & diei egit, In hoc de paſſivis agit, adducens ſiccitatem, temporibus dominantem, dicitque eam febres acutas generare, & quod ſi totius anni decurſus ſit talis temperamenti, quod etiam ſimiles morbi ſint exſpectandi

Prima fronte videtur hic aphoriſmus opponi 15. hujus ſectionis, in quo dicitur. *Siccitates ſunt imbribus ſalubriores & minus mortiferæ:* nam ſi ſiccitates dicantur ſalubriores, cur eſt quod nunc febres acutas parere dicantur? Verum ſolvitur hæc oppoſitio facile, quia in græco codice ſcribitur ἐν τοῖσιν αὐχμοῖσιν id eſt *in ſqualoribus*, qui extremam ſiccitatem, illamque diuturnam ſignificant, ut propterea non quamcunque ſiccitatem, ſed ſummam & vehementem adnotat in hoc aphoriſmo Hippocrates, ut plerique famoſiores authores tenent, qua ſcilicet nimio ardore cuncta pene exareſacta, atque ambuſta videntur Neque autem abſolute protulit ſalutares omnino eſſe ſiccitates, ſed tantum imbribus, ſeu Auſtrinis tempeſtatibus pluvioſis ſalubriores, facta nimirum inter ſe invicem comparatione, de qua re in ſequentibus dicemus.

Hic Aphoriſmus duas habet partes in *prima* ponitur concluſio: magnis ſiccitatibus febres acutæ fiunt: in *ſecunda*, qualis fuerit in anno temporis ſtatus, tales morbi exſpectandi. Ex quibus concluſionibus Medicus & prædicere & præcavere poſſit morbos, qui in ſiccitatibus fiunt, atque in univerſum intelligat morbos ſequi conſtitutionem temporum.

Hic quæſtio ſolennis & intricata oritur, cur in ſiccitatibus extremis febres acutæ fiant? Plerique Authores rationem deſumendam putant, ex ipſamet natura ſiccitatis, quæ fere ſemper cum calore jungitur, ut propterea vigente conſtitutione calida ſicca, febres acutas oriri neceſſum ſit. Verum revera ego non video, quo jure iſti mentem Hippocratis ſic temere velint extorquendam Sienim de tempeſtatibus

 calidis,

calidis, ſiccis, hanc ſententiam protuliſſet, ſane potius dixiſſet, in *caloribus* aut *æſtibus*, quam in *ſiccitatibus*, cum cæteroquin, calor habeatur potior & efficacior qualitas, ut longe excellentiori prædita inter eas, quas vulgo *Primas* vocant. at vero videtur congruenter Hippocrates notaſſe *ſiccitates*, non *calores*, quia mens ejus erat, referre detrimenta conſtitutionis oppoſitæ vi, quam in præcedenti aphoriſmo protulerat de æſtate, in *humidum* vergente, ut proinde gratia exempli notatum voluerit, quod quemadmodum ab humida tempeſtate, longi ſeu autumnales morbi ita ab arida breves ſeu acuti oriantur. Accedit, quod a ſiccitate longa, & depræditatoria, extenuentur humores, abſumentur aquoſæ corporis ſuperfluitates, lympha diſſlatur, & ſanguis ipſe biliofior, acrior, calidior, ſincerior redditur, abſumpta nempe qua ipſum diluebat & frænabat humiditate, quæ morbos vel protrahit, vel hebetat ſi adſit, ſi vero abſit vel abſumpta ſit, eos præſertim febres, reddit breviores & acutiores, quia liquores circulantes acutioribus inſtructi particulis, non tantum ad coctionis ſed etiam excretionis opus, naturam inceſſanter ſtimulant. Habere autem acria hæc & ſalina ſubjecta, particulas hamatas, pungentes, irritativas, & quaſi dentatas, docet experientia & ipſe ſenſus teſtis eſt, omni exceptione major. licet eas particulas dentatas magis tamen aſcetico quam ſincero modo quidam facetus Poeta conſtanter neget, ex ratione & experientia, quod fœmina nunquam mordacior quam dum edentula inquit enim:

> Particulas quis dentatas, mordacibus eſſe
> Credat? anus mordax fœmina dente caret.

Præterea ulterius de ſiccitate probatur noſtra ſententia: cum enim inſuper aphoriſmus, ſingulas anni tempeſtates complectatur, æque enim de æſtate, ac de autumno, hyeme & vere videtur pronuntiatus, propterea uſus eſt Hippocrates ea (loco exempli) conſtitutione, quæ communis omnibus eſſe poteſt, & indifferenter per utraslibet vagari, modo & ver & autumnus æſtas & hyems ſiccitatem præferre poſſint, id eſt pluviarum vacuitatem & carentiam. neque enim aliter res ſiccæ fieri dicuntur, niſi quia extenuatæ atque exſuccæ, omni penitus humore exhauriuntur, ut in expreſſa & exſucta ſpongia palam fit. Quando enim per ſiccitatem extremam pori cutis, ſupra modum conſtipantur, partes obdureſcunt, & perſpiratio pluri-

mum impeditur, quin & ſanguis ipſe, per pulmones trajectus, non levitet, ut diximus, à ſua craſi, & fluiditate declinat, unde alicubi reſtagnans & præſertim, in apicibus arteriarum, febres excitat vehementiſſimas, & admodum periculoſas. Sicut enim præhumidus aer & auſtrinus ex una parte nocuus eſt, ſic ex altera parte aquilonius, & plus juſto attenuatur, diſtracto videlicet, & ut ita dicam, nimium furente ejus Elatere id eſt expanſione & impetu.

Secunda Pars ſeu ſecunda Concluſio hujus aphoriſmi deſumpta eſt, *ex Libro de Humoribus*, ubi & plura alia, ad annorum tempeſtates pertinentia ſcripta leguntur: neque aliud ex illa inferre vult Hippocrates, niſi quod morborum per tempora affectiones, magna ex parte ſequantur ipſius anni conſtitutionem, ut propterea ſi tempeſtas ſicca admodum eſſe pergat, per univerſa anni tempora, per omnes etiam tempeſtates febres acutæ, magna ex parte ſunt exſpectandæ, ſicut quoque alius generis ægritudines, pro ratione vagantis conſtitutionis, quo enim diutius ſqualor in aere ac reliate perduraverit, eo etiam acuti morbi graviores fient, ſcriptum eſt autem *magna ex parte, ſeu ut plurimum*, nam ſatis eſt, ſi plerumque tellus & aer imbribus non madeſcat, nec humectetur, & raro pluat, vix enim fieri poteſt, totum & integrum annum in noſtris Regionibus, imbribus fore cariturum. Sed utrum per idem omnino tempus, quo ſicca & imbribus vacua conſtitutio viget, acutæ febres, hic ab Hippocrate notatæ, obſervandæ ſint, an vero impoſterum? non levis eſt hujus loci difficultas: Et quamvis aliquibus videri poſſit, non niſi, quo tempore arida tempeſtas viget, acutas febres vagari, juxta effatum illud Philoſophorum, *cauſas tum reipſa effectus parere, cum adſunt, & vi atque impulſu operationes promovent*; Nihilominus, ſi verba aphoriſmi perpendantur, plane etiam imminentes, & futuras comprehenſas affirmabimus; dicitur enim, *Tales morbos oportet exſpectare*, Si ergo exſpectandi, igitur per idem tempus, quo ſicca viget conſtitutio, non ſunt. Neque vero effatum illud Philoſophorum, perpetuo verum eſt in cauſis Procatarticis & externis, ſed ſolum ſynecticis, conjunctis & proximis, illæ namque, ut morbos inferant, debent primo internas cauſas excitare, inter quas & morbos eſt neceſſaria connexio, ſecus vero cum cauſis Procatarticis: Etenim adhuc vitato aere, atque remoto cibo, aut motu, qui morbus ab his ſemel inductus eſt perſeverat, nec deſinit, niſi

 cauſa

cauſa interna & proxima auferatur. Cum itaque Hippocrates de cauſis externis & procatarcticis, hic agat, nimirum de anni conſtitutionibus, procul dubio non modo de præſentibus, ſed & de imminentibus quoque & futuris morbis exponendus erit; recte ergo dicebat Celſus Lib. 2. Cap. 1. *neque ſolum intereſt, quales dies ſint, ſed etiam quales ante præceſſerint.*

Sciendum præterea verba in ſecunda concluſione addita *magna ex parte* ſeu *ut plurimum* non ſignificare eſſe neceſſarium tales fore morbos, qualis temporum conſtitutio indicat, quia victus ratio cibus, potus, motus & alia, ſicut male uta, ut mox diximus, poſſunt eos producere, ſic etiam debite celebrata eas prohibere poſſunt.

Sciendum tandem per febres acutas continuas (& non intermittentes, niſi & illæ intermittentes acutæ quoad paroxiſmum forent) intelligi, febres autem acuta intelliguntur vel eſſentiales vel ſymptomaticæ, cito & cum periculo curtum ſuum abſolventes inter quas etiam malignæ, peſtilentes &c. ſubintelliguntur.

Dices 1. Hac ſententia Hippocratis videtur eſſe falſa, ergo non admittenda. Prob. Ant. ſiccitas juncta frigori, potius generat melancholiam quam bilem: præterea ſiccitas juncta calori non videtur generare morbos, quia eſt qualitas paſſiva, calor autem activa, cui attribuendi morbi. ℞. Nego primum antecedens, & diſtinguo ſecundum, ſumma ſiccitas juncta frigori generat melancholiam, tranſeat, non ita intenſa nego. ℞. Quod actio productionis morborum acutorum, non tribuatur calori ſed ſiccitati, jam mox ante diximus, id non fit ratione producentis ſed ratione producti, id eſt advertere, oportet quod humiditas juncta calori, morbis acutis & malignis producendis tam apta non ſit quam ſiccitas. Denique Hippocrates, non dicit a ſiccitatibus fieri morbos, ſed in ſiccitatibus.

Dices 2. In ſiccitate ſanguis aduſtus fit craſſior, ergo non tenuior, ergo potius in melancholiam degenerabit quam in bilem, ſed melancholia ob craſſitiem non eſt apta in producendis morbis acutis ergo. ℞. Sanguis multum aduſtus ſeu per ſecundum terminum fit craſſior, concedo, per primum nego, nam ſanguis dum caleſit, pro primo termino habet tenuitatem, & non craſſitiem, quia primum fit conſumpta, ut plurimum humiditate. Et licet etiam ſanguis ſit valde

valde aduſtus, non ſtatim degenerat in melancholiam ſed in bilem aduſtam.

Dices 3. In aphoriſmo nono dicit Hippocrates, in autumno morbos in univerſum eſſe acutiſſimos, cum tamen eo tempore ſiccitas cum frigore dominetur, ergo falſus eſt aphoriſmus. R. In autumni parte æſtati proximi ſunt morbi acutiſſimi, concedo, in medio aut fine autumni nego.

Aphoriſmus VIII.

Conſtantibus temporibus, ſi tempeſtiva tempeſtive fiant, morbi ſtabiles, & boni judicii accidunt: Inconſtantibus autem inſtabiles & mali judicii.

Contentum ſeu Intentio.

De Tempeſtatis conſtantia & inconſtantia.

C*onnexio* Cum in præcedentibus aphoriſmis Hippocrates, de hac vel illa temporis mutatione egiſſet in particulari & ſtatuiſſet tales fore morbos, quales ſunt anni mutationes nunc idipſum magis explicat, & dilucidat, aſſumendo omnes mutationes totius anni, & omnium ejus temporum. Hic aphoriſmus duas habet partes ſeu duas concluſiones, *Prima eſt* conſtanti tempore, conſtantes fieri morbos, ac judicatu faciles, id eſt ſpecie, idæa, numero, tempore, &c. *Secunda* & primæ contraria eſt. Inconſtantibus temporibus inconſtantes fieri morbos, & judicatu difficiles.

Sermonem igitur hic habet Hippocrates, de morborum ſucceſſu in anni temporibus, ut nimirum ex his varie procedentibus, ſagax Medicus præſagire ſciat, quem modum illi ſint obſervaturi, & quem quoque ſinem habituri, dicitque morbos legitimos, & boni judicii futuros, ſi anni tempora convenienter proceſſerint. Illegitimos vero malique judicii, ſi præpoſtere atque intempe-

ſive ſe habuerint, & à propria, & naturali conſtitutione declinaverint.

Quamobrem inquit *conſtantibus temporibus* vel ut alii vertunt *legitimis*, vel ut Fuchſius *certis & moderatis*. Legitima autem conſtantia, & certa tempora, intelligit, cum ſingula propriam ſervant naturam, & ſuis unumquodque limitibus concluditur, ut ſcilicet ſtato tempore incipiat, & deſinat, nec ultra quam deceat; & conſueverit, progrediatur aut morem, conditionem, idæam &c. naturalem excedat vel prævertat: Hac ratione ſi ver ſub æquinoctio ſtrictis, moderato calore incipiet, ſenſim tereni, ab exceptis ſolaribus radiis, hyemali exuere rigore, & ſuccedens à ſolſtitio cancri æſtas, calorem augeat, qui deinde paulatim mitteſcat, ſole in æquinoctium libræ inflexo, legitima & conſtantia tempora dicentur, ſuamque ſervare temperaturam, & conſuetudinem. Itaque tunc tempora legitima erunt, & conſtantia, cum tempeſtive adveniunt, & deſinunt, & convenienti viciſſitudine invicem ſuccedunt. Inſuper dicitur in Aphoriſmo *ſi tempeſtiva tempeſtive fiant*, ſeu ut alii, *convenientem ſervantibus temperaturam*, ubi mitiorem *Ver*. moderatum teneat calorem, longe majorem & excedentem *Æſtas*, temperatiorem *Autumnus*, commutatum vero in algorem *Hyems*, prout ipſamet temporum conſtitutiones expoſtulant. Quæ ſane non alia ratione variant, & viciſſitudine regulari commutantur, quam a motu ſolis accedentis, vel recedentis a noſtro vertice, qui prout ſpiras efficit modo ſublimiores, modo humiliores, ſupra noſtrum Horizontem, ita radios immittit, vel prope perpendiculares, vel admodum demiſſos, adeoque æſtatem & Hyemem parit, atque in mediis temporibus, ver & autumnum.

Præterea addit, *morbos ſtabiles ſeu conſtantes ſeu legitimos oriri*. Stabiles ſeu legitimi autem morbi intelliguntur, aut qui ſimplices & uniformes ſunt, eundem ſemper modum ſervantes, atque ab eodem fomite pendentes: aut qui, cum aliorum morborum ſymptomatibus non junguntur: aut etiam qui conſtantes & ſinceri obſervantur, non autem inæquales, fallaces & varii, ut autumnales, (quia autumnus hoc habet particulare, ut ſua natura inconſtans ſit ſemper & ideo morbos inconſtantes gignit) nec male morati, velut maligni.

Demum addit *boni judicii*, id eſt ſalutaris judicationis, & exitus, abſque

abſque ulla recidiva, neque enim ingenti corporis perturbatione, aut in locis incongruentibus & periculoſis: cum enim ab inæquali, & heterogenea materia non dependent, citius ac facilius naturæ viribus ſubiguntur, atque coctione & ſecretione extra corpus, debito tempore, ordine, & competentibus viis (quod manifeſtiſſimum eſt naturæ victricis indicium,) criticè ablegantur & expelluntur; eſt enim teſte Hippocrate, *natura morborum Medicatrix, Medicus autem ejus miniſter*: juxta Poetam:

> Cur miſer ægrotus, Medica ſine ſponte reſurgit?
> Eludit Medicas, mors Libitina manus?
> Eſt Medicus Medico, natura potentior omni:
> Langueat hic Phyſicus, nil poterit Medicus.

Hinc eluceſcit ratio, quod non alia de cauſa, ſpuriæ & illegitimæ febres dictæ, graviores & difficiliores ſolutu eſſe ſolent, niſi ex commixtione diverſorum ſuccorum, aut ex varia fermentorum febrilium conditione: Hippocrates etiam hemitritæum periculoſum dixit, quia unius generis febris non eſt, ſed quotidianæ & tertianæ naturam æmulatur.

Quod ſi ergo hæc non ſervaverint, ſed intempeſtiva, inconſtantia, & immoderata fuerint, puta, ſi æſtas humida ſit, & nequaquam calida, Vere nix & grandines cadant, aliæque tempeſtates, ſibi ipſis pro more non reſpondeant, inconſtantes illegitimi, & mali judicii, oppoſitis plane de cauſis, morbi fient

Unde autem, boni vel mali judicii ſigna petenda ſint, inquiſitione videtur dignum, Et quidem a ſymptomatibus potiſſimum adjunctis, atque à coctione, vel cruditate, illa deſumi poterunt: ſymptomata enim leviora, vel morbo non diſſentanea, ſalutarem exitum portendere ſolent: graviora vero & morbo diſſimilia, periculoſum finem denuntiant. Coctiones etiam cito comparentes non tantum bonum, ſed & brevi futurum morbi judicium ſignificant, coctio ſiquidem prævalentem naturam arguit, & cauſam morbificam jam evictam aut ſecretam, adeoque certam ſalutem portendit.

Unde Hippocrates 1. *Epidem. Sect. 2. Coctiones* inquit, *judicii celeritatem, & ſanitatis ſecuritatem ſignificant: cruditates vero judicationis ſublationem, aut diuturnitatem, aut mortem, aut eorundem recidivas.*

Dices

Dices 1. Autumnus ſuam temperiem ſervans eſt inconſtans, ergo inconſtantes morbos, & judicatu difficiles generat, ergo falſum eſt tempora anni, ſuam temperaturam ſervantes, morbos judicatu faciles producere ℞. Morbi autumnales ſunt inconſtantes, reſpectu autumni, nego, quia ipſi ſunt connaturales, reſpectu aliorum temporum ſunt inconſtantes, concedo Imo totum argumentum non eſt contra nos, quia certum eſt quod morbi autumnales, licet inconſtantes ut plurimum, non ſunt tamen tam difficiles judicatu, quam curatu; juxta illud *Morbi autumnales aut longi aut mortales.*

Dices 2 Legitima paſſim dicuntur, quæ qualitatem, modum, ordinem &c. ſervant, Ergo morbi, qui a ſimplicibus humoribus oriuntur, erunt legitimi, atqui hoc eſt contra Hippocratem, qui *7 Aph. 23 & Gal. ibid in comment* aſſerit, ſynceras, id eſt, a ſimplicibus humoribus ortundas dejectiones, eſſe peſſimas. Ergo unum vel alterum erit falſum ℞. Concedo primum antecedens & conſequentiam, & ſubſumptum diſtinguo, dejectiones ſynceræ ſunt peſſimæ, ſi pure ab uno eodemque humore oriantur, nego, ſi ab uno humore aliis commixto, illo tamen prædominante oriuntur, ſunt peſſimæ, concedo ut plurimum, non autem ſemper teſte experientia.

Dices 3. Ex hoc ſequeretur quod hyems exceſſive frigida non noceret, quia ſuam debitam obſervat qualitatem ℞. Hyems ſi modum excedat noxia eſt, quia non ſufficit ut ſolum ſpeciem qualitatis, ſed & ſpeciem & modum, & ſi hæc non obſervet noxia eſt, omne enim violentum eſt noxium.

Aphoriſmus IX.

Autumno, in univerſum morbi acutiſſimi & pernicioſiſſimi: Ver autem ſaluberrimum & minime exitiale.

Contentum ſeu Intentio.

De Autumno, & vere comparatis.

Connexio. Hic aphoriſmus dupliciter poteſt connecti, vel cum quarto, in quo dixit fieri morbos autumnales, cum eodem die

viget

viget modo calor modo frigus: in hoc autem refert, & declarat, qui iſti morbi ſint, nempe acutiſſimi & exitioſiſſimi. Vel connecti poteſt cum præcedente, in qua dixit, conſtantibus anni temporibus conſtantes morbos, inconſtantibus vero inconſtantes fieri, cum autem ver, tempus conſtans maxime ſit, autumnus vero inconſtans, ideo nunc de autumni & veris natura, & in iis obvenientibus morbis agit.

In duas ergo dividitur partes hic Aphoriſmus: In *prima* agit de autumno ejusque morbis. In *ſecunda* de vere, & ejusdem morbis.

Notandum autem bene eſt non omnes, eodem modo tempus autumni metiri: *Nonnulli* ex Priſcorum monumentis, ab ortu arcturi ad occaſum Vergiliarum ejus limites definiunt: *Alii* cum Aſtronomis circumſcriptum putant, æquinoctio libræ, & ſolſtitio hyberno capricorni. *Agricolæ* & vulgus hominum, in primoribus imbribus Septembris, inchoari, & usque ad ſuprema ſationis tempora protendi. Medicorum denique plerique, cum primum inæquales viciſſitudines caloris & frigoris, dies ſubeunt, & quousque frigus æqualiter in aere conſiſtere videatur, idque cohærenter Hippocrati, qui autumnales ægritudines portendit à temporis inæqualitate & inconſtantia: Et ſane potior cauſa, cur morbi in autumno acutiſſimi & exitiales accidant, videtur eſſe illius viciſſitudo atque inæqualitas.

Quamvis autem Hippocrates, dicat vagari per autumnum morbos acutiſſimos, qui ſcilicet brevi finiantur, non tamen omnes eo tempore evenientes tales erunt, cum & non raro plerique in longius tempus protrahantur, ut clare patet ex Aphoriſmo 22. hujus ſectionis, ubi plures eosque chronicos morbos in autumno evenientes commemorat. Quamobrem, plerique authores non *ſemper* ſed *ut plurimum* vel *magna ex parte* fore exitiales intelligendum eſſe, id eſt quaſi dicere voluerit, qui acutiſſimi, accidunt plerumque in exitium terminantur, aut ſi exitioſi futuri ſint, in longius tempus nequaquam protrahentur. Et ſi fortaſſe diutius protrahantur, vacabunt exitio, ut in quartanis, vel in quartanas deſinentibus febribus præſertim experimur. Verum credere quoque licet, paroxiſmos duntaxat morborum, in ejusmodi extrema morborum acutie voluiſſe deſignare, excluſa eorundem remiſſione, ſeu

declinatione; quare cum dixit acutiſſimos fieri morbos autumnales, idem fere intelligere voluit ac cito ad augmentum illos pervenire: Sunt etenim morbi qui tarde admodum omnia quatuor tempora percurrunt, quales chronici ſunt, & alii qui licet tardum exhibeant principium, celerius tamen augmentum pertranſeunt, quemadmodum videtur eſſe inflammationes, & abſceſſus interni. Alii denique vix inchoant, ut ſtatim ad augmentum & ſtatum deducantur, ſicut ardentes febres & partium principalium ægritudines, lethargi & apoplexiæ, atque de his videtur mentionem feciſſe hoc loco Hippocrates, ſtatuens morbos autumnales acutiſſimos, id eſt ejus fore conditionis & naturæ, ut poſtquam inceperint, ſtatim augmentum acquirant; & quidem ſi exitiales ſunt, procul dubio declinatione carent, cum certum ſit apud omnes, lethales morbos ad declinationem non pertingere, ſed vel in augmento vel ſtatu interimere ægrotantes.

At vero adjicit Hippocrates ut *plurimum* ſeu *maxima ex parte*: nam non omnino ac perpetuo mortem afferunt, quandoquidem in longius tempus perducti, ſicuti acutiem amittunt, ita & perniciem: qua ratione obſervamus ægrotantes autumno ſi mortem effugerint, longiſſimam pati declinationem ſed tandem convaleſcere.

Unde autem tanta acuties & pernicies autumnalibus morbis veniat? Variæ variorum ſunt opiniones: Major pars Medicorum incuſat, pravitatem *humoris Atrabilaris* eo tempore exundantis, qui cum ſuapte natura virulentus exiſtimetur, morbos proinde lethales progignit. *Alii* ad immoderatum fructuum eſum referant, quibus ajunt plurima congeri in humanis corporibus excrementa, atque ſanguinem generari valde obnoxium corruptioni. *Galenus* autem in *commentario* plures cauſas commemorat, inquit enim; *Autumno hoc imprimis ineſſe, quod eadem die aliquando calor aliquando frigus percipiatur: deinde æſtivum ſubſequitur tempus, in quo multi quidem humores aſſati ſunt, quibusdam vero & vires ſunt debilitatæ: neque ſolum hac ratione autumnus malus eſt, ſed etiam quia primum quidem humores movebantur ad cutem, atque diſſlabantur, autumno vero ab aeris ambientis frigiditate traduntur, atque ad interiora impelluntur.*

Verum qui *atram bilem* inſimulant, coguntur ejus humoris tunc geniti ac prævalentis cauſam referre & probare, quam enim ab

æſtate

æſtate bilem naturalem adurente deſinunt, non levioribus implicatur difficultatibus, quam ipſiusmet atræ bilis generatio, utraque autem (ex mente neotericorum) fictitia eſt, fucati coloris ſpeciem nobis imponens, ejuſdem omnino aſpectus interius extitiſſe. Veruntamen quo pacto ſe res hæc habeat, explicabimus in commentariis libri quarti.

Qui præterea ab eſu fructuum cauſam deducunt, naturam ipſam rerum omnium opificem, primam atque ſupremam infamare non verecundantur, quod fructus procreaverit, quo tempore in perniciem hominum conſpirent, cum tamen compertum habeamus, ipſo quoque confirmante Galeno, opimari id eſt impinguari ruſticos, agricolas, atque vinitores, ab aſſiduo, uvarum, ficuum ſimiliumque fructuum eſu. Summo quippe conſilio, atque divina providentia factum eſt, arbores per æſtatem & autumnum fructus ſuos edere, ut humano forent uſui, in alimentum ventribus eo tempore debilibus valde accommodum. Atqui damna accidunt, ex cibis ſolidioris ſubſtantiæ & difficilioris digeſtionis, qui cum fructibus commiſcentur, atque intemperanter & intempeſtive ingeruntur, unde cruditates, putrefactiones, atque ex his vomitus, lienteriæ, choleræ, diarrhææ, dyſenteriæ, febres & alia mala exoriuntur. Viciſſitudo vero aeris videtur quoque verno tempori convenire, quod adhuc tum contingat, è frigido in calidum aerem mutari, neque minor mutatio ſit frigoris in calorem vere, quam caloris in frigus autumno.

Verum tamen, quia ſol veris tempore propius ſemper accedit noſtro vertici, & dies efficit longiores noctibus, ſenſimque aerem calefacit, quo congruentius vitæ fovendæ pro uſu reſpirationis utamur, propterea fit, ut ſalubrior ſit mutatio frigoris in calorem vere, quam ea quæ contingit autumno, caloris in frigus: Calore enim cuncta viventia invaleſcunt & vigorantur, frigore veró hebetantur & languent. aer quoque qui per æſtatem tenuior & laxior eſt effectus, confertioribus vaporibus, adventante autumno inficitur, imbribus & frigore craſſeſcit, ac denſatur, unde perſpirationes, & inſpirationes non leviter interturbantur. Vere inſuper repurgantur in nobis humores & leni quadam atque inſenſibili fermentatione, cuncta viſcerum fermenta, impuritatum, & ſuperfluitatum ſecretionibus refloreſcunt, & ſanguis ipſe floridior redditus atque vegetior tum

vivificandis tum nutriendis partibus accommodatior evadit, & quemadmodum tunc annum veluti repueraſcere obſervamus, ita viventia quoque omnia repubeſcere & reſloreſcere & novam videntur induere corporis habitudinem. Hic non immerito *Plautus*, vitam humanam, herbam ſolſtitialem appellare ſolebat, eo quod omnes vitales motus a ſole tamquam primo motore potiſſimum dependerent. Hinc quoque ortum illud *Ariſtotelis* adagium, *ſol & homo generant hominem.*

Rem totam exemplo & experientia reddemus evidentiorem, Ros & pluviæ vernales quæ v. g. in Martio colliguntur, propter ſal aliquod aſtrale, & balſamicum occultum in iisdem delitescens, ad plures annos ſine corruptione perdurant, cum è contra ros aut pluviæ autumnales, quantocyus fœtorem & putredinem concipiant. Hinc eſt quod aliqui Philoſophi & Medici, ut moxante innuimus ver anni juventutem, autumnum anni ſenectutem appellarint, eo quod tempore verni homines ægritudines veluti in juventute mitiores, tutiores & faciliores ſint curationis.

Non tamen credendum & ſitendum eſt, hactenus dicta cunctis terræ habitationibus, eodem tempore evenire; nam ut ſupra innuimus, cum hominibus zonam temperatam ſeptentrionalem inhabitantibus ver accidit, ſole, perluſtrante ſigna Arietis, Tauri & Geminorum, aliis è contra vel æſtas ut, vel hyems, vel etiam tempeſtas alia autumno non diſſimilis. Neque præterea indiſcriminatim ver omnibus ſaluberrimum evenit, cum in Ægypto mente Majo, vel ineunte Junio, epidemica quidam ægritudine incolis illos affici contingat, quæ non niſi *gutta* ut vocant, decedente, paulo ante Nili inundationem evadere datum eſt.

Etenim quæ Hippocrates protulit, non ſunt adeo catholica & immutabilia, ut alicubi ſaltem non fallant, quippe is ea, quæ vidit, ac ſæpius obſervavit, ſumma qua decuit ingenuitate, litteris mandavit, ac poſteris in uſum hominum conſideranda tradidit, quæ aut locorum varietate, aut temporum differentia, non minimum varient. Conſtat enim diverſis omnino dogmatibus tractari Medicinam, apud Ægyptios, Chinenſes, Japponenſes, Tartaros, Americanos, quæ monumentis Hippocratis parum vel nullatenus cohærent, cum & his alii morbi aliæque tempeſtates accidant, & alia quoque alimentorum ac Medicamentorum genera ſint in uſu. Nobis autem ple-

ſimque congruunt, quia in pluribus, cum Græcis aliqua ſaltem differentia excepta convenimus, & quæ his accidere Hippocrates expertus eſt, plane cæteris Europæis, nulla vel modica varietate, in ſingulis anni tempeſtatibus, ſerius modicum aut citius contingunt. At vero reliquis Terræ habitatoribus, ſive Antæcis ſive Antipodibus non item, ſicuti nec aliis hinc procul diſſitis, aut ſolis, aut ventorum, aut ciborum & potuum varietate, vel propter vitæ genus varium, differentemque ab incunabulis conſuetudinem.

Dices 1. Hippocrates *Lib. de aere locis & aquis* ait ſolſtitia eſſe periculoſiora æquinoctiis, ergo æſtas & hyems erunt periculoſiores autumno, quia in illis fiunt ſolſtitia, ergo etiam morbi erunt periculoſiores ℞. Solſtitia & ſub iis actu contingentes morbi & mala ſunt periculoſiora quoad excedentes qualitates caloris & frigoris concedo, quoad alias pravas, occultas in autumno obvenientes qualitates, nego

Inſtabis In æſtate morbi ſemper fiunt acutiores quam in autumno, ergo nulla ſolutio ℞. Fiunt acutiores morbi ratione brevitatis, transeat, ratione pravorum ſymptomatum nego, Vel ſic diſtinguo, in æſtate morbi benigni ſunt acutiores quam in autumno, transeat, maligni & pravi nego.

Urgebis. Autumnus parum aut nihil diſtat à vere, quia etiam in vere eſt inæqualitas frigoris & caloris ergo tanta mala autumno non ſunt attribuenda ℞. 1 Autumnus & ver parum diſtant in qualitatibus manifeſtis, tranſeat, in occultis nego. ℞. 2. Negando abſolute ea non diſtare, ver enim eſt calidum & humidum autumnus frigidus & ſiccus, Præterea multum differunt in eo, quod ver hyemem ſequatur, autumnus vero ſequitur æſtatem, tranſitus autem à frigore ad calorem laudabilior eſt, quam tranſitus caloris in frigus, ille vivificat, hoc perimit & occidit.

Inſtabis Denuo Hippocrates ait 6. Epidem. 7. ver tabidis eſſe lethale ergo idem fit in vere quod in autumno, qui tabidis eſt malus, ut dicitur ſequenti Aphoriſmo. ℞. Hippocratem intelligendum eſſe de principio veris, non de medio & fine, quod in multis ver in principio hyemem adhuc æmuletur.

Dices 2. Hippocrates 2. Aphoriſm 25. ait, æſtivæ quartanæ breves, autumnales longæ, ergo morbi autumnales non ſunt acutiſ-

Rr 3 ſimi

viviſicandis tum nutriendis partibus accommodatior evadit, & quemadmodum tunc annum veluti repuerafcere obſervamus, ita viventia quoque omnia repubeſcere & refloreſcere & novam videntur induere corporis habitudinem. Hic non immerito *Plautus*, vitam humanam, herbam ſolſtitialem appellare ſolebat, eo quod omnes vitales motus à ſole tamquam primo motore potiſſimum dependerent. Hinc quoque ortum illud *Ariſtotelis* adagium, *ſol & homo generant hominem.*

Rem totam exemplo & experientia reddemus evidentiorem; Ros & pluviæ vernales quæ v. g. in Martio colliguntur, propter ſal aliquod aſtrale, & balſamicum occultum in iisdem delitescens, ad plures annos ſine corruptione perdurant; cum è contra ros aut pluviæ autumnales, quantocyus ſatorem & putredinem concipiant. Hinc eſt quod aliqui Philoſophi & Medici, ut mox ante innuimus ver anni juventutem, autumnum anni ſenectutem appellitant, eo quod tempore vernali omnes ægritudines veluti in juventute mitiores, tutiores & faciliores ſint curationis.

Non tamen credendum & fatendum eſt, hactenus dicta cunctis terræ habitationibus, eodem tempore evenire; nam ut ſupra innuimus, cum hominibus zonam temperatam ſeptentrionalem inhabitantibus ver accidit, ſole perluſtrante ſigna Arietis, Tauri & Geminorum, aliis è contra vel æſtas it, vel hiems, vel etiam tempeſtas alia autumno non diſſimilis. Neque prætereà indiſcriminatim ver omnibus ſaluberrimum evenit, cum in Ægypto menſe Majo, vel ineunte Junio, epidemica quædam ægritudine incolis illos affici contingat, quæ non niſi *gutta* ut vocant, decidente, paulo ante Nili inundationem evadere datum eſt.

Etenim quæ Hippocrates protulit, non ſunt adeo catholica & immutabilia, ut alicubi ſaltem non fallant, quippe is ea, quæ vidit, ac plures obſervavit, ſumma qua decuit ingenuitate, litteris mandavit, ac poſteris in uſum hominum conſideranda tradidit, quæ aut locorum varietate, aut temporum differentia, non mirum ſi varient. Conſtat enim diverſis omnino dogmatibus tractari Medicinam, apud Ægyptios, Chinenſes, Japponenſes, Tartaros, Americanos, quæ monumentis Hippocratis parum vel nullatenus cohærent, cum & his alii morbi aliæque tempeſtates accidant, & alia quoque alimentorum ac Medicamentorum genera ſint in uſu. Nobis autem ple-

rum-

ſimque congruunt, quia in pluribus, cum Græcis aliqua ſaltem differentia excepta convenimus, & quæ his accidere Hippocrates expertus eſt, plane cæteris Europæis, nulla vel modica varietate, in ſingulis anni tempeſtatibus, ſerius modicum aut citius contingunt. At vero reliquis Terræ habitatoribus, ſive Antæcis ſive Antipodibus non item, ſicuti nec aliis hinc procul diſſitis, aut ſoli, aut ventorum, aut ciborum & potuum varietate, vel propter vitæ genus varium, differentemque ab incunabulis conſuetudinem.

Dices 1. Hippocrates *Lib. de aere locis & aquis* ait ſolſtitia eſſe periculoſiora æquinoctiis, ergo æſtas & hyems erunt periculoſiores autumno, quia in illis fiunt ſolſtitia, ergo etiam morbi erunt periculoſiores ℞. Solſtitia & ſub iis actu contingentes morbi & mala ſunt periculoſiora quoad excedentes qualitates caloris & frigoris concedo, quoad alias pravas, occultas in autumno obvenientes qualitates, nego.

Inſtabis: In æſtate morbi ſemper fiunt acutiores quam in autumno, ergo nulla ſolutio ℞. Fiunt acutiores morbi ratione brevitatis, tranſeat, ratione pravorum ſymptomatum nego, Vel ſic diſtinguo, in æſtate morbi benigni ſunt acutiores quam in autumno, tranſeat, maligni & pravi nego.

Urgebis Autumnus parum aut nihil diſtat à vere, quia etiam in vere eſt inæqualitas frigoris & caloris ergo tanta mala autumno non ſunt attribuenda ℞. 1. Autumnus & ver parum diſtant in qualitatibus manifeſtis, tranſeat, in occultis nego. ℞. 2 Negando abſolute ea non diſtare, ver enim eſt calidum & humidum autumnus frigidus & ſiccus, Præterea multum differunt in eo, quod ver hyemem ſequatur, autumnus vero ſequitur æſtatem, tranſitus autem à frigore ad calorem laudabilior eſt, quam tranſitus caloris in frigus, ille vivificat, hoc perimit & occidit.

Inſtabis Denuo Hippocrates ait 6. Epidem. 7. ver tabidis eſſe lethale ergo idem fit in vere quod in autumno, qui tabidis eſt malus, ut dicitur ſequenti Aphoriſmo ℞. Hippocratem intelligendum eſſe de principio veris, non de medio & fine, quod in multis ver in principio hyemem adhuc æmuletur

Dices 2. Hippocrates 2. Aphoriſm. 25. ait, æſtivæ quartanæ breves, autumnales longæ, ergo morbi autumnales non ſunt acutiſ-

ſimu id eſt breviſſimi. ℞. Hippocratem ibi addidiſſe ut *plurimum ſeu magna ex parte*, ergo non ſemper.

Dices 3. Ver eſt calidum & humidum ergo non temperatum, quod eſt contra Hippocratem. ℞. Diſtinguo, eſt calidum & humidum exceſſive nego, temperate concedo, ergo & temperatum. Calidum autem & humidum exceſſivum haud dubie eſt peſſimum, quia in illis putredo & corruptio conſiſtit.

Inſtabis: in vere juxta Aphor. 20 hujus ſectionis tot & tanti morbi fiunt, ergo ver non erit ſaluberrimum, imo morbiferum ut autumnus. ℞. Ver dicitur ſaluberrimum comparative ad alia tempora, interea tamen negari non poteſt in eo morbos generari, licet non tam exitiales quam in autumno.

Quares obiter, ſi ver ſit ſaluberrimum cur ergo in vere mittatur ſanguis? ℞. Cum Galeno Comment. 14 Sect. 1 ubi ait, hoc ex uſu & ratione, obſervatione hominum, & præcautione majorum malorum eveniſſe.

Dices: Tandem vel hic Aphoriſmus eſt falſus, vel præcedens: quia in præcedenti dixit, in conſtantibus anni temporibus fieri morbos facilis judicii. in hoc dicit contrarium, nempe quod in autumno in univerſum ſint morbi difficilis judicii, nempe periculoſiſſimi, ergo non fiunt conſtantes & facilis judicii, ergo male. ℞. Hippocratem comparare in hoc Aphoriſmo autumnum cum aliis anni temporibus, & ſic ſumptus, generat morbos periculoſiſſimos. In præcedenti autem Aphoriſmo, comparavit autumnum cum autumno, nempe conſtantem cum conſtanti, ergo ſibi non contradixit.

Aphoriſmus X.

Autumnus tabidis malus.

Contentum ſeu Intentio.

De Fatalitate Tabidorum ex tempore anni.

Connexio: Exitioſum ægrotantibus dixit autumnum præcedenti aphoriſmo Hippocrates, quod nimirum exitiales generet morbos,

bos nunc ſpecialius aſſerit, etiam tabidis eſſe exitialem & funeſtum, ut non tantum acutos, ſed etiam chronicos morbos complectatur, & in exemplum adducat.

Hic Aphoriſmus ob ſummam brevitatem, diviſionem non habet. Indefinite autem Hippocrates in hoc Aphoriſmo *Tabidos* nominat, non diſtinguens, qua marcoris ſpecie affectos velit: Quo circa Galenus ipſe in Commentario hæc habet. *Virum vero illos ſolum nominet Tabidos, quibus pulmo eſt exulceratus, vel omnes quomodocunque extrema confectos macie non poſſumus conjectare.* Verum tamen τοὺς φθίνοντας, qua voce utitur Hippocrates, magis proprie ſignificare videtur eos, qui ex affecto Pulmone maciem incurrunt.

Plura autem tabis genera memorat idem *Hippocrates 2. de morbis & Lib. de internis affectionibus. Vna eſt ſenilis* in qua abſque ullo pulmonis ulcere ejiciuntur purulenta, ſeu potius compacta, & phlegmatica excrementa, ſimilia puri. *Altera* dicitur *Dorſalis*, in qua juxta dorſum & ſpinam ſentiuntur quædam titillationes, veluti decurrentes formicæ. de alia huic congenere, eruditum libellum edidit *Franciſcus Gliſſonius de Rachitide* inſcriptum. *Tertia* appellatur Pulmoniaca quæ ex ulcere Pulmonis oritur, & primum ſanguinis, mox puris excretione ægros perimit: *Alia* rurſum Tabes ab aliis referuntur, nempe ab affectis atque obſtructis viſceribus potiſſimum vero a menſtruis & hæmorrhoidibus detentis; ſic Hippocrates mulierem tabidam, a menſtruis detentis, frequenti venæſectione, præter omnium ſpem, priſtinæ ſanitati reſtituit: oritur autem ordinarie tabes à retentis menſtruis aut hæmorrhoidibus, quando nimirum ſanguis retentus, redditur acrior, & ſic ineptus, à partibus non attrahitur, multominus iisdem apponitur, & ſic deficiunt & contabeſcunt. Idem etiam poteſt facere materia podagrica in corpore & ſanguine retenta, partes pnevmonicas erodente aut conſumente. *Celſus* Lib. 3. Capite 22. pleraque Hippocratis dogmata ſectatus, tam Atrophiam quam cachexiam, præter phtiſin, nec non *alii* colliquationem & Maraſmum, tum torridum tum frigidum dictam, ad Tabem tamquam ad genus retulerunt. Ex his autem peſſima procul dubio reputatur, quæ exulceratum pulmonem ac ſputum purulentum ſequitur, de qua idem Hippocrates *in coacis* prænotionibus: Item 5. Aph. 11. 12. 14. & Celſus Lib. 2. Cap. 8. abunde loquitur.

Neque

Neque vero ſolum his tabeſcentibus, nocuus eſt autumnus, ſed etiam emaciatis quibuscunque. Plures enim experti ſumus à diabete, ab ulcere renum, ab obſtructione inveterata, à doloribus coxendicis, ab immodico hæmorrhoidum profluvio, ſimilique ægritudine diuturna, extenuatos autumno interiiſſe.

Neque etiam ſolum Tabidis autumnus lethalis, ſed & Hydropicis, Aſtmaticis, & aliis morbis chronicis.

Neque tandem ſolum autumnus Tabidis noxius ſed & ver (præſertim in ejus principio) ut teſtatur Hippocrates 6. Epidem Sect 7. *Tabeſcentibus*, inquit, *autumnus malus*, *malum item ver*, *cum ficſolia cornicis pedibus ſimilia fuerint* quando nimirum ſub veris tempore, algorem ſpirat Favonius vel inæqualitatem refert, atque viciſſim modo calore, modo frigore, aut vario ventorum afflatu aer inficitur.

Cur autem autumnus Tabidis malus ſit? Galenus in Comment. rationem dat, quia ſiccus frigidus & ſimul inæqualis eſt. At ſibi ipſi & Hippocrati contradicere videtur ex 2. Aph. 34. ubi dicitur *in morbis minus periclitantur*, *quorum natura & ætati aut conſuetudini*, *aut anni tempori magis congruus morbus*, *calidæ enim naturæ* (ſubdit ibidem Galenus) *& ætati & conſuetudini & tempori & anni conſtitutioni*, *ac Regioni*, *morbi calidiores ſunt congruentes frigidioribus vero frigidiores*, *eadem ratione & ſiccioribus ſicciores*, *& humidioribus humidiores*. Sequeretur etiam, & ob urentem ſiccitatem, quod tabidi periclitarentur æſtate, atque ob ſiccitatem ſimul & algorem, magis adhuc hyeme: Atqui ſiccus aer Pulmonis ulceri magnopere prodeſſe conſuevit, ad ſaniem abſtergendam, exiccandam, & ulcus conſolidandum, ut patet ex Galeno 5. Meth. Cap 12. qui proptereà Tabierum aerem, pulmonis exulcerationibus conferentem ſcribit, imo Hippocrates ipſe phtiſicos ad Tabies ablegavit, quod ibidem ſiccior aer haberetur.

Noſtro ergo judicio potius Tabidis nocuus videtur autumnus, quià aerem ſua inæqualitate perturbans, atque heterogeneis, fixis, & ſalſis halitibus inficiens, lympham intemperatam & acriorem reddens, in cauſa eſt, ut ſanguis & lympha per pulmones trajecta, atque cum eodem aere commixta, magis magiſque indebita fermentatione exagitetur & diſſolvatur. Conſtat etenim ſanguinem tabidis fluidum dilutumque nimis fieri, atque muriatica quadam acritudine

tudine diſſolutum, ineptum evadere partium nutritioni: Cum autem ambientis aëris inæqualitate, is gravius afficitur, atque tot viciſſitudinibus perturbatur, non tantum ipſum pulmonem, ſed & reliqua alia viſcera acrius moleſtat, adaucta non minimum præconcepta acredine ac diſſolutione. Atqui hæc longe graviora fiunt in Tabidis ex pure & ulcere pulmonis, cum inquinatus & commotus tam repente aer, proximius partem ipſam affectam, pervadens, ulcus, pus & circumeuntem ſanguinem inficiat, unde majora procul dubio mala exſpectanda ſunt. Per idem quoque tempus deſtillationes vagantur, a compreſſo & gravato aere, perſpirationem interturbante, & quodam modo coarctante glandulas, atque aquoſos liquores per illas excurrentes, unde Catharri, tuſſes, gravedines. Sudor quippe per æſtatem ubertimus, omnino, vel magna ex parte ſupprimitur in autumno, unde hos aliosque graviores morbos parere ſolet: proinde ſi hæc nocent ſanis, quam acerbius oberunt tabefactis, quibus revera pernicioſiſſimæ ſunt iſtiusmodi alternationes, atque cujusvis generis viciſſitudines, ſanguine & carnibus conſumptis.

Dices 1. Autumnus eſt ſiccus, ſed ut diximus, ſiccitas prodeſt ulceribus, ut etiam teſtatus eſt Gal & Hippoc. Ergo non eſt nocuus. ℞. Autumnus eſt ſiccus tantum, nego, ſiccus & frigidus concedo; magis autem nocet ratione frigoris & viciſſitudinarius caloribus.

Dices 2. Autumnus multis prodeſt & multi ſaniores ſunt in autumno, ergo non nocet. ℞. Tranſeat totum quia nihil probat. vel diſtinguo, Autumnus prodeſt calidis & humidis ſeu ſanguineis concedo, Tabidis nego.

Dices 3. Æſtas videtur hecticis magis officere quam autumnus ℞. Pure hecticis tranſeat, hecticis & phtiſicis ulceratis ſimul nego.

Dices 4. Multi ſunt qui ob immodicam diſſlationem a motu exceſſivo in æſtate ſive corporis ſive animi cadunt in atrophiam & tabem, qui tamen accedente autumno reficiuntur, quia pori occluduntur, & diſſlatio impeditur, ergo autumnus non eſt noxius. ℞. Tales non eſſe Tabidos confirmatos, de quibus Hippocrates loquitur. deinde per ſolum autumnum non curantur, ſed per victum analepticum, Balnea dulcia & ſimilia: Ergo hæc objectio nihil probat.

Dices 5. Hippocrates ſibi contradicere videtur, nam *I. Epid. Sect. I.* ſcribit: tabidos citius mori, quibus natura ad tale malum prompta, & incli-

inclinata eſt, cum tamen videatur major receſſus, à ſtatu naturali, in iis tabidis, qui ad Tabem a natura inclinati non ſunt, adeoq; ii potius moriuntur: ſicuti tam periculoſi non ſunt morbi, qui naturæ ægrotum magis conveniunt, ut dictum eſt *2. Aph. 34. ii in morbis minus periclitantur quorum naturæ, ætati &c. morbus magis* congruit. ℞. Quando Hippocrates præcitatis locis dicit, Tabidos citius mori, quibus à natura tale malum eſt, intelligendus eſt de Tabe habituali, qualitas autem habitualis dicitur naturalis ſeu radicata quia producitur ab ipſa forma per habitum, hæc qualitas ergo non eſt naturæ debilitatæ, amplius proportionata, und magis & citius lædit: Et ſic non videtur ſibi contradicere Hippocrates.

Inſtabis: Promptum eſſe ad tale malum, non eſt eſſe talem habitualiter ergo nulla ſolutio. ℞. Actus non tollit potentiam, nec promptitudo actualis, tollit actum tabis habitualis, ergo promptum eſſe, poteſt eſſe tale, habitualiter actu.

Aphoriſmus XI.

Inter anni tempora (ſeu partes) ſi hyems ſicca & Aquilonia; Ver autem pluvioſum & auſtrale fuerit, æſtate neceſſe eſt, febres acutas fieri, & lippitudines (ſeu ophtalmias) & dyſenterias (ſeu inteſtinorum difficultates) mulieribus præſertim, & viris natura humidioribus.

Contentum ſeu Intentio.

De Hyeme aquilonia, & vere Auſtrino.

Connexio: Cum hactenus variis in locis, præſertim autem in primo hujus ſectionis Aphoriſmo, multa, de temporum mutationibus, quaſi in univerſum diſputaſſet Hippocrates, & affectus ex iisdem provenientes recenſuiſſet. Nunc in hoc aphoriſmo, de mutatione agit in particulari, plurium temporum, quatenus ſibi invicem ſuccedentes, varios morbos gignunt, id eſt, pergit ſpeciatim enarrare effectus hyemis degenerantis, juſto ſcilicet ſiccioris & aquiloniæ, & veris pluvioſi & auſtrini, quod nempe poſita hac viciſſitudine, & alteratione, in Æſtate febres acutæ, lippitudines, dyſenteriæ exſpectandæ ſint;

Google

ſint; nam talis viciſſitudo, facta prius pororum coarctatione, & hinc humorum ad fermentationem majori diſpoſitione humiditatumque congregatione, oculi & inteſtina potiſſimum læduntur, morbique acuti, biliosi, inflammationes, & alii ſiniſtri effectus conſequuntur.

Hic Aphoriſmus unicam continet concluſionem, & ſic diviſionem non admittit.

Hanc ſententiam Hippocratis, Celſus *Lib. 2. Cap. 1.* paucis immutatis verbis ſic vertit: *Si hyems ſicca, ſeptentrionales ventos habuit; ver autem Auſtros, & pluvias exhibet, fere ſubeunt lippitudines, tormina, febres, maximeque in mollioribus corporibus, præcipue in mulieribus.*

Hanc aphoriſticam ſententiam Hippocrates ipſe *in Libro de aere, aquis & locis* (unde mihi deſumpta eſſe videtur) longe clariorem, una cum ejuſdem ratione tranſcripſit, unde ex utriuſque loci contextu, mentem Hippocratis, facile aſſequemur. *Siquidem hyems ſicca* (inquit) *& aquilonia fuerit, ver autem pluvioſum & auſtrale, neceſſe eſt, æſtate febres & lippitudines fieri.* Et mox citato loco addit: *Cum enim æſtas derepente accedat, dum terra adhuc humida eſt à vernis imbribus & auſtris, neceſſe eſt æſtum duplicatum eſſe, & à terra irrigua ac calida, & à ſole urente, cum ventres in hominibus nondum conſtricti ſint, neque cerebrum reſiccatum. Non enim fieri poteſt, cum ver tale exiſtat, ut corpus & caro, non humore fluida fiant, adeo ut febres acutiſſimæ in omnes irruant, maxime autem in pituitoſos. At dyſenterias par eſt fieri, & mulieribus, & viris humidioribus. Et ſi circa canis exortum accedat, aqua ac tempeſtas & Eteſiæ ſpiraverint, ſpes eſt ceſſaturos, & ut autumnus ſalubris fiat; ſin minus periculum eſt ne & pueri, & mulieres moriantur, minime vero ſenes, & ne, qui ſuperſtites evadunt, in quartanas deſinant, & ex quartanis in hydropes.* Hæc Hippocrates citato loco.

At vero quamvis ſententia hæc uberius explicata videatur, non tamen omnino difficultatibus vacat. Et quidem *Primo* dubitare contingit, cur Hippocrates hyemem voluerit conſiderandam, in morbis eventuris in æſtate. Si enim morbos acutos æſtate contingentes, non aliunde deduxit, niſi ab humida terra, ob imbres, & ventos Auſtrinos, in vere, procul dubio ſatis erat, notaſſe vernum tempus pluvioſum, & auſtrale, nulla mentione facta, hyemis ſiccæ, & aquiloniæ. Verum quia ex ſicca & aquilonia conſtitutione hyemali, terra aridior effecta, vernis imbribus magis & largius humeſcit,

neque ſolum ſuperficie tenus, ſed altius in hiatibus, & voraginibus pluvias excipit, propterea fit, ut per æſtatem vapores inde elevati aeremmaneant & coinquinent, unde poſtmodum morbi acuti, febres, ophthalmiæ, & dyſenteriæ quod enim toti corpori eſt febris, id oculis eſt (ut Ariſtoteles) lippitudo ſeu ophthalmia, addo ego, & inteſtinis dyſenteria, una omnium communis cauſa nempe fervens, acris, ſalſa & mordax materia. Cur præterea Hippocrates dixerit, *neceſſe eſſe æſtate febres acutas fieri?* Forte quia inevitabiles, quippe quod neceſſarium dicitur inevitabile quoque eſt. Sed revera, non adeo futura certo eſt, eiuſmodi acutorum morborum conſtitutio, ut penitus vitari non poſſit, cum & inſalubritas illa aeris, correctionem arte vel natura admittat, arte quidem locus facile alterari poteſt, natura vero, ſi victus ratio mutetur, & corpori exſiccantibus proſpiciatur. Neque audiendus Galenus, aſſerens, id pronuntiatum ab Hippocrate, velut ex natura rei perſuaſo, & non ex obſervatione, nam nulla convincens ratio apparet, qua cogat iſthæc omnino eventura. Sed & contrarium docet experientia noſtra propria, ab hiberna tempeſtate ſicca, & ſuccedente vere pluvioſo, nullas per æſtatem extitiſſe ægritudines acutas, ſed, quas ante retulimus, medio tere autumno, etſi huius initium fuerit æſtuoſiſſimum. neque vero Hippocrates quod ſcripſit ex ſi his eiuſcemodi (ut Galenus) argumentis colligere unquam auſus eſt, ſed potius ex ſteratis & actatis obſervationibus, quas fortaſſe etiam alias, a vetuſtioribus habitis comparavit. His ergo ſolum fiſus, omiſſis fallacibus argumentis, ex neceſſitate dixit, hic morbi tam futuram æſtatem, cum naturæ effectus plerumque conformes eſſe ſoleant, ubi eadem ad illos gignendos concurrunt. Verum quemadmodum a ventis Eteſiis & ab imbribus, circa canis exortum ſupervenientibus, ſpes eſt ceſſationis, ut ipſe ſubdit, ita poterit eiuſmodi conſtitutio, aliis quoque de cauſis, vel infringi vel aboleri. Ne quis vero obiiciat, Hippocratem (aſſerendo, *ceſſare hos morbos, non ſolum ſi ſpiraverint Eteſiæ, ſed ſi pluat in æſtate*) commiſiſſe terminorum repugnantiam, ſiquidem humida conſtitutio a pluvia non videatur corrigi, quin potius augeri poſſe. Verum facilis ad hoc datur reſponſio, Hippocratem hic locutum fuiſſe, de pluvia moderata, & æſtati connaturali & tempeſtiva, non vero de longa, intemperata & intempeſtiva permanentem conſtitutionem, tempeſtiva & naturalis initium facit ad curationes, & non productiones

nes morborum, non ſecus ac patrius aer, cui multum paſſim tributum in curandis deploratis morbis.

Cur inſuper Hippocrates dixerit, *à terra irrigua & à vernis imbribus, duplicatum æſtum fieri*, cum potius (ut multi docent) imbres & terra humectata, calorem & æſtum temperare debeant, ex doctrina Ariſtotelis & Galeni, qui volunt humidum, actione ſaltem indirecta, igni & calori obſiſtere. Galenus pro more ſuo confugit ad putredinem, *habiles enim* (is inquit) *ſunt humiditates modum excedentes, ad putreſcendum*: Sed nimis inaniter, unde enim inquinari poteſt aer, non incaleſcere, Potius ergo a vaporibus in aere confertionibus æſtas geminatur. Etenim cum aer craſſior & denſior ſit, radii ſolis ad terram trajecti, ex regulis dioptricæ (dioptra eſt inſtrumentum quo res quævis depuratur & decantatur) magis intenduntur & impenſius nos feriunt, quin & incidentes in madidam tellurem reſiliunt, iterumque deducuntur in aere, unde tot, tantisque ſolaribus radiis, veluti ſpiculis, non tantum aer ipſe exæſtuat, ſed & animantia cuncta, urenti ardore, moleſte admodum laceſſita, graves & ardentes ſubeunt ægritudines, ut ſæpe in tabiem agantur, in iis præſertim Regionibus, quæ ſuapte natura, calidiores eſſe ſolent. Hinc autem contingit, ut ex aere vaporibus confertiori æſtum moleſtiſſimum patiamur, atque ab apparentibus, per ipſum ſtaminibus, veluti in aranearum telis, futuros imbres congerere ſoleamus, quos præſentientes quoque anſeres, & anates, impenſius obſtrepunt, & præter modum volitant, Muſcæ vero ſolito infenſiores fiunt, unde & ab his futurum imbrem Meteorologici præſagiunt. Eadem de cauſa, loca quæcunque fluminibus, aut lignis, circumvallata, aut prope paluſtres aquas extructa, æſtatem patiuntur æſtuoſiſſimam, ab aeris craſſitudine, quæ non niſi a vaporibus, cum illo plurimum intermiſſis exoritur. Cur etiam ultro Hippocrates ſubjunxerit, *febres acutiſſimas exoriri ab Auſtro & imbribus quibus carnes molles, & humores fluidi & aquoſi fiunt, imo corpora potiſſimum pituitoſa ac mulieres, & viros humidiores aſſici doceat*: Febres ſiquidem acutiſſimæ, hic præſagitæ potius Picrocholos, & biliosos, quam homines pituitoſos corripiunt: Pituitoſi namque ſucci, diuturnas & ſpurias febres patiunt, ex Galeno *1. Epidem. & 2 de febr. differentiis*. Verum hæc difficultas ſicuti Galeni doctrinam vulnerat, ita Hippocratis dogmatibus ſuffragatur:

Hic enim, nec ab humoribus, febrium periodos deduxit, nec ab iiſdem putreſcentibus, febres pendere arbitratus eſt, ſed ſolum à motu ſanguinis perturbato, vel ab ejuſdem recrementis vitiatis, atque in acidum, ſalſum, amarum, aliumve degeneratis, quemadmodum expreſſe docet, *Libro de veteri Medicina*, ubi *non propter calidum ſimpliciter, homines febricitare, neque hoc eſſe febrium cauſam, inquit, ſed amarum, acidum, ſalſum aliaque innumera.* A commotis autem, & turbatis humoribus, febres cæteroſque morbos acutos proficiſci, ſæpius repetit *Lib. 4. de morbis.* Neque vero, acutas febres, hic fieri dixit, ab humoribus putrioſis, ut putat Galenus, ſed futuras febres, aliaſque ægritudines acutas, ex temporum inæqualitate, aliaſque magis fœminas & humidiores viros afficere, deſumpta fortaſſis ratione, vel a majori horum corporum impuritate, vel ob minorem hujuſcemodi cauſis alterantibus repugnantiam. Sunt etenim in his carnes molliores, laxior cutis, & ſanguis ipſe hebetior, unde facilius alterationibus ſubjiciuntur. Auſter enim pluvioſus & mollis, aquiloni frigido, & rigido immediate ſuccedens, ſubitanea contrariarum qualitatum introductione, & corpus debilitat, & plurimis excrementitiis humoribus infarcit, qui cum obſtante Auſtri ambientis inclementia & naturæ debilitate, impotentia, per ſudorem vel inſenſibilem tranſpirationem reſolvi nequeunt, à ſuccedente æſtivo calore funduntur, unde *febres* prodeunt; particulæ enim inſenſibilis effluvii, ſumme ſpirituoſæ, agiles & activæ, in maſſa ſanguinea, præternaturaliter accumulatæ, ſanguinem attenuare, volatilizare, impellere, & ad concipiendum impetum & incendium diſponere ſolent, maxime ſi ab æſtivo calore fiant impetuoſæ, vel etiam quando in loco aliquo collectæ fermentantur, & mox effervescendo citatiorem motum acquirunt & febres excitant. Sunt autem plerumque *febres acutæ*, quia fiunt æſtate, à particulis turgeſcentibus, & à calore extraneo fundente. *Ophtalmiæ ſeu lippitudines* autem fiunt, quia cum palam conſtet, oculos ob laccitoſam illorum ſubſtantiam, ſenſum habere acutiſſimum, qui hyemali tempore, dentatas ex nitro, aeris particulas in adnata ejus tunica reſtagnantes & in ejuſdem arteriolis incraſſeſcentes ſupportare nequit aquilonico ergo frigore, debilitati oculi, humiditatem per Auſtrum collectam, ſole æſtivo liquefactam, facile ſuſcipiunt, & ophtalmias pro-

procreant: Nec obſtat, mens *Majoli* afferentis lacertoſum (id eſt ex meris muſculis, nervis, & membranis conſtantem) viſum, obrutu ſolis non mediocriter acui, & certum eſſe, oculum delectari calore, & offendi frigore cum ille magis virtutem oculi quem igneæ naturæ, ſiderum cœleſtium æmulæ dixit, & non naturam, & compagem ipſam oculi expreſſerit. *Dyſenteria* pariter fiunt, quando particulæ heterogenea, humidioris Auſtri intemperie accumulatæ, æſtivi ſolis calore fuſæ, vel extrinſece tantum ſanguini cohærent, vel eidem radicaliter, & intrinſece ſunt unitæ, & incoctæ. Simili modo, line febrili exagitatione ad inteſtina prævio Aquilone debilitata, auſtrina conſtitutione laxata facile feruntur, ibique propter contractam, tum ſtagnatione tum caloris æſtivi uſtione acrimoniam, dyſenteriam producunt, præſertim in mulieribus & viris humidioribus tanquam præ cæteris excrementoſioribus & alium nactis lubriciorem

Poſtremo quare Hippocrates *ſpirantibus Eteſiis* ſpem facit *ceſſationis mala tempeſtatis æſtivæ*, cauſa in promptu eſt, quoniam *Eteſiæ* venti ſunt ſalutares, & ſpirare ſolent, quotannis ab exortu Caniculæ, quem & alii præcedunt Prodromi dicti, quaſi Præcurſores Inter cætera autem commoda illud videtur præcipuum, quod ſerenitatem afferant, & aerem ab inquinamentis repurgent participant enim Boream & nitroſam conditionem, valentem ſuperfluitates humorum ab obeſis, & muliebribus corporibus abſumere atque emendare.

Verum tamen his aliiſque ingruentibus ex hac tempeſtate morbis, expedier obſiſtere, recto & convenienti uſu ciborum attenuantium, parco potu, exercitiis ad ſudorem uſque promotis, & medicamentis, tum caput tum ventriculum roborantibus

Dices 1. Hyemis ſiccitatem corrigit ver humidum, ergo non nocet, ut intendit Aphoriſmus ȝ. Hyemis ſiccitatem corrigit ver humidum, exiguo tempore durans concedo diutius nego. Sic enim corpus ad contrariam conſtitutionem deducit & debilitat.

Dices 2. Febris acuta cholerica pleriſmque fit poſt ſiccitates, ergo non fit poſt veris pluvias ut dicit Aphoriſmus ȝ. Febres acutas eſſe duplices ſimplices & complicatas priores uti eſt ſynochus ſimplex biliosa maxime fuit à ſiccitatibus, poſteriores, uti eſt ſynochus putri-

putrida cum vel ſine malignitate, & hæ fiunt à calido & humido excedente, de quibus ultimis Aphoriſmus loquitur.

Dices 3. Oculi ſunt natura humidi, Inteſtina vero ſicca ergo ab eadem cauſa non lædentur ℞. Licet inteſtina velut partes continentes ſint ſicca, illorum tamen contenta ſunt humida, quæ inteſtinis communicantur, maxime quando diutius, in iiſdem detinentur, & acriora facta, corrodunt.

Dices 4. Galenus *in Commentario* dicit, pueros & mulieres affici quartana, prævis prædictis hyemis & veris tempeſtatibus, cum tamen hi morbi à ſucco melancholico fiant, pueri autem, & mulieres, utpote humidiores, tali ſucco non abundant. ℞. Hanc commentationem Galeni non eſſe attendendam quia certe nullius fundamenti & rationis, ita mecum ſentiunt plures Autores.

Aphoriſmus XII.

Si vero hyems auſtralis & pluvioſa (alii habent & clemens alii & ſerena) fuerit: Ver autem ſiccum & Aquilonium, mulieres quibus partus in ver incidit, quavis occaſione abortiunt, quæ vero pepererint, imbecilles & morboſos infantes edunt, ita ut vel ſtatim intereant, vel tenues & valetudinarii vivant: Cæteris vero mortalibus dyſenteria & ophtalmia ſicca fiunt, & ſenibus catharri perniciem brevi allaturi.

Contentum ſeu Intentio.

De Hyemis, & Veris commutata temperie.

Connexio. Cum in præcedenti Aphoriſmo, Hippocrates hyemis ſiccæ & Aquilonæ, veris autem auſtrini & pluvioſi effectus, morbos nempe æſtivos adduxiſſet: nunc in hoc Aphoriſmo, contrariam conſtitutionem, nimirum hyemis Auſtrinæ & pluvioſæ veris autem aquilo-

aquilonii & ſicci producit, ſimulque eos, qui in iis accidunt morbos enumerat.

Cum autem hic Aphoriſmus licet amplior unicam tantum concluſionem habeat, qui nempe morbi ſub his temporibus contingant, nullam diviſionem patitur, ſed uniformis manet.

Hic etiam Aphoriſmus ſicut præcedens eſt deſumptus ex libro *de aëre aquis, & locis*, ubi fuſiori ſermone eundem, ejusque conſtitutionem deſcribit, & morbos ſubinde futuros, cum ſuis cauſis per extenſum enarrat. Sic autem à Cornario & Cardano exponitur. *Si vero hyems auſtralis fiat, & pluvioſa & clemens* (Cardano ex veteri verſione *tranquilla*, clarius forſitan *placida*) *ver autem boreale, & ſiccum & tempeſtuoſum, primum quidem mulieres, quæ uterum geſtant, & partus ipſis ad ver inſtat, abortum facturas eſſe veriſimile eſt. quæ vero etiam pepererint, impotentes ac morboſos pueros parere, ita ut aut ſtatim pereant, aut tenues, aut debiles, ac morboſi vivant. atque hæc quidem mulieribus, reliquis vero dyſenterias & lippitudines ſiccas, & aliquibus defluxiones à capite in pulmonem. Pituitoſis igitur dyſenterias fieri veriſimile eſt, & mulieribus pituita de cerebro defluente, propter naturæ humiditatem. Bilioſis vero lippitudines ſiccas, propter carnis caliditatem ac ſiccitatem. Valde autem ſenibus defluxiones, propter raritatem ac eliquationem venarum, adeo ut aliqui quidem derepente pereant, aliqui vero ſemi ſyderati, aut dextra aut ſiniſtra parte fiant. Cum enim hyems ſit auſtralis & pluvioſa ac calida, & corpus non adſtringatur, neque venæ; Vere accedente boreali, & ſicca ac frigido, cerebrum poſtquam ipſum diſſolvi ac purgari contigit à gravedine, ac raucedine, tunc ſimul cum vere ſtabilitur ac conſtringitur; quare repente æſtate accedente & ardore, ac mutatione contingente, hi morbi incidunt, & inteſtinorum ſanitates, & aqua intercus, ſive reliquis morbis deſinentibus, ſupervenient, cum non queant facile ventriculi, à concepta humiditate exiccari.* Cum ergo in *Libro de aere aquis & locis*, unde hic Aphoriſmus transſcriptus eſt, expreſſe refertur, *hyems auſtralis, pluvioſa, & clemens* ſeu *placida*, non videtur expungenda vox hæc ἤπιος, licet minus apte à Leoniceno *Serena* exponatur; unde factum eſt, ut pleriq; non tantum illam omiſerint, ſed acriter in eos interpretes ſint invecti, qui retinendam illam omnino voluerunt. quinimo Cardanus ad confuſionem omnium inquit, id pertinere, quamquam poſtea putet in libro *de aere aquis & locis*, utrumque,

 tranquil-

tranquillum ſcilicet & *tempeſtuoſum*, velut invicem oppoſita bene convenire in hoc autem aphoriſmo neutrum.

Ut autem res agatur, non ea tanti momenti eſt, ut vel mentem Hippocratis extorqueat, vel ſententiam depravet, vel cauſas morboſi iſtius tempeſtatis adulteret: perinde enim eſt, ſi dictio hæc adjiciatur, aut expungatur, & ſi *clemens, tranquilla, placida*, vel ut aliis placet *tepida*, aut etiam *ſerena* exponatur, modo id teneamus, voluiſſe Hippocratem, hyemem ita conſtitutam, ut a rigida & conſueta ſua conditione, non minimum deflectat. Equidem hyems, ob extremum ſolis receſſum à noſtro vertice, frigorifica eſſe ſolet, at vero, ut morbiferam conſtitutionem hanc afferat, auſtralis ſimul & pluvioſa, atque a conſueto rigore declinans, hic ab Hippocrate expoſtulatur, quo minimum fiat, in vices permutet, cum ſuccedente vere, quod eadem de cauſa, oportere ſiccum & aquilonium eſſe, ipſe animadvertit. Cæterum poſſe hyemem, placidam ſimul & auſtrinam haberi, facetur idem Author *2. Epidem Sect 3* cum inquit: *in Perinthum circa ſolſtitium fere aſtivum venimus, facta autem eſt hyems clemens Cælo auſtrino &c.* Atqui paſſim in Regionibus Siciliæ, ad mare mediterraneum poſitis, experimur hyemes tum placidas, clementes & auſtrinas ſimul, ut vernum tempus teſeciant. *Placida* autem & clemens hyems dicitur, cum algida non eſt: *Auſtrina* vero, quæ auſtralibus plerumque ventis, haud quoquam tamen impetuoſis, & per ſublimiora diſcurrentibus perflatur, ſed & pluvioſa quoque erit, ſi per intervalla, imbres admittat exiguos & fugaces: aliter etiam auſtrinam & tranquillam hyemem ſtudent alii compoſitam explicare, documento Galeni *Lib 3 Epidem. Sect 3. Comment. 1.* Annum tranquillum & auſtrinum, ab Hippocrate ibidem memoratum exponentis, quem videre cuique placent, nobis interim ſuffecerit, hæc breviter, in eruditionem juventutis, & ejuſdem confuſionem avertendam adnotaſſe. Talem igitur exigere videtur hyemem Hippocrates, quæ cutis poros potius laxet, caput vaporibus repleat, & ſanguinem dilutiorem, atque aquoſitatibus imbutum reddat, & univerſum corpus molle, languidum & ſucci plenum officiat, ut proinde adveniente vere, frigorifico & aquilonio, ob compreſſas & denſatas partes, detentis humoribus, & halitibus, fœtus in utero gerentibus, & viſcera interiora, in cæteris hominibus, graviter inficiantur: Neque enim à

ſola

ſola hyeme Auſtrina, ſed à ſuccedente vere aquilonio, prædicit Hippocrates futuros abortus in gravidis, alioſque morbos in viris cum ſcilicet perſpiratio interturbatur, & ſanguis nequit ſufficienter repurgari. Coacervatur enim, per auſtrinam conſtitutionem plurimum, de ſeroſa & lymphatica colluvie, quæ cum ad uterum fertur (fertur autem facillime eo, cum uterus totius corporis cloaca vulgo audiat) lubricando parietes, & ligamenta emolliendo, frequentiſſima fit abortus cauſa: maxime autem, quando aquilonia ut diximus, ſuccedat tempeſtas, quæ penetrante ſuo frigore, partes membranaceas irritando, plurimum cooperatur, atque ſimul infantes ipſos in utero debilitat: ſimilitudine deſumpta à fructibus quo alluſiſſe videtur Poeta.

Quos maturat hyems præcoces fervida fructus,
Inſolito veris frigore ſponte cadunt.

At vero nec iſta tempeſtatum indebita viciſſitudo, ſemper ſufficiens eſt, ut abortum provocet, ſed ſæpius tantum diſponit, ut is, quacunque alia de cauſa, vel interna, vel externa accedente ſubſequatur, quamobrem tunc abortient utero gerentes, cum animi motibus & paſſionibus perturbatæ, aut immodicis exercitationibus commotæ, aut largiori victu & potu uſæ, cumulatis, ex præcedenti temporum viciſſitudine, & dentatas humorum ſuperfluitates, veluti conſopitas excitent & exagitent; unde uterus, ejusque vaſa ut mox diximus laxentur, atque lubriciores viæ reddita deponant, quod intenus eſt reconditum. Hinc in Aphoriſmo adjectum eſt, *ex quacunque occaſione Gravidas abortire*, quæ nimirum commoveat & agitet, excrementa, per hyemem auſtrinam congeſta, atque ab aquilonio vere detenta, ut hæc commota, & agitata, relaxent vaſa uteri, & abortum procurent. Contingit autem potiſſimum fœtum ab his labefactati, quia cum tenerior ſit, facile quaſcunque alterationes ſuſcipit & ſuccumbit.

Quod ſi cauſæ iſtæ externæ deſint, nullamque præbeant utero gerentes, ejuſcemodi perturbationis occaſionem, adeoque ad legitimum pariendi tempus perveniant, fore adhuc, ſubdit Hippocrates, ut ipſæ mulieres partus edant imbecilles & valetudinarios, quippe humores illi antea cumulati, per partum fieri nequit, quin commoveantur, & commoti tenellum fœtum non inficiant & perturbent. ſed & verendum valde, ne per tempora partum præcedentia, ad uterum cum fœtus alimento delati, teneras ejus partes etiam defædaverint

& coinquinaverint circa ſanguinem, unde poſtmodum languor, & mala valetudo, vel etiam interitus ſtatim a partu, cum præſertim aeri, per aquiloniam tempeſtatem algido ſubjiciuntur.

Hæc ergo ſpeciatim de gravidis atque enixis adnotat Hippocrates. Cæteris vero hominibus, dyſenterias & ophtalmias ſiccas, ut explicat in Commentario Galenus, quæ ſunt ſine fluxu, nam cum oculis illachrymantibus humidæ dicuntur. At vero praxis & experientia docet, lippitudines ſeu ophtalmia potius graciles & picrocholos corripere, obeſos vero & humidos inteſtinorum difficultates ſeu dyſenteriæ; quod & idem Hippocrates expoſuit *citat. Libro de aere aquis & locis; pituitoſis igitur difficultate inteſtinorum fieri veriſimile eſt, & mulieribus, pituita de cerebro defluente, propter naturam humidiorem; biliosis autem lippitudines ſiccas, propter carnis caliditatem & ſiccitatem.* Quod autem dyſenteriæ tales oriantur hac tempeſtate, ratio jam ſæpe data, Auſter enim non tantum congregat ſuccos, ſed etiam caloris & acrimoniæ characterem iisdem imprimit. Hi potiſſimum ad inteſtina confluunt, utpote pravio Aquilone debilitata, ibique propter acrimoniam excoriantem facile *dyſenteriam* excitant.

Ophtalmiæ ſiccæ autem ex eo contingunt, quod quidem oculi, ab Aquilone debiliores redditi, ſuſcipiunt illud quod ab Auſtro collectum eſt, ſed effluere non permittunt obſtante aeris algore & rigore atque exinde facta pororum conſtrictione & conſequenter *ophtalmiæ ſiccæ*, denique in hoc Aphoriſmo ait Hippocrates, *ſenibus accidere deſtillationes quæ cito interimunt.* Has autem non ſimplices eſſe, quales ad os & nares feruntur, manifeſte deducitur ex eo, quod hic in textu ſubjicitur, *cito interimere.* Imo clarius explicatur in *ſupra citato Lib. de aëre, aquis & locis ubi propter raritatem & eliquationem venarum*, ejuſmodi defluxiones in ſenibus fieri dicitur, *quibus aliqui repente pereant, & alii ſemiſyderati dextra aut ſiniſtra parte fiant.* Jam ergo, etſi defluxiones & deſtillationes in ſenibus difficulter concoquantur, non tamen repente interimere ſolent aut ſyderationem afferre. Quare putandum ex Aquilonia tempeſtate cerebrum, per hyemem Auſtrinam humoribus aquoſis & craſſis repletum quodammodo comprimi, ejusque ductus atque emiſſaria impediri, quo minus valeat ſeipſum ab hiſce ſuperfluitatibus repurgare, quæ propterea ex vitio per moram & per frigidum aerem contracto, ſi principium

nervo-

nervorum & nervos ipſos occupent, Apoplexiam vel Hemiplexiam afferent, quia ibidem circulatio impeditur. Si vero venas aut vaſa lymphatica ſubeant in abdomine, lævitates inteſtinorum & hy dropes, ſimilesque alios morbos parient, ut ipſemet Hippocrates proſequitur in ſæpe cit. *Lib. de aere aquis & locis*, quin & ſi in fauces aut Pulmones, decumbant, & cordis vaſcula pervadant, anginas, pleuritides (quæ rigidiſſimo & Aquilonari potiſſimum tempore generantur) procurant & cito interimunt.

Hæc autem faciliùs videntur ſenioribus evenire, quippe qui deſtillationibus ſunt obnoxii, & capite ac pectore prælanguidi, ambarum partium ægritudinibus ſæpe numero laborare ſolent. Quamvis vero hæc mala ſenibus accidere dicat Hippocrates, veriſimile tamen eſt etiam prænotata mala juniores arripere; quamobrem rationi conſentaneum videtur, non ſolum pro ætatum diverſitate, ſed etiam pro cujusque varia conſtitutione, & corporis habitudine, vitaque anteacta, diverſimode tum viros, tum fœminas, tum juvenes tum ſenes, tum pingues tum macilentos, ab ejusmodi tempeſtate laboraturos, iis vero præſertim in partibus quæ affectæ & debiles fuerint.

Num autem ægritudines hic ab Hippocrate recenſitæ, ipſo quidem vere, an vero ſuccedente æſtate futuræ ſint, non convenit inter expoſitores. Verum cum in Aphoriſmo dicatur: *quibus partus in ver incidit*, & in *Lib. de aere aquis & locis* ſcriptum ſit, *primum quidem mulieres, quibus partus ad ver inſtat*. certe fateri oportet, abortus, & funeſtos exitus infantum ipſo verno tempore eventuros; ſi enim ſupervixerint, interitus periculum evaſi, atque uſu lactis perpurgati, conceptam in utero malitiam ut deponunt, & ſalubriorem induant conſtitutionem neceſſe eſt; multum enim ad id valet, nec non ad permutandas naturas, ac mores ipſos, proba lactis conditio, ut in libro meo de morbis infantium fuſe oſtendi.

Celſus etiam Libro 2 Capite 1. hanc Hippocratis ſententiam interpretatur, ſic habet. *Si auſtri, pluviaque hyemem occuparunt: ver autem frigidum & ſiccum eſt: gravidæ quidem fœminæ, quibus dum adeſt partus, abortu periclitantur, hæ vero quæ gignunt, imbecilles, vixque vitales edunt.* Quibus plane oſtendit, fœminas ipſo vere parientes periclitari. Cæteri vero morbi, aliis contingentes, pro corporum &

 habi-

habituum varietate, poterunt in ſequentem etiam æſtatem protendi & populariter graſſari. Sed enim tunc potiſſimum morbi inde provenientes obſervabuntur, cum ſuperfluitates humorum detentæ, viſcera opprimunt & inficiunt, iſtæ vero non niſi ex Aquilonio vere detinentur, adeoque tunc morbos parient, cujus tamen vel ſerius pro corporum varietate & humorum ſuperabundantium diſpoſitione. Si autem usque ad æſtatem protraherentur, facile poſſent æſtivo calore attenuari, diſſolvi atque etiam per ſudorem educi.

Quid tandem agendum ſit, ut, quoad fieri poſſit, ejusmodi calamitatibus occurratur, paucis exponam, plura ex praxi arripienda. Et quidem ſi ab inquinamentis & aquoſitatibus detentis, hæc mala imminent, ratio dictitare videtur, illis potiſſimum repurgandis incumbendum, in dicta quoque diæta, quæ valeat ſanguinem puriorem progignere capite ſimul & ventre roboratis. Quamobrem cibi vitentur humectantes, atque obſtruentes, potus retiam gelidarum, ſomnus immoderatus, ipſeque aer aquilonius & frigorificus, & quæcunque poſſint ſanguinem obtundere, effœtare & perſpirationem impedire. Venter in utero gerentibus præterea, aſſiduo foveatur aromatibus, ac ſæpe etiam tunis tunc lumbi ſpiritu vini purissimo, tinctura Kermes, nec non unguento vel emplaſtro comitiſſæ dicto, de cruſta panis montagnanæ aliisque roborentur, carendo ab his quæ vel bene vel male olent, item a trepidatione, ſaltu, ac vehementibus animi pathematibus. Succum Aſtaci contuſi & expreſſi cum vino ſemel aut bis ſingulis menſibus exhibitum ab abortu præcavere ſcribit Hartmannus è Vitriolo Romano ad ſolem in calicis formam redacto, atque pelle arietina acu percuſa incluſo, inſtar zonæ, lumbis geſtato, præcautas ab abortu pleraſque prægnantes vidi, quibus levi quacunque de cauſa is alias accidiſſet: id ipſum haberi à magnete adnotat Helmontius de magnetica vulnerum curatione.

Infantes jam editi, ſi debiles videantur, præter ſotus externos, vegeto lacte ex ſanis nutricibus alantur, & oleo macis perungantur, ſtomacho & ſpina, atque interea detineantur in locis calidis, ut acris inclementiam evitent.

Cæterum in aliis hominibus & morbis proderunt, quæ cumulatos humores educunt, ſudores movent, & ventriculum ac cerebrum

brum roborant, ſervata interea convenienti diæta, pro corporum affectorum diverſitate.

Dices 1. Non videtur hic potior eſſe ratio, cur ejuſmodi fiant in vere, quam in æſtate ut dictum in præcedenti aphoriſmo, ergo præſens hic Aphoriſmus male ſonat. ℞. Morbos anticipare tripliciter 1, cum magna & prava eſt mutatio, ſic ſcripſit *Hippoc 2 Epid. 1. in cranone æſtate humida carbunculos fuiſſe factos.* II. Quando adeſt diſpoſitio corporum, nam debilitas corporis facit, ut citius morbi arripiant, ita hic mulieribus (non exſpectata æſtate) abortus & difficiles partus fiunt, ut teſtatur 1. Epidem 3. *ubi cum hyems multa in vere fieret plurimas mulieres graviter ex partu laboraſſe ſcribit & poſt partum graviter ægrotaſſe.* III. Cauſæ ſunt qualitates temporis non naturales, variæ & peregrinæ atque inconſtantes, omnium vero peſſima eſt calida & humida atque auſtrina conſtitutio, ubi diu perſeverat, cujus exemplum adducit 3 Epidem Sect 3 Iſta enim maxime facit, ad morborum accelerationem, quia corpora magis reddit flaccida, abortui & catharris obnoxia, & humores ad putredinem diſponit, Id quod non fuit in præcedenti aphoriſmo, ubi de hyeme aquilonia & ſicca locutum fuit.

Dices 2. Hyems eo videtur ſalubrior, quanto magis recedit ab extremis & fit temperata, atqui auſtrina magis recedit ab extremis intemperiebus & fit magis temperata, ergo erit ſalubrior & non erit tot morborum productiva ut vult Aphoriſmus. ℞. Negando minorem, nam hyemis auſtrinæ conſtitutio non recedit ab extremis quin imo eſt extrema humiditas, contraria moderatæ ſiccitati, quin imo contraria eſt etiam moderatæ humiditati, ſaltem quoad effectum.

Dices 3. Hyems auſtralis & pluvioſa non poteſt cauſare contrarios effectus, quales ſunt abortus ab humiditatibus & lippitudines à ſiccitatibus provenientes ergo non verificatur aphoriſmus. ℞. Non cauſat contrarios effectus eodem cauſandi modo concedo, diverſo modo nego, lippitudines enim fiunt à frigore & algore veris, humores tenues repercutiente, poros cutis conſtringente, & partem irritante quæ velut debilior facta per hyemem, & privata quodammodo motu ſuo, humoribus aquoſis ſtagnationem impertit, accedentibus humoribus biliofis inflammationem parit, Abortus autem fiunt, tum a debilitate fœtus, tum ab humoribus & per

eoſdem

eoſdem facta mollitie & laxitate ligamentorum uteri, lubricitatem & exitum fœtui parantibus.

Dices 4. Multi Authores ut mox ſupra diximus, habent in hoc Aphoriſmo Si hyems fuerit auſtralis, pluvioſa ſerena pluvioſa autem ſerena ſimul ſtare non poſſunt ſed ſibi contrariantur ℞. 1 Solutionem hujus dubii jam in Themate & textu eſſe datam, omnes has particulas ſtare poſſe, dummodo debite nempe per ly ſerena, tepida græce ἔνδιος intelligatur, comparatione enim facta Auſtri ad Aquilonem ſic enim Auſter cum ſit Aquilone minor, poteſt dici ſerenus id eſt Tepidus

Dices 5. Gal in Comment dicit ſequentia: pituitoſis itaque par eſt difficultates inteſtinorum advenire, bilioſis vero lippitudines, ob carnis ſiccitatem & caliditatem, ergo hi affectus non fient ab hyeme Auſtrali & pluvioſa ℞. Solutio hujus eſt doctam objectione tertia, & clarius adhuc in ipſo textu, ubi modum recenſuimus, quo lippitudines generantur.

Dices 6. Ambiens frigidum condenſat corpora & ſibi vias occludit, ergo non penetrabit ℞. Cum *Gal in Comment.* corpora humida, mollia & laxa ab hyeme facta, ad intimas ſui partes, aeris ambientis frigiditatem facile admittere, & licet frigus conſtipet poros, prius tamen communicatur humoribus, qui frigoris ſunt vehicula ad partes corporis intimas, ſtante præcipue ſanguinis circulatione. Imo ipſa Autopſia docemur & experimur magis penetrare frigus humidum ſeu humiditate conjunctum, quæ eſt ipſius vehiculum, quam frigus ſiccum

Dices 7. Hippocrates citato ſæpius *Lib. de aere, aquis & locis* ait: valde autem ſenibus fiunt deſtillationes, propter raritatem & venarum colliquationem, ita ut ſubito intereant: Atqui ſenibus nulla videtur eſſe raritas, quia compacta & arida ſunt illorum corpora utpote frigida ergo. ℞. Etiam hujus dubii in textu jam datam ſolutionem eſſe. ℞. 2. Hinc non intelligi tenuitatem non ſtricte ſumptam, id eſt pororum raritatem Sed per ly raritas intelligitur partium quædam tenuitas & gracilitas, quam plerique quaſi ſenes habet. per colliquationem venarum præter dicta intelligi poteſt inanitio.

Dices 8. Deſtillationes in ſenibus ſunt diuturnæ, ergo non ſtatim

ſim interimunt, ut dicit Aphoriſmus 32. Et hoc in textu eſſe ſolutum, nempe Hippocratem non intelligere vulgares & minutas deſtillationes quæ ad os & pectus, ſed de iis quæ ad venas colliquant.

Aphoriſmus XIII.

Si vero æſtas ſicca & aquilonia fuerit; autumnus autem pluvioſus & auſtralis, capitis dolores ad hyemem fiunt, & tuſſes & raucedines & gravedines, nonnulli etiam Tabes.

Contentum ſeu Intentio.

De æſtatis & autumni declinationibus.

C*onnexio* A conſtitutionibus, tempeſtatis hyemalis & vernæ, æqualitatem non ſervantium, in præcedentibus Aphoriſmis ſiſe deductis, tranſit Hippocrates in hoc Aphoriſmo ad alias duas, *æſtivam* & *autumnalem*, examinandas, cum ſuas quoque patiuntur alterationes:

Hic Aphoriſmus non dividitur, cum una concluſione comprehendatur.

Primum itaque Hippocrates conſiderat ea, quæ contingunt ex æſtate ſicca & aquilonia, ſuperveniente autumno pluvioſo & auſtrali: mirum autem videtur quod, dum inquirit conſtitutiones æſtatis & autumni, nullam rationem habeat, nec mentionem faciat veris & hyemis, forſan quia exiſtimat, eas ſuas habitudines & temperaturas ſervaſſe, adeoque præcedentes in prioribus Aphoriſmis memoratas viciſſitudines nullatenus ſubiiſſe, ne ſcilicet quis ea ratione putaret ex æſtate ſicca & aquilonia atque autumno pluvioſo & auſtrali, una cum inæqualitatibus, reliquarum duarum tempeſtatum, futuros eſſe morbos, quos hic in hyeme ſuccedente recenſet: Quare ſicut binā ibi, ſic & hic duo ſolum inter ſe comparat anni tempora viciſſim permutata.

Inquit itaque, *Si æſtas ſicca fuerit*. id eſt plusquam naturalis illius conditio eſſe conſuevit, atque adeo, vel propter imbrium inopiam,

quibus non raro humeſcere ſolet, vel propter ventos boreales, per idem tempus ſpirantes, omnemque aëris humorem abſumentes; vel denique, ſi eteſiæ venti anniverſarii, aëris æſtum quotannis temperantes, fortaſſe per æſtatem non ſpirent, ſine hoc modo, dies Caniculares, proculdubio ferv idiores obſervabuntur, ut & Tellus ipſa, præ nimia ariditate, plures in hiatus & fiſſuras diducatur. His quoque de cauſis ſiccum aërem appellamus, cum vaporum eſt expers & pluviis caret, ac ventis vapores, & nubes diſſipantibus percellitur, hinc idem Hippocrates adjecit, *ſi ſicca fuerit & aquilonia:* ſicca plane, à perflantibus ventis aquilonaribus. In hanc quoque ſententiam condeſcendit *Celſus Lib. 2. cap. 1.* qui ſic Aphoriſmum latine vertit *ſi ſicca æſtas Aquilones habuit, autumno vero imbres, auſtriq; ſunt, tota hyeme quæ proxima eſt, tuſſis, deſtillatio, raucitas, in quibuſdam etiam Tabes oriuntur.*

Siccam ergo & *aquiloniam æſtatem, ſi autumnus exceperit pluvioſus & auſtralis, ad hyemem,* inquit, *dolores capitis vehementer fieri.* Non enim ſatis eſt autumnum eſſe pluvioſum, ſed auſtralem pariter eſſe oportet. nam quandoquidem ſolent pluviæ per autumnum ingentes fieri, præſertim ſub ortu arcturi, & Pleiadum occaſu, quæ tamen abſque ventis Auſtrinis, ſed plerumque cum occiduis contingunt; ut propterea, peculiarem habendam voluerit rationem ventorum auſtralium, qui majora, quam imbres, damna nobis inferunt. Hi enim ſæpiſſime ſimplices ac tempeſtivi, non leve emolumentum cunctis animantibus afferunt, ipſomet autumno, vel ineunte, vel vigente, ſi præcipue ferantur a ventis ſalubrioribus: at vero cum ventis auſtralibus, omnino nocent, quippe Auſtri infeſtiſſimi ſunt, ex ſupra traditis. Quamobrem, non immerito junxit Hippocrates, *pluvioſam ſimul & auſtralem* autumni tempeſtatem, qua ſcilicet caput gravetur & deſtillationes promoveantur, cum pulmonis læſione. Dolores Capitis, qui exinde portenduntur, dicuntur eſſe vehementes (ſive hi Cephalalgiæ, ſive Cephalææ ſive Hemicraniæ, id eſt vel recentes, vel antiqui iique totius capitis vel dimidiæ ſeu unius partis ſint) quoniam ex imbribus & Auſtris autumnalibus, caput multis humoribus & aquoſis ſuccis repleri contingit, qui per meninges, & cæteras partes nervis contextas diffuſi dolores pariunt. Accedit quod hyems nullam plenitudinem ſolvat, ſed potius augeat, ac proinde

inde humiditates præfatæ per autumnum collectæ per inſenſibilem tranſpirationem, vel ſudores, obſtante aëris hyemalis injuria, reſolvi nequeunt, ſed ad glandulas depoſitæ, & data cauſa irritatæ varias fluxionum & dolorum ſpecies producunt.

At quæritur, quomodo fieri poſſit, ut ab humentibus ſuccis & ab aquoſitatibus, dolor excitetur, isque vehemens, ut hic aſſerit Hippocrates? cum tamen ex doctrina veterum & Galenicorum humida intemperies, dolorifica eſſe nequeat, veluti quæ potius hebetet & obtundat, atque ſola corpulentia gravet, quam moleſtum ſenſum inferat, qui ipſis dolor audit?

Reſpondeo, ſi moleſta in ſenſu tactus perceptio dolor eſt, quæcumque vim habent poros corporis ſcindere, dilatare, contrahere, aut aliter a conſueto ſitu diſtorquere, poterunt quoque dolorem inferre, & eo vehementiorem quo violentius afficient, ut latius diximus in Praxi: Hoc ipſum humores cujusvis generis præſtabunt, ſi malitia pungant, ſcindant, erodant, ſi multitudine comprimant, diſtendant, ac diſrumpant, ſi motu affatim irruant, vel intercepto aut impedito curſu ſeu motu alicubi hæreant. Porro aquoſi humores, per pluvioſam & auſtrinam tempeſtatem in capite collecti, ob ſalſilaginem, aut aciditatem ſubinde contractam, & multitudine, qua cumulati ſunt, & violentia, qua ſunt intruſi, vellicando, diſtendendo, explendo & tumefaciendo, dolores vehementiſſimos inerunt. Sed etſi nullum, ſuapte natura dolorem excitarent, ſaltem perſpirationem, & circulatem ſanguinem, ſi ſola quantitate ſeu mole impediant, & retardent, nocui & moleſti partibus erunt, adeoque doloris cauſam dantes, dolorifici evadent: Pari modo vaſa lymphatica, quæ multa per caput circumquaque feruntur, & cerebri corticem, ac Meninges perreptant, plurimum aquoſis, ejuscemodi ſuperfluitantibus, per auſtrinam tempeſtatem à ſanguine refluis oppleti obſervantur: itemque glandulæ univerſa totius corporis, iisdem imbibi, quæ deinde à ſuperveniente frigore hyemali compreſſæ, hæc eadem & graviora mala progignent v. g. corruptiones tabes, Hydropes, tumores. Hinc autem contingit deſinere non raro vehementes, ac diuturnos ejusmodi capitis dolores, ſpontanea è naribus hæmorrhagia, vel ſanie ex auribus prodeunte, aut acriori ex iisdem naribus deſtillante, vel per poros cutis, aut in vias urinarias prolabente, poſt

acutis febres de genere earum, quas Galenus vocat ardentes ſpurias.

Ex hac ipſiſſima ratione & cauſa, & tuſſes & raucedines, & gravedines, per hyemem aderunt, prout aquoſi humores, vel pectus vel guttur vel nares occupaverint: ſiquidem cerebrum, magnæ glandulæ ab Hippocrate comparatum, cum aquoſitatibus repletum, hiberno deinde frigore conſtipatur, & quodammodo conſtringitur. Hoc enim certum eſt, quod Aquilo, ſuo frigore hoſtili naturæ noſtræ potiſſimum capiti, pectori & nervis nunquam magis hoſtilis ſit, quam dum media æſtate ſpirat. Cum enim æſtivo tempore, corpus noſtrum omnibus injuriis pateat, porique undiq; hient, effluvium inſenſibile ſit copioſiſſimum, & aeris nullo anni tempore major neceſſitas. Sic aer aquilonius, per apertam corporis noſtri Januam, ubique penetrando, non tantum prædictam inſenſibilem tranſpirationem plurimum diminuit, ſed ipſis etiam viſceribus, tota natura contrarius, labem non brevem imprimere ſolet. Hanc corporis diſpoſitionem excipit autumnus, non ſolum pluvioſus, ſed etiam auſtralis, id eſt ventis calidis & humidis permixtus, & ſic corpora noſtra plurimis replendo humiditatibus, eas in varias corporis partes, potiſſimum glandulosas, nitroſo aeris ambientis ſale irritatas deponit. Si protrudat in nares Coryzam, ſi in guttur & aſperam arteriam raucedinem, ſi in pectus & pulmonem, tuſſim generabit, aliaſque ægritudines pro vitio, in alias partes vitioſorum humorum illapſu. Has autem ſolummodo Hippocrates memoravit, veluti eas, quæ partes cerebro proximiores affectas denotant, promptiuſque cum eodem laborante compatientes, & per glandulas attiguas, excurrentes, vel humores ſtagnantes ſolitas excipere.

Denique in fine Aphoriſmi additur: *quibuſdam autem & tabes.* Verum de qua tabe intelligat: poteſt etiam hic dubitari, & quamvis de quacumque extenuatione exponi poſſit, attamen magis cohærebit Hippocratis menti, ſi ea tabes ſpeciatim explanetur, quæ pulmoniaca appellatur; ſiquidem in græco textu ſcribitur *Phthiſis* quæ propriè pulmonis affectio eſt, & veriſimilis induci poteſt, ex pluvioſa & auſtrina autumni tempeſtate, qua non tantum caput, ſed etiam pulmonem ſuperfluitatibus feroſis repleri contingit, ac poſtmodum illarum repurgationem impediri, à ſuperveni-

veniente hyeme, pectori potiſſimum & pulmoni, ut diximus, inimica.

Quamquam autem humores iſti, in pulmonibus hærentes, ſæpenumero acrimoniam, acorem vel ſalſedinem contrahant, etiam ex vitiato partis alimento, & ex conſimili conditione, quam ſortiri ſolent, detenti halitus ac vapores e toto corpore exſpirantes, ita & ſudores & urinæ: Nihilominus tamen, adhuc omni malitia exuti, ſola quantitate & mole, ſi diutius reſtagnent, non leviter pulmonem inficere, & tabem ac Phthiſim inferre conſueverunt. Unde Hippocrates 7. Aph 38. *deſtillationes* (inquit) *in ventrem ſuperiorem* (id eſt in thoracem) *ſuppurantur intra viginti dies*: ubi cum uſus ſit græca voce *Catharri*, profecto ab humoribus vulgo pituitoſis, hodie lymphaticis ſeu aquoſis dictis, illas pendere exiſtimandum. Hæ enim deſtillationes ſeu defluxiones, cum ordinarie acres ſint, facile tenellam pulmonum ſubſtantiam exulcerant, maxime in iis qui ad Tabem diſpoſiti ſunt, quas deſcribit Poeta.

Ad tabem properat, Phthyſico de ſtemmate natus:
  Cui ſæpe ad pectus, phlegmata ſalſa cadunt,
Qui faciem Hebræi, macieque figurat avari:
  Cui vox anguſto pectore rauca ſonat.
Qui gerit oblongum, velut alta ciconia collum:
  Cui, velut ala Aquilæ, prominet os ſcapulæ,
Neſcis, cur Phthyſico natura annexerit alas?
  Debet ad ignotas, mox volitare plagas.

Qui autem iſti ſint, quos tabes ex hac conſtitutione ſit vexatura, Hippocrates tacuit & non expreſſit. Profecto non omnes eo morbi genere affectum iri liquet ex dictione, *quibusdam vero tabes* per τὸ *quibusdam* aliquos duntaxat tabe laboraturos indicatur. Galenus *in commentario* interpretatur, *qui ad hunc morbum apti natura ſunt, utpote qui anguſto ſunt pectore, & quibus à capite ad pulmonem fluxio defertur*. Sed clarius ex eodem Hippocrate 1 & 3 *Epidemior*: videntur eſſe, quibus ſcopulæ inſtar alarum ſunt exporrectæ, pectus anguſtum, collum oblongum, caput magnum, ut in gracilibus, qui

 ſangui-

ſanguinem natura nacti ſunt acriorem & tenuiorem, modico glutine, & multo ſero ſcatentem, unde cum à præcedente tempeſtate pluvioſa & auſtrali, pulmones & cerebrum abundantiori ſero perfundantur, facile in tabem incidunt, labe nimirum per ſanguinem illata.

Horum ergo imminentium morborum prophylaxim & præcautiones ex antea traditis facile innoteſcent, præterea, quæ infectius afferremus, & in praxi per extenſum retulimus.

Dices 1. Cum eadem videatur eſſe ratio undecimi & decimi tertii aphoriſmi, perperam videtur Hippocrates omiſiſſe in hoc ophtalmias & dyſenterias præterea cur non pariter innuit, in hyeme futurum parturientibus periculum? denique cur deſtillationes, quarum hic meminit, ibi etiam non addiderit? ratio quærendi eſt, nam quemadmodum illi hyemi pluvioſæ & auſtrali, ſuccedit in vere frigus aquilonium, ita huic autumno pluvioſo ſuccedit hyems frigida, Ergo eadem debuiſſet eſſe ratio ℞. Hippocratem tantum virum, hæc nullitenus temere omiſiſſe, nam longe alia eſt hyemis, alia aquilonis natura & conditio, nam Aquilo, multo magis viſcera interna penetrat & ferit quam hyemis, cujus frigiditas ignava eſt, & tantum exteriora ſuperficie tenus percutit, nec tanta vi interiora ferit Hinc etiam abortus prægnantium non ita timendi ſunt, nec quoque dyſenteriæ quæ magis internam requirunt impreſſionem & characterem, tam facile pertimeſcendæ. Hinc neque iam cito interimentes fiunt deſtillationes in hyeme, quam in Aquilone deinde hyemis frigiditas eſt ordinaria & naturalis, Aquilonia tempeſtas autem præternaturalis

Inſtabis Tabes (quarum hic meminit) videntur habere majorem impreſſionem quam deſtillationes, ergo hyems contra jam dictum aſſertum, majores faciet impreſſiones, quam Aquilo. ℞. Negando antecedens, nam major eſt impreſſio, quæ celeriter interimit, quam illa quæ tarde, ſed a deſtillationibus iſtis aquilonaribus, celerius interimitur homo, quam à Tabe, ergo.

Urgebis. Major eſt impreſſio habitualis, quam non habitualis, ſed in Tabe eſt habitualis, in deſtillationibus vero non, ergo ℞. Major eſt impreſſio quoad durationem concedo, quoad inſtantaneum peri-

periculum nego, ergo abſolute major eſt impreſſio, nego conſequentiam

Inſtabis denuo: Tabes poteſt fieri, in utraque conſtitutione (in Aphoriſmo undecimo & decimo tertio memorata) ergo non videtur habuiſſe rationem quod ejuſdem hic meminerit, in altero non: ℞. Tabem quidem in utraque conſtitutione fieri poſſe, magis tamen hic propter autumni inæqualitatem: Imo experientia docet quod ad easdem contrarietates, iidem ſemper non fiant morbi, ob circumſtantiarum defectum & mutationem.

Dices 2. Ab humiditate, non videntur fieri poſſe dolores capitis, quia hæc eſt qualitas paſſiva & non activa. ℞. In abſtracto & lato ſenſu eſt paſſiva concedo: in concreto & ſtricte loquendo, aut abſolute eſt paſſiva nego, quia ut diximus in textu, quantitate & mole ſola humores peccare poſſe, partes diſtendendo & gravando

Dices 3. Plurimi homines continuo fere patiuntur deſtillationes ad pectus, & tamen non fiunt Tabidi, ergo Aphoriſmus non eſt tantæ veritatis. ℞. Hippocrates dixit *quibusdam* non omnes fieri Tabidos, eos ergo intelligit fieri tabidos, qui ad Tabem ſunt maxime diſpoſiti, quos in textu abunde deſcripſimus.

Dices 4. Commentatores alii, ad hunc Aphoriſmum referunt cerebri ſphacelismos, Cataphoras, Caros, Lethargos, Catalepſes &c. quarum nos nullam fecimus mentionem. ℞. Hos affectus Authores nobiſcum referre ad Cephalalgias de quibus egimus. Quod autem in ejuſmodi tempeſtatum conſtitutionibus ſphacelismi perſæpe fiant, patet ex ſegetum rubigine (vulgo **Brandt**) qua ſpicæ maceſcunt, & in fœtidum pollinem degenerant. de hoc Sphacelo ſegetum, arborum & vitium legatur Plinius.

Aphoriſmus XIV.

Si vero Aquilonius & ſiccus ſit autumnus, hominibus natura humidis & mulieribus commodus: reliquis vero ophtalmia ſicca accident, & febres acutæ, & gravedines diuturna.

Nota

(Nota ly gravedines plerique omittunt & merito quidem ut audiemus in textu, & ſic ponunt & febres acutæ & diuturnæ) *nonnullis vero etiam melancholiæ.*

Contentum ſeu Intentio.
De Aquilonio & ſicco autumno.

CONNEXIO: Tam arcte connectitur hic Aphoriſmus cum præcedenti, ut Galenus ipſe in *Commentario* ſcripſerit ob nimiam affinitatem & inter ſe conjunctionem, ex duobus unum eſſe faciendum, ut ex utroque unica ſententia colligatur, veluti ſerie quadam continuata, plures in unum locum tranſtulit Celſus *Lib. 2. Cap. 1* qui poſtquam morbos ex æſtate aquilonari, & autumno auſtrino ex eodem Hippocrate commemoraverit, ſtatim ſubjunxit *Sin autem autumnus, quoque aque ſiccus, iiſdem Aquilonibus perflatur, omnibus quidem mollioribus corporibus inter quæ muliebria eſſe propoſui, ſecunda valetudo contingit durioribus vero inſtare poſſunt lippitudines ſicce & febres, partim acutæ, partim longæ, & hi morbi qui ex atra bile naſcuntur.* Et Hippocrates ipſe, libro ſæpius citato *de aere aquis & locis*, uti præcedentis appendicem, hanc eandem ſententiam his verbis deſcribit: *Quod ſi Borealis ſit autumnus & ſiccus, & neque ſub arcturo pluvioſus, confert pituitoſis natura, & maxime his, qui humidi ſunt & mulieribus, bilioſis autem infeſtiſſima eſt hæc conſtitutio: valde enim exſiccantur, oriunturque eis lippitudines aridæ & febres acutæ, ac diuturnæ, & aliquibus bilis atra, ſiquidem quod liquidiſſimum & aquoſiſſimum in bile eſt, conſumitur, denſiſſimum vero & acerrimum remanet quod idem accidit, ſecundum eandem rationem ſanguini, unde hi morbi his oriuntur.* Unde ſic affectum autumnum ſuccedere æſtati, pari modo ſiccæ, & aquilonari, antea deſcriptæ, maniſeſtiſſime demonſtrat, ut ex contextu ejuſdem loci liquido patet. Ejuſdem quoque ſententiæ eſt Galenus, *qui in commentario hujus Aphoriſmi*, *apparet* inquit, *ſermonem nunc habitum non eſſe integrum Aphoriſmum, ſed partem ſecundum unius aphoriſmi, cujus priorem partem nuper ſeu paulo ante deſtitimus explanare.* Conferendus etiam in his eſt *Ariſtoteles qui Lib. I. probl. II.* cau-

cauſam ſecundæ valetudinis, in mulieribus & pituitoſis, ex ſicca & aquilonari æſtatis & autumni conſtitutione inquirit, & mox Problemate duodecimo, cur bilioſi exinde infeſtentur examinat, continuata omnino oratione, ſub cadē æſtatis & autumni ſicca & aquilonia tempeſtate.

Hic Aphoriſmus duas habet partes: In prima juvari ait naturas humidas ex ea conſtitutione. In ſecunda vero morbos addit, qui in ſiccis naturis exſpectandi ſunt.

Confert autem hæc ſicca & aquilonaris conſtitutio, corporibus humidioribus, abſumptis nimirum, vel compreſſis & deductis ad vias urinæ, aquoſis ſuperfluitatibus, quibus illa ut & muliebria ſuperabundant. Cæteris vero id eſt bilioſis, ut idem Hippocrates explicat, ſive ut mavult Celſus, durioribus corporibus infeſtiſſima eſt hæc ſicca temporis conſtitutio, quæ illa magis extenuat, exiccat, & obdurat; quin imo aridis lippitudinibus & febribus acutis ac diuturnis afficit acutis quidem, quibus ſanguis & bilis ipſa tenuior & acrior fit, diuturnis vero, quibus acidior, conſiſtentior & magis effœta, pro aliarum rerum nonnaturalium uſu vario, ab ejuſmodi corporibus antea ſervato; unde adjectum eſt in Aphoriſmo, *nonnullis etiam morbi melancholici*: cujus rationem idem Hippocrates *Lib. de aëre aquis & locis* aſſerens inquit: *quod liquidiſſimum & aquoſiſſimum in bile eſt, conſumitur, denſiſſimum vero & acerrimum remanet, quod idem accidit, ſecundum eandem rationem & ſanguini, unde hi morbi his accidunt.* Quemadmodum autem Picrocholis & gracilibus antea dixerat, acutas febres, & lippitudines ſiccas evenire, ita nunc durioris texturæ corporibus & ſanguinem nactis conſiſtentiorem, morbos melancholicos, intellige, ſcirrhos, affectiones Hypochondriacas, deliria melancholica, maniæ, melancholiæ, & aliud genus accidere portendit.

Hæc quippe notiora ſunt, quam ut fuſiori egeant deductione: verum quod de *longis gravedinibus*, a quibuſdam memoratur, penitus mihi non videtur conſonare; nam quæ unquam ratio afferri poteſt aut poterit, quæ perſuadeat longás gravedines, ex æſtate & autumno ſiccis atque aquilonaribus futuras? cum per ejuſmodi areſacientem tempeſtatem, ſi quæ in corporibus, humidæ ſuperfluitates collectæ erant, ſatis ſuperque, extenuari, conſumi & egeri poſſint.

Quocirca, nec illarum, nec alterius humidæ ægritudinis ne verbum quidem fecit Hippocrates in *Libro de aere aquis & locis*, ſed neque

Xx dili-

diligentiſſimus ſententiarum ejus Compilator Celſus, qui ſic locum hunc, ut antea dictum eſt rectiſſime interpretatur *durioribus vero inſtare poſſunt, & arida lippitudines, & febres partim acutæ, partem diuturnæ & hi morbi qui ex atrabile naſcuntur*, quamobrem jure optimo Fuchſius exiſtimat, *Librarium ſeu Typographum errore quodam,* κορύζαι *pro* χρόνιαι, *quod ob una in aliam dictionem facilis ſit lapſus.* Neque vero his contentus Cardanus, hanc errandi cauſam Galeno adſcribere non veretur cum inquit *Galenus ſuo more legit in utroque textu gravedines, ſeu* Κορύζας *& utriusque omittit expoſitionem. gravis & accuratus certe expoſitor, dignuſque pro quo quidam tantum digladientur* Et paulo ante ſcripſerat *Legi debet & diuturnæ: non gravedines. Littero enim græca corrupto erat ex* Πυρετοὶ ὀξέες χρόνιοι pro Κόρυζαι. Per lippitudines ſiccas intelliguntur illæ quæ fiunt, & propter lentorem tenacem, quo humores nimium inſpiſſati partibus adhærent, & propter mordicitatem, qua partes exquiſitioris ſenſus, veluti ſunt oculi, irritantur.

Per *melancholiam* vel prout in aliis legitur contextibus *atram* bilem, veteres aduſtum & torridum bilem, recentiores, ſuccum acidum quendam ex humore acido & bile enixo lixivioſum & ſcorbuticum vulgo dictum, qui ſuria humani corporis peſſima (quocumque nomine vocitetur) quæ cuncta levia ſpernit remedia, & violentioribus exacerbatur. unde ex hoc malo hoſte ortum ducunt morbi melancholici ſupra dicti, quando nimirum humores moderate acidi, evaporatione ſubſtantiæ humidæ & ſeroſæ, in majorem corroſionem, imo malignitatis gradum deducuntur, vel ab ipſa oleoſa ſanguinis parte vulgo bile appellata, quæ debite ſeto, quo veluti fræno regebatur, deſtituta concentratione fit effera, ut impetuoſe in corpore humano tumultuetur unde deliria maniaca. Revera id ipſum in foro Politico contingit, ſi debit actionibus humanis debita phlegmatis muſcella, ingratæ, tædioſæ ac importunæ evadunt Hinc bene Terentius. *Illud eſt vere ſapere ubicunque opus, animum flectere* clarius adhuc Poeta

Actio nulla ſapit, ſi dulcia phlegmata deſint;
His ſine, fel mordax, vis, furor, ignis erit.
Qui nequit occultos abſcondere pectoris aſtus,
Offenſamque hilari, diſſimulare joco.

Hic

Hic merito imprudens, vafris ſapientibus audit,
Frigeſcat modica flammeus ignis aqua.
Nec mirare: Sal eſt ſapientia, ſolvitur undis:
Quippe ſal in ſicco, diffluere igne nequit.

Hic adhuc mirari & inquirere libet, cur eam hoc in Aphoriſmo omiſerit conſtitutionem, quam eodem *Lib. de aere, aquis & locis* inter jam relatas deſcripſerat, ex æſtate nimirum pluvioſa & auſtrina, & ſimili autumno, indeque futuram hyemem morbidam, *pituitoſis* quidem per febres ardentes, ſpurias dictas, *bilioſis* vero per *caſtarum & pulmonis inflammationes ſeu pleuritides & peripneumonias*, non eſt facile divinare. ſic pariter, cur alias temporum conjugationes deſeruerit, quas Galenus comminiſcitur, atque artificiali ſchemate effingit Cardanus, pluribus itentidem in eundem Galenum invectus de regionibus temperatis, & de ordine temporum, ex ortibus & occaſibus ſtellarum. Verum credere licet voluiſſe has ſolum veluti in cæterarum exemplum Hippocratem afferre, ut inde diſcerent Medici, qua de cauſa, ipſemet ſcripſerit initio hujus libri, temporum mutationes morbos parere. Verum quid eſt, quod nobis mortalibus non officiat? Currant & procedant anni, & anni tempeſtates, ea ſerie, ea ſalubritate, quam ſibi fingit Heurnius, forte homines non ægrotabunt, non obibunt? aer ipſe, quem aſſiduo, in ipſiusmet vitæ tuitionem inſpiramus, nobis nocumento eſt: cibo quo veſcimur, gravamur. Aqua ſiti ſedandæ per accommoda, ſi frigidior debilitat, ſi abundantior opprimit, ſi importuna delaxat. Vino reficimur, exacuimur, amiſſumque reſumimus vigorem; ſed & dolemus, inebriamur, ſtupeſcimus: ſomnus qui feſſa membra levat, otium parturit, hebetat cerebrum, & vigilia quæ ſpiritus & ſanguinem acuit, infirmat: ſed & quo tempore, re quapiam delectamur, faſtidimur; & gaudium ipſum nobis tam optabile, & jucundum, ſæpiſſime exanimat. nec illa res eſt quæ proſit, quin ex adverſo ſtatim, & ultro non obſit. Quamobrem ruimus adhuc in morbos, & in mortem etſi anni tempeſtates, proſpere & ſalubriter procedant. *Quotidie enim morimur* inquit *Seneca, quotidie demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cum creſcimus, vita decreſcit, & hunc ipſum quem agimus diem, cum morte dividimus.*

Dices 1. *Omne nimium naturæ inimicum*, ſed æſtas ſicca & Aqui-

 lonia

lonia & autumnus ſimilis ſunt nimia, ergo erunt naturæ inimica, ergo etiam humidis naturis, aut mulieribus non proderunt. ℞. Diſtinguo minorem, ſunt nimia naturis ſiccis concedo, humidis in temperatis nego, neque timenda eſt mutatio, ab uno contrario ad aliud, quia ſi a tali tempeſtate tantum, humidi intemperati læderentur, inde omnes ſicc perirent.

Inſtabis Simile ſeſe bene habet ad ſimile, ergo humidi & mulieres bene ſeſe habebunt ad tempus humidum, ergo non bene ad tempus ſiccum ut aſſerit aphoriſmus. ℞. Simile temperatum bene ſeſe habet ad ſimile concedo, intemperatum nego.

Dices 2 Horum temporum eventus ac fortunæ, non poſſunt omnibus Regionibus accommodari, præſertim in temperatis, & moderatis, quia in his rariores ſunt, imo ſæpe nulli morbi, ejusmodi enim tempora, Regionis intemperiem corrigunt, & ſæpe calida & ſicca Regio corrigitur, ab æſtate frigida & humida ergo male ſonat Aphoriſmus. ℞. Concedo totum antecedens, nego conſequentiam.

Dices 3 Autumnus eſt naturaliter ſiccus, ergo qua talis nec ſingulariter proderit, nec nocebit. ℞. Nego conſequentiam, nam quod hic proſit vel noceat, non facit id reſpectu ſui ipſius, ſed reſpectu prægreſſæ æſtatis calidæ & ſiccæ.

Dices 4. Si autumnus ſiccus & Aquilonius cauſaret febres acutas & longas, cauſaret contraria, quod fieri nequit. ℞. Cauſaret contraria in genere cauſæ æquivocæ concedo, in genere cauſæ univocæ nego. febres enim acutas cauſant in corpore bilis & ſanguis aliique humores exaltati, ferventes & fermentantes, & quidem in corporibus bilioſis. Longas efficit Humor craſſus, crudus, acidus, viſcoſus, in corporibus humidis.

Quæres ergo 1. Qualis nam aër noſtro corpori in genere ſit ſaluberrimus? ℞. Schola Salernitana comprehendit aëris ſaluberrimi conditiones, his duobus verſiculis.

Lucidus ac mundus ſit rite habitabilis aër
Infectus neque ſit, nec olens fætore cloacæ.

Optimus inter omnes aer eſt, qui in primis qualitatibus eſt temperatus, & ſic eſt ſanitati analogus illuminatus & clarus, & ſic animatur. Eventilatus vel naturaliter vel artificialiter, & ſicc cribatur

&

& perficitur, alias quiete per modum aquæ corrumpitur, juxta illud: *putreſcunt ſenſim, ni moveantur aquæ*: Omnis evaporationis expers, ex ſolo ſterili & ſaxoſo ſpirans, & ſic naturæ ſui elementi, evadit ſimilior. Nullis aporrhæis corporum corruptibilium inquinatus, hæc enim corpuſcula fermentabilia, vehiculo aeris ad interiora delata, non ſemel in humoribus & ſpiritibus vitalibus ingeſcentiam & motum præternaturalem concitant: Has aeris qualitates humano generi ſaniſſimas, Medicis autem Solis inſalubres eſſe docet Poeta,

Fœdus, obſcurus, craſſus, nebuliſque refertus,
Iſte aer Medicos Marce, valere facit.
Ægrotos, quæ ſternit humi cumulando monetam
Stare facit loculos, aura Galene tuos.
Qui mala mille pluit, mortalibus humidus Æther:
Hic medico nummos, divitiaſque pluit.
Sicca ſerena petit, ſolaria tempora meſſis:
Dum fluit æther aquis, tum Medicina metit.

Quæres 2. Cur aër ſuperior, inferiore ſit frigidior? cum tamen vicinior ſit ſoli & aſtris, à quibus calor in inferiora influit? ℞. Hoc fieri duplici modo? *Primo* quia aer nos ambiens illum calorem à radiis ſolaribus in petris & terra reflexis mutuum habet: *Secundo*, enim aer inferior à pondere ſuperioris incumbentis preſſus, multo fiat ſpiſſior, craſſior & gravior; hinc radii ſolares in eo magis reflexi calidiorem efficiunt.

Quæres 3. Cur in aeris Regione valde ſublimi, animantia vivere nequeant, teſte *Majolo*, qui docet in Olympi vertice nulla inveniri viventia & doctiſſimo *Boyle* qui experientia didicit, animantia recipienti incluſa, extracto per machinam pneumaticam aere, quantocius mori ℞. Aerem in ſublimi regione (ibi etenim propter ſpatii amplitudinem rarefactus quaqua verſus extenditur: nec per modum aeris inferioris a ſuperiori comprimitur) tam levium & ſubtilium eſſe partium, ut improportionata, reſpirationis evadat materia; id eſt ob nimiam ſubtilitatem, veſicularem, pulmonum ſubſtantiam inflare nequeat, quæ proin in ſeſe concidens, circulationem ſanguinis, circa cor impediendo mortem infert.

Aphoriſmus XV.

Ex anni conſtitutionibus, in univerſum ſiccitates, aſſiduis imbribus ſunt ſalubriores, & minus mortifera.

Contentum ſeu Intentio.

De Tempeſtate ſicca cum Pluvia comparata.

Connexio. Cum ſuperioribus Aphoriſmis, diverſas temporum conſtitutiones retuliſſet, easque tum ſiccas tum aquilonias, tum pluvioſas & auſtrinas, ex quibus morbos varios imminere dixit. Nunc omnes ſimul unico, ſed generaliori Aphoriſmo, inter ſe comparatas decernit, *ſiccitates ſemper* imbribus eſſe ſalubriores & minus mortiferas. Et generaliter dicit (intellige, modo cætera ex æquo procedant) *ſicca conſtitutiones, pluvioſis ſunt ſalubriores.* Unde hic Aphoriſmus ob brevitatem nullam patitur diviſionem, cum hac unica concluſione totus comprehendatur, ejusque ratio facile ac paucis deducitur. Nam aer ſuapte natura talis eſt conditionis, qualem animalium vita videtur exigere, quo circa ſi ex imbribus humidior evadat, ſicut ad complura vitæ munia, præſertim ad ſanguinis floriditatem, & pulmonis repurgationem erit ineptus, ita morbis inducendis materiam ſuppeditabit, ſæpiſſime enim ex humeſcente ſanguine, & aquoſis ſuperfluitatibus ægrotamus, quæ nec recte regi, nec exacte confici queunt, cum ipſum ſanguinem hebetent, viſcera infarciant & inquinent, nervos mollificent, & relaxent, ſenſum motumque obtundant, corpora denſent, & excrementa omnis generis in eodem accumulent, & putredinem ac corruptionem procreent, & ſic non raro morbos afferant immedicabiles. Præterea aer imbribus, & ventis Auſtralibus, immodice humefactus, & craſſior effectus, non modo obeſt, dum inſpiratur, ſed etiam contactu ſuo impedit, quo minus inſenſibilis perſpiratio recte procedat, ut mox monuimus.

E con-

E contra vero aer ejuſcemodi humore aut humiditate liber & vacuus, inſenſibilem transſpirationem adjuvat, & melius internas ſuperfluitates, è ſanguine abſorbtas, per pulmones exſpiratione repurgat. liberius enim corpora univerſim roborantur, pauciora aggregantur excrementa, ſpiritus depurantur, minor putredini locus ac per conſequens rarior morbis occaſio præbetur. Hanc veritatem experientia ipſa multiplex confirmat, non tantum ſiccas temporum conſtitutiones, ſed etiam Regiones, in quibus aër tenuior, & ſiccior eſt, ſalubriores omnino eſſe iis, quæ humidiorem & craſſiorem illum ſunt ſortitæ. audiamus quædam experimenta, quæ dicta noſtra luce meridiana clarius demonſtrant. ſiccioris & ſubtilioris aeris incolæ, corporis & ingenii robore multum ſuperant, humidioris aeris & paluſtrium aquarum Accolas. Animantia ſicca ut cervus dama, anſer ſylveſtris, tum ſalubritate corporis tum longævitate vitæ, beſtiis humidioribus longe præferuntur. Ideo hodierna adhuc die teſte *Verulamio* in certis Æthiopiæ montibus, aura ſicciſſima perflatis, ab omni Palude fluminibus, mari, aliisque aquosis evaporationibus longe diſſitis, incolarum vita ad centum quinquaginta annos extenditur. Ratio in promptu eſt quia ſanitas noſtra, ſæpiſſime humidi exceſſu, rariſſime defectu laborat.

Hæc autem hactenus dicta, cum grano ſalis de ſiccitate tantum temperata, non exceſſiva aut longiori tempore durante intelligenda eſſe, exceſſiva enim æque nociva eſt, & variorum quoque morborum cauſa procatarctica evadit, ut clare ſequens Aphoriſmus docet. *In ſiccitatibus autem tabitudines, lippitudines &c.*

Imo ipſe etiam Poeta ſiccitatem, in conſervanda bona valetudine humido præfert, dum canit.

Opto tibi multam, nullam tibi poto ſalutem:
Eſt potior pota ſicca ſalute ſalus.

Verum plura adverſus jam dicta, & hanc Hippocratis ſententiam pugnare videntur.

Primo Quia vita ex Ariſtotele dicitur, *Manſio caloris in humido*, quamobrem videtur ſalubrior ſtatuenda, humida anni conſtitutio, veluti vitæ congener, neutiquam ſicca illi contraria, hinc ſenes ideirco ad interitum feſtinare dicuntur, quia per ætates ſemper ſicciores fiunt.

2. *Secunda*

Secundo quoniam ex Hippocrate 2. Aph. 16. victus humidus commendatur pueris, pueri autem humidi ſunt, utque in eadem humidi natura conſerventur, humidus victus illis præſcribitur.

Tertio: Hoc eodem 3. Aph. 9 dicitur in autumno exitiales morbos fieri, ver autem ſaluberrimum eſſe & minime exitioſum: atqui ver humidum eſt, autumnus vero ſiccus, ut propterea tabidis nocuus dicatur.

Quarto Pueritia omnium ætatum optima cenſetur, quia humida, ſenectus vero peſſima quia ſicca.

Quinto Propria aeris qualitas & natura humida ponitur, igitur humida & non ſicca conſtitutio, veluti ſalubrior anteponenda eſt, cum per illam aer in ſuo ſtatu naturali ſervetur.

Verum hæc facillime diluuntur, iisdem plane Criteriis Ariſtotelicis & Galenicis, & quidem *Primo* vitam egere humido dicimus, ſed proprio, conſentaneo & alibi, ut idem Ariſtoteles advertit, non autem extraneo, incongruenti & aqueo, quo potius illa extinguitur, quam foveatur, quo circa vita comparatur ab iisdem flammulæ, quæ oleo eget, ut conſervetur.

Secundo Modo Hippocrates, hic humidum ex imbribus externum inſalubre dicit, humidum victum, id eſt liquidum & potabilem, pueris febrientibus commendaſſe Hippocratem, in commentario illius aphoriſmi jam ſupra expoſuimus, Etenim Hippocrates non vult alendos eſſe febricitantes, cibis duris & ſolidis ſed potabilibus quæ Sect. 2. Aph 11. clarius explanavit.

Tertio: Autumnus non ſiccitate, ſed ſumma viciſſitudine, exitioſos morbos parturit, ut ſuo loco dictum eſt.

Quarto: Senes ad interitum feſtinant, non præciſe exſiccitate ſed ab effecto ſanguine & à viſcerum languore. & licet ex ſiccitate mors contingeret, illa externa eſſe debet ſiccitas, quæ vitæ fomitem exhauriat, ſecus vero quæ moderata eſt & externa, ſuperfluum humidum abſumendo, vitæ potius opitulatur quam adverſetur.

Quinto: Aer ſua natura nec calidus, nec frigidus nec humidus eſt, ſed fluidus & permeabilis cujuscumque alterationis ſuſcipiendæ capax, atque tunc ſolum à ſua naturali conditione deſciſcere videtur, cum nimium denſatur & craſſeſcit, vel plus juſto rareſcit & diſtrahitur, ut proinde immobilis & impermeabilis evadat, quemadmodum Florentinis & Boylæis experimentis, jam ſatis innotuit, hi

enim

enim præternaturam affectus, vim patitur & animantibus cunctis infenſiſſimus ſit, ut etiam vita privet

Conſtat ergo ſiccitates eſſe imbribus ſalubriores: ſed etiam minus mortiferæ ſint, cum cæteroquin dictum ſit, in ſiccitatibus febres acutas fieri? Cardanus diſtinguit febres acutas, morbis acutis, & ex 1 Epid. Conſtit. 1. & 2 Epid Sect. 3 colligit, acutas febres magna ex parte non eſſe morti feras, quemadmodum vel ex tertianis intermittentibus deducere eſt: verum hujus ratio petenda eſt ex Aphoriſmo ſequenti. Obſtant tamen adhuc aliqua, prius diluenda: unde

Dices 1. In ſiccitatibus fiunt morbi, ab inanitione ſed hi pejores & difficiliores curæ ſunt, quam qui fiunt ab humida repletione ergo ſiccitates erunt inſalubriores imbribus. ℞. Morbi ab inanitione habituales ſunt pejores concedo: non habituales nego: ſunt enim quidam morbi inanitionis minime habituales, ut ſyncope diarrhæa, dyſenteria, hæmorrhagia, & qui non ratione, qua ſunt ſymptomata, ſed ratione morborum diſcraſiæ, conformationis vel ſolutionis continui, non ſunt pejores aut difficilioris curæ, quam morbi à repletione vel ab humiditate

Inſtabis per ſiccitates fiunt alui obſtructiones plurimorum malorum cauſæ, per humiditates alui humectantur & laxantur & mala avertuntur ergo adhuc imbres ſunt ſalubriores ſiccitatibus. ℞. Siccitates maxime dici ſalubres, quo ad tertiam corporis Regionem, ad primam enim & ſecundam non ita penetrant, adeoq; nec ipſis adeo nocere poſſunt.

Vrgebis Humiditates ſunt naturæ humanæ magis convenientes, quam ſiccitates, imo ſiccitates ſunt contrariæ vitæ, quæ conſiſtit in calido & humido. ℞. Siccitates moderatæ ſunt convenienter concedo immoderatæ & perpetuæ nego

Dices 2. Acuti morbi toto genere ſunt cæteris morbis magis lethales ſed ſiccitas parit morbos acutos ut docet Hippocrates ergo à ſiccitate erunt magis lethales. ℞. Siccitas parit morbos acutos ſola nego cum humiditate & calore concedo, nam phrænitis, pleuritis & aliæ inflammationes ex confluxu humorum atrocitate ſua ſuperant acutas febres quæ ex aeris ſiccitate oriuntur, & tardius ut diximus interimunt.

Dices 3. Nautæ, Baluicatores & qui ad ſtagna habitant, verſantur in continuis humiditatibus & tamen ſunt ſaniores illis qui in locis ſiccis degunt imo ſæpe hectici ergo fallit Aphoriſmus. ℞. Nautas quod attinet, hi aſſueti ſunt, ab aſſuetis autem non fit paſſio: deinde exha-

 latio-

lationes marinæ, ſalſæ ſunt & ſiccæ, hinc vehementer ſiccant. Balneatores, qui continuo in Balneis Laconicis ſudant, etſi à vaporibus inundentur, eos etiam ſimul exſudant, imo tabidi, hectici fiunt.

Dices 4. Hippocrates *de locis in homine* ait ſiccum magis retinere morbos & dolores augere ergo videtur ſibi contradicere ℞. Hippocratem in locis de homine reddere rationem, cur in ſiccitate morbus ſtabilior fit, quia in humido deſluit. Verum etſi morbi in ſicco ſtabiliores ſint, non ſequitur eſſe periculoſiores, quia morbi in humido majorem plerumque faciunt putredinem.

Dices 5. Contra hanc ſolutionem, morbi acuti maligni & peſtilentes, ſunt maxime periculoſi atqui tales fiunt in ſiccitatibus, ergo in ſiccitatibus & non humiditatibus fiunt morbi periculoſiſſimi ℞. Diſtinguo majorem, iſti morbi ſunt maxime periculoſi in ſiccitatibus, habito reſpectu ad morbos qui fiunt in humiditatibus, nego, in ſe concedo.

Inſtabis Tum maxime periculoſi ſunt morbi, quo humores ſunt acriores, ſed in ſiccitatibus humores ſunt acriores ut dictum eſt ergo ℞. Negando majorem quia taliter ſequeretur febrem tertianam a bile ortam eſſe periculoſiorem apoplexia à pituita aut ſtagnantibus humoribus ſeroſis aut ſanguine provenientе.

Aphoriſmus XVI.

Aſſiduis imbribus morbi fere fiunt, febres longæ, fluxiones alui, putredines, epilepſiæ, apoplexiæ & anginæ: Siccitatibus autem, morbi Tabifici, ophtalmiæ, articulorum dolores, urinæ & inteſtinorum difficultates.

Contentum ſeu Intentio.

De ſtatu pluvio & ſicciori morbifero.

C*onnexio*: Nectitur hic Aphoriſmus cum præcedenti, ut quiſq; rationem illius, prout in fine diximus deducere poſſit. Enarrat hoc in Aphoriſmo Hippocrates, morbos qui ex multis imbribus & qui ex ſiccitatibus oriuntur. Ex his enim interſe invicem comparatis, facile innoteſcit, longe graviores eſſe, qui in imbribus, quam qui in ſiccitatibus contingunt. Hinc pleriſq; viſum eſt & præſertim Heurnio, ita ex græ-

græco in latinum Sermonem hunc vertere. *Namque aſſiduis imbribus qui morbi incidunt, hujuſmodi fere ſunt febres diuturnæ &c.* Quare conſentaneum videtur, voluiſſe Hippocratem, argumento à morbis ipſis, per ejuſmodi tempora vagantibus deſumpto, præcedentem Aphoriſmum demonſtrare, quod Galenus minime advertit in *Commentario.*

Hic ergo Aphoriſmus in duas partes dividitur. *Prima* morbos qui ex aſſiduis imbribus contingunt, refert, febres diuturnas fluxiones alui, putredines, epilepſias (ſeu morbos comitiales) apoplexias, anginas: *Secunda* vero illos qui ex ſiccitatibus accidunt enumerat, nempe Tabes, ophtalmias (ſeu lippitudines oculorum) articulorum dolores, urinæ ſtillicidia, ſeu urinæ & inteſtinorum difficultates ſeu dyſenterias.

Effectus utriuſque exceſſus, tum humiditatis, tum ſiccitatis nimiæ, abunde diſcuſſimus, in mox ante deductis Aphoriſmis, ut nauſeam parent eoſdem recoquere, nunc ſaltem videndum, quomodo morbi ab utraque profecti, fiant, & cur ab humiditate prodeuntes longe graviores ſint iis à ſiccitate productis. *Febres longas chronicas ſeu diuturnas* (ut vulgus loquitur ad quadraginta dies uſque ſe extendentes) ex pluvioſa conſtitutione oriri poſſe, patet ex jam antea traditis Aphoriſmis, quoniam per eam plurimæ aquoſæ ſuperfluitates cumulantur, quæ ſanguinem inficiunt, atque ad indebite fermenteſcendum diſponunt: cumque partim multitudine partim qualitate ſeu craſſitie, diuturnum tempus exigant, ut diſſolvantur, longas propterea febres pariunt.

Eadem ferme de cauſa *Alui profluvia ſeu diarrhæa* ex humida conſtitutione proficiſcuntur, ſiquidem iſtiuſmodi excrementa plerumq, deferuntur in inteſtina & aluum plus æquo lubricam reddunt: & quidem hic alui profluvia nullatenus dyſenteriæ ſed alui dejectiones ab accuratioribus interpretibus exponuntur, ut ex ipſo textu græco palam fit, ac manifeſtiſſime deducitur ex Celſo, qui ſententiam iſtam ſic eſt interpretatus: *In ſiccitatibus, acutæ febres, lippitudines, tormina, urinæ difficultas, alui dejectiones angina, cancri, morbi comitiales, reſolutio nervorum quam Para ſin græci vocant.* Quin & dyſenteriæ connumerantur potius ab Hippocrate, inter morbos ſiccæ conſtitutionis, quare ventris laxitates, inteſtinorum lævores, & citra dolorem uberiores egeſtiones deſignantur.

Putredines hoc loco, non ſolum intelligendæ ſunt humorum, ſed etiam partium ſolidarum, quales in Gangræna & Sphacelo quippe in tempeſtatibus humidioribus, non tantum humores à naturali ſua conſtitutione declinant, adeoque corrumpi poſſunt, verum etiam membra corporis flaceſcunt & in putrefactionem abeunt, unde poſtmodū Gangrænæ & ulcera ſordida & maligna oris.

Morbi comitiales ſeu Epilepſiæ ſeu morbi Attoniti facile etiam ex largis imbribus eveniunt, cum ex ipſis graviter cerebrum afficiatur, & pravis humoribus gravetur, unde ſenſus & motus corpor atque abolitio, nempe *Apoplexia.*

Angina ſeu gutturis & faucium tumores, ab humoribus, eas in partes confluentibus oriuntur & gignuntur, plerumque autem ex pluvia tempeſtate tonſillæ, adenes ibidem ſitæ, ab abundantioris lymphæ confluxu tumeſcunt, & Anginas quas Spurias vocant inferunt, itemque raucedines & tuſſes, Bronchoceles, & parotides, pro circumjacentium partium affectarum diverſitate, & varia ſtagnantis lymphæ conditione, humidi enim aëris ſtatus ut ſæpe diximus, facile obſtruit, denſat fuligines, coacervat, putredini & ſtagnationi favet.

Sed neque credendum has ſolum recenſitas ægritudines ex multis imbribus contingere, ſed & alias plures conſimilis naturæ accidere poſſe non minus graves quam ante dictas: quippe ut antea notatum eſt, videmur ita natura comparati ut moleſtius humido quam ſicco tempore afficiamur, & potius inutilium humorum copia quam inopia ſalutarium: Quamobrem merito Hippocrates, morbos in pluviarum multitudine contingentes, periculoſiores longe iis eſſe, inquit, qui in ſiccitatibus contingunt.

Tabes enim etſi ſæpe ſæpius ad mortem quoque perducat ægros, in longius tamen tempus protrahuntur & inducias præbent, quæ ſane ſperandæ non ſunt à prænarratis morbis. Præterquam quod Galenus, memoratur hic Tabes ad oculorum lippitudines, ait eſſe referendas, ut proinde putet in ſiccitatibus lippitudines tabidas fieri, ſeu ad Tabem oculorum terminari, Lippitudines autem periculi ſunt expertes.

Articulorum dolores, & urinæ ſtillicidia, non diſſimiliter diu protrahun-

trahuntur, & ferecum ægrotantibus conſeneſcunt at vero ejuſcemodi affectiones, in ſiccitatibus contingunt potius ab acribus & ſalſis humoribus, qui tunc magis exacuantur, & tenuiores & hoſtiliores natura redditi promptius artuum juncturas ſubeunt, & perioſtia laceſſunt, vel cum ſero urinario commixti, mingendi difficultatem pariunt, ſive eam ad ſtranguriam vel dyſuriam referamus.

Quamobrem collatis invicem ſiccis & pluvioſis tempeſtatibus, facile nunc decernere erit, longe graviores & periculoſiores eſſe, quæ cum imbribus, quam quæ ex ſiccitatibus contingunt

Dices 1. Per humiditates fiunt membra mollia & languida & pori dilatantur, ergo non impeditur tranſpiratio, cum nulla adſit conſtrictio. ℞. Licet pori ſint aperti (quod tamen negari poteſt, quia ſubſident & corrugantur) tamen humores viſcoſi per illos non excernuntur, ob eorum craſſitiem & viſcoſitatem, unde impedita tranſpiratio.

Inſtabis Idem poteſt dici de excretione inteſtinorum, ergo non fient diarrhææ ℞. Alui excretiones fieri à copia humiditatis laxantis fibras inteſtinorum, quæ partim pondere partim lubricitate ad excretionem ſtimulant, non item ad pororum reſerationem.

Dices 2 Hippocrates *Lib. de aere aquis & locis* dicit: qui habent aluos humidas, non afficiuntur morbis acutis, ſed humidis temporibus habent aluos humidas, ergo non corripientur morbis acutis ut ſunt anginæ ℞ Qui habent aluos humidas critice concedo Symptomatice nego vel diſtinguo ſic qui habent aluos humidas moderate non corripiuntur morbis acutis concedo, exceſſive nego

Dices 3 Galenus in commentario in præcedentes Aphoriſmos dicit Tabes fieri magis à calida & humida conſtitutione. ℞. Tabem ut ſupra diximus aliam eſſe humidam & ſiccam, de prima, non de ſecunda loquitur Galenus

Quæres Cur hic Hippocrates meminerit anginæ & non pleuritidis? ℞. Celeriorem ſtagnationem ab aere humido fieri in glandulis faucium & colli quam pectoris.

Aphoriſmus XVII.

Quotidianæ autem conſtitutiones, aquiloniæ quidem cogunt corpora & firma & agilia beneque colorata, ac auditu valentiora reddunt, aluum ſiccant, oculos mordent, & ſi pectus dolor aliquis prius habuerit exaſperant: at auſtrinæ corpora exolvunt & humectant, auditum hebetant, caput gravant, vertiginem oculis, tarditatem corporibus adferunt, aluum humectant.

Contentum ſeu Intentio.

De ſtatu Aquilonio & Auſtrali.

Nota hic Aphoriſmus prorſus ſimilis eſt tertio hujus ſectionis, ſupra explicato.

Connexio. Affectus ſeu morbos ab aquilonia & auſtrina Cataſtaſi provenientes ſupra recenſuit Hippocrates hic autem commoda & incommoda ab eadem provenientia clarius recenſet, neque ideo ταυτολογίᾳ ſeu repetitione arguendus, cum hocce loco plura addat prioribus, quæ comparat hoc Aphoriſmo Hippocrates quosdam alios effectus, qui à conſtitutionibus ſiccis & humidis oriuntur, & fortaſſe ut manifeſtius oſtendat, humidæ & auſtrinæ tempeſtatis incommoda, longe graviora eſſe iis, quæ à ſicca & aquilonari proveniunt, ſed & quæ ex hac accedant corpori emolumenta, ſimul una commemorat, ut nimirum omni ex parte concludat, ſalubriores ſemper eſſe ſiccas conſtitutiones, auſtrinis & pluvioſis. Dividitur hic Aphoriſmus in duas partes prima ad aquilonem ſpectat, altera ad auſtrum pertinet.

Quantum autem colligere licet, non videtur hic Hippocrates de

de totius anni, vel integræ alicujus tempeſtatis conſtitutione, ſermonem habere, ſed de illis tantummodo viciſſitudinibus, quotidie ſeu indies, per quæcumque anni tempora contingunt, cum aer alterne mutatur, & oppoſitarum aquilonis & auſtri vices ſubit. verum tamen ſi quotidianis mutationibus aquilonis, vel auſtrinis hos effectus parturit, procuidubio majores, & diuturniores erit allaturos, quando integra tempeſtate ſeu tempore non diſſimiliter perflatur ut antea Aphoriſmo quinto notatum eſt, ut propterea Celſus inter ea, quæ tempeſtates conſequuntur, retulerit Lib. 2. Cap. 1. Aquilonem ventrem adſtringere, dolores lateris & pectoris afferre, ſanum tamen corpus ſolidare & ſpiſſare & mobilius & expeditius reddere: Nam moderata ſiccitas eſt nervis amica: conſumendo nempe cerebri & nervorum humiditates, quæ ipſa languida reddebant, ſic pariter ſpiritus animales ſubtiliores & magis depurati redduntur, habitus corporis totius efficitur vivacior, hinc durante aquilonia Cataſtaſi, perfectius ratiocinamur, movemur, meminimus, audimus, videmus, guſtamus & tangimus. Auſtrum vero ut pergit Celſus, caput & aures hebetare, alvum ſolvere, & totum corpus (præſertim nervos, tendines, ligamenta) multis humiditatibus languidum efficere, vertigines atque alia incommoda inducere.

Quod autem aquilonares conſtitutiones corpora (ut ait Celſus) cogant & denſent, certo certius, ſiquidem humidas ſuperfluitates abſumit, poros conſtipat, & conſtipando membra condenſat, unde totius corporis firmitudo. hac etiam de cauſa frigidas & ſeptentrionales Regiones incolentes, durioris & firmioris texturæ obſervantur, atque laborum omnium patientiores, unde fortaſſe etiam finxit antiquitas fortitudinem & impenetrabilitatem in corporibus exortam. Non tantum autem firmitatem, ſed etiam agilitatem aquilonares venti conferunt, nam exhauſtis humidis ſuperfluitatibus, atque aqueis excrementis, quibus plurimum corpora gravantur & hebetantur, illa graciliora reddita, fiunt quoque agiliora: Eadem etiam ratione, videntur reddi poſſe coloratiora, quippe obeſa, ſucci plena & humida, plerumque decolorata & pallida obſervantur.

Quod melius audientia fiant, patet ſimiliter ex his quæ ſupra apho-

ſertim animales obeundas ineptitudo, ob nervorum ſcilicet laxitatem, à ſanguine, ejusque nutritio liquore ſeroſiori. *Alvi denique lubriciores* fiunt, tum ex mala digeſtione, quæ flante Auſtro fieri ſolet, tum ex facili inutilium humorum, per humectiores ductus, ad alvum depoſitione, præſertim quia fibræ inteſtinorum, per idem tempus auſtrinum, prompte admodum laxantur, ipſæque fæces, humidiores redditæ facilius quoque egeruntur, quæ ſane cum ex antea demonſtratis notiſſima ſunt, ulteriori non egent explicatione. Solum paulo uberius cauſam vertiginis examinemus. Equidem non bene conſtare videtur, quod ex dialibus Auſtris & ex diebus auſtrinis fugacibus vertigines oriatur quippe Hippocrates ægritudines referens, ex Auſtrina & diuturna tempeſtate imminentes, ne verbum quidem fecit vertiginis, quam procul dubio veluti cæteris periculoſiorem recenſere debuiſſet, eoque magis ſi ex diurnis aeris mutationibus, atque alterationibus ab Auſtro diali oriundam fateretur. Jure merito ergo exiſtimat Cardanus legendum cum Theodoro Gaza, *cui uni plus credendum inquit, in hac cauſa, quam univerſis interpretibus latinis ut qui græcus natus ſit, & exquiſitiſſimam ſcripſerit græcam Grammaticam, ut rationem dicendi, nemo melius callere potuerit. Vertigines in oculis fieri* pro eo, quod ſcriptum eſt ſejunctim, *vertigines faciunt, oculis, atque corporibus difficilem motum præſtant* addit præterea nequaquam potuiſſe Hippocratem de Vertigine cerebri, quæ cum comitiali morbo convenit, ſermonem habere, eo quod unius diei conſtitutio, minime poſſit materiam congregare comitiali, aut ſyderationi aptam. Verum quænam ſit hæc oculorum vertigo, ipſe non explicat. Putaverim ego, eſſe quandam in viſu trepidationem, cum objecta per aerem vapidum ſpectata, quaſi trepidare, concuti & vacillare videntur. Id autem quamvis in oculis, ipſisque nervis ocularibus & in tunica reticulari fieri poſſit, perturbata per ſeroſitates objectorum repræſentatione, ſæpius tamen contingit, ex radiorum Solarium, in craſſiori aere refractione, atque luminis ad oculos pertingentis quadam veluti inflexione & titubatione. Sæpiſſum enim id ipſum experimur, cum fluctuantem aquam, ſcintillanter igniculos, & tremulum lumen candelarum ex ſevo confectarum attentius intuemur: at vero accidit faciliime, per auſtrinas conſtitutiones aerem hujusmodi perturbationem ſubire, cum turbulentus ſimul fiat, craſſus, & radiis ſolaribus confertus, ſed & oculi una quoque per idem tempus

 hebe-

hebetantur & caligine ſuffunduntur, ut propterea male objecta corpora cernere queant, vel nonniſi cominus, præſertim cum a denſis nubibus aer ſit tenebricoſus, aut luce crepera ſublucidus.

Non prætereunda eſt ſub hoc Aphoriſmo illa Hippocratis ſalutaris admonitio, quam habet *Lib. de aere aquis & locis* quod nempe ubi Medicus ad aliquam civitatem accedit, debet *primo* illius ſitum conſiderare, an ſcilicet expoſita ſit ad Auſtrum, vel potius ad aquilonem vergat, *deinde* aquas quibus utitur, an lacuſtres, vel fluminum vel fontium: *Tertio diætas*, quibus illud genus hominum utitur: *Quarto* anni conſtitutionem. Si itaque *primo* civitas male poſita ſit, ad ventos & ſolem, procurare debet (item per artem locum & domum eligere, quæ ventorum malignitati repugnet. *Secundo* aquæ ſimiliter ſunt corrigendæ. *Tertio* diæta ſi prava ſit, mutanda. *Quarto* anni conſtitutio, ſi præter naturam fuerit, per contraria oppugnanda, hinc fiet, inquit, ut morbis præcaveat & ſanitatem conſervet. Nam qui hæc conſideraverit, ait Hippocrates, non ſolum cognoſcet ſtatim, qui morbi ſint in illa Regione peculiares, etiamſi nunquam in illa fuerit, ſed prædicet & præcavebit, cum maxima artis Medicæ gloria, quæ cum negligunt Medici, ac civitatum etiam Gubernatores in cauſa ſunt, cur multi homines ægrotent, & pereant, quod tamen non contingeret, ſi iis, quantum fieri poſſit, occurrerent per Medici prudentiam. Cum autem civitatum ſitus, maximam ſanitatis cauſam incolarum contineat, deberent civitatum conditores, Medicos peritos conſulere ut ſitum eum eligerent, qui maxime eſſet ſalubris. multum enim intereſt, ſi unum tantum ſtadium interponatur ut ſcribit Hippocrates citato loco.

Dices I. Dictum eſt Aphoriſmo decimo quarto hujus Sectionis ab Aquilone fieri gravedines & melancholias, & alibi articulorum dolores ab eo fieri, atqui in talibus affectibus corpora potius langueſcunt, quam mobiliora & coloratiora & robuſtiora fiant, ergo male loquitur hic Aphoriſmus hæc fieri ab Aquilone. ℞. Aphoriſmum hunc intelligendum eſſe, de Aquilone temperate frigido, in Aphoriſmo decimo quarto vero de intemperate frigido, & ſic nihil abſurdi eruitur. Articulorum dolores fiunt quidem ab aquilone, ſed multum excedente.

Inſtabis: Etiam aquilones calidi & ſicci corpora diſſolvunt, ergo. ℞. Aquilones calidi & ſicci, corpora calida & ſicca diſſolvunt concedo humida nego.

Dices

Dices II. Pectori nocet aquilo, propter frigus ut dictum, ergo non eſt temperate frigidus ℞. omne frigus eſſe inimicum pectori, ergo etiam temperatum ſaltem ſuo modo.

Inſtabis. Ergo omnis attractio frigidi erit noxia pulmonibus, quod eſt abſurdum, ſiquidem propter frigidi attractionem eſt reſpiratio ℞. Etſi inſpiratio frigidi, proſit cordi, pulmonibus tamen non uſquequaque amica eſt, qui a ſunt rari & ſubtiles, dempta autem frigore quocunque naturali illorum raritate, ipſis noxa infertur.

Dices III. Hippocrates *ſexto Epidem.* dixit, carnium denſitatem alvum humidiorem reddere, & raritatem ſicciorem, ergo cum Aquilones denſent corpora & conſequenter carnes, alvos humidas & non ſiccas efficient ℞. Aliam eſſe carnium denſitatem naturalem aliam illatam ab Aquilone frigido, in illa tamen humores nec tranſpirant, nec exſiccantur, ſed ad alvum repercutiuntur; in hac vero tranſpirant & exſiccantur, hinc etiam alvi ſunt ſicciores, quæ ſolutio clarior eſt quam illa, quam Fonſeca affert.

Quæres I. Cum Hippocrates in Aphoriſmo dixerit, *corpora* melius fieri audientia, utrum omnes ſenſus ſub hoc intelligantur ℞. poſſe quidem cum Galeno in Comment. dici quod ſic, quia omnes à ſicco temperato corroborantur, excepto guſtu, qui moderata humiditate delectatur & à nimia ſiccitate læditur.

Quæres II. Quomodo hic Aphoriſmus differat à quinto? ℞. Hippocratem ibi tantum fuiſſe locutum de damnis ab Aquilone & auſtro illatis, hic autem etiam loquitur de commodis. Secundo ibi agit de diuturnis conſtitutionibus, hic vero de quotidianis.

Quæres III. Utrum hominibus ad Aquilonem & Auſtrum habitantibus iidem effectus ſunt exſpectandi? ℞. Certum eſt, quod melius ſit ad Aquilonem habitare quam ad Auſtrum, hinc urbes ad Aquilonem ſitæ, magis ſalubres ſunt ut diximus in textu, quam quæ ad Auſtrum.

Quæres IV. Quomodo Auſter poſſit corpora humectare cum ſupra dictum ſit, humiditates corpora denſare & poros corrugare? ℞. nos conſecutive locutos, & non ſtatim à principio: deinde per inſpirationes, tum pectoris tum capitis corpora perpetuo humectantur.

Aphoriſmus XVIII.

Per tempora vero anni, vere quidem & prima æſtate, pueri, & his ætate proximi, optime degunt, valentque maxime: æſtate vero & autumno, ad aliquam usque partem, ſenes. Reliquo autumno & hyeme, qui mediam ætatem agunt.

Contentum ſeu Intentio.

De Temporibus anni ætatibus aſſignatis.

Connexio. Cum in tertio hujus Libri Aphoriſmo, ætates varias, ad anni tempora, varie ſe habere pronuntiaſſet Hippocrates, interpoſitis ſententiis multis clariſſimis, ad temporum conſtitutionem pertinentibus, nunc ad ætates accedit, explicans, quo ſingulæ modo ſe ad tempora habeant.

Proinde Aphoriſmus præſens in tres partes dividitur *Prima* concludit: quod *pueri, & iis ætate proximi vere & prima æſtate optime degant: Secunda Senes æſtate, & ad aliquam partem autumni maxime valeant Tertia Mediæ ætatis homines, Hyeme & aliqua Autumni parte, beate ſe habeant:* Verbo concludit contraria contrariis curanda & ſimilia ſimilibus conſervanda eſſe.

Proſequitur itaque Hippocrates in hoc Aphoriſmo, ſingulis hominum ætatibus, convenientia anni tempora explicare, cum mox inferius morbos iiſdem contingentes ſit enarraturus. Enumerat autem quatuor tantummodo temporum mutationes, aut quia iſtæ ſenſibiliores ſunt, & vulgo magis receptæ; aut quia de regionibus, in Zonis & climatibus temperatis, ſolum ſermonem habere voluit aut quia demum in his tantum ſuas obſervationes inſtituit, cum ea, quæ experimentis comperit, conſulto ſcripſerit, & poſteris tradiderit

Facto itaque initio a prima anni ætate ſeu *vere pueros* inquit, optime ſub illo valere, quibus & adoleſcentes adjunxit, ut ſignificare videntur

dentur verba illa: [*& qui hos proxime ſequuntur ætate*. Etenim Hippocrates, non quatuor ætates ſolum in hominum vita, quemadmodum viſus eſt docere Galenus, ſed multo plures diſtinxit; quamobrem Celſus, merito eos hic interpretatur, qui illis ætate vicini, proximi & conjuncti ſunt: ut qui proximi & conjuncti pueris ſunt Adoleſcentes. Sic pariter cum vere, primam æſtatem, ſeu illius principium conjunxit, quod ejuſdem fere ſit conditionis; quamquam Galenus ſuperſtitioſe nimis Adoleſcentes vere, æſtatis vero initio pueros, ſalubriter vivere commentatus eſt: Æſtate autem & autumno non omnino, ſed aliqua ex parte ſenes ſanos degere, & per reliquum anni tempus, atque ſuccedente Hyeme eos, qui mediam ſeu conſiſtentem ætatem habent.

Quibus Hippocratem reprehendere libido eſt, quique nodum in ſcirpo quærunt, multa in hoc Aphoriſmo ogganiunt

Primo: Illum redarguunt oblivioſus, quod ſuperioribus Aphoriſmis dixerit, Naturarum alias quidem ad æſtatem alias vero ad hyemem, bene vel male ſe habere, quo ſane inquiunt, ſatis fuiſſe dictum & ſtatutum, quod hic inutiliter videtur repetitum, cum & pueri & juvenes, & ſenes, ſub generali ætatum conſideratione, omnino comprehendantur

Secundo: Addunt non recte dictum, ab eodem: *Vere pueros, & qui proxime ſequuntur ætate*, ſcilicet Adoleſcentes, *optime degere*, cum id tempus ſua Natura ſit cunctis ſaluberrimum, ideoque non ſolum pueris & adoleſcentibus, ſed etiam juvenibus, atque in conſiſtenti ætate conſtitutis, documento ejuſdem Hippocratis Aphoriſmo nono hujus Sectionis.

Tertio: Subdunt, pueri vere, ob conſimilem Naturam, & temperiei commoderationem, bene ſe habent, ideoeſt, ut etiam primam æſtatem addiderit, quæ cæteroquin calorem præſefert, aliquanto prævalentiorem puerili ætati penitus incongruentem, cum hac undequaque moderamine fruatur & gaudeat.

Quarto: Nec hoc omnino videtur verum, vere optime pueros degere nam ex infra dicendis conſtabit per id tempus, ſanguineis morbis, eos corripi.

Quinto: De ſenibus quoque addunt, quod licet bene ſe habeant æſtate, autumno tamen ii male vivant. Quippe autumnus tabidis malus dicitur, inter quos ſenes ab eodem Hippocrate referuntur *ſecundo*

 de

de Morbis; isque tempore inæqualis, utriſque exitioſus eſſe ſolet, ſenibus autem potiſſimum, ob maximum ejus ætatis languorem.

Sexto. Perperam quoque ipſis videtur adjectum, *æſtate vero & autumno, aliquatenus ſenes*; quaſi hi non omnino bene ſe habeant æſtate, cum tamen ſenilis calor veluti imbecillis & infractus, quam maxime foveatur, & adjuvetur ab ambientis aeris æſtivo calore.

Septimo. Quin media ſeu conſiſtenti ſimi ætate nec videntur rationabiliter dici poſſe ſalubriorem vitam ducere, per reliquum autumni tempus, & in hyeme, quandoquidem hi frigidi quoque & ſicci dicuntur, atque melancholicis ægritudinibus obnoxii, nimiſque ferentes autumnales aeris viciſſitudines atque inæqualitates.

Octavo. Cum hoc loco Hippocrates de temporibus agat, quæ ſingularum ætatum temperaturis congruant ut videntur denotare verba illa: *Jam ſunt maxime*, certe, quemadmodum puerilis ætas, & quæ proxime hanc ſequitur ob conſimilem temperaturam, bene ſe vere habebit, & optima ſanitate fruetur, itaque adverſo ſenilis hyeme, & juvenilis æſtate optime deget, cum alias ab eodem dictum ſit, nimis periclitari eos, qui temporis magis congruunt, in ſuis temperiebus. *Verum* iſtum juſte nimis Hippocratem arguunt, cui manifeſtæ rationes & experientia ſuffragantur.

Primo. Quidem Aphoriſmo 2 hujus Libri, generalem tantummodo rationem habuit Naturarum, quod aliæ ad æſtatem, & aliæ ad hyemem bene maleve ſe haberent, ubi non tantum ſalubritatis ſed etiam proclivitatis ad ægritudines contrahendas meminit; at hic, reſtrictiori ſermone ætates memorat, quæ in anni tempeſtatibus ſalubrius degunt, unde quod ibi generaliter protulit, hic ſpeciatim ſingulis ætatibus adſcribit.

Secundo. Ver, quamvis ſua Natura ſaluberrimum ſit, maxime tamen puerorum ſanitati conducit. Et tametſi ſenes, verno tempore bene quoque ſe habeant, relatis ſcilicet ad cæteras præcedentes tempeſtates, adhuc tamen ſalubriorem vitam degunt æſtate, cum nimirum calidior aer, vividiores reddit cunctas eorundem operationes.

Tertio. Dixit etiam *prima æſtate*, pueros, & adoleſcentes eadem ſalubritate frui, quoniam principium æſtatis eandem referre ſolet, cum veris fine temperiem, & conditionem, cum per id tempus, aer non adeo fervidus ſit, ut mollem puerilium carnium texturam exſolvere,

vere, & eliquate queat, præſertim ſi initium æſtatis, ea diſtributione ſumatur, qua idem Hippocrates juxta morem antiquorum, ab ortu vergiliarum ad ſolſtitium æſtivum facere conſueverat.

Quarto Cæterum, quod tunc ægrotare aliquando illis accidat, non indè fit, ut plerumque & maxima ex parte ſalubrius non degant: quippe cunctis temporibus omnibus morborum generibus homines in unaquaque ætate laborare poſſint, tunc præſertim, cum præpotens cauſa, ægrotare faciens præceſſerit.

Quinto Autumnus ſenibus plane periculoſus eſt.

Sexto Neque vero dicit Hippocrates ſalubriter illos vivere tempore autumnali ſed tantum *aliquatenus* ſeu *aliquantiſper*, ſi potiſſimum æſtatis conditionem referat, unde disjunctim legemus, *æſtate vero & autumno aliquatenus*; ita ut ſenſus ſiat ſenes æſtate quidem bene degere, autumno vero aliquatenus, id eſt aliqua ex parte, præcipue inter illius initia, & cum conſimilem æſtati conſtitutionem participaverit: id quod præſertim fieri ſolet ipſo ineunte.

Septimo Per reliquum autem autumni tempus & hyemem, bene ſe habebunt, conſiſtentem ac mediam ætatem adepti, qui non ſolum viri ſed & juvenes intelligendi ſunt, atque commentatur Heurnius etiam à vigeſimo quinto anno ad quadrageſimum producti, comprehendentes nimirum juventutem & virilitatis initia cum reliquum ætatis virilis referant Hippocrati, ad crudam ſenectutem, quæ ex mente ejuſdem Autoris, initium ſumit, à ſeptimo annorum ſeptenario, tum enim vires robuſtæ ſunt & ſanguis vegetior, unde in æqualitatem autumni non tantum ferent, qui in media & conſtanti ætate ſunt, ſed etiam ſuperabunt hyemalis temporis rigorem. Clarius proinde Celſus, hanc ſententiam eſt interpretatus, ut juvenes hyeme, & qui inter juventutem & ſenectutem ſunt ſalubriorem vitam ducere ſcripſerit. Accedit, quod conſiſtentem ætatem nacti, ſiunt omni ex parte prudentiores, ut quaſcunque cauſas extremas vitare, & ab aeris viciſſitudinibus atque alterationibus ſe tueri quam optime calleant.

Octavo & ultimo. Puerilis ætas, veluti in moderamine poſita, vere, cæteris temporibus temperatiori melius ſe habet: porro id mediocritatis eſt, ut in alterutram partem, vergens à ſanitate declinet. At vero intemperata Naturæ a mediocritate recedentes, ut in ſalubritatem revocentur, in oppoſitum quodammodo ſtatum ducendæ ſunt, unde

unde in oppoſitis ſibi tempeſtatibus melius degunt, ut jam ſupra meminimus, quamobrem juvenes & viri, ante annum quinquageſimum floridiori ſanguine præditi, ſicuti æſtatis ardorem non bene ſufferant, ita hybernum frigus melius ſuſtinent, imo exinde ſalubrius vivunt, ſanguine in contractiorem craſim reſtituto. Unde an bene vel male à quibusdam æſtas juventuti comparetur aliorum ſit diſcutere, id ſenſiſſe videtur Ovidius.

Tranſit in æſtatem, poſt ver robuſtior annus
Fitque valens juvenis, neque enim robuſtior ætas
Ulla, nec uberior, nec quæ magis ardeat, ulla eſt.

Hoc quidem vero ſimile eſt æſtatem & juventutem in multis eſſe ſimilia ſed non convenientia ad ſui conſervationem. Æſtatis enim aer eſt calidus acer & exuſtorius, juventutis calor intenſus, acer & deprædatorius. Æſtatis ſucci, ſunt ingrati, amari, corrodentes. Juventutis liquores bilioſi, amari, effervescentes. In æſtate pecora deponunt petulantiam, induunt ferocitatem & quandam rabiem. In juventute deponitur ſuavitas & induitur ſæpe ſæpius iracundia: hinc *Horatius* de Juvenibus:

Invidus, iracundus, iners, rixoſus, amator.

Autumno ſimilis dicitur virilitas. teſte eodem Ovidio:

Excipit autumnus poſito fervore juventæ,
Maturus, mitisque inter juvenemque ſenemque
Temperie medius, ſparſis quoque tempora canis.

Quod nimirum autumno ſolis receſſus in macrocoſmo hoc caloris receſſus in microcoſmo. In autumno maturantur fructus, implentur horrea. In virilitate maturantur homines implentur marſupia. In autumno recedente ſole, ſucci refluunt ad interiora terræ, in virilitate paulisper deficiente calore humores in profundum corporis. In autumno pruina decolorat folia. In virilitate auræ aſperitas capillos. In autumno non tantum foliorum ex arboribus, ſed totius vegetationis incipit decadentia. In virilitate, non tantum crinium ſed omnium actionum decrementum & morborum feraciſſima ſeges.

Hyems & Senium etiam coincidunt, teſte eodem Ovidio:

Inde ſenilis hyems, tremulo venit horrida paſſu,
Aut ſpoliata ſuos, aut quos habet alba capillos,

Ut

Digitized by Google

Ut enim anno hyems, ſic ſenectus vitæ finem imponit: In hyeme tremunt artus, in ſenectute vacillant. Hyemali frigori ignis, ſenibus fornax præſidio eſt, unde in hoc noſtro Aphoriſmo apprime dixit Hippocrates *Æſtate ſenes optime degere*. In hyeme aqua congelaſcit, in ſenio lympha craſſeſcit & vitreſcit: Hyeme gelu dependet à tectis, in ſenio mucus ex naribus. Hyeme recta coperta ſunt nive, in ſenio capita canitie. Hyeme nihil creſcit, in ſenio corpus decreſcit: Hyeme animantia taciturna & melancholica; in ſenio homines moroſi & inſipidi. Hinc Poeta:

Ex nigro mentum, ſenio mutatur in album,
 Candida quæ fuerat mens, tibi facta nigra eſt.

Et ſicuti animantia in hyeme, ita homines in ſenio plurimum requieſcunt, & quaſi adhuc viventes ſeſe ad requiem æternam & ſomnum perpetuo duraturum (mortem ſcilicet) diſponunt. quam ex hac ratione nullatenus timuit ille ſeniculus dum canit.

In ſomnis quanquam ſimulem pro tempore mortem,
 Non eſt pars vitæ, dulcior ulla meæ.
Permirum eſt in morte igitur quid tam ſit acerbum,
 Tam dulcis cum ſit, mortis imago, ſopor.

Æſtas ergo ſenibus remedio eſt, eo quod ſol in leone, & calor ambiens externus, caloris interni defectus aliqualiter compenſet, frigoris effectus omnino prohibeat. Aliam & ſat acuminoſam hujus rationem dat Poeta:

Claude Galene libros, nulla eſt Medicina Senectæ:
 Magnum hoc ſecretum, ſolus Apollo tenet.
Primus Apollo fuit Medicus, ſed & invidus artem
 Curandi vetulas, ad ſua regna tulit.

Hæc interim ad diſtractionem curioſam, non ad doctrinam dicta ſunto.

Quæres primo: Quomodo pueritia dicatur temperata, cum tamen ſit quaſi excedenter humida? ℞. Reſpective ad alios non abſolute, vel eſt temperata, temperamento ad juſtitiam, non ad pondus.

Quæres ſecundo: Cur Hippocrates corpora generationi vicina vocavit calidiſſima, nam quod eſt tale, non poteſt eſſe temperatum? ℞. calidiſſima vocari calore innato, non adventitio, primo autem

modo poſſunt dici temperata, quia talis calor illorum Naturæ & ætati convenit.

Quæres tertio. Quomodo ver poteſt dici temperatum, cum ſit calidum & humidum? ℞. Tale dici ver, quia maxime accedit ad noſtram craſim, non tamen abſolute id aſſerendum.

Quæres quarto. Quænam ætas inter omnes ætates dicatur temperata? ℞. illa quæ eſt circa finem incrementi, eſt enim medium quoddam temperatum æqualitate numerica.

Quæres quinto. Quænam ætas ſit temperata ad juſtitiam? ℞. Eam eſſe quæ vitam reſpicit, quæ minus ægrotat, errata facilius tolerat, & actiones omnes habet inculpatas, id eſt *adoleſcentia* in qua adeſt virium robur, optimus ſanguis, optima corporis moles, omnes facultates & actiones vigent.

Quæres ſexto. Quotupliciter ſe habeat ætas ad anni tempora? ℞. cum Fonſeca *tripliciter.* *Primo* reſpectu univerſalis vitæ, qua ratione omnis ætas ſeſe bene habet ad ver, male ad autumnum; quia ver ſaluberrimum eſt, autumnus autem inſalubris. *Secundo* ratione caloris, ſic omnes ætates robuſtæ melius ſeſe habent ad hyemem, eo quod per illud tempus calidum innatum ſit copioſum & magis concentratum & unitum. *Tertio* ætas ſe habet ad anni tempora, quo ad temperamenti correctionem vel conſervationem, ut accipitur in hoc Aphoriſmo.

Dices I. Pueri ſunt temperanter humidi, ergo non bene ſe habebunt ad ver utpote humidum, ergo melius ſe habebunt ad æſtatem vel autumnum ℞. puerorum humiditatem eſſe illis utilem & neceſſariam ob incrementum corporis, quia alias demenda foret illis humiditas & alimentum ſiccum præſcribendum, quod eſt contra rationem; deinde poſito, quod æſtas pueris prodeſſet, ob ſiccitatem, noceret ob calorem.

Inſtabis: Autumnus confert calidis & humidis ergo etiam pueris ℞. convenit calidis & humidis exceſſive talibus concedo, moderate talibus ut ſunt pueri nego.

Vrgebis: Senes ſunt à Natura ſicci, ergo illis etiam debet æſtas ſua ſiccitate nocere ℞. plus illis calorem æſtatis prodeſſe quam ſiccitatem quæ eſt paſſiva qualitas.

Dices

Dices II. Ver omnibus prodeſt, ergo etiam ſenibus &c. æque ac æſtas nego, aliquomodo prodeſt concedo.

Dices III. Autumnus omnibus nocet ob inæqualitatem ergo maxime ſenibus &c. prima pars autumni quæ eſt æſtati vicina nego, media & ultima pars tranſeat.

Dices IV. Qui mediam ætatem habent, videntur maxime temperati, quia medium reſpectu utriusque extremi, maxime debet eſſe temperatum, præſertim quando tranſitur ab uno ad aliud, ut hic fit, &c. jam antea diximus eſſe tantum medium in æqualitate numerica. Deinde patet ex Aphoriſmo, quod qui mediam ætatem habent, gaudeant hyeme, ergo ſunt intemperati ſecundum calorem & ſiccitatem nam hyems eſt frigida & humida.

Aphoriſmus XIX.

Quilibet, in quibusvis anni temporibus morbi fiunt, nonnulli tamen in quibusdam ipſorum, tum fiunt tum exacerbantur.

Contentum ſeu Intentio.

De Morbis à temporibus anni invitatis.

Connexio: Cum hucusque Hippocrates, morbos in diverſis anni conſtitutionibus ac tempeſtatibus ſeu temporibus evenientes retulerit, atque impoſterum erat enarraturus, ne quis crederet, eos non niſi his vigentibus futuros in reliquis vero nequaquam, admonere cogitat hoc Aphoriſmo Medicos, ut unoquoque tempore, ac vigente quacunque anni tempeſtate & conſtitutione, cujusque morbi periculum timeant, cauteque prævideant, cum quolibet tempore, illi accidere, & vage omnia corpora afficere poſſint, ſunt tamen illorum pleraque, qui magis uno quam altero anni tempore obſervantur & affligunt. Proinde hic Aphoriſmus in duas partes dividitur. In prima docet, quolibet tempore poſſe fieri quemlibet morbum: In ſe-

cunda vero tradit, quod tamen in quædam anni tempora quidam morbi magis incidant & eveniant.

Hinc quoad primam partem clare elucescit, opus nec neceſſarium eſſe, ut omnes morbi ſint aerei, vel aeri cognati, ſeu ut pure pute ab aere tantum proveniant, ratio eſt, quia quovis anni & aeris tempore, omnis generis & quicunque morbi fieri poſſunt, v. g. a depravata victus ratione cibo vel potu vel aliis rebus non naturalibus præpoſtere & indiſcriminatim uſurpatis, nempe otio ſeu vita ſedentaria ſomno pomeridiano aut alias longiori, comeſſationibus & guloſis ingurgitationibus, ingentibus mœroribus, ira, Heraclito temperamento, & craſi, cacochymia, plethora, vel ab utraque, vel ætate, loco, ſexu vel quocunque alio vitio, interno vel externo, unde ſolis anni temporibus, eorumque mutationibus, hi ſemper adſcribendi & attribuendi non ſunt. Licet quidem rarum ſit ab iis morbos progigni, quin non pariter aer accedat corpora diverſimode diſponens.

In ſecunda tamen Aphoriſmi parte, & quidem fundate dicit, quod quidam atque plures morbi magis uno quam alio tempore incidant, & affligant. Unde nonnulli potius æſtate quam hyeme; alii autumno potius quam æſtate. Sic experimur, pleuritides, Catharros, apoplexias, Paralyſes, ſopores &c. Hyeme potius evenire quam æſtate. febres ardentes, tertianas, variolas morbillos, eryſipelata magis æſtate quam hyeme. Sunt & alii, qui licet fieri quidem poſſint, quocunque anni tempore, magis tamen alio intercipiuntur & exacerbantur. Hydropes enim aliquando contingunt æſtate, exacerbantur autem hyeme: ut & quartanæ febres æſtate & ſæpe ſæpius autumno invadentes, graviores & infeſtiores obſervantur brumali tempore.

Verum tamen à cauſis petenda eſt, iſtius modi morborum varietas. Etenim qui omnino ab aere pendere videntur, licet ſoleant eſſe communes, univerſales, & epidemii, poſſint nihilominus, certo quodam anni tempore exacerbari & vigere. a cibis vero, laboribus, animi pathematibus aliisque cauſis (uti mox innuimus) inducti, ſicut particulares plerumque ſunt, ita particularibus mutationibus permutantur, quarum certa ratio haberi nequit, cum fere indefinitæ illæ cauſæ ſint.

A propriis & peculiaribus cum corporum conſtitutionibus &

habe-

habitudinibus ſæpe numero accidit, ut morbi quoſdam arripiant, cum aliqui unius, & alii alius conſtitutionis & habitudinis ſint immunes. Atque hinc fit, cur graciles aliquando ægrotent, & obeſi ſalubriter degant, ut & pueri infirmentur, non ſenes, fœminæ non mares, ſedentariam vitam ducentes, haud quaquam exercitiis dediti vel e contra, refert *Cardanus* olim Patavii, grari quodam morbi genere fuiſſe Hebræos ſolum affectos, alios immunes & Baſileæ alias, peſtilenti morbo cives duntaxat laboraſſe, non advenas, forte quia ex vino, a cibis & potibus, jam pridem in communem uſum ſibi tis, illorum habitudo, atque corporum conſtitutio, eam contraxerat in humoribus & ſanguine conſtitutionem & diſpoſitionem, ut hanc illam ſoli cives incurrerent, non exteri, alio victus genere uſi. Refert quidam Autor Anno 1618 ſolos pueros per univerſum fere Italiam, ſed immanius per Regnum Neapolitanum, Angina maligna ſuſtulit, cujus deinceps contagione, interierunt ſuccedentibus annis omnis fere generis quadrupedia cornigera præſertim boves. Huc etiam referri poſſunt morbi illi, qui Endemii ſeu Patrii aut Vernaculi appellantur, qui ſcilicet, peculiares tantummodo Regiones infeſtant, ut eſt Scorbutus, familiaris Belgis, Hollandis, Danis & Anglis. Sic pariter fuit lepra apud Hebræos, Elephantiaſis apud Græcos, Mentagra Romanis tempore Plinii, ſudor Anglicus, Plica Polonica, ut Syphilis temporibus Americanis.

Unde autem morbi omnes, omnibus indiſcriminatim & univerſis anni temporibus contingere poſſint, ratio deſumenda videtur ex eo, quia morbi potius, ab internis cauſis, puta, humoribus præter naturam affectis, quam ab externis & procatarcticis quæ vulgo occaſionales appellantur, exoriuntur. Cumque ubi quocunque anni tempore inſici poſſint atque diverſimode permutari, inverti, & a conſueto ac naturali more deſciſcere, poterunt quoque, quandocunque male affecti fuerint, omnes & quoſcunque morbos in quibusvis corporibus parere. At vero quia non tam facile ſponte ſua vitiantur, niſi ab aere, cibis ac potibus, cæteriſque cauſis, non naturalibus dictis, perturbentur, hinc fit, ut ſæpe numero iſtas diverſimode corpora alterantes morbi conſequantur & aliquando magis aut minus exacerbentur pro varia earundem & corporum affectorum conditione.

Dices I. In hyeme & ſene non ſemper adeſt cauſa intemperiei calidæ, ergo non poteſt corripi febribus ergo non quolibet tempore,

 quivis

quivis morbus poteſt fieri ℞. poſſe morbum calidum in hyeme & ſene generari, facto nempe gravi exceſſu in rebus ſex nonnaturalibus præſertim in cibo & potu calido.

Inſtab. Tempore calido & ſicco non poſſunt fieri morbi humidi uti ſunt catharri Ergo ℞. catharros in hoc caſu fieri per fuſionem & liquationem materiæ in corpore turgentis.

Dices II. Tempus, cum teſte Ariſtotele, *ſit menſura motus, ſecundum prius & poſterius*, menſura non poteſt agere in nos, quia eſt tantum quædam qualitas relativa, quæ nullam habet actionem ℞ tempus in abſtracto non agit in nos concedo In concreto, quatenus connotat talem aſtrorum diſpoſitionem & morum nego.

Dices III. Morbi hæreditarii ut phtiſis, arthritis &c. non poſſunt quolibet anni tempore fieri, cum multi ſint qui a ſemine non ſunt læſi ergo Aphoriſmus non eſt univerſalis ℞ morbi hæreditarii non poſſunt in quolibet fieri indiſpoſito concedo diſpoſito nego.

Inſtabis Nec in diſpoſito quia jam factus eſt, ergo non poteſt amplius fieri ℞. poteſt tamen ſemper iterum excitari

Urgebis Iſta diſpoſitio hæreditaria non poteſt eſſe in fœtu adhuc ergo nulla ſolutio ℞ non poteſt eſſe in actu primo nego, in actu ſecundo concedo.

Aphoriſmus XX.

Vere enim furores, melancholiæ (ſeu atræ biles) Epilepſiæ, fluxiones ſanguinis, Anginæ, gravedines, raucedines, tuſſes, lepræ, impetigines, vitiligines, & puſtulæ ulceroſæ plurimæ, tubercula & articulorum dolores.

Contentum ſeu Intentio.

De Pathologia morborum vernalium.

Connexio: Manifeſta prorſus ratione, cohæret præſens Aphoriſmus cum ſuperiori; cum enim in eo ſcripſerit Hippocrates, quos-

quoſdam morbos eſſe communes & proprios cujusque temporis, modo id ſpeciatim explicare aggreditur, aſſumens primum ver & illius peculiares morbos: Enumerat proinde in hoc veris, in ſequentibus autem Aphoriſmis morbos, qui ſingulis anni temporibus plerumque accidunt.

Unde hic Aphoriſmus, cum unicam ponat concluſionem, nempe de morbis veris, non eget diviſione, ſed manet unimembris, facit ergo in hoc Aphoriſmo initium à vere, & dicit, furores, melancholias ſeu morbos melancholicos, comitiales ſeu epilepſias aliosque hoc tempore evenire, non autem quod hi ſolum eo anni tempore contingant, ſed ut plurimum, cum & alii plures, conſimilem Naturam participantes, per idem tempus obſervari poſſint, ubi præſertim nihil obſtiterit, quod ratione propriarum conſtitutionum, & ætatum, vel etiam peculiaris Climatis & Regionis, aut demum Cauſa ciborum, potuum, exercitiorum, & cæterarum rerum non naturalium, Vernalis temporis diſpoſitionem prævertetit & immutaverit. Si itaque genericam horum in Aphoriſmo enarratorum morborum rationem elicere velimus, generaliter hoc obſervandum & ſciendum atque dicendum erit. Succos omnes in Macrocoſmo hyemali tempore, vel delitеſcunt in terræ profundo ſteriles, vel ſtagnant in ejus ſuperficie inertes & mortui. Vernali tempore, calor Solaris nobis vicinior factus, ſublunaria hæc, vivifica quaſi aura afflando & animando, ſuccos ſteriles fæcundat, mortuos vivificat, craſſos attenuat, ſtagnantes movet, pigros impellit, in profundo ſepultos ad terræ ſuperficiem attrahit. Hac ipſa Vernalis caloris actione, ſucci in corpore humano, hyemali tempore ſtagnantes, novum motum & fermentationem concipiunt; ipſaque Natura propriis viribus vernali tempore, maxime vigentibus confiſa, in humores peccantes, craſſos, viſcidos, lentos, acidos, crudos, aduſtos, & corruptos, autumnali & hyemali tempore collectos & retentos insurgit, maſſamque ſanguinis exagitando, heterogenea ſeparare & educere, homogenea vero congregare, meliorare, & ſic individui Naturam annuatim quaſi renovare ſatagit. Et ex hac critica humorum commotione, omnes morbi vernales ſuam trahunt originem.

At hic illico ſe exhibet, enucleanda non levis in Hippocrate contradictio. Is enim Aphoriſmo nono hujus Sectionis *ver ſaluberrimum* & minime exitiale profitetur, indicans exinde, vel nullos vel leviſſimos morbos,

morbos, veris tempore evenire; modo autem enarrati morbi & multi ſunt & peſſimi, quales potiſſimum comitiales, furores, ſanguinis profluvia, anginæ, lepræ &c. à quibus non raro periclitari, & perire ægrotantes cunctis notum eſt.

Conatur Galenus *in commentario* contradictionem hanc ſolvere & utramque ſententiam in commodum ſenſum referre; ſaluberrimum inquiens, bene dici ver, etſi hos pariat morbos, quoniam à centro corporis ad ejuſdem habitum, humores vitioſos educit: nam hoc ipſo tempore profundum corporis expurgatur, vitioſis humoribus à partibus principalibus ad cutem pervenientibus, vel ad loca viliora tranſpoſitis. Alii ſunt, qui enarratos morbos, a ſola ſanguinis plenitudine ortos putant, quæ comparata ad cacochymiam levior, & quodammodo ſalubrior cenſenda videtur. Alii ver dupliciter conſiderant, quo ad morborum generationem, vel ratione ſui ipſius vel ratione temporum præcedentium. Unde bene adſcripſit Hippocrates præfato Aphoriſmo nono veris temporis conſtitutionem, ſanis potiſſimum corporibus congruentem, quibus procul dubio ſaluberrima eſt: at vero ob tempora præcedentia, puta autumnum & hyemem, & per ea, aut a Natura ipſa corpora recrementis inquinata, & male affecta, quando adventante vere alterantur & morboſa fiunt, in dicta potiſſimum mala incidunt, in Aphoriſmo noſtro recenſita. hæc enim eſt differentia inter tempus vernale & alias anni tempeſtates, ut illud, niſi corpora impura fuerint & pravis ſuccis imbuta, in optima ſalubritate tueatur, reliquæ vero tempeſtates, etiamſi corpora ſe bene habeant, adhuc tamen male afficiant & alterent, quippe *æſtate* ſudoribus, oris amarore, ſiti, ciborum faſtidio, cruditate, laſſitudine, anxietate plurimum vexantur; quin excandeſcente ſanguine, facillime corripiuntur febribus, doloribus, vigiliis, diarrhæis, cæteriſque gravioribus ſymptomatibus, humorum omnium acredinem & tenuitatem ab æſtu conſequentibus: & *hyeme* catharri, tuſſes, gravedines, raucedines, perfrigerationes fiunt: at vere nihil horum accidit, ſed corpus ab aere temperato, in ſumma mediocritate conſtitutum, omni fere vitio caret, quamobrem niſi humores pravi & excrementa alicubi reſtagnaverint, ſane nulli morbi per id tempus aderunt.

Quo autem pacto furores & morbi melancholici ac comitiales, ſicut pariter lepræ, puſtulæ & dolores articulorum vere accidere poſſint?

fiat? quave ratione inter vernales morbos, hic recenſeantur? alia eſt hujus loci gravior difficultas, cum alioquin illi referendi videantur inter morbos hyemales, præſertim quia ex ſuperioribus Aphoriſmis, major pars horum in conſtitutionibus pluvioſis & auſtrinis evenire dicta eſt. Auſtrinæ autem & pluvioſæ conſtitutiones quam maxime vigere obſervantur hyeme non vere. At huic facile occurret, qui tantum habuerit morbos vere contingentes, ex peculiari ejuſdem conſtitutione, ſequi vitium ſanguinis, cum hic eo tempore, internam ſubeat commotionem, atque partium inerſium ſenſibiliorem plane ſecretionem & exolutionem; quin & manifeſtius fermentetur, increſcat & moveatur, eo prorſus modo, quo per idem tempus, experimur ſuccos alibiles ad augeri, & promptius & uberius, poros & fibras arborum ſubire. Quoniam vero ſanguis, per partium texturam tranſiens præcedenti hyeme, non tam commode (ut diximus) a ſuis impuritatibus potuit depurari, accedente vere, quo carnium textura laxior fit, & ductus ac ſecernicula corporis, patentiora evadunt, melius ille repurgatur, ut penè novam videatur induere Naturam. quo etiam fit, ut vagantes per Hyemem quartanæ, aliæque horrificæ febres, eodem verno tempore deſinant, ſecretis nimirum & depulſis ſanguinis inquinamentis. Id ipſum comprobare licet, analogia Macrocoſmi cum Microcoſmo, in aquis Thermalibus, quæ ſponte ſua per eadem tempora e terræ visceribus erumpunt, & vires ſuas exerunt, longe cæteris temporibus efficaciores. At vero quis non videt, venas & arterias, vernali tempore turgere, pulſus fieri elatiores, roſeo colore vultum præcipue decorari, urinas augeri, capillos renaſci & ſanguinem ipſum, vegetiorem redditum, ſponte ſua pleriſque e naribus extillare. Juxta Poetam, qui ad ſydus Tauri Vernali tempore Dominans alludit

Vere novo Goliath, ſuperat Natura gigantem
Hic maxilla aſini, victor ab hoſte fuit
Martia vulnificis Natura potentior armis
Vere coit, Tauri cornua prona gerit

Si ergo ſanguis vere, ejuſmodi mutationes ſubit, non mirum ſi morbi tunc ſanguinei exoriantur, quos hoc loco memorat Hippocrates, ubi vitium aliquod, is contraxerit, ſecretis nimirum & depulſis impuritatibus. Et quoniam præcedenti Hyeme pleruinque, ſanguis ex conſtipata cute, ac perſpiratione præpedita, acorem aut acritatem contra-

hit, idcirco furores, morbi melancholici, lepra, aliæque ſimiles ægritudines contingunt, variæ ſolum pro varietate partium in quas excrementoſi humores deponuntur.

Furores hoc loco memorati, non ſunt qui cum febre accidunt, cujuſmodi eſt Phrenitis, ſed ſolum communi nomine dicti, *mentis motiones* ſeu deſipientiæ, quas idem Hippocrates unico vocabulo eſt complexus, cum inquit 6. Aph. 53. *Deſipientiæ ſeu deliria quæ cum riſu ſiunt, ſecuriora, quæ vero cum ſtudio periculoſiora.* Diſtinxit autem alibi idem Autor quatuor claſſes deliramentorum, quæ ſcilicet cum feritate & impetu, *ut in Phrenitide & Mania*; quæ cum mæſtitia & timore, ut in *Melancholia*, quæ cum manſuetudine & fatuitate, ut in *Infania & Stupiditate*, & demum quæ cum riſu & lætitia, ut in *Amore, gaudio & ebrietate*. Modo videtur hic, vel, generali quodam delirio ſeu mentis depravatione furorem deſignaſſe, vel, etiam tantum deſipientiæ ſpeciem quæ cum riſu & gaudio evenit, cum hujuſce generis deſipientia, a ſanguine potiſſimum vegetiori & viridiori pendere ſoleat. Non incongrue etiam intelligi poſſet delirium Melancholicum, quodammodo indicatum in Textu: Siquidem ſinguis acore quodam per præcedentem Hyemem infectus, & mucoſitatibus hyemalibus quaſi vinculis ligatus totaque hyeme quietus, & incognitus per modum Cancri occulti in corpore humano deliteſcens, adventante poſtmodum vere, Natura noſtra in melioranda individui conditione ſedulo occupata, iſtis pravis acidis, fixis, viſcidis & lentis humoribus, novam ſpirituaſcentiam, volatilitatem & edulcorationem, inducere laborat, quo motu perfectivo exagitati, facile ejuſmodi pravas ſuperfluitates liberiori meatu per laxiorem viſcerum texturam trajicit & in glandulas, per cerebri corticem diſperſas deducit vel alio deponit: unde cerebrum in ſuis functionibus animalibus depravetur: quandoquidem docente eodem Hippocrate, affecto bene atque ſiniſtro Hypochondrio fortiter pulſante, mens illico commovetur: Et alibi in morbis melancholicis furorem quoque evenire dicitur, *& 6 Epidem Sect. 3.* ſanguineum corpus in Melancholiam, bilioſum in furorem tranſire fertur. Quamobrem non immerito hic furores, vel generatim mentis motiones, vel deſipientias cum gaudio & amore, vel etiam cum vehementi quadam in hæc applicatione, quæ internos ſenſus fatiget, ſive idiopathice ſive ſympathice, poſſumus congruenter interpretari.

Pro

Pro morbis autem melancholicis non tantum delitia melancholica, ut plerique tenent, ſed quæcunque alii morbi à melancholicis, Tartareis, & acidis ſuccis progeniti, ſumi poſſunt, ut conſueverunt eſſe ſtrumæ, obſtructiones, tumores duri, hypochondriacæ affectiones & ſimiles alii, acidum enim, quod in fermentis viſcerum, cæteriſque liquoribus, vitiant copia exorbitat, & per Hyemem veluti ſopitum forte hæſit, verno tempore dilutius effluit, & varias partes petens, patentius inficit, & diverſas ægritudines parit, pro corporum & ætatum diverſitate. Unde lympham, ſanguinem, ſuccum alibilem & cæteros humores in viſceribus & glandulis figens diverſimode quoque præternaturam inficiet.

Jure merito ergo notantur hic potiſſimum ab Hippocrate morbi melancholici, puta ab ejuſmodi ſuccis melancholicis & acidis inducti: quoniam hi præſertim vere in corporibus male affectis, ex præcedenti hyberno tempore exorti poſſunt repurgato nimirum ſanguine, à fæculentis hiſce humoribus acidis per Hyemem cumulatis. Qua etiam ratione comitiales morbos fieri dicendum eſt, ut qui Hyeme veluti latuere, mox vere prodeant, exuta quodammodo Natura, veterem, & fœdam humorum omnium & præſertim ſanguinis conditionem, renaſcentis anni beneficio.

Verum hic dubitare continget, cur Hippocrates retulerit morbos verno tempore contingentes, ad eos potiſſimum, qui caput & cerebrum divexant, alius autem viſceris interni ægritudinum non meminerit? Huic autem dubio facile ſatis fit, cum vernalis morbi metaſtaſis & abſceſſus Naturam referant, quod impuritates ſanguinis tunc temporis ſecernantur, & iſtæ plerumque in glandulas abſcedant, proinde fit ut cerebrum, quod magna glandula dicitur, potiſſimum ex illatum decubitu afficiatur. Neque vero cerebrum ſolum, ſed etiam circumjacentes glandulæ faucium, & colli non raro inficiuntur & ejuſcemodi ſuperfluitatibus imbuuntur. Quod autem abſceſſus morbi iſti rationem referant, clare deduci poteſt ex eo, quod Hippocrates inter vernales ægritudines retulerit quoque impetigines, vitiligines, lepras, puſtulas & tubercula, quæ ſane decubitus ſunt vitioſorum ſuccorum in glandulas ſubcutaneas, quin & articularii dolores hoc eodem loco memorati, pari modo ad abſceſſus reducuntur, ut liquet: Sed tamen non hinc quis credat, has ſolum hoc Aphoriſmo deſcriptas

ægritudines verno tempore exoriri, cum & aliæ aliæque ſimiles, non diſſimiliter prodire poſſint, ſi fortaſſe in alias aliasque partes, vitioſi illi humores a ſanguine ſecreti transferantur: quippe non raro compertum eſt, per idem tempus, & pleuritides & peripnevmonias & choleras & febres, aliusque generis acutas ægritudines ſævniſſe, quamquam Hippocrates illas ſolum, ut frequentiores, velut in Exemplum Medicis objecerit, cum & hæmorrhagias & gravedines & raucitates & tuſſes pariter adjecerit.

Sanguinis profluvia frequentiſſima vere eſſe ſolent, non tantum per conſuetos ductus uteri in fæminis, & in maribus per mariſcas ſeu hæmorrhoides, ſed etiam per nares & os. Sunt enim plerique, qui quotannis, ſtatuto quodam tempore vigentis veris, hæmorrhagias narium patiuntur, quæ niſi ſanguifera vaſa, ad certam quantitatem depleant, nulla arte cohiberi poſſunt, at vero ſponte ſua deſinunt, ſtatim atque ſanguis deferbuerit, & in priſtinam & naturalem craſim fuerit reſtitutus. Sunt & nonnulli, qui ſingulis annis menſe Majo, per aliquot dies ſanguinem exſpuerent citra cujusvis periculi ſuſpicionem, imo cum ante hoc tempus capite dolerent, totoque corpore anxii & anheloſi viderentur, mox ab excreto ſanguine levabantur, adeo ut meliorem habitudinem induerent, & ſalubriorem deinceps vitam viverent. Contingunt autem iſtæ hæmorrhagiæ aut quia ſanguis tunc vegetior, & floridior redditus a ſuis conceptaculis ſponte exilit, atque per teneriora & laxiora venarum & arteriolarum oſcula, ſibi quodammodo vias aperit, majorem forte exquirens capacitatem, cum illum pori partium ſatis excipere non valeant; aut quia acore per hyemem contracto easdem laceſſit, atque reſerat; aut etiam quia, partes ipſæ corporis molliores, & laxiores per id tempus redditæ, liberum luxurianti ſanguini aditum præbent. Verum enim vero nec Hippocrates, quamcunque ſanguinis eruptionem vere contingentem, hoc loco ſumendam voluit ſed largam & copioſam, nam inquit *ſanguinis profluvia*. Et quamvis non expreſſerit modum & locum iſtiusmodi profuſionis, nihilominus credere licet anaſtomoſi potius prodire, per hiantes venarum & arteriolarum fines, ubi illæ mutuo coeunt, & ex his in illos ſanguis propellitur. Quodſi ex arterioſis egreſſus poros partium ſubeat, & uberius, quam par ſit, effluat atque reſtagnet, inflammationes ac apoſtemata parit. Hinc non immerito in textu dicitur. Inde

Ang-

Anginas quoque exoriticum ſcilicet in glandulis ac muſculis faucium, & gutturis, is hæret. Non diſſimiliter *raucedines* & *gravedines* evenire credendum eſt, ſive quod ſeroſiores, diluti ſanguinis ſuperfluitates in os, & nares à cerebro confluant; aut è vaſis lymphaticis, in eorundem glandulas derivent; ſive quod ſolam in aere mutationem, à ſolis acceſſu illæ conſequantur. Siquidem ejus vi proximiora noſtro vertici ſigna perluſtrantis ambiens calor, ſenſibilior perſentitur, unde attenuantur humores, & aquei vapores è terraqueo globo, uberius elati vapidum, pruinoſum, ac nimboſum aerem efficiunt, cathartorum certiſſimum promotorem.

Lepræ hoc loco memoratæ, num revera illæ intelligendæ ſint, quæ maximi apud veteres horroris erant, & non tantum inſanabiles credebantur, ſed etiam contagioſæ, dubitari poteſt: Nam ſi ejuſmodi conditionis & naturæ lepra foret, non videtur ex vernali conſtitutione illam poſſe oriri, quippe ſanguis licet vere à ſuis impuritatibus repurgetur, nunquam tamen ad eam pertinget pravitatem, quæ tam horribilem & contagioſam affectionem pariat, ut non raro etiam inſtar peſtis miſerrime patientes enecet. Accedit quod Hippocrates ſimul cum lepra junxit *vitiligines* & *impetigines*, quæ longe mitiores ſint cutis ægritudines, nepore citra vitæ periculum tolerabiles, & absque contagio. Quare alterius generis videtur ſtatuenda, qualis noſtra ætate *ſcabies*, & puerorum *prurigo* eſt. Sed enim non eadem fuit Hebræorum, Græcorum, & Arabum lepra, quamvis *Mercurialis Lib. de Morbis Cutaneis 2. cap. 5.* contendat lepram Græcorum ſeu Elephantiaſim, eſſe *albaram* nigram ab *Avicenna* deſcriptam *Lib. 4. Fen. 30. Tract. 30. cap. 1.* Eam namque differentiam ſtatuit *Marcellus Donatus* Lib. 1 de Hiſtor Med mirabil Cap 4. Inter lepram Arabum, & Elephantiaſim Græcorum, quod illa, tumorem pedum, & crurum, cum varicibus protuberantibus & atro colore, referret, ex *Rhaſi* Lib. 9. ad Almanzorem cap. 93. Elephantiaſis vero Græcorum, univerſi corporis fœdum tumorem adjunctum haberet, adeo ut Paulus Lib. 4 cap. 1. Univerſi corporis Cancrum appellaverit, & Galenus Lib. 2. de Morb. Cauſis Cap 7. Elephantiacis totam formam immutari tradiderit. At vero hoc morbi genus fuſius deſcribere viſus eſt Aretæus Lib. 2. Cap. 13. qui legi poteſt, & paſſim alii ex Praxi conſulendi.

Rariſſimum noſtris temporibus hunc morbum, imo & antiquioribus

ribus ignotum pene in Italia ſcribit *Celſus* Lib. 3. Cap. 25. Peculiarem vero Ægypto & Alexandriæ teſtantur Plinius Lib. 26. Cap. 1. & Galenus 2. de arte Curandi ad Glauconem Cap. 10. at nunc in Belgio, & Gallia, frequentem eſſe referunt, Amatus Luſitanus Cent. 2. Curat. 34. & Vallettola Lib. 6. enarratione 5. Contigit tranſactis annis, videre Neapoli, Monachum quendam Elephantiacum, qui licet cum aliis familiariter verſaretur, nunquam tamen illos infecit, unde veritati conſonat, quod ex Alexandro Tralliano Lib. 2. probl. Med. 42. habet Mercurialis, minus contagioſam eſſe lepram in Italia: quod pariter annuere viſus eſt Ariſtoteles Sect. ultima Probl. 7.

Hinc modo deducere licet, lepram inter morbos veteres ab Hippocrate recenſitam, non eam, quæ contagio inficit, penitusque incurabilis, ſed quæ *in fine Prorrh.* mitior, & facilioris dicitur Curationis, eſſe intelligendam, veluti quæ à repurgamento ſanguinis oriatur, ſitque ad ſcabiei dirioris ſpeciem referenda. Sub nomine autem lepræ hic ab Hippocrate indigitatur, ob quandam ſolummodo analogiam, quia veluti ſcabies cutaneus Morbus eſt, quamquam lepra etiam reliquarum partium & humorum vitium conſequatur.

Impetigines & Vitiligines morbi quoque cutanei ſunt, ſolumque differre dicuntur, quod non æque cutim fœdent, aut profunde inficiant: cæterum in utriſque Pili & Capilli radicitus eroduntur ac defluunt, imo ipſa cutis quandoque ad album, aliquando etiam ad nigrum aut aliter coloratur; contagione carent, nec aliud incommodum pariunt quam turpitudinis. Et licet veterum plerique ſcripſerint, graves eſſe ægritudines, & Paulus, Ætius & Serapion, morbos fecerint incurabiles, hi tamen nunquam lethales appellarunt, ſed ſolum difficillimæ curationis; unde Celſus fœdas illas quidem nuncupavit, minime vero periculoſas. Fiunt autem ſolum deteriores, cum in ulcera deſinunt, & præter cutis læſionem, interius pervadunt & viſcera inficiunt: Nec tamen aliter contingunt vere, quam aliæ ægritudines cutim afficientes à repurgati ſcilicet ſanguinis in cutim transpoſitione. *Nec alia* de cauſa prodeunt verno tempore *puſtulæ ulceroſæ* videlicet, cum inquinamenta ſanguinis in cutim delata ibidem hærent, ſalſam acrem, acidamque conditionem præſeferentia, unde ſimul cutim fædent & ulcerent. Quamobrem diverſitas harum omnium cutanearum affectionum tota erit, à diverſa

cutis,

cutis, & vitiati ſanguinis conditione, ut propterea acidus auſterus & craſſus humor in denſiore cute lepras, impetigines vero & vitiligines, tenuis & acer, ſalſus denique & erodens, in cute rariori puſtulas ulceroſas excitet. Veriſimile autem eſt, haſce ſanguinis ſuperfluitates, priusquam ad cutim, tanquam ad univerſale corporis emunctorium deferantur, & ſimul cum ſanguine in venis & arteriis continentur non tantæ eſſe pravitatis nam ſi fortaſſe ejuscemodi vitium interius referrent, fieri non poſſet, quin viſcera inficerent, & febres, inflammationes, cæterosque graviores morbos excitarent, unde credendum eſt, hujusmodi gravitatem contrahere, cum ad habitum corporis eruperint, ambientis aeris potiſſimum alteratione, atque ſuccorum in glandulis ſubcutaneis mixtione: tum enim hærentes, alienam induunt Naturam, coagulationi & corruptioni ſubjiciuntur, atque à perſpirantibus halitibus exagitatæ, extraneas & inconvenientes fermentationes ſubeunt, & degenerant in fermenta, undequaque vitæ diſſentanea & moleſta, quo fit, ut ardorem, dolorem & pruritum afferant, præſertim à paſſu, & ex motu, vel cum aeri calido corpus exponitur, *Tubercula* denique & *Articulorum dolores* fiunt pariter verno tempore, abſcedentibus ad cutim & artus, iisdem excrementitiis humoribus à ſanguine, qui ſi ſeroſi fuerint magisque fluxiles, dolores; ſi vero craſſi & conſiſtentes tumores afferent.

Ne autem hæc damna male affectis iſtiusmodi corporibus ingruant, præſtabit ſtatim ineunte vere, ſanguinem ab hujusmodi inquinamentis repurgare, iis præſertim medicamentorum generibus, quæ diaphoreſim blande movere apta ſunt, ſed & per reliqua corporis emiſſaria craſſiores ſuccos promovere. In quam rem potiſſimum conferre conſueverunt, quæ ex viperarum catulibus conficiuntur, item ex Cornu Cervi, Antimonio Diaphoretico, chalybe &c. præter ea quæ per alvum & vias urinæ educendo, opportuniora videbuntur. Quodſi jam iſta mala acceſſerint, proderit ſpeciatim ad inſanias, melancholias & cæteras melancholicas affectiones, Ellebori ſeu Veratri uſus. Ad profluvia ſanguinis, Vitriolum ſpiritu & oleo orbatum, atque externe ad calcis formam redactum. Ad impetigines & vitiligines, præter diaphoretica, quidquid ex ſulphure præparatur. Ad lepram & Elephan-

phantaſim, omniſque generis puſtulas, vinum viperinum, ac pulvis viperarum, Extra vero aqua Calcis. Plura ex Praxi petenda.

Dices I. Ver eſt ſaluberrimum Ergo non generabit furores nec alios morbos ℞. non generabit morbos ratione ſui ut diximus concedo, ratione alterius cauſæ & temporum præcedentium nego.

Inſtabis. Inſania, Melancholia, Epilepſia ſunt morbi autumnales, Ergo non vernales ℞. ſunt morbi autumnales ſeu ab autumno orti, tamquam a principio *a quo* concedo: tamquam a principio *ad quod* nego. Autumnus autem ejuſmodi humores melancholicos generavit, qui per hyemem latuerunt in corpore, in vere autem incipiunt primo actuari per fermentationem.

Vrgebis. Idem videtur dicendum de ſanguinis fluxionibus, impetiginibus, lepris &c. ℞. negando paritatem, nam ſi morbi ſunt magis veri proprii, ut jam diximus in Textu.

Denuo Inſtabis. Illi morbi non poſſunt dici proprie veris, quia eorum materia æque per hyemem colligitur & hæret ℞. reſpectu materiæ per hyemem collectæ non ſunt proprie veris concedo, reſpectu fermentationis, depurationis & motionis in vere factæ nego.

Dices II. Podagra refertur ad articulares morbos, ſed illa maxime fit in hyeme, Ergo non in vere. ℞. Podagra frigida ſeu à ſeroſis humoribus orta plerumque fit in hyeme transeat calida biliosa ſanguinea maxime fit in hyeme nego.

Aphoriſmus XXI.

Æſtate vero nonnulli horum, & febres continuæ & ardentes, & tertianæ plurimæ, quartanæ item, & vomitiones, alvi profluvia, ophtalmia (ſeu lippitudines) aurium dolores, oris ulcerationes, genitalium putredines, & ſudationes.

Con-

Contentum ſeu Intentio.

De *Pathologia morborum æſtivalium.*

Connexio. Cum in antecedenti Aphoriſmo, de Morbis veri proprius ſuam mentem explicuiſſet, nunc in hoc Aphoriſmo ad æſtatem accedit, & illius quoque peculiares morbos exponit; ſequitur enim æſtas ipſum ver. Dividitur autem hic Aphoriſmus in duas partes. In *prima* dicit æſtate aliquos vernos morbos fieri. In *ſecunda* ait æſtatis morbos, eſſe febres continuas, ardentes, tertianas plurimos alvi fluxus, ophtalmias, aurium dolores, oris ulcera, genitalium putredines & ſudamina.

Progreditur ergo in hoc Aphoriſmo Hippocrates æſtivos morbos enarrare, illosque partim veri convenire, partim proprios & peculiares æſtatis eſſe, quare mox initio hujus Aphoriſmi inquit *Æſtate autem nonnulli horum* quinam autem iſti morbi ſint, non explicat; veriſimile tamen videtur eos eſſe qui majorem retineut analogiam, cum æſtu illius tempeſtatis, atque ab humoribus tenuioribus & acribus pendere poſſunt, ut ſunt profluvia ſanguinis, impetigines, puſtulæ, ulcera, anginæ. Sanguis etenim, vel tenuior redditus vel acrior, cutem exulcetare, & muſculos gutturis ac faucium inflammare poteſt. Accedit quod prima æſtatis pars, magis veri aſſimilatur, hinc etiam ſimiles morbos producere poteſt. Præter hos, fieri etiam æſtate ait febres continuas, & ardentes & tertianas, non quod reliquæ adhuc febres in æſtate fieri nequeant, ſed quod hæ potiſſimum à vehementi æſtu illius tempeſtatis æſtivæ fiant.

Verum unde tres hic relatæ febrium ſpecies, inter ſeſe differant diſquirere ſuper vacuum non erit, cum diſtinctis non tantum nominibus, ſed & proprietatibus atque effectibus illas experiamur.

Veteres & Galeniſtæ, febres ardentes & tertianas, tum continuas tum intermittentes, vel ſecundum triplicem caloris naturam, vel ſolum loco differre aſſerunt. Cum autem triplex ipſis ſit calor: Elementaris ſeu ſimplex: putridus & malignus ideo tres naſcuntur febrium ſpecies; *ſimplex* uti eſt ephemera ſynochus ſimplex & hectica, quia unus ſolum calor excedit. *Putrida* uti eſt febris continua tertiana, ſynóchus putrida, ardens ſeu cauſus &c. *Maligna* uti eſt Ungarica, petechialis, peſtilentialis Materiam autem omnium

harum febrium, eandem prorſus eſſe ſtatuunt, bilem nempe quam in venis collocant, & naturalem appellant, eum putruerit conſtituunt, ſed ſi in venis majoribus & circa præcordia *ardentem*, ſi in venis minoribus, aut earum apicibus *tertianam continuam*, ſi demum extra venas diffuſa, in habitu corporis putredinem contraxerit, *tertianam intermittentem* pariat. Verum hæc documenta veterum a Neotericis non probantur, qui plurimis rationibus atque experimentis, evictam, & falſam demonſtrarunt, hanc, de quaternario, humorum intra venas numero doctrinam. Et ſi qui unquam in venis & venarum apicibus putreſcent, viciſſim per arterias circumiret, & univerſum ſanguinem inficeret; imo adhuc è venis minoribus in majores immitti oporteret, ut cor præternaturam alteraret. Sed & neque Bilis iſta intra venas putreſcens, poſſet unquam ad habitum corporis, alove extranitti, ſine vaſorum diruptione, atque ingenti ſanguinis effuſione: Quæ præterea de fuliginibus putridis effumantibus ad cor ipſi commentantur, vana omnino ſunt, nam ſi putridæ eſſent, excurrendo per venas, ſanguinem & reliquos humores inevitabiliter inficerent, pereunt cum iiſdem ſocietate; quin imo improbabile prorſus eſt, unum humorem intra venas putreſcere, cæteris una ſimul commixtis, non æque in putredinem adactis, præſertim, cum pituita & melancholia in quotidianis & quartanis febribus putruerint, immunibus interea à putredine, Bile & ſanguine, ad illam contrahendam aptioribus. At de hac re fuſius egimus in tractatu de febribus, ubi ad fermenta & variam ferri curationem in ſanguine inductam, omnia retulimus. Illud autem nunc hiſce tribus febrium ſpeciebus, hoc loco ab Hippocrate memoratis commune videtur, quod acritudinem in ſanguine inductam conſequantur, per quam faciliime is ad fermenteſcendum diſponitur, unde poſtmodum, ardores, inquietudines, ſitis, vigiliæ, inſomnia perturbata, delira, vomitus, cardialgiæ, diarrhææ, aliaque id genus oriuntur.

Atque hinc eſt, cur æſtate potiſſimum eveniant, cum ſcilicet aeris æſtu attenuantur humores, ſanguinis motus celerior fit, aquei liquores per ſudorem uberrime egeruntur, adeoque in cunctis humoribus factis commotio ac fermentatio concitatur, cum acredine & ſulphurea quadam phlogoſi ſeu inflammabilitate, quam ſæpiſſime illius modi febres tertianæ & ardentes comitantur, ſuperæ ſymptomatibus id ipſum omnino atteſtantibus. Poeta Aſtrologus aliam hujus dat rationem:

Æſtivo

Æſtivo rabioſa ſcatet cur tempore bilis?
Sydereus regnat corpora noſtra leo.

At mirum fortaſſe videbitur, cur Hippocrates inter morbos æſtivos quartanas febres referat, quas idem ſequenti Aphoriſmo cum Autumnalibus junxit. Sunt quidem plerique interpretes, qui expungendas eſſe arbitrantur, quod neque in antiquis Exemplaribus, nec apud Theodorum Gazam, fidiſſimum & diligentiſſimum expoſitorem, nec etiam apud Galenum in hoc Aphoriſmo memorentur. Sed & neque Celſus hanc eandem ſententiam interpretatus, *quartanarum* meminit. Quamobrem non immerito, perperam adjectas hoc loco illas exiſtimant. Verum cum ipſe Hippocrates 2 Aph. 25. *æſtivas quartanas* ſcripſerit magna ex parte breves eſſe, atque experimentis innumeris compertum habeamus, plures per idem tempus vagari, procul dubio nihil vetabit, quin etiam cum æſtivis morbis illas commemoremus. Forte autem difficile viſum eſt commentatoribus, ad æſtivos morbos quartanas febres referre, quoniam creditum ipſis eſt hactenus in ſolo humore melancholico qui æſtate vigere non putatur illas exoriri; at cum febres iſtæ non ab humoribus ſed a periodis, quas ſervant, ſint deſumptæ, plane poterunt omnes ab omnibus & ſingulis humoribus depravatis, ad certum tamen tempus cumulatis ac fermenteſcentibus, progigni ut alias fuſe eſt demonſtratum. Sed enim, Hippocratis tempore, maximus error erat, velle à ſuccis febres periodicas determinare, cum tamen tunc in confeſſo cunctis eſſet, ab uno, eodemque humore, quaſcunque febres proficiſci, unde ab eodem Hippocrate proditum eſt, omnes febres à bile fieri, diverſimode tamen affecta.

Vomitus æſtate faciles eſſe ſolent, tum quia ventriculus illo tempore, gravari ſolet excrementis ex mala ciborum digeſtione cumulatis, a fermentorum diſſolventium hebetudine, tum quia male confectus & degeneratur Chylus, in acres & faſtidientes humores verſus, infenſa quadam oleoſitate ventriculum nauſea & vomitu afficit, cujus indicio eſt oris amarities, ſitis, ciborum faſtidium & ſtomachi laxitas ac moleſta turbatio, unde prompta & facilis vomitio. Quodſi forraſſe iſti ſucci vel ſponte ſua defluant, vel adigente ventriculo per fibras in pylorum & inteſtina protrudantur, everſis una ſimul humoribus, è ductu pancreatico & cholidocho eodem confluentibus *alvi profluvia*

 con-

contingunt, quæ hic græco nomine *Diarrhea* ſpecialius appellantur, idque potiſſimum cum alimenta labiliora fuerint, velut fructus horarii dicti, qui fermenta ipſa pervertant magis ac diluant, atque inteſtina laxent, indeque facillime ſeceſſus moveant. Sed tamen æſtivo tempore biliosæ ſuperfluitates e ſanguine copioſiores cumulantur atque in c[illegible]ſtim & cholidochum deducuntur itemque liquor pancreaticus acrior & tenuior eſſe ſolet, qui & potentius exſolvit, & vehementiorem cum felleo humore fermentationem excitat, & acrius quoque inteſtina ad motum periſtalticum proritat, unde non tantum *Diarrhææ* ſed etiam dyſenteriæ, cholera & ſimiles egeſtiones inferri poſſint.

De oculorum lippitudinibus ſeu ophtalmiis res eſt evidens quod ſæpius in æſtate vagentur, a nimio aeris æſtu, a pulvere, a lumine, tunc conſertiori. Num autem humidæ an ſiccæ intelligantur, nonnulli ambigunt, & quamvis de utriſque ſermo videatur habitus, cum ab æſtu ſiccæ, atque a defluente in oculos, liquato per calorem ſeroſo humore, humidæ dici poſſint, quia tamen Hippocrates alibi ſiccas expreſſit, hic vero reticuit, videtur humidas voluiſſe notare, nam cum illas maluerit intelligere, ſiccas ſemper lippitudines in Aphoriſmis adjecit. Sed tamen opinari licebit, tum humidas, tum ſiccas, hoc loco conſideratas, utpote indefinite ſumptas. humidas quidem in obeſioribus, & ſucci plenis, ſiccas vero in pichrocolis & gracilibus. At major difficultas eſt de *aurium doloribus* ſiquidem hi potius hyemis, quam æſtatis morbi videntur, quemadmodum idem Hippocrates alicubi retulit, quippe hujuſmodi dolores a delabentibus è capite in aures excrementitiis humoribus, progigni ſolent, qui cum hyeme potiſſimum ſuperabundent, & caput oppleant, non videntur propterea æſtivo etiam tempore prævalere, in aures deferri & dolores incutere. Quod ſi non minus hyeme, quam æſtate vigeant, & ejuſmodi mala pariant, profecto nullum tempus ab hac aurium moleſtia immune erit, cum cæteroquin æſtivum tempus, vim habeat, quaſcunque ſeroſas ſuperfluitates, ſaltem per ſudorem, abſumendi. Verum aurium dolores, cum varii eſſe poſſint, a varietate delabentium humorum, poterunt quoque aliis anni temporibus inferri. Hyeme namque, & in conſtitutionibus auſtrinis a lympha caput gravante, aures dolebunt, dolore tamen obtuſiori, unde etiam ſubſurditates fieri ante notatum eſt. at vero æſtate, dolores pungentes & acerbiores accident, ab humoribus ſe-

rioſo-

minoribus & acrioribus illati, modo hos aures petere manifeſte docuit Hippocrates 4. Aph. 27. inquiens: *Quibus biliosæ ſunt dejectiones, hæ ſupervenientè ſurditate ceſſant. Et quibus ſurditas adeſt, ſupervenientibus biliosis dejectionibus ceſſat.* Et Aphor. 60. ejusdem Libri: *Quibus in febribus aures obſurduerunt, ſanguis ex naribus fluens, aut alvus turbata, ſolvit morbum.*

Oris exulcerationes fieri etiam poſſunt æſtate, vel ab illabente ſero, tunc temporis acriore, vel à conſimili ſalivatii totius vitio, vel ab halitibus è ventriculo male affecto elevatis, vel etiam à moleſtis acrium & erodentium ſuccorum vomitionibus, quibus non raro & os, & fauces, & guttur, & dentes graviter offenduntur.

Genitalium putredines hic memoratæ exponuntur à quibusdam, pudendorum ulcerationes ut pubis ſimul & ſedis, adjacentiumque partium, vitia denotentur. Illæ autem, non ſolum fieri poſſunt, propter decubitum humorum acrium, ad eas partes, ſed etiam ob ſudores, ſurfures, & egeſtiones alias, per cutim, æſtivo tempore frequentiores, quæ niſi convenienter abſtergantur, & repurgentur, procul dubio, puſtulas, & putrefactiones afferent, humida præſertim & auſtrina conſtitutione; eumque hujusmodi mala pudendis accidant, ab iterato ſudore, proinde addit Hippocrates in textu *ſudores*: Et quidem hi, peculiares ſunt ejus tempeſtatis evacuationes, à tenuitate ſimul humorum & à majori pororum cutis laxitate. Neque vero ſimplices ſudores intelligit, ſed puſtulas quasdam, quæ per id tempus à mordacibus ſudoribus in cute erumpere, ſolent. Græce enim ſcribitur ἱδρῶα, latine *ſudamina*, quæ puſtulæ ſunt tenues & rubræ per totum corpus diſperſæ, aquea materia ſudoris æmula repletæ, & non raro ardorem ingentem, ac pruritum moleſtum afferunt. Oriuntur à lympha, vel ſanguinis ſero acriori, ſalſilagine muriatica prædito, ambientis aeris æſtu attenuato, atque ad habitum corporis transmiſſo.

Cæterum quæ alias ad fugandas febres in praxi ſunt recenſita, hic in uſum revocari poterunt, ut ipſis per æſtatem imminentibus occurramus: præprimis autem repurgato ſanguine, correctisque fermentis viſcerum, unde ejusmodi labem exoriri ſuſpicio eſt.

Nec diſſimiliter in cæteris morbis, hoc Aphoriſmo memoratis operandum, cum omnes ab eodem fonte proficiſcantur. Cumque hæc ex praxi dictis notiſſima ſint, non eſt, ut longius in iis enarrandis, immoremur.

Quares: Cur in æſtate pauciores morbi cutanei fiant quam aliis anni temporibus? ℞. quia ut diximus, cutis in æſtate magis aperta eſt, unde humores cito diſſipantur, neque ob diuturnam moram corrumpuntur, unde fieri poſſent exulcerationes, niſi cutis tam ſubtilis ſit, ut in ipſo tranſitu exulceretur, veluti in ore ſæpius contingere videmus ob cutis ſubtilitatem, quæ in illa parte vel maxime eſt.

Dices Sanguis eſt humor benignus ergo ab hoc furor fieri non poterit ℞. ſanguis nec quali nec quanto nec motu peccans eſt humor benignus concedo. qui vero in uno horum peccat eſt benignus nego.

Aphoriſmus XXII.

Autumno vero, æſtivi etiam, multi morbi fiunt, & febres quartanæ & erraticæ & lienes, aquæ inter cutem, tabes, urinæ ſtillicidia, lienteriæ, dyſenteriæ, coxæ dolores, anginæ, aſthmata, volvuli, epilepſiæ, inſaniæ, (furores) melancholiæ.

Contentum ſeu Intentio.

De Pathologia morborum autumnalium.

Connexio: Cum in præcedenti Aphoriſmo peculiares æſtatis morbos numeraſſet, nunc ad eos qui in autumno fiunt, accedit.

In duas partes dividitur hic Aphoriſmus: In *prima* dicit quod in autumno multi æſtivi morbi fiant: in *ſecunda* memorat proprios & peculiares morbos, qui in autumno obtingunt, quos nempe in Aphoriſmo expreſſit & ſpecificavit. Et ſicut in æſtate dixerat, nonnullos vernos morbos eo tempore contingere, ita nunc plurimos æſtivos adhuc

huc autumno fieri aſſerit. Et quidem credibile eſt, eos autumno etiam evenire, potiſſimum inter illius initia, qui propter communem utriusque temporis, ſcilicet deſinentis æſtatis & incipientis autumni habitudinem, maximam cognationem habent, & eorundem ſuccorum vitia conſequuntur, veluti ſunt tertianæ febres, tum continuæ tum intermittentes. Sed præterea recenſet, ſpeciatim autumno vagari quartanas febres & erraticas & lienes ſeu infarctus & tumores atque obſtructiones lienis, aquas inter cutem græce hydropes, tabes, urinæ ſtillicidia, lævitates & difficultates inteſtinorum ſeu lienterias & dyſenterias atque alias in Aphoriſmo recenſitas.

De *quartanis febribus* nulli dubium eſt quod inter autumnales morbos ſint recenſendi, cum ab acidis tartareis ſeu (ut veteribus placet) melancholicis ſuccis progigni perhibeantur, qui autumno vigere ſolent.

Erratica etiam febres ejusdem tempeſtatis peculiares dici debent, tum quia autumnus, ob ſui inæqualitatem, heterogeneorum ſuccorum cauſa eſt, qui varie & differenter corpora inficiunt, tum etiam quia humores, ex præcedenti æſtate ad cutim commoti, atque ſudoribus exoluti, autumno detinentur, & ſparſim per membra corporis diffuſi, inæqualiter illorum fermenta, & ſanguinem ipſum alterant, ideoque *erraticas* pariunt ægritudines.

Dicuntur autem *febres erraticæ*, quæ certum typum, ordinatam periodum, & eundem invaſionis modum non ſervant, ſed modo diebus ſingulis, ſed diverſis horis, modo alternis & interruptis adoriuntur & ægros affligunt, aliquando noctu ingraveſcunt, quandoque interdiu, nonnunquam cum rigore aut horrore, aliquando ſine illo, modo his modo aliis ſymptomatibus ſtipatæ; de quibus ſcripſit Hippocrates, *Lib. de Rat. Victus in acutis. inconſtantes & erraticas morbos curare non expedit, priusquam conſtiterint.* id eſt certa lege & periodo invadere cœperint.

His pleri que adjungendas eſſe contendunt febres illas quæ *quintana ſexana & ſeptanæ* vocantur ab eodem Hippocrate *1. Epidem.* moti autoritate Galeni, negantis ibidem quintanas, ſexanas & ſeptanas febres, easque ex accidenti tantum haberi poſſe, id eſt, cum quis ex periodica febre convaleſcens, ob errorem in victus genere commiſſum, *febrem ephemeram* incurrat, quæ ab ultima acceſſione febris periodicæ

diſtet

diſtet intervallo quinque, ſex, aut ſeptem dierum, unde poſſit quintana, ſexana, aut ſeptana ſeu ſeptimana appellari. At vero iſti longe lateque falluntur. Etenim Hippocrates ibidem febres ex accidenti & irregulariter inductas non deſcribit, ſed periodicas & ordinatas, illasque veluti ſæpius obſervatas memorat. Erraticas vero febres nequaquam convenire poſſe cum quintanis, ſexanis, aut ſeptimanis, inter periodicas, ab eodem Hippocrate relatis, evincitur clariſſime ex Celſo, qui *erraticas incertas* vocat, quæ ſcilicet nullum ſtatum tempus, neque ullum acceſſionum & remiſſionum ordinem ſervant, quemadmodum habent periodicæ. Error autem inde ortum habuit, quia putarunt cum Galeno, à diverſis ſpecie humoribus, periodicas febres differri & diſtingui, id eſt, tertianas a bile, quartanas a melancholia & quotidianas à pituita; cum tamen potius à reditu & circuitu quem referunt, tales appellandæ ſint.

Lienis tumores à reſtagnante ibidem ſanguine acidiore ac melancholico fieri, apud omnes, veteres & recentiores in confeſſo eſt. Unde lienoſi liveſcunt, ventre tument, præſertim ſiniſtro hypochondrio, reliquo corpore marceſcunt, & in cunctis operationibus hebetes evadunt. Hinc notavit idem Hippocrates *Lib. de Loc. in homine*, eo vivaciores & ſalubriores fieri homines, quo magis lien detumuerit & mole fuerit imminutus; at contra valetudinarios eſſe, quibus increbuerit; quamobrem Alciatus illum comparavit fiſco, qui alienis opibus diteſcit inquiens Lib. 2. Embl. 97.

Splene aucto reliqui tabeſcunt corporis artus.
Fiſco aucto arguitur civica pauperies.

Sed unde id accidat difficile eſt determinare. Qui illum cum Hepate ſanguinis Officinam credidere, plus juſto per Ramum Splenicum, Chylum Hepati ſubtractum, ad ſe trahere arbitrantur. Thomas Bartholinus, acidum ſanguinem fermentantem, reliquo corpori detrahere putat, indeque maciem univerſalem exoriri. Ego vero exiſtimo, alternatim & viciſſitudine quadam ſanguinem & lienem inſici craſſitie & acore, eoque veluti in utili corpus non ali, ſed potius coinquinari & marceſcere, hunc vero obſtrui & tumefieri. Id vero frequentius obtingere ſolet poſt febres, ſanguis enim paroxiſmorum frequentia, particulis ſuis balſamicis, maxima ex parte orbatus, totus craſſus, viſcidus, acidus, grumoſus & iners, adeoque ad ſtagnationem, obſtru-

obſtructionem, & tumeſcentiam aptiſſimus efficitur: Separantur autem, terreſtres hæ fæculentiæ à ſanguine facillime in ipſa filtratoria lienis machina; tum quod ſanguis ad hanc partem, ob arteriarum & vaſorum variorum, copiam faciliter feratur, & difficulter per reveheutium vaſorum exilitatem & inopiam refluat, tum quod propter eorum tortuoſitates facile ſtagnet, & propter hujus viſceris ſpongioſitatem excrementa facile imbibantur, quibus infarctus lien, in tumorem ſubinde maximum excreſcit

Eximi cæpit hoc noſtro ſæculo lien è canibus in Anglia, & *Bartholinus in Anatomia renovat*: refert ſe ejuſmodi extractionem, felici cum ſucceſſu vidiſſe inſtitutam coram Friderico Tertio Danorum Rege, animalibus exinde ſuperſtitibus ſanis & agilibus. Lienes etiam è canibus exemptos vita ſuperſtite refert *Barbette prax. Lib 3 Cap 10.* In vetula etiam, ſplenis ſcirrho laborante tentatam fatetur Leonardus Fioravante, quæ ſupervixit. Aliam quoque memorat Clerckius in ruſtico quodam apud *Bonnetum Medicina Septentrion Tom 1 Lib 3 Sect. 20 Cap 12.* Fabuloſam nihilominus illam putat Bartholinus in hominibus, quippe qui ſubinde vaſa plurima frangi & ſcindi neceſſe dicat, non ſine vitæ periculo: additque invectam eſſe hanc fabulam a Plinio & antiqua Eraſiſtrati opinione, qui lienem fruſtra animantibus à Natura inditum affirmabat, cum quæ urinaria veſica carent, liene quoque ſint orbata. At ego non video, qua ratione id ipſum peragi non poſſit in hominibus, quod in cæteris animalibus actum ipſemet Bartholinus, aliique fatentur, niſi ſolum ex imminenti vitæ periculo, ab infelici ejus operationis eventu; non enim tam temere licet humanum corium æque ac bellinum negotiari.

A tumoribus & obſtructionibus lienis, ejuſque infarctibus inveteratis ſæpe *hydrops* ſeu *aqua intercus* oritur cum exinde aqua inter cutem collecta tumorem efficiat, non raro etiam univerſalem, qui ſi digitis comprimatur, foveam relinquit. Veteres exiſtimarunt, aquam hanc in hydropicis colligi, aut vitio hepatis, in aquoſum humorem, chylum commutantis, aut ex abundantiori melancholico lienis humore, qui ab Hippocrate, ſub nomine aquæ fuit pluries indigitatus. Sed nuperrimis obſervationibus jam innotuit, à lympha e ſuis vaſis relaxatis, aut diruptis, exiſtente provenire, quæ ſi in toto corpore colligatur, anaſarcam, ſi in imo ventre, aſcitem, ſi in ſolo capite, hydro-

Eee cepha-

cephalon, ſiu in ſcroto, hydrocelen, atque alibi, alias hydropes particulares pariat; cumque iſta vaſa plurima per jecur & lienem diffundantur, propterea fit, ut ex illorum affectionibus ſæpe ſæpius hydropes oriantur. Quod equidem facile contingit, *vel* quia per diuturnam conflagrationem febrilem, activa à ſanguine avolant, paſſiva uti eſt frigidum, acidum glutinoſum exaltantur. Vel quia viſceribus filtratoris & ſeparatoris graviter obſtructis & tumore notabili obleſſis, ſerum ſeu dicta lympha à ſanguine ſeparari, & per vaſa lymphatica refluere nequit, eo quod acini viſcerum glanduloſi, amiſſa naturali molitie & ſpongioſitate, ſero tranſudanti, debitum denegent tranſitum, quod non raro ad optimam hepatis ſuperficiem delatum, veſiculas hydatides elevat, quæ creſcendo ruptæ, continuas in abdominis cavitatem aquoſitates deſtillant. Vel quia ut patiter innuimus, quia ſerum lymphaticum in maſſa ſanguinis collectum cacochymiam univerſalem, & viſcerum dyſcraſiam inducere ſolet, maxime autem in iis, qui nimio potui in paroxiſmis febrium indulgent, nec debitis ſudoribus in eorum fine diffluunt. Quod *tabes* in autumno plerumque contingant, jam ſupra quoque notatum eſt, imo quod eo tempore tabidi male ſe habeant & penchitentur, docuit hoc in ſuperioribus locis Hippocrates. Videtur autem macies tunc fieri ſenſibilior, quoniam ob temporis inæqualitatem, ſanguis per pulmonem trajectus & circulatus, diverſimode afficitur, & iteratis aeris viciſſitudinibus perpetuo alteratur, atque à blanda ſua indole, partibus nutriendis amica, non parum declinat: *Vel* quia febres chronicæ & autumnales, partim longo incendio humores evaporando, partim diuturnis ſudoribus colliquando, extremam corporis maciem inducere ſolent: *Vel* quia ob partium externarum conſtipationem & pororum occluſionem, materia ſcabioſa vel arthritica, pro more ſuo ad partes extimas expelli non poterat, collecta in pectore, ibidemque tragædias ſuas rodendo & abſumendo, ludat & varios affectus, imo & ipſam tabem inducat. Sed & humani corporis habitudo, non minus ac cæterorum viventium, eo anni tempore non leviter permutatur, tunc quippe, quemadmodum arbores & plantæ univerſæ deflorent, ac velut ſucco nutritio privatæ, contabeſcunt, ita pro modulo ſuo humana corpora nutricationibus deficiunt, eaque potiſſimum quæ gracilia ſunt, & ſanguinem ſunt nacta morboſiorem vel ſaltem minus defæcatum. Hinc Poeta:

Sub

Sub variis mala longa petit mors pallida larvis:
Excipit hos hydrops: hos macilenta Phtyſis.
Cum macie huic, res mira! fames ſimul hectica creſcit:
Huic non decreſcit, flumine pota ſitis.

Stillicidia urinæ græce *ſtranguriæ* frequenter autumno inchoant, & frequentius quoque exaſperantur. Cum enim hæc ab humorum in illos ductus confluentium acredine, aut ab ulcere ibidem contracto, aut etiam ab anguſtia, tuberculis, calculis, arenulis, & glutinoſis ſuccis inducta, procedant, ſane per autumni tempus, quo hæc omnia increſcere ſolent, vel incipiunt vel augeſcunt.

Difficultates & levitates inteſtinorum etiam referuntur inter morbos autumnales, qui licet oppoſitis de cauſis evenire videantur, ut propterea *à Celſo lib. 2 cap. 1. à Theodoro Gaza* ſint in expoſitione hujus Aphoriſmi prætermiſſæ *dyſenteriæ*, non tamen eas ſimul inferri credendum eſt, ſed prout illæ in diverſis corporibus prævaluerint. Et quidem ſi in alvum ſuperfluitates humorales per æſtatem cumulatæ, mox autumnali tempore compreſſæ, & depravatæ deponantur, oriuntur *dyſenteriæ*: Si vero relaxentur viæ inteſtinorum, ac ſucci diſſolventes diluantur, fient *lienteriæ*. Congeſtæ cruditates ab immodico uſu fructuum, ab intempeſtivis potibus gelidarum aquarum & aliis ſimilibus, id ipſum parere poſſunt, modo invertant, depravent, corrumpant, tum fermenta ſtomachi, tum inteſtinorum liquores, alimentorum diſſolutioni & ſecretioni inſervientes. Sed & difficiles & dolentes egeſtiones non raro inſequuntur, fæcum duritiem, & viſcoſos & hærentes ſuccos, vellicante acore moleſtos, ut in *Teneſmo*, qui autumno maxime, ab iisdem dictis cauſis fit.

Coxendicum dolores græce *Iſchiades* inferri dicuntur, à luxatione ejus articuli, quo Iſchium cum Ilio jungitur, luxationem ſeu laxationem potius hanc efficiunt craſſi & glutinoſi humores, qui in cavum juncturæ horum oſſium inſeruntur, & Iſchium præſertim ſeu coxam in ſenſu & motu divexant, & membranas circumveſtientes, nervulis fere innumeris refertas, acerbiſſimo dolore excruciant. Solet non raro etiam inſequi vitium depluentis ſucci in medullarem Iſchii ſubſtantiam, qui membranulam circum ambientem vellicet & pungat. Non ſemel quoque obſervatum eſt, dolorem

 hunc

d by Google

hunc oriri ab affecto perioſtio, quo deinde ſyderato fit, ut coxa univerſa ſenſim paralyſim, & totius cruris tabem incurrat.

De Anginis, nihil eſt, quod reperamus hoc loco, cum de iis jam ſupra actum ſit. Solum adnotare juvabit; progigni illas autumno, partim ab ambiente aere, inæqualiter affecto & gutturis ac faucium muſculos exaſperante; partim etiam a decentis halitibus, qui ad organa vocis potiſſimum delati, inflammationem, & tam deglutitionis quam reſpirationis difficultatem pariant.

Si vero decumbant humores in pulmonem, ac ductus aëris impediant, graventque ſua mole, ſpongioſam & raram ejus visceris ſubſtantiam *Aſthma* exoritur, ſeu creber anhelitus, gravior tamen & levior, pro majori vel minori ejusdem influctu. Videtur autem hoc loco Hippocrates, eam ſolum modo ſpeciem, deſignare voluiſſe, quæ difficilem quidem efficit reſpirationem, ſed abſque multo conatu, & ronchis, ut accidit in Orthopnoea, quamobrem non immerito uſus eſt, nomine Aſthmatis, quamvis Cardanus anhelationes exponat.

Volvuli græce *Iles*, ab Inteſtino Ileo & Volvulo, quod ſpeciatim in his aſſici putatur, morbi ſunt; in quibus nihil per alvum egeri poteſt, ſed fæces ſurſum, inverſo motu periſtaltico, delatæ per os excernuntur. Quamquam Hippocrates in *Epidemiis* memoret fœminam quandam volvuloſam, modicos quosdam ſeceſſus habuiſſe eorum forte humorum, qui poſtrema inteſtina occupaverant. Frequentiores cauſæ, hujus affectionis eſſe conſueverunt, inflammatio inteſtini ilei, aut circumſiti meſenterii, duriora plus juſto excrementa, & glutinoſis ſuccis infarcta atque ejusdem inteſtini convolutio vel delapſus; quæ vero ex his autumno ſæpius accidat, videtur a fæcibus conſtipatis & compactis ſuccis oriri, unde etiam delabi & contorqueri queat inteſtinum.

Comitiales morbi ſeu epilepſiæ per idem tempus fieri, dicuntur à Galeno, propter aëris inæqualitatem quæ maxime apta eſſe ſolet, tum ad debilitandum caput, tum ad heterogeneos humores inducendos, præſertim melancholicos & acidos, unde illi plerumque excitantur. Hinc Hippocrates in Epidemiis inquit: *Melancholici fiunt Epileptici & Epileptici melancholici. Et qui morbo ſacro corripiuntur, quartana ſuperveniente liberantur*, translato ſcilicet vitioſo humore è cerebro in partes corporis inferiores, atque per febrem ſenſim abſumpto.

ſumpto. *Eodem* modo dici poſſunt progeniti *Furores* & *Melancholiæ* qui morbi ſunt valde melancholicis familiares, in quibus acidum adeo prævalet ut ſæpenumero ad timorem & mœſtitiam cuncta conſpirent.

Ne autem mala iſta ingruant, oportebit ſtatim, ac opportunum tempus incipientis autumni tulerit, corpora his obnoxia hujusmodi ſuperfluitatibus repurgare, atque ſalubriori & temperatiori victu alere; quo circa ex Hippocrate Galenus Comment 47 Aphor. 6 commendat in iis, qui ægri futuri ſunt, convenientem purgationem male affectorum humorum, ut ſubinde prævertatur illorum malitia, atque imminens aut futurus morbus prohibeatur: Neque ſolum purgatione ſatis erit, ſuperabundantes & vitioſos ſuccos educere, ſed & ultra opus erit, relictum fortaſſe in ſanguine aut viſcerum fermentis, vitium emendare, uſu præſertim medicamentorum, acido, autumno vaganti, occurrentium, qualia ſunt, quæ ex chalybe conficiuntur. Poſtquam autem morbi acceſſerint, oppugnandi iis quæ in praxi paſſim dilucide recenſentur.

Dices I. Humor melancholicus utpote frigidus & ſiccus ad putredinem minime eſt diſpoſitus, Ergo ab illo febres non oriuntur. ℞. Negando conſequentiam, putreſcit enim æque ac alii licet tardius hinc etiam fiunt paroxiſmi longiores & tardius recurrentes, id vero facilius fit ut putreſcat, ſi aliis commixtus ſit humoribus.

Inſtabis Melancholici diutiſſime vivunt, Ergo ſuccus melancholicus tam graves morbos non generat ℞. diu vivunt, non ob humorem melancholicum, ſed ob acuratam victus rationem quam ſervant, credunt enim ab omnibus ſeſe offendi, & ideo ab illis cavent: Melancholicus autem ſuccus licet tardius moveatur ideo tamen morbos & quidem graviores progignere poteſt.

Dices II. Si Epilepſia eſſet morbus autumnalis, contingeret magis ſenibus quam pueris, atqui hoc eſt contra autopſiam Ergo. ℞. Negando ſequelam majoris, quia ſenes non ita facile afficiuntur teſte experientia.

Inſtabis: In pueris non eſt copia humoris melancholici, Ergo nec tam frequenter epilepſia corripi poſſunt, ℞. negando ſuppoſitum quod epilepſia aliique morbi autumnales, omnes & ſemper à melancholia fiant, fiunt enim à variis & multiplicibus cauſis tum internis tum externis.

Vrgebis. Epilepſiæ, inſaniæ, furores, melancholiæ fiunt etiam in vere Ergo non in autumno, quia nulla eſt horum temporum affinitas R. hos affectus in vere fieri ob prægreſſam hyemem in autumno autem per ſe.

Aphoriſmus XXIII.

Hyeme vero morbi laterales (pleuritides) & pulmonis inflammationes (peripnevmoniæ, lethargi, gravedines, raucedines, tuſſes, pectoris, laterum, & lumborum dolores, vertigines, apoplexiæ.

Contentum ſeu Intentio.

De Pathologia morborum hyemalium.

Connexio: Poſtquam Hippocrates morbos veris, æſtatis & autumni enarraſſet in præcedentibus Aphoriſmis, pergit jam num in hoc Aphoriſmo enarrare ægritudines hyeme peculiares.

Hic Aphoriſmus non patitur diviſionem, quia unica divi Senis intentio eſt, explicare hoc loco morbos hyemi proprios, ut eo facilius prædici, præcaveri & curari queant. Num autem in hoc etiam Aphoriſmo, inter morbos hyemales referendi ſint nonnulli ex autumnalibus, quemadmodum in cæteris anni temporibus antea notavit Hippocrates valde dubitat *in Comment. Galenus.* Verum parum refert *Sive ex communi voluerit*, ut ipſemet ſubdit, *hoc quoque in loco nos ſubaudire dictorum aliquid, ſive ſimpliciter pronunciare, tamquam nihil autumnale tempus cum hyemali communicet.*

Utut autem ſit, voluit Hippocrates ſolum hic morbos hybernos referre, qui frequentiores & urgentiores eſſe ſolent, relictis & omiſſis aliis qui communes forent, & tacite ſubintelligi viderentur: Neque tam ſtricto ſenſu hoc loco accipere morbos hyemales, quin non aliis anni temporibus etiam fieri poſſent, *Primo* autem *pleuritides* ſeu *morbos laterales* recenſet; mox addit dolores pectoris & laterum, ne quis putet

putet eundem morbum ſub diverſis vocibus inutiliter repetitum ſignificare.

Et quidem morbos laterales hic intelligi proprie pleuritides græcus Codex manifeſte declarat: Laterum vero & pectoris dolores, ſolummodo ad muſculos, & partes externas thoracis, pertinere putandum eſt, cum non raro doleant ſolum coſtæ, & partes exteriores pectoris, citra inflammationem, à flatibus, aut ſolo confluxu, ſeroſioris lymphæ in glandulas ejusdem ſubcutaneas, vel etiam ab impedita perſpiratione: Addit inſuper *pectoris & laterum*, deſumpta nimirum differentia nominis, à loco potius quam a Natura morbi, quoniam aliquando dolent partes Thoracis anteriores, quas pectus appellamus, quandoque vero latera & partes ejusdem poſteriores, ſcapulæ dorſum &c. At unde morbi laterales, qui inflammationem præſeferunt, hyberno tempore algido contingant? Profecto eos progigni fatendum, ab impeditis & detentis halitibus, qui cum pectoris internas partes, ab inſpirato frigido aere, non leviter affectas, potiſſimum invadant, propterea pleuritides & peripnevmoniæ ſuboriantur. Accedit quod hyemali tempore ſanguis conſiſtentior ſit, & glutinoſis & acidis ſuccis inficitur, qui exiles & anguſtas pleuræ arteriolas pervadere nequeuntes, facile in his hærent, ſtagnationem & inflammationem inducunt. Eadem ratione pulmonis inflammationes ſeu peripnevmoniæ, per idem tempus accidunt, atque eo magis, quo aer impurus, & nitroſis vaporibus refertus, ejusmodi conſiſtentiam in ſanguine adjuverit, tranſitu per pulmonis vaſa habito, ubi aer cum illo commiſcetur, obſervatione Loweri.

Gravedines & raucedines hyeme potiſſimum vagari notiſſimum eſt, tum à ſeroſis humoribus tunc vigentibus, tum ab humidis & auſtrinis aeris alterationibus, cerebrum & cunctas glandulas gravantibus, ut alibi jam diximus. Cum vero non ſolum caput asperæ arteriæ, ſed etiam Bronchia & pulmo ipſe immodice irrigantur, quinimo (ut ſæpe evenit) quodammodo obſtruuntur, tuſſes quoque fiunt & anhelationes, aliisque pejores pectoris & pulmonis affectus.

Quodſi humores iſti & vapores internam pectoris partem non occupent, ſed potius externam, quæ coſtis adjacet, afferent *dolores laterum & lumborum*, læſis nimirum muſculis ibidem diſpoſitis; cumque

iſtæ

iſtæ partes mutuo communicent inter ſe, ideo fit, ut non raro, una ſimul compatiantur, quare ægri ipſi indiſcriminatim, de dolore dorſi, ſcapularum, laterum & lumborum conqueruntur, & viciſſim unum pro altero accuſant.

Non diſſimili modo capitis dolores fiunt, cum humores & vapores, meninges cerebri aut pericranium afficiunt, multoties autem catharros prænuntiant: quippe primum in capite cumulantur, mox alias partes petunt, & alias & diverſas affectiones, pro partium affectarum diverſitate parturiunt.

Vertigines demum & *apoplexias* antea jam quoque retulit Hippocrates, evenire ex conſtitutionibus auſtrinis & pluvioſis, quæ cum potiſſimum hyemali tempore contingant, non mirum ſi illæ inter hybernos morbos, hoc loco recenſeantur. Adjectos quoque legimus in græco Codice *Lethargos* quos non diſſimiliter oriri, per eaſdem auſtrinas hyemis conſtitutiones, patulum cunctis eſt. Et licet *Galenus, in hujus Aphoriſmi Comment.* illorum non meminerit, hanc eandem tamen Hippocratis ſententiam referens *8 de placitu Hipp. & Plato.* cum gravedine, raucedine, & tuſſi, lethargos etiam connumerat.

Hybernis ergo hiſce calamitatibus, præcipue occurremus in dicta victus ratione, quæ cumulatas fortaſſe humidas ſuperfluitates, atque inductos jam craſſos & acidos ſuccos diluat & abſumat: Itemque exhibitis medicamentis alkali volatili præditis, quæ una ſimul valeant viſcera & præſertim cerebrum roborare, ſanguinem vividiorem reddere, craſſos ſuccos attenuare, atque per ſuos ductus prout res ipſa exigere videbitur, deducere.

Hac ſane ratione plures catharris obnoxii, ſalubrius hyeme, cum alias frequenter ægrotare conſueverant, impoſterum degerunt, quam æſtate.

Objectiones & dubia, quæ ſuper hoc Aphoriſmo moveri poterant, jam ſolvimus in ipſo textu, unde majori enodatione non egent.

Aphoriſmus XXIV.

Secundum ætates autem hæc eveniunt, parvis & nuper natu puerulis, ſerpentia oru vlcera, vomitiones, tuſſes, vigiliæ, pavores, umbilici inflammationes, aurium humiditates.

Contentum ſeu Intentio.

De Pathologia morborum infantum recens natorum.

Connexio: Cum hactenus de peculiaribus, cujusque temporis morbis tractaſſet Hippocrates, nunc ad illos accedit affectus qui in unaquaque ætate contingere ſolent, & in iis ordinem & connexionem ſervat.

Hic Aphoriſmus diviſionem non habet, quia ſimpliciter concludit & demonſtrat, qui morbi in prima illa ætate contingunt, ut Medicus illos prædicere & præcavere commodius poſſit, ſimulque inſinuat, hominem inter cætera animalia, ab ortu usque ad occaſum, morbis maxime obnoxium eſſe, ſiquidem nulla fere ætas eſt, quæ plurimus & maximus non abundet ægritudinibus, vita enim noſtra & ſanitas, omnino inconſtans & labilis eſt, juxta Poetam.

Corpus morborum hoſpitium, carcerque doloris
Mortis Lar, cuſtos vulneris, olla Luis,
Augiæ ſtabulum, fœtorum lurida ſedes,
Squallor, fæx, cribrum pulveris, umbra nihil.
Mors illabandi, rimas habet impigra mille,
Unam evadendi, non habet omnis homo.

Ætates ſupra diviſit Hippocrates & Galenus in ſeptem gradus primum gradum ſeu primam ætatem dicit infantilem quæ talis dicitur à primordio generationis, ad ſeptimum usque menſem cum pueruli dentire incipiunt, dicitq; illam ætatem obnoxiam eſſe *oris ulceribus* græce *aphtæ, vomitui, tuſſi, vigiliis*, pavoribus, umbilici inflammationibus & aurium

Fff humi-

humiditatibus, non tamen quod his ſolum, ſed quod præ cæteris, quoniam à ſubita mutatione, quam recens nati ſubire coguntur, tum aeris, tum alimenti, tum loci, tum violentia partus, neceſſe eſt ſanguinem, aliosque liquores, & viſcera univerſa notanter alterari, unde ejusmodi morbi prodeant. *Aphtæ ſeu ulcera oris* illis accidunt, vel à lacte acri & ſalſo vel a ſero & lympha, per ductus ſalivales in palatum delabente. Sunt namque Aphtæ oris ulcuſcula, quæ palatum, linguam, & fauces non raro exedunt, ſi præſertim diutius ſerpant, albicant & multoties totum oris cavum occupantes, ſuctioni impedimento ſunt, & niſi cito ſuccurratur mortem inferunt, aut malignæ efficiuntur difficillimæ curationis. Solent etiam ſubſequi, gallicam à parentibus & nutricibus contagionem, & quandoque etiam ex hac lue infectorum oſculis, amplexibus, halitu, proficiſci, cum tenellæ infantium carnes facile quacunque de cauſa infici poſſint. Neque vero ſolum pueris, ſed etiam adultioribus illas accidiſſe compertum eſt, adhuc venenatas, contagioſas & ut mox diximus malignas, ut refert Hippocrates 3 *Epidem.* viguiſſe olim quasdam Aphtas deleterias & contagioſas a peſtilenti conſtitutione. Tales etiam aphtæ ſunt, quæ adultis fiunt a lue venerea, ſeu tempore Ptyaliſmi ſeu Salivationis per Mercurium procuratæ.

Vomitus à lactis etiam vitio, ſæpiſſime puerulis accidit, vel quia in ventriculo aceſcit & coagulatur vel quia ſero abundans, fibras laxat, atque adeo ad vomendum laceſſit. Poteſt præterea à vermibus vomitus inferri, ſicuti etiam a ventriculi languore, cum non raro qui diu frigido aeri expoſiti fuere, vomitionibus corripiantur, quique lac ſuxerunt a nutricibus cibos faſtidientibus, aut perperam paſtis, ob malam eſculentorum conditionem nimiam nempe pulmentorum & lactis ingluviem, cum plurimi infantes, eo usque ſugere non deſinant, donec ad crepaturam quaſi ſtomachum implendo, per modum hirudinum ſeu ſanguiſugarum a Papillis decidant, de quibus verificatur illud.

Si mel erit nimium, fel mage quam mel erit.

Vel juxta hoc:

Naſcentes morimur, finisque ab origine pendet.

Tuſſes ab aere fiunt; cum enim recenter in lucem editi aerem in ſpirent

ſpirent inæqualiter affectum, & plerumque frigidum, non mirum ſi tuſſi corripiantur, quod ſi fortaſſe, præter aeris alterationem, delabantur etiam ſeroſi humores in Trachæam & Bronchia pulmonis, non ſolum tuſſis oritur moleſtior, ſed etiam periculoſa, ſpaſmodica ſeu convulſiva, à qua facile pueri ſuffocari poſſunt, cum nequeant ſufficienter extuſſire & excreare; quamobrem ſtagnantibus humoribus in pulmone facile opprimuntur & ſuffocantur.

Vigiliæ accidunt puerulis, *vel* à tuſſi, *vel* ob ventris tormina, quibus plurimum obnoxii ſunt, *vel* ob immodicas egeſtiones ex corrupto lacte progenitas, quæ ipſis non levem moleſtiam afferunt, vel ob eaſdem retardatas ac diminutas, unde inteſtina diſtendantur & dolorem excitent; infantes enim bene ſe habentes, urſorum more, ſomnum tenent, quem in utero matris jam contraxerunt. Vigiliarum quoque cauſa ſed raro eſt cerebri exſiccatio. *Iis accedunt* etiam, quæ ab *umbilico recenter exſecto* iis accidunt, quippe in eam partem quandoque ſanguis irruit, Ichores confluunt & tumefaciendo, non raro *exomphalon* inducunt. Non tamen iſtæ *Vigiliæ* diuturnæ admodum erunt, ſicut in adultioribus & ſenibus, ſed ſolum comparatæ ad ſtatum & conditionem illius ætatis; ſiquidem pueli proclives à natura ſunt ad ſomnum, ut propterea majorem temporis partem, dormiendo conſumant. Cum ergo à conſueto & naturali ſtatu receſſum faciunt, Vigiles dicuntur.

Pavores proprii ſint illius ætatis: cum enim infantes inſueti ſint, commotiones, ſtrepitus & alias perturbationes pati, quacunque proinde de cauſa, percelluntur, contremiſcunt & pavent: quod ſi à lacte in ventriculo aut inteſtinis corrupto vel coagulato, ac fere in caſeum verſo, originem trahant, profecto punctiones præcedent, unde non ſolum pavores ſed etiam motus ſpaſmodici atque Epileptici ſubſequentur, aut ſola per fibras nerveas percuſſione, aut etiam infenſa per eaſdem evaporatione in cerebrum delata.

Umbilici inflammationes infantibus quoque frequentiſſimæ ſunt, tum ob recenter factam umbilicalium vaſorum reſectionem, ubi ſanguis facile ſtagnat. tum à vagitu, quo partes illæ intumeſcunt & inflammantur. Sed non raro vaſa ipſa etiam delaxantur, & ſanguinem effundunt, non ſine vitæ periculo; quamobrem obſtetrices ſtatim, à partu, illa arcte vinciunt, & poſtquam fuerint reſciſſa pulvere coccineo

vel' lio adſtringente inſpergunt, ut ſanguinem ſiſtant & inflammationem inhibeant.

Aurium humiditates ſæpe pariter infantes moleſtant, cerebro per eam ætatem laxiori atque humoribus, tum ex aere, tum ex lacte, ſcatente. Notavit autem ſpecialiter Hippocrates, *humidas aurium ſordes* quia reliquæ per nares & os, ſine dubio ejuſmodi ſunt, quæ vero ex auribus prodeunt, compactiores Natura eſſe ſolent, & longe cæteris parciores. Neque tamen ſolum per aures, ſed etiam per totum caput, collum & faciem ſeroſa excrementa repurgantur, & *cruſtam lacteam* vulgo Anſprung excitant, imo aliquando nec ſatis, ut & colli glandulæ non intumeſcant, ſtrumarum inſtar, non ſine graviori malo.

Ut igitur ab his infantes præcaveantur, ſtatim a partu, cochlear unum olei amigdalarum dulcium ſine igne expreſſi & ſacharo commixti ſorbeant; mox injurias ambientis aeris evitent, deinde lac ſugant, à Nutricibus ſanis, optime alitis, ſobriis, Juvenibus, hylaribus & bonæ conſtitutionis. Præferendum autem ſemper foret maternum velut magis analogum ei, quod intra uterum, ſaltem ultimis diebus, ceſſit illis in alimentum, idque non tantum ad corporis ſalubritatem facere, ſed etiam ad mores paſſim creditur. Inde enim ea præſertim beneficia prodeunt quæ a coloſtro exſucto oriri palam eſt, quippe eſt hoc illis utiliſſimum medicamentum, ad repurgandas univerſas corporis ſordes & inhibendas lactis coagulationes, unde tot & tanta mala infantibus contingunt: Sed quis unquam id vulgo & ignaris Medicis perſuadebit? hi enim primum lac e mammis prodiens, adeo nocuum exiſtimant, ut pro veneno habeant. Cæterum omnia alia remedia aut vana ſunt aut nocua, præſertim ſi interius adhibeantur, cum tenelli infantes nihil quidpiam aliud ſufferant ore aſſumptum quam parum lac; quandoquidem ventriculi fermentum nulli alii, quam lacti diſſolvendo eſt aptum, per mollem & laxam ejus ætatis conſtitutionem.

Quæres I. Cur ejuſmodi morbis, infantes in utero non moleſtentur? *R. primo* nec in utero ab iis inſontes vivere infantes, licet non tam facile ac frequenter. unde *R. ſecundo* cum fœtus in utero puriori lactis parte fruatur his non facile corripi poteſt, editus vero multis heterogeneitatibus & injuriis ſubjicitur. Præterea quia fœtus in utero, nullum eſtatu dignum excrementum in ventre ſuſcipit.

Quæres

Quæres II. Cur pueri ſynochis febribus raro vel nunquam laborent? ℞. licet calidi & humidi ſint & putredini obnoxii videantur, quia tamen ſanguis illorum totus in nutricatum cedit, ideo raro hic febribus corripiuntur.

Dices. Plurimi infantes moriuntur epilepſia, & tamen hujus nulla ab Hippocrate facta eſt mentio? ℞. Tacite epilepſiam intellexiſſe ſub ly pavoribus, ut in textu diximus: præterea epilepſia maxime fit circa dentitionis tempus unde de illa expreſſius acturus in ſequenti Aphoriſmo.

Aphoriſmus XXV.

Ad dentiendi vero tempus accedentibus, gingivarum pruritus, febres, convulſiones, alvi profluvia, maxime cum caninos edunt dentes, & iis præſertim pueris, qui craſſiſſimi ſunt, & qui alvo ſunt dura.

Contentum ſeu Intentio.

De Pathologia morborum dentientium

Connexio. Cum priori Aphoriſmo Hippocrates, primæ ætatis quæ ad ſeptimum Menſem extenditur, morbos enarraſſet; in hoc Aphoriſmo ad illos accedit morbos, quos ὀδοντοφυΐα id eſt dentitio profert.

Quamvis autem certum dentitionis tempus paſſim à ſeptimo Menſe, ad tertium aut quartum Annum credatur, attamen & ante hoc tempus quoque experimur, imo & quoſdam cum dentibus intra uterum progenitis, produiſſe ipſe ſæpius vidi & alii plurimi fatentur, unde tales à Plinio *Dentati* dicti fuere. Sunt & nonnulli quibus circa annum trigeſimum, quadrageſimum imo ut refert Plinius octuageſimum, dentes prodeunt, qui dentes Serotini, Sophroniſtines, ſeu ſapientiæ appellantur.

Hic Aphoriſmus duas partes habet: *in prima* Hippocrates explicat & notum facit, quam laborioſa ſit humano generi dentium emiſſio: *in ſecunda* qui morbi peculiares eam comitentur & ſequantur.

Quis autem dentium ſit numerus, & quæ eorum Natura, uſus, & nomina &c. abunde conſtat ex inſtitutis & anatomia quo lectorem, ad chrambes evitandas, remittimus. Ne quis autem putet, dentes revera prædicto tempore primo naſci, quaſi vero poſt aliorum oſſium ſtructuram generentur, ſed ſolum per eam ætatem erumpere & conſpicuos e maxillarum alveolis fieri.

Dentientium vero puerorum plurima eaque ſubinde periculoſiſſima ſymptomata, non tam Medicorum Hippocraticorum, quam ſæpius Medicarum Hippocraticarum fores in dies pulſant, quæ vix non in omnibus infantium morbis, innocentes dentes, quibus ipſæ deſtitutæ & orbatæ ſunt, ipſiſque infantibus juniores eſſent, ſi a defectuoſo dentium numero, annorum ſeries numeraretur in talem Edentulum ſcribit Poeta:

Quid juvat os oris, ſi non habet intus os oſſis,
Si mandare poteſt, mandere vero nequit.

Inter ſymptomata dentientium maxime familiaris eſt ***gingivarum prurigo & dolor***, quando nempe ut mox dictum erumpunt & è maxillarum alveolis conſpicui fiunt, atque in gingivarum faſtigium producuntur, quas quodammodo perforant & lacerant, dictamque pruriginem & alia mala mox dicenda procreant.

Indicium dentitionis autem eſt mandendi & mordendi aviditas, qua nimium anxii, & lac iterato ſugunt, & mammarum papillas mordent, & quidquid illis offertur, dolentibus gingivis apponunt, ut veluti a Natura edocti dentium eruptionem coadjuvent, in quam eandem rem, peritæ Nutrices, paſtillos huic uſui conferentes conficiunt, & dentientibus puerulis data opera mandendos exhibent.

Febres quoque hoc eodem tempore accidunt: ſive quod adveniant *ſymptomatica*, a dolore & inquietudine puellorum, ſive ab impetu Naturæ dentium eruptionem promoventis, ſive etiam a permutatione fermentorum, quæ in cibos deinceps mandendos, in ventriculo acuuntur, ut proinde fermentatione excedente, in ſanguine inducta, febris oriatur, quæ illius ætatis comes eſt indiſſolubilis. Etenim tum pueri incipiunt, ſolidiores cibos exquirere & mandere, plane fermenta exigunt valentiora, quæ illos conficiant.

Propte-

Propterea hac de cauſa ſanguis mutatur, bilis cumulatur, furfures abundantiores, innovati & permutati corporis argumenta.

Convulſiones ſeu motus convulſivi ſeu epilepſia per hoc etiam tempus accidunt, vellicatis nimirum nervis a vaporibus vel humoribus, ex mala lactis & aliorum ciborum commixtione progenitis, ſiquidem lac facile aceſcit, & corrumpitur, a miſcela cujusvis alterius rei, cum illo non conſentientis, unde hæc, & alia graviora mala oriri poſſunt. Non tamen eſt neceſſe, ut humores, aut vapores, ex vitiato lacte & cibo degenerati, cerebrum & nervorum principium petant, cum ſi tantum inteſtina vellicent, pilorum, ventriculum, in puerulis motus excitent convulſivos, ob nimiam partium teneritudinem, vel ſaltem cruciatus, tormina, inquietudines, dentium ſtridores, vagitus, & ejulatus

Quemadmodum vitioſi ſucci, ſi cerebrum & nervos afficiant, convulſiones & epilepticos motus pariunt, ita ſi ad alvum vergant, afferunt *Diarrhœas* ex leviſſima etiam cauſa fieri ſolitas in illa ætate, unde Hippocrates, *peculiari libello de dentitione*, inquit *quibus in dentitione alvus plus ſubducit, minus convelluntur; qui vero dentientes, habitiores manent, & altiore ſomno utuntur magis obnoxii ſunt convulſioni Qui hyeme dentiunt, reliquis ſimilibus exiſtentibus, melius liberantur: Non omnes in dentione convulſi moriuntur, ſed multi etiam ſervantur.* Itaque juxta humoris abundantiam, & in unam, aut aliam partem corporis inclinationem, diverſa contingunt, pueris dentientibus accidentia ut proinde Jure dictum ſit, quibus alvus plus ſubducitur, minus convelluntur, depoſito nimirum ad alvum humore. Quid autem pro alvi profluviis intellexerit Hippocrates, dubitari poteſt, in Græco codice ſcribitur διαῤῥοίαι, ægritudines quidem alvi, atque ex humoribus acribus, & biliosis progigni putatæ, Verum puerulı neque humores iſtos, generare dicuntur ex Galeno, neque in alvi profluviis humores egerunt acres, amaros, & biliosos, ut patet ex linctu canum, qui egeſtas ejusmodi puellorum fæces, avidiſſime devorant. Hinc credo Diarrhœam hic intelligi latiſſima plane ſignificatione, ut omnem & quamcunque excedentem alvi evacuationem complectatur, quippe in puellis egeſtiones immoderatæ pendent ſolum ab indigeſto, & degenerato

rato lacte, quod licet colorem aliquando referat flaveſcentem, non tamen acredinem, aut amarorem ſapit, nec biliosam, & felleam conditionem, ſed ſolius seroſæ, nec omnino butyro exutæ portionis depravatæ materia eſt. Serum namque & butyrum cum permutantur, ſæpiſſime flavum colorem exhibent; præterquam quod à varia & diverſa mixtura cæterorum ſuccorum, atque à depravatis ſecretionibus, non raro etiam in adultioribus, hi, aliique colores, in excretis obſervari conſueverunt, ut propterea nimium coloribus credendum non ſit, quod & alias à nobis eſt notatum.

Hæc autem illi potiſſimum ætati accidere ſubdit Hippocrates cum *dentes Canini* erumpunt, quos Græci Cynodontas appellant, vel quod Canum dentibus ſimiles ſint, vel quod ſoliditate, & acie acutiſſima inſtar craſſioris ſpinæ præ cæteris inſtructi, firmitate ac longitudine præcellentiores quidem, ſed & in eorum quocunque tempore facta eruptione, ſemper cæteris moleſtiores & periculoſiores, unde illud proverbium: *Donec non ſunt editi, Canini dentes, de filiis genitores non ſint gaudentes.*

Qua autem ratione iis præſertim aſperius accidant, qui *Craſſiſſimi* ſunt & *alvos duras & adſtrictas* habent, majoris ponderis videtur difficultas. Galenus in *Comment.* id retulit, ad convulſiones tantum, ut proinde velit craſſiſſimos, & alvos duras habentes, convulſionibus magis affici, quoniam, inquit, iſti plenum corpus habent, & abundant ſuperfluitatibus, ideoque convulſionibus facile capiuntur. Sed revera, adjecta hæc verba referenda ſunt, ad omnes ante dictas affectiones, ut ſenſus ſit, eos potiſſimum puerulos, prænarratis morbis obnoxios eſſe, qui craſſioris ſeu obeſioris ſunt conſtitutionis, quoniam his humores inſunt copioſiores, excrementa seroſa cumulationes, laxiores carnes, & minus ſana corporis habitudo, ut alibi docet Hippocrates.

Sed cur etiam adjectum ſit, *& qui alvos duras habent:* cum cæteroquin alvos duras nacti, temperiem & habitudinem præſeferant aridam & exſuccam, carentem excrementis. Verum duras alvos habentes, à transfluxu humidarum ſuperfluitatum in alias partes corporis, hic ſubaudiuntur, in quibus ſcilicet areſcunt & con-

conſtipantur fæces, quia ſeroſiora excrementa detinentur, & alio vergunt, quo confluere non deberent, quamobrem ſanguis, lympha, liquor nerveus, aliique peculiares viſcerum humores, illis imbuti ac mali affecti, febres, convulſiones, dolores, aliaque incommoda graviora excitabunt. Quodſi in inteſtina deferantur, magis vellicabunt & compungent, acriusque torquentes non tantum alvi profluvia, ſed etiam tormina, lancinationes, & dolores inferent; cum gravius diarrhæis afficiantur, qui ſtyptica ſunt alvo, quam qui lubrica, vel ob deſuetudinem vel ob exquiſitiorem partium ſenſum, vel ob majorem confluentium ſuccorum in illis acredinem. Sunt etiam qui putant, dictiones illas, disjunctim legendas eſſe, ut qui craſſiſſimi ſunt, obnoxii fiant prædictis affectionibus, ex una atque ex altera qui alvos duras habent; utraque enim cauſa efficax eſſe poteſt convulſionis, aliorumque morborum in hoc Aphoriſmo memoratorum: Et quidem hæc indicia tantum ſunt pravæ habitudinis & exſuperantis in corpore morbificæ ſuperfluitatis.

Verumtamen duram alvum habentes, non omnino ſtyptici, & ſupreſſione fæcum laborantes intelligendi ſunt, ſed qui non adeo lubricam alvum ſunt ſortiti, cum pueruli univerſim ſolutum ventrem habeant: quare ſtyptici ſolum dicentur, relati ad eos qui ſolito lubriciotem nacti ſunt.

Tametſi hos duntaxat dentitionis morbos recenſeat hoc loco Hippocrates, non tamen quis negaverit, alios plures præter eos accidere poſſe: Etenim experimur per hoc idem tempus, obnoxios eſſe infantes, variolis & morbillis, quorum tamen nulla invenitur facta mentio apud Hippocratem, Galenum, & cæteros veteres Græcos Medicinæ Scriptores, cum ab Arabibus ſolum, in hæc noſtra tempora viguiſſe memorentur, ut latiſſime deduximus *in noſtro tractatu de variolis & morbillis*, quo lectorem remittimus.

Cæterum his & ſimilibus non aliter ac de aliis ut antea dictum conveniente lacte, & uſu rerum, dentitionem promoventium providendum erit, quæ dicto tractatu de variolis & morbillis, morbisque infantum abunde deſcripta legi & adhiberi poſſunt.

Dices Hipp. 5 Aph. 18. dentes ab oſſibus ſecludit, dum ait, frigidum eſſe inimicum oſſibus, dentibus &c. Ergo vel dentes non erunt oſſa, vel Hipp. tautologiam fecit. R. dentes omnino eſſe oſſa & quidem duriſſima

 imo

imo oſſa comminuentia, & ideo dicta oſſa ſui generis de quibus in Anatomia.

Aphoriſmus XXVI.

Ipſis vero granduſculis (id eſt cum jam magis adoleverint) toſillarum inflammationes, vertebræ in occipitio introrſum luxationes, aſthmata (ſeu crebri anhelitus) calculi, lumbrici rotundi, aſcarides, verrucæ penſiles, ſatyriaſmi, ſtranguriæ, ſtrumæ, & alia tubercula, præcipue vero antedicta.

Contentum ſeu Intentio.

De Pathologia morborum infantum.

Connexio: In ſuperiori Aphoriſmo infantum dentientium id eſt illius ætatis à ſeptimo Menſe ad tertium vel quartum Annum ſe plerumque extendentis; nunc tertio loco recta ratione recenſet illius ætatis morbos, quæ à quatto, ad duodecimum vel ſecundum quosdam ad decimum quartum Annum ſeu pubertatem extenditur.

Hic Aphoriſmus diviſionem non patitur, cum in una concluſione ſubſiſtat.

Dicit autem Hippocrates in hac ætate primum accedere, *tonſillas ſeu tonſillarum inflammationes*: Sunt autem tonſillæ, glandulæ illæ, quæ ad radicem linguæ jacent, à Barbaris Amygdalæ dictæ, quæ cum tumefiunt & inflammantur, ductuum aeris & cibi, anguſtiam afferunt, unde difficiles deglutitiones & reſpirationes (ita ut pueruli potum per nares rejiciant) exoriuntur, quamobrem à

Græcis

Græcis *Pariſmia* appellantur. Ejusmodi ergo inflammationes glandularum, aliarumque partium adjacentium familiares ſunt adoleſcentulis, aut quia ſanguis per eam ætatem vegetior & abundantior factus, nequit commode intra proprios ductus contineri, ut propterea in vicinas partes effluat; aut quia refluentes per ſuos ductus a capite lymphaticos, & pituitoſos humores, glandulæ iſtæ excipiunt, & tumeſiunt, atque impedito aliquatenus in ipſis ſanguinis circuitu, nec illo ſat bene repurgato, ſimiles exoriuntur inflammationes.

Mox ſubdit *vertebræ occipitis ad interiora luxationes*; hæ fiunt in pueris, vel a tumoribus, & inflammationibus muſculorum, & glandularum colli, ſiquidem eam ætatem valde ſtrumis obnoxiam experimur; vel etiam ab illapſu crudorum humorum, interſtitia vertebrarum, quandoquidem laxatis & amplificatis viis, quæ muſculos & ligamenta illarum intenacent, ob ætatem accretioni ſummæ vacantem, promptius è capite confluunt humores in vertebras, tum magis motu exagitatas; unde facile poſtmodum luxationes exoriuntur. Quod ſi ulterius contingat, impediri reſpirationem, ab hujusmodi vertebrarum cervicis luxationibus lethalis exſurgit *Angina* ut docet Hippocrates *2 de morbis*. Imo affectus ex ſe plerumque lethalis dicit in Aphoriſmo *qui* (inquit) *gibbi fiunt ex aſthmate, ante pubertatem pereunt.*

Crebri præterea anhelitus ſeu *aſthmata* iisdem contingunt, a congeſtis crudis humoribus in ductibus pulmonum; pueri enim voraciſſimi ſunt, & facile crudum nec bene elaboratum chylum conficiunt, qui deinde per ramum Thoracicum, in pulmonem delatus, præ vaſorum anguſtia & viſceris laxitate, hæret, & anhelitum inducit.

Sed & comprimitur ſæpe pulmo, atque in ſuo motu aliqualiter impeditur a ſanguine, tunc temporis vegetius fermenteſcente, & per aeris mixturam vaſa ſpiritalia efficacius amplificante: Quo fortaſſe argumento Galenus annotavit *9 meth cap 4. & 5* Synochas febres, ex ſanguine progenitas aſthmaticas eſſe, qua efferveſcens ſanguis pulmonis ductus vehementer dilatat, ejusque ſubſtantiam opprimit, unde *anhelitus & aſthma.*

Calculi inſuper his fiunt, magis tamen in veſica quam in renibus: Iſti enim molles & laxi cum ſint, meatusque habeant, qui per eam ætatem, prompte expanduntur, non tam facile crudos, & craſſos ſuccos detinent, ſed ultro illos ſine ullo impedimento, in veſicæ cavum delabi ſinunt, ubi diutius hærentes in *calculos* vertuntur, adjuvante plurimum ſale illo urinario, tenaces iſtos & tartareos ſuccos figente & coagulante. Deponi autem crudos, & craſſos ſuccos, & quidem plurimos in veſicam, patet evidenter ex eo quia puerorum urina multo & inutili ſedimento ſcatet, quod cum illa conſiſtit, ſubſidet, & fundo matulæ hæret.

Vermes ſeu *lumbrici* etiam ſunt admodum pueris familiares, & tum *teretes* tum *aſcarites* dicti, de quibus late Galenus *in commentario* hujus Aphoriſmi: Modum autem & locum generationis iſtorum, diverſosque affectus, exinde provenientes non eſt ut hic diutius inquiramus; ſat enim ab aliis magnæ notæ viris de illis actum: Solum tamen addam, quod quemadmodum hi familiares ſunt pueris, ita nullius periculi eſſe ſolent, quamvis ſi *teretes* ventriculum occupent, vomitus, convulſiones, febres, & dolores pariant, non omnino condemnandos.

Verrucæ vulgo *porri* ſunt tubercula dura in cute erumpentia, rotunda & ſenſus expertia. Sponte ſua ſæpenumero abſcedunt & exſiccantur; aliquando vero etiam acribus, & erodentibus remediis non cedunt, atque ad plures annos perdurant. Comparent autem puerili hac ætate tranſpoſitis, in cutim conſiſtentioribus ſuccis glandularum ſubcutanearum, repurgatoque ſanguine ab excrementis tartareis, & fæculentis, in callos veluti degenerantibus.

Satyria ſeu *ſatiriaſmi* quinam ſint, non adhuc bene conſtat inter expoſitores; Galenus *in commentario* nec verbum quidem de illis facit, meminit tamen eorum alibi referens voces Hippocratis rariores, & vocavit *ſatyriaſmos* vel potius *ſatyriſmos*, tumores ſcilicet circa aures erumpentes, & *8. de placitis* Hippocratis & Platonis fere cum ſtrumis confundere videtur; ſed & ex eodem Hippocrate *ſatyriaſmus* vel *ſatyriaſis* diverſos morbos ſignificat, aliquando elephantiaſim, quod elephantiaci, more ſatyrorum in venerem feruntur;

rantur; quandoque pudendi perpetuam denſionem, & interdum aurium retorſionem, & labiorum tumefactionem, quo etiam vitio ſatyri laborabant, hoc autem loco ſatyriaſmum ſubdit *Heurnius* ſpeciem quandam eſſe *parotidis*. Verum ex eo quod Galenus in contextu vocem hanc omiſerit nonnulli putarunt fuiſſe perperam in Græco codice adjectam, vel cum ſtrumis convenire, vel pro ſatyriaſmo legendam *ſtiriaſim* ut mavult Trivetus, vel denique phthyriaſim qui morbus eſt pedicularis quam maxime familiaris pueris.

Stranguriæ non raro etiam pueris accidunt, iis præſertim qui cum lotio arenulas & viſcoſos ſuccos emittunt, aut veſicæ calculo laborant; quamobrem non diſſimili ex cauſa in his fiunt, ac in adultis & aliis dictum in praxi.

Struma & alia tubercula tum in glandulis cervicis vulgo **die drüſlein**, tum in aliis partibus glanduloſis erumpentia, à decubitu & ſecretione humorum dependent. Cumque glandulæ colli, potiſſimum, depoſitos è capite inutiles ſuccos excipiant, propterea fit, ut *ſtrumas* & alios tumores his conſimiles contrahant ejusmodi autem craſſis & crudis glandularum tumefactionibus, pueri præ cæteris ſubjiciuntur, ob nimiam voracitatem & malam chyloſis elaborationem.

Per hanc eandem ætatem ſolent *variolæ & morbilli* comparere noſtro tempore pueris familiariſſimæ, ut vix unum vel alterum invenias ab his immunem. De his autem eorum origine, Idæa, cauſis, differentiis, ſignis, prognoſticis, cura tum prophylactica tum eradicativa & ſymptomatibus abundantiſſime egimus tractatu noſtro de variolis & morbillis, quæ ibidem legi & in uſum trahi poſſunt, ita etiam remedia & auxilia, pro cæteris in hoc Aphoriſmo recenſitis ægritudinibus, quæ ibidem in morbis infantium per extenſum & cujusque libitum reperiuntur.

Dices: Senes laborant aſthmate ut dicemus infra Aphoriſmo 31. hujus Sectionis Ergo pueri non laborant ℞. negando conſequentiam, nec ratio ſubeſt dubitandi ut in textu diximus.

Quæres Cur Hippocrates dicat ex lacte bilioſo fieri calculos ℞. in bile vim lapidificam eſſe maximam præſertim ſi effœta reddatur, experientia docet & obſervavi in quodam illuſtri viro ex lacte & cerevisia amara

 ottos

ortos in Veſicula fellea calculos Numero trecentos & ſexaginta quatuor.

Aphoriſmus XXVII.

Grandioribus autem adhuc, & ad pubertatem accedentibus, plurima ex his, & febres diuturnæ potius, & ex naribus ſanguinis fluxiones.

Contentum ſeu Intentio.

De Pathologia morborum puerilium ad pubertatem accedentium.

C*onnexio:* Explicatis peculiaribus pueritiæ morbis in præcedenti Aphoriſmo: In præſenti accedit ad eos qui pubertatis, id eſt illius ætatis ſunt, quæ a decimo, duodecimo vel decimo quarto Anno, ad vigeſimum vel vigeſimum ſecundum plerumque extenditur. Dico *plerumque:* Licet enim ut plurimum pubertas inter quatuordecim & viginti Annos eveniat, fit tamen id ipſum in aliis, id eſt calidioribus citius, in frigidioribus tardius, idque vel maxime pro varia carnium firmitudine & virium robore. Tunc autem vulgo dicuntur pubeſcere, quando *maſculi* hircire, venerem ambire, ſemen emittere, vocem mutare; *Famellæ* autem Menſes erumpere incipiunt, quod equidem ex Galeno citius aut tardius evenire ſolet: *Urit enim mature quod vult urtica manere. & ſæpe* malitia ſuperat ætatem.

Duas hic Aphoriſmus habet partes: In prima dicit, ad *pubertatem* accedentibus, multos in pueritia morbos fieri: *In altera:* morbos proprios dicit eſſe hujus ætatis, febres diuturnas, & è naribus profluvia ſanguinis ſeu hæmorrhagias & pleroſque in prioribus Aphoriſmis recenſitos.

Febres

Febres diuturnæ quidem oriuntur, ob majorem crudorum ſuccorum copiam, quoniam, ut dictum, pueri voraces, facile cruditates incurrunt, & conſequenter febres. Non raro etiam in graves & longas febres incidunt, ex ſeminis effuſione quæ cauſa admodum moleſta ſæpius eſſe ſolet, quippe per hanc ætatem ad venerem acti, innumeras ſubeunt calamitates, & mille patiuntur incommoda, ſive quod abſtineant ſive quod illa impenſius abutantur, taceo, quas ex diverſis & repentinis animi pathematibus ſufferunt alterationes. Ad hanc fortaſſe Claſſem revocandæ erunt, quæ febres in fœmellis Chloroſes, & in maribus Eroticæ appellantur, ad tabem perducentes.

Profluvia vero *ſanguinis* è naribus, non quidem ex eo, quod abundantius generetur, ut bene notat *in Comment.* Galenus, adverſus eos, qui putant Naturam in ſuperfluis, quandoque abundare & ſanguinem affluentius progignere, ſed quia per hoc tempus minus ex ipſo abſumitur, & tenuior, vividior, & acrior ſit, utpote qui per ætates, ſenſim permutatur, quamobrem facile poteſt exiles narium arteriolas, ac venulas reſerare, & hæmorrhagias inferre

Dices I, Si calidiores citius pubeſcant, Ergo mulieres erunt calidiores viris, quia citius pubeſcunt ℞ quando dicitur calidiores citius pubeſcere, non intelligitur de utroque ſexu inter ſe comparato, ſed de uno, nempe quod maſculi vel fæmellæ calidiores frigidioribus citius pubeſcant. Quod autem fæmellæ citius pubeſcant, quam maſculi, præter dictam mox ante, cauſa eſt, quod ſit plerumque brevioris vitæ, multis excrementis abundent, minus perſpirant, vitæ ſedentariæ aſſueſcunt, & longe pluribus affectibus obnoxiæ

Dices II, Quo calor eſt major, eo ſemper febres fiunt magis acutæ & breves, ſed calor in pubeſcentibus eſt major Ergo febres erunt acutæ & non diuturnæ ℞. diſtinguo minorem, quo calor naturalis eſt major, fiunt magis acutæ febres, nego, præternaturalis concedo, in pubeſcentibus calor naturalis eſt major in actu, non vero præternaturalis.

Inſtabis Si in pubeſcentibus calor naturalis eſt major, Ergo attenuabit humores & tamen acutas febres efficit ℞. calorem naturalem

talem

ralem quidem attenuare, non tamen intantum ut febrem excitet acutam, niſi præternaturalis fiat.

Dices III. Pubertas plurimos curat morbos teſte Hippocrate quia in illa magna fit mutatio, per quam puerorum morbi ſolvuntur v.g. epilepſia, paralyſis &c. Ergo non generat morbos ut dicit Aphoriſmus R. negando conſequentiam, nam ſicut autumnus curat morbos æſtivos, & generat alios ſui generis, ſic etiam ætates.

Dices IV. Refert Jacobus Curio in Comment. Aphoriſmorum, hiſtoriam quod novem annorum puer ſuam nutricem ingravidaverit Ergo emiſſio ſeminis fit ante pubertatem R. hanc hiſtoriam vix eſſe credibilem: Vel dicendum quod ſupra, malitiam ſuperaſſe ætatem.

Aphoriſmus XXVIII.

Pueris autem plurimi morbi judicantur, alii intra dies quadraginta, nonnulli intra ſeptem menſes, quidam intra annos ſeptem, alii ipſis ad pubertatem accedentibus: qui vero pueris permanſerint, neque circa pubertatem ſoluti fuerint, aut fœminis cum menſtrua erumpunt, inveteraſcere conſueverunt.

Contentum ſeu Intentio.

De Pathologia morborum puerilium.

Connexio: Cum Hippocrates morbos pueriles usque ad pubertatem hactenus enumeraſſet, cumque pubertatis ætas, potiſſimum omnes præcedentes morbos finiat; ideo hac occaſione motus, docet in præſenti Aphoriſmo, quomodo per has ætates ſolvantur & non ſolvantur morbi.

Hic

Hic Aphoriſmus in duas partes dividitur: *In prima* aſſerit & informat, morbos pueriles judicari vel intra quadraginta diebus, vel ſeptem menſibus, vel ſeptem annis, aut denique ad pubertatem. *In ſecunda* parte docet, eos morbos, qui ad ſeminis vel menſium eruptionem non ſolvuntur, inveteraſcere & ad mortem plerumque comitari.

Sed mirum ſane videri debet quam anxii ſint interpretes, in perveſtiganda Hippocratis mente, an de Acutis, an vero de Chronicis morbis hunc ſcripſerit Aphoriſmum. Galenus, *aut de diuturnis morbis prolatum* (inquit) *aut imperfectum ſermonem eſſe*, atque adeo omnino vult legendum, hoc modo: *Plurimi autem pueris diuturni morbi judicantur*. In quam Galeni ſententiam, reliqui fere omnes expoſitores conſenſerunt: at Cardanus non ſemel Galeno conviciatur, hic ſpeciatim illum ignaviæ notat, exiſtimans impliciте diuturnos morbos comprehendi ſub græca voce πλῆθα, qua hoc loco Hippocrates uſus eſt. Verum fruſtra apud Medicos hæc agitari puto, ſi acutos morbos, non raro protrahi & in chronicos deſinere obſervamus. Sic non raro tertianæ febres, & ardentes, ut & malignæ acutiſſimæ, ſenſim ſolent miteſcere, & in longius tempus ægrotantes affligere, in alias aliaſque ægritudines commutatæ. Ita quoque pleuritides, acutæ cæteroquin tranſeunt in empyemata: Apoplexiæ in Paralyſes: Phrenitides in inſanias, & melancholias: Dyſenteriæ in teneſmos. Ut propterea paſſim experiamur quoſdam morbos, ab initio omnino eſſe acutos, procedente mox tempore produci, & chronicos, annuos, ac conſeneſcentes fieri, permutata conditione causa, parte affecta, aliaque ſimili circumſtantia eorum, quæ morbis conſociantur. Non immerito igitur Hippocrates, indiſcriminatim morbos hic retulit, ſcilicet ut *acutos* ſimul, & *chronicos* comprehenderet; cujus rei non leve videtur argumentum, quod idem in Aphoriſmo appoſuit, nonnullos ſcilicet morbos judicari in quadraginta diebus, qui extremum acutis terminum conſtituunt. Profecto æſtimabilius eſt, quod idem Cardanus animadvertit, menſes & annos hoc loco memoratos, non à morbi initio, ſed a nativitate ipſa puerorum eſſe numerandos, ductus ejuſdem Hippocratis autoritate, cui & Celſum adhærere interpetatur. Idipſum quoque videntur indicare verba illa: *Quidam vero jam ad pubertatem accedentibus, qui vero permanſerint, nec in pubertate ſiniverint, aut cum*

menſtrua erumpunt. Quæ ſane ad ætates puerorum, non ad morborum tempora referri poſſunt.

Senſus itaque Aphoriſmi eſt, morbos in pueris terminum aut remiſſionem ſortiri, ab ipſa ætatum mutatione, cumque hæ mutationem ſubeant, plerumque in ſeptenarus, idcirco de his mentionem faciens Hippocrates dixit *In ſeptem menſibus in ſeptem annis.* finem in illis deſignans ab ætate, non autem à temporibus morborum, aut à criticis diebus. Quod ſi diu perſtiterint atque ultra pubertatem perduraverint, adhuc etrumpentibus menſtruis in fœminis, & poſtquam ex Ephebis exceſſerunt in maribus, procul dubio inveteraſcunt, & cum ægris ipſis conſeneſcunt; unde idem Hippocrates 5. Aph. 7. *Quibuscunque* (ait) *morbi comitiales fiunt, antè pubertatem mutationem accipiunt, quibuscunque autem vigeſimo quinto, fere commoriuntur.*

Ratio horum deſumenda eſt ex ſanguinis, aliorumque humorum, ſucceſſu temporis, mutatione; unde craſis & conſtitutio corporis variat, atque per meliorem excrementorum repurgationem, viarum laxitatem, viſcerum virtutem, & efficaciam, univerſa corporis œconomia, in ſalubriorem ſtatum perducitur. Alibi autem abunde oſtenſum eſt, ſanguinem procedente tempore ſenſim mutari, ut ubi primum dulcis nimium, & multo glutine ſatur eſt, in *pueritia* mox attenuatur, & portione vivifica fit prævalentior: deinde vero in *pubertate* & *adoleſcentia*, adhuc floridior, minusque auctifica parte præditus obſervatur, atque in *juvenibus* & tenuior & vegetior & actior, in *viris* tandem ac *ſenibus* magis & magis, effœtus, vapidus, & poſtremo acidus & adeo exſolutus, ut vitæ tuendæ omnino inutilis evadat. Sic propemodum muſtum, ubi ex uvis recens eſt expreſſum, dulciſſimum & glutinoſum eſt, & ſpiritibus vacuum, mox vero intumeſcit & fervet, ubi autem deferbuerit clareſcit, & ſenſim, depoſita fæce tartarea vigorem exerit, atque in perfectiſſimum & robuſtiſſimum vinum evadit. Si autem exagitationibus æſtu, flatibus auſtrinis aliisque, potiſſimum vero temporis diuturnitate evaporet & evaneſcat, exolvitur & ſubinde aceſcit aut fugit. Porro hæc omnia ſanguini contingunt per ætates, & una ſimul viſceribus cunctis quibus veluti colis trajicitur ac repurgatur: ſiquidem decurrentibus annis, ipſæ quoque firmantur, obdureſcunt, amplificantur. At quis unquam ejusmodi in partibus corporis, muta-

mutationes per ætates inficiabitur, cum dentium caſus, vocis mutatio, menſium & ſeminis profuſio, pilorum eruptio, cutis corrugatio, calvitium, canities & alia plura id manifeſtiſſime atteſtentur.

At vero verbum illud *judicantur* non ita, id eſt pro bona Criſi ſemper accipiendum videtur, ut ſemper in ſalutem pueriles morbos deſinere credendum ſit, cum & non raro in iisdem temporibus, ut *Celſus* advertit, maxime pueri periclitentur, quamobrem & bene & male, eos per ejusmodi tempora terminari, id eſt cum vel ſine criſi pro varia eorundem conditione intelligemus: Cæterum quandocunque pubertatem exceſſerint, atque à ſeminis & menſtruorum eruptione minime deſierint, difficilem exitum plerumque nanciſcuntur aut etiam conſeneſcunt.

Dices I. Si per emiſſionem ſeminis morbi curentur, Ergo per ejus retentionem aliqui fieri deberent, ſed nullorum facta eſt mentio Ergo ℞. negando minorem, alibi enim horum jam facta eſt & adhuc fiet mentio. deinde à negante autoritate nullum ſequitur argumentum.

Inſtabis: Ab ipſa ſeminis emiſſione ſumme debilitatur homo, Ergo ab hac non curantur morbi ℞. negando conſequentiam, nec enim eſt propria debilitas à coitu ſed tantum defatigatio. deinde morbi à repletione, nonne curantur inanitione? Præterea ipſe Hippocrates *Lib. de Virg. Morb. & Lib. 6 Epidem.* inquit. *increſcentes morbos Venus ſolvit.* Denique non tantum per ſeminis emiſſionem, ſed per mutationem temperamenti & ætatis contrariæ curantur morbi, quæ in pubertate maxime fieri conſuevit.

Vrgebis Nullus morbus fit vitio ætatis, Ergo falſus eſt Aphoriſmus. Prob. Antecedens ætas eſt tantum menſura vitæ humanæ quæ ſe pure habet relative, & ſic malum nec infert necessitat. ℞. Quando morbi dicuntur fieri vitio ætatis, non eſt quod ætas ipſa univoce causet morbos ſed quod morbi ad eam ſequantur, quando autem dicitur, quod morbi, qui vitio ætatis fiunt, per ætatem contrariam curari debeant, per ætatem intelligendum eſt temperamentum ſeu craſis v.g. pueritiæ & juventutis, nempe quod morbi, qui vitio temperamenti puerilis fiunt, curentur per temperamentum juventutis vel alterius ætatis.

Quæres: An ergo & cur ſeptenarius numerus tantum vim &

 poten-

potentiam in noſtro corpore habeat, ut vulgo creditur? ℞. *primo:* Pythagoras numerum ſeptimum vitæ humanæ vehiculum & complementum vocat, cui in hoc Aphoriſmo ſubſcribit Hippocrates. ℞. *ſecundo* Rationem hujus arcani, varii Medicorum proceres perſcrutari conati ſunt, nunc in lunæ concavo, nunc ex abyſſo maris, neſcio quas demonſtrationes, ut credunt, aſtrologicas aſſerendo. ℞. *tertio*. Ego ingenue cum aliis viris doctis fateor me non eſſe tam fundatum & profectum Aſtrologum nam.

Ut bonus Aſtrologus fiam, cœlum nimis altum
Impedit, ut Phyſicus, terra profunda nimis.

Malo ergo tacere docte quam ignoranter loqui, & meam in hac re ignorantiam lubens agnoſcere, nam *teſte Philoſtrato*: *Agnoſcere propriam ignorantiam eſt primus gradus* ad prudentiam.

Aphoriſmus XXIX.

Adoleſcentibus (ſeu juvenibus) autem ſanguinis ſputiones, tabes, febres acutæ, epilepſiæ (ſeu morbi comitiales) aliique morbi, ſed præcipue antea dicti.

Contentum ſeu Intentio,
De Pathologia morborum adoleſcentium.

Connexio: Cum in priori Aphoriſmo morbos enumeraſſet, qui in pubertate fiunt, ſub qua etiam adoleſcentiam complectitur, nunc juventutis morbos a vigeſimo quinto anno ad trigeſimum quintum, vel ut alii à decimo octavo ad quadrageſimum annum (in qua ætate, magna pars pubertatis etiam comprehenditur) exponit & enumerat.

Hic Aphoriſmus ſimplex eſt, & una concluſione circumſcribitur, adeoque diviſionem non patitur.

Ad morbos ergo *juventutis* pergens in hoc Aphoriſmo Hippocrates, cum viſus ſit, prætermiſiſſe eos, qui ad *adoleſcentiam* pertinerent, ſtatim a Galeno arguitur oblivionis. Imo neque hujus ſolum, ſed etiam,

etiam, quod nec ſatis plene de morbis acutis dixerit, quinimo tertianas maxime & febres ardentes omiſerit. Contra vero adjecerit morbum comitialem, qui potius puerilis eſt, & ætatum mutatione ſanatur. Denique tabes & ſanguinis ſputiones, non ætatis ratione, ſed ex accidenti juvenibus evenire Galenus contra Hippocratem contendit. Unde concludit. *Quare melius fuerat* (ait) *ita ſcribere Aphoriſmum: juvenibus autem eveniunt prope omnes alii morbi, quos diximus aliis accidere ætatibus, ſed præcipue ardores & tertianæ febres*: hæc Galenus.

Verum non temere arguendus eſt Hippocrates. Ad primum Galeni oppoſitum, facile eſt reſponſum, quamvis etenim non deſint, qui pro juvenibus, adoleſcentes interpretantur, licebit nihilominus vocem juvenum ex græco codice congruentius retinere. Deinde neque ætatem adoleſcentiæ prætermiſit, cum eam ad pubertatem antea retulerit, quemadmodum *Heurnius* quoque exiſtimat; puberes enim & adoleſcentes, in idem omnino tempus conveniunt, atque ab anno decimo quarto ad vigeſimum primum vel vigeſimum quintum extenduntur.

Sanguinis ſputiones intelliguntur, quæ ex gingivis, ore, faucibus, vel quæ ex aſpera arteria & pulmone emanant, quoniam per hanc ætatem, ſanguis tenuior & acrior redditus, facile illarum partium arteriolas & venulas reſerare, aut erodere poteſt, præſertim autem, cum organa ſpiritus, tunc amplificentur, unde vox gravior, & reſpiratio crebrior, ac latior motus cordis, & ſanguis longe citatior obſervatur, & ſæpius ſi violentior cauſa ſubſit, ſpem in anguſto collocat & ægrum mortis faucibus ſubjicit. Sanitas enim non eſt veſtis, nec Medici Sartores, qui ventres partes in profundo corporis conſuere noſcant: & in hoc acutiſſimis ſartoribus, ultroneè palmam cedunt: de quibus Poeta.

Subtile ingenium, noſtris ſartoribus eſſe
Nemo neget, tangunt omnia ſemper acu.

Tabes ſeu *phthiſes* conſequuntur ſputiones ſanguinis: Nam *ex ſanguinis ſputo, puris ſputum, ex puris ſputo tabes*. 7. Aph. 15. 16. Poſſunt quoque tabes juvenibus accidere, ab acriori & tenuiori ſanguine, qui ſenſim ſua portione auctifica exutus, nutriendis partibus inidoneus efficitur, unde poſtmodum totius corporis extenuatio; quia carne

Hhh 3 plurimum

plurimi ex juvenibus veluti plantæ, in medio annorum flore conſumpti emareſcunt. unde Poeta:

> Ni mors mactaret juvenes, lanique juvencos:
> Omnia ſtultorum plena boumque forent.

Vel ut alius de illo juvene præmature mortuo Joanne Kalb, ſeu Vitulo:

> O DEVS omnipotens Vituli miſerere Joannis,
> Quem mors præveniens, non ſinit eſſe bovem.

Quod autem Galenus ex accidenti ſolum, ſputa ſanguinis, & phtiſes his evenire crediderit, *aut quia vulnerantur aut quia franguntur, aut ſaliunt, aut clamant vehementius, vel quia refrigerantur, aut humi cubant, aut replentur; aut propter ejuſcemodi cauſam*. licet verum quoque ſit, non tamen huic dum axat ætati, ab ejusmodi cauſis, ſputiones accidere poterunt, ſed cunctis propemodum, potiſſimum vero ætati puerili, quæ imperita & inexperta magis, his omnibus ultro ſe ſubjicit.

Febribus acutis juvenes, quacunque ex cauſa corripiuntur, quoniam in illis ſanguis acrior, & volatilis, copioſiorem felleum humorem cumulat, & in cyſti deponit, unde acutos morbos fieri apud Medicos in confeſſo eſt. Et hi ſunt illi morbi, qui fortes proſternunt, & leoninam violentiam & ſtragem inferunt, imo inſtar pulveris pitii eos violentius concutiunt, quos ſuæ activitati potentius reſiſtere deprehendunt: Qui hodie erecta incedit cervice, ut papaver, cras detruncato jacet collo cadaver. qui hodie eſt roſa ſine ſpinis, cras febre exuſtus jacet cinis. Tanta enim acredine & volatili conditione, facillime violentæ fermentationi, atque acutis & brevibus morbis ſubjiciuntur: Unde idem Hippocratis 1. Aph. 14. *Senes*, dixit, *acutis morbis non corripi quia frigidum eſt illorum corpus*; Juvenes vero utpote calidiſſimos, præ cæteris promptius affici. Sub his autem acutis febribus, & *tertianas & ardentes* aliosque ſimiles morbos, tacite comprehenſos voluit, quidquid Galenus obgarriat.

Morbus comitialis licet puerilis dicatur & plerumque pueros afficiat, non hinc tamen, cæteris quoque ætatibus contingere non poſſe fatendum, & præſertim juventuti, de qua ſpeciatim ſcribit idem Hippocrates *Lib. de Morbo Sacro*: *Si poſt vigeſimum quintum annum*

annum morbo ſacro homines corripiantur, non ſanari. Quod etiam repetit Aphoriſmo quinto *ut. 7.* Quocirea poſſe etiam hoc morbo juvenes infeſtari, clariſſime demonſtrat. Diſtiguenda autem eſt duplex epileplia, altera *ſympathica*, ab affectis aliis viſceribus, præſertim ventriculo & utero altera quidem *idiopathica* vitio cerebri inducta; quæ licet epilepſia proximam cerebri læſionem inferens pueris magis ſit familiaris, & mutatione ætatum ſæpiſſime ſanetur, ea tamen quæ à conſentientibus Hypochondriis, ventriculo, & utero fit, procul dubio juvenes torquere poterit, quibus ſcilicet oris amarities, & acida cruditas, nauſea, vomitus, atque inde vertigo, & inſultationes epilepticæ frequentiſſime contingunt.

Denique cum, inquit, *& aliis ſed præcipue antedictis*, præter enarratos intelligit plures alios morbos poſſe juvenes invadere, qui nimirum vel affinitate temperiei ipſis congruunt, vel ſanguinis aliorumque humorum acredine promanant, vel à cruditatibus & intemperantiis exoriuntur; vel denique in fœminis a menſtruorum ſuppreſſione, atque hyſtericis affectionibus originem ducunt, adeoque cæteris ætatibus pro ratione communes eſſe ſolent Hinc non eſt, cur Galenus tam male de Hippocrate ſentiat, & Aphoriſmum hunc prævertat, quippe qui peculiares ſolum tradidit, alios implicite ſub his contentos tacite ſub intelligendos voluit, communes denique veluti in aliis Aphoriſmis memoratos, non ſine ratione prætermiſit, de his confer. 2. Aphoriſ. 45. & 5. Aphor. 7.

Dices: Morbus comitialis maximo contingit melancholicis, ſed Juvenes non ſunt melancholici Ergo ℞ non ſunt melancholici temperamento innato concedo, acquiſito nego, Imo negatur, omnem morbum comitialem a ſola melancholia fieri, ſed aliis cauſis in textu recenſitis.

Apho.

Aphoriſmus XXX.

Ultra hanc ætatem provectis, aſthmata, pleuritides (morbi laterales) peripnevmoniæ (ſeu pulmonis inflammationes) lethargi, phrenitides, ardentes febres, diuturna alvi profluvia, cholera, dyſenteria, lienteriæ, hæmorrhoides.

Contentum ſeu Intentio.

De Pathologia morborum ætatis conſiſtentis.

C*onnexio:* Explicatis in præcedenti Aphoriſmo morbis, qui juventutis ſunt, in hoc præſenti ad illos, qui in ætate conſiſtente fieri ſolent accedit, ea autem ætas à trigeſimo quinto anno incipit, & usque ad ſexageſimum annum extenditur, & primum ſenium amplectitur.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem diviſione non eget. Huic ergo ætati plurimos quoque morbos accidere aſſerit hoc Aphoriſmo Hippocrates, ſed præcipue in ſanguine, & cæteris liquoribus mutationem, atque vitiatam in viſceribus texturam inſequentes, à quibus ætates hominum mutari ſupra à nobis abunde oſtenſum eſt

Et quidem *aſthma* ſeu *creber anhelitus* illis fiet ab humoribus craſſis, & glutinoſiori lympha è ſanguine ſecreta, quæ facile pulmonibus adhæreat, & ſi fortaſſe acorem contrahat & ſanguinem pari vitio afficiat, etiam *pleuritidem* & *peripnevmoniam* minetur, alioſque *dolores* & *tumores* lateribus & muſculis reſpirationi inſervientibus infenſus. *Pari modo lethargi* orientur & *phrenitides* ſi lymphatici humores aut ſanguis ipſe per cerebri meatus excurrentes, acido concreti, vel glutinoſa plus juſto portione referti, in meningibus & plexibus, in cerebri cortice, aut alibi remorantes, & quandam veluti phlogoſim inferant. Longe facilius autem apud fæminas quam mares, quæ ob Naturæ debilitatem & fragilitatem leviſſima imo ſæpe nulla de cauſa delirant aut in furias aguntur teſte Juvenali:

Nulla

Nulla fere cauſa eſt, in qua non fœmina litem moveat.

Neque ſolum mox dictas cerebri affectiones, in ætate virili conſtitutos pati poſſe credere licebit, ſed etiam deliria *melancholica, ecſtaſes, catalepſes*, aliosque morbos capitis ab acidis ſuccis aut halitibus dependentes

Ardentes febres juvenibus familiares, viris quoque evenire poſſe, inter initia ſaltem conſiſtentis ætatis, ob utriusque analogiam, eadem ratione facile deduci poteſt. Sanguis enim prompte in utrisque fermenteſcit, & in ætate virili ob cujus denſitatem ab impedita aliquatenus perſpiratione cuicunque alterationi citius ſubjicitur, unde *febres ardentes & acutæ.* Quoniam non raro etiam acore infectus ſanguis hærere ſolet in apicibus arteriolarum, qui propterea febres excitat vehementiſſimas, & quandoque etiam mali moris, ut diximus in tractatu de febribus.

Diuturna profluvia ſpecialius per alvum fiunt ab humorum acredine, & mala ciborum digeſtione, & à confluxu aliorum ſuccorum è cæteris corporis partibus ſenſim languentibus.

His addis choleras id eſt immodicas & ſubitas per os & alvum diverſorum ſuccorum evacuationes, propter depravatos ventriculi & inteſtinorum diſſolventes ſuccos, qui ſi deorſum ſolummodo ferantur, in erodentes & lancinantes degenerati moleſtas admodum *dyſenterias*, in dilutos vero ab acido corrupto & effœto, ad chyloſim inepto *lienterias* excitabunt.

Hæmorrhoides demum virilem ætatem peculiarius comitantur, in ea enim ſanguis acore magis inficitur & promptius hæret, unde nequit tam libere remeare. Potiſſimum autem lienem & meſenterium afficit, è quibus arteriæ ſplenicæ & meſentericæ in alvum deductæ, hæmorrhoidales efformant, ſanguinem ſæpiſſime fundentes, ab ejusdem ibidem concreti vitio. Per hanc eandem ætatem *varices* etiam fieri ſolent, non diſſimili ex cauſa progenitæ, à decubitu ſcilicet ſanguinis fæculenti & acidi alicubi ſtagnantis.

Dices I. Hippocrates dicit in hac ætate homines tentari morbis acutis ergo non tentantur diuturnis alvi profluviis & hæmorrhoidibus ℞. non tentantur ſimul & ſemel concedo, conſecutive nego.

Aphoriſmus XXXI.

Senibus, ſpirandi difficultates, deſtillationes cum tuſſi ſtranguria, dyſuria, articulorum dolores, nephritides, vertigines, apoplexia, mali corporis habitus, pruritus totius corporis, vigilia alvi, oculorum, & narium humiditates, viſus hebetudines, glaucomata, auditus graves.

Contentum ſeu Intentio.

De Pathologia morborum ſenilium.

Connexio: Explicatis jam omnium ætatum morbis usque ad primum ſenium. In hoc ultimo Aphoriſmo, ultimæ quoque ætatis affectiones enarrare intendit, ejus ſcilicet, quæ decrepita dicta & à ſexageſimo quinto anno, usque ad mortem perdurat, ſicque etiam claudit, & finit hunc tertium Aphoriſmorum librum morbis, qui ſenectutem potiſſimum ſolent infeſtare.

Principaliores autem, ex innumeris aliis hic recenſet, quippe non tantum iſti ſed complures alii per eam ætatem vagari ſolent. Quam autem ſenectutem Hippocrates proprie voluerit intelligendam, dubitari hoc loco ſolet. Siquidem Hippocrates, ſenilem ætatem, in tres alias diſtinguere conſuevit, *crudam* ſcilicet ſeu *incipientem ſenectutem, mediam* & *decrepitam*. Verum tamen cum nullam hujusmodi diſtinctionem hic fecerit, ſane videtur omnes voluiſſe comprehendere, quamvis ultimi in Aphoriſmo recenſiti morbi, potius ad maturam, quam ad crudam pertineant, cum non niſi extremam viſcerum & ſenſuum labefactionem ac virium languorem conſequantur: Ita etiam Celſus Lib. 2. Cap. 1. Senectutem voce generaliori uſurpavit, utpote innumerorum morborum receptaculum de qua ſenectute Seneca:

In nos ætas ultima venit,
O nos dura ſorte creatos.

In

In hac ætate Spiritus in vappam, oleum in aquam; acidum homogeneum in inſipidum, calor in frigus; humidum in ſiccum; activum in paſſivum, uno verbo vita in mortem paulatim deducitur. Maturitas nempe, ſenibus vitam eripit: hinc Poeta:

> Curva ſenecta mihi, Nex, Nix, Nox, Nux velut audit.
> Nex cur dicatur? nempe Senex prope Nex.
> Nix? niveas nutrit, frondoſo vertice crines
> Nox? peragranda brevi ſenitta noctis erit
> Nux? Senium ſiſtit validum, ſine labe putamen,
> Interiora nucis, viſcera vermis edit.

Primus inter ſeniles morbos, numerantur *ſpirandi difficultates*, quæ tamen differunt a præcedentibus, quæ antea aliis ætatibus ſunt adſcriptæ, quoniam ſenes difficilem reſpirationem a languore potius ſubeunt. Siquidem ut recte monuit Plato *in Timæo*, non ſemper ab affecto pulmone, atque hærentibus ibidem craſſis ſuccis, difficultas reſpirationis proficiſcitur, ſed non raro etiam ab impotentia Thoracis, & muſculorum intercoſtalium, ac diaphragmatis, veluti ſenibus accidit. Quamquam & laxitas pulmonis, & ſuccorum ibidem concreſcentium pondus id ipſum quoque ſæpe ſæpius efficiunt, utraque eidem ætati familiaria. Quamobrem adjectum eſt in Aphoriſmo *deſtillationes cum tuſſi*, quæ infarctum pulmonem denuntiant. Enim vero ingraveſcente ætate, cuncta pene viſcera imbecilliora fiunt, ſanguis hebeſcit, & lenti & viſcoſi ſucci plurimi ubique cumulantur, præſertim in partibus ſua Natura laxioribus. Sed & ſenum corpora, nec bene nec facile perſpirant, quapropter plurima pars eorum, quæ inſenſibiliter perſpirare debent, interius detenta, viſcera & ſanguinem inficit, unde omnis generis catharri.

Cum autem ſucci prædicti ſpirandi difficultates excitantes, ad *renes & veſicam* confluunt, non tantum ſerum urinarium depravant, ſed etiam ductus ipſos obſtruunt, atque varios in ipſis morbos adducunt, præſertim vero *ſtranguriæ & dyſuriæ* Hæ namque fiunt potiſſimum in ſenibus à viſcoſis & acidis ſuccis, qui vel urinæ exitum interdicentes, vel urinam ipſam reddentes acriorem, mictui non levem moleſtiam afferunt, & non raro, in calculos & arenulas converſi, gravando aut vellicando, vehementer ſphincterem muſculum excruciant. Hic autem eo gravius afficitur & laceſſitur, quo veſicæ habitudo

ad propulſionem impotentior evaſerit, ob ſenilis ætatis imbecillitatem.

His etiam de cauſis contingunt *dolores articulorum*, ut propterea qui humores ad vias urinæ præfatas, afferunt affectiones, in artus delati pariunt *arthritides*, unde congeneres ejuſmodi ægritudines experimur, atque iiſdem pene medicamentorum generibus curati. Quoniam vero feroſiores plerumque humores, aut excernuntur, aut promptius diſſlantur, craſſioribus detentis, proinde fit, ut hi in Artubus Tophos, in renibus & Veſica Calculos, progignant, atque in aliis aliisque partibus ſtagnantes, aliasque inferant graviſſimas affectiones, & in cerebro quidem *vertigines apoplexias, mentisque hebetudines*, obſtructis nimium vaſis, in quibus liquor Nerveus à ſanguine ſecernitur, in viſceribus imi ventris *oppillationes, hydropes, tumores*; in oculis *glaucedinem & viſum obtuſum*, in auribus *ſurditatem*, atque alibi alias propemodum infinitas

Neque vero ſolum in quibusdam partibus, peculiares morbi contingunt, ſed etiam toti pene corpori, per cachexiam ſeu depravatum habitum, ob malam ejusdem nutritionem, tum propter vitiatum in ſanguine alimentum, tum propter defectum viſcerum male transmutantium, repurgantiumque alibilem corporis ſubſtantiam, eqiudem hæc omnia perperam aguntur in ætate ſenili, cum & facultates & ſpiritus ac fermenta viſcerum, ſenſim ſenſimque deficiant, ex alibi probatis.

Quoniam autem ſerum, lympha cæterique liquores, atque fermenta, potiſſimum glandularum, per ultimas ætates ſponte ſua acorem contrahunt, & cum alicubi detinentur diutius quam par ſit, etiam muriatica, & auſtera ſalſedine inficiuntur, idcirco ſæpiſſime quoque accidit, ut ſenes acido-ſalſis ichoribus abundent, qui detentis fuliginibus, ex mala tranſpiratione commixtis, longe pejores, & moleſtiores fiunt; unde poſtmodum *pruritus*, *puſtulæ*, & non raro etiam *ulcuſcula* illis accidunt, per univerſam fere cutem diſperſa. Atque hinc plane evenit, cur tantopere ſenectus, de totius corporis æſtu conqueratur, qui falſo a vulgaribus Medicis, calidæ jecoris intemperiei ſolet adſcribi, cum tamen per juventutem, nullus viguerit.

Adhuc etiam admodum *vigiles* ſunt ſenes: iis enim cerebrum plurimum exareſcit, & liquor ille, tum ipſi cerebro, tum nervis irrorandis addictus vel multum deficit, vel à naturali & convenienti humectatione deſciſcit; & quamvis ſenes pituitoſis ſcateant humoribus, hi tamen ad ſomnum conciliandum utiles non ſunt, imo ſi quandoque cerebrum impingant, gravando atque obſtruendo, potius ſoporem atque apoplexiam inferunt. Atqui ros ille ſomno conciliando peropportunus, lenis, placidus, blandusque eſſe debet, quo ſcilicet pueri potiſſimum abundant. Unde fit, ut ſomno præ cæteris indulgeant. Sed & ſenectus *curarum* plena eſt, quibus plerumque anxii ac ſolliciti, exſomnes fiunt, cum alioquin ſomnus requies animorum appelletur ab Homero.

Ex oculis præterea & *naribus* ſenum ſolet plurimus excrementitius humor exſtillare: nam illorum cerebrum multis perpetuo ſcatet inutilibus ſuccis, ex effœto ſanguine, ejusque ſero & lympha abundantiori depoſitis, qui ſi fortaſſe detineantur, præſatos morbos capitis afferunt; ſi vero per conſuetos ductus deferantur, & oculos & nares plus juſto humentes efficiunt, imo in os confluentes ſputa multiplicant, & labia ſalivoſa reddunt, his quoque incommodis, ventriculus afficitur, plerumque ex mala ciborum confectione, quandoque etiam ex illapſu confimilium ſuccorum in glandulas, & meatus inteſtinorum, unde alvus magis lubrica evadit.

At vero nunquam fere non obnoxii ſunt ſenes *viſus hebetudini* cum rari admodum ſint, qui per eam ætatem videndi acie præpolleant; verum tamen non ſolo languore, aut ſpirituum inopia, ut à pleriſque creditur, ſed potius humorum aut tunicarum craſſitie, vel extenuatione, ſitu, figura, & ſtructura oculi, per ætatem variata, ut alias alibi eſt oſtenſum. Cum autem viſus hebetudo triplex obſervetur, aut in remotis ſolum, aut in proximis objectis corporibus, aut in utriſque, hinc prima dicitur *Myopia*, ſecunda *Presbitia* tertia *Amblyopia*. Et quidem *Myopes* propius admota cernunt, remota vel nullatenus vel confuſe admodum, atque hoc vitii genus familiare eſt potius juvenibus, un-

de ingraveſcente ætate, ſæpe numero corrigitur. *Presbitæ* vero remotiora diſtincte, proximiora confuſe vident, cujus modi ſunt ſenes. *Amblíopes* tandem, tum ad proxima tum ad remota deficiunt. Hinc autem liquet, non ad ſpirituum copiam vel inopiam, robur, aut languorem, viſionis vitia eſſe referenda, cum imbecilli ſenes, ſi proxima cernere nequeunt minus remota diſcernerent, & robuſti Juvenes non tam exigerent, ut objecta forent, oculis admota. Accidunt ergo hæ viſus hebetudines, à vitiata tunicarum, & humorum ſtructura ac diſpoſitione. Etenim in prioribus videndi vitiis, cryſtallinus humor non habet à Retina juſtam diſtantiam, ſed vel ad eandem propius accedit, ut in Presbitis, vel ab illa longius recedit, ut in Myopibus: Quamobrem, conſpicillorum ope, plurimum adjuvatur, alteruter in his videndi defectus; Nam in presbitis, cryſtallus in lenticularem formam redacta ſeu connexa, in Myopibus vero concava oculos juvat, ſive ad proximiora, ſive ad remotiora conſpicienda. Porro hæc vel formatione, vel conſuetudine, vel ſola ætatum mutatione contingere ſolent, cum ſenſim humores & tunicæ oculorum hujusmodi permutationes, in ſitu, ac diſpoſitione, à naturali, & debita conſtitutione plerumque ſubeant.

Tertia denique hebetudinis ſpecies, tum ad proxima, tum ad remota objecta proſpicienda, quandoque vitium ſequitur illius tunicæ, quæ Cornea appellatur, forte quia convenienti pelluciditate caret, ſed vel craſſior vel rugoſior vel aliter affecta, evadit opaca: aliquando ab humore aqueo, vitreo, vel cryſtallino oritur, qui alieno, atque impuro humore, maculatus, lumen non bene admittit ac excipit, nec ad Retinam clare trajicit. Nonnunquam etiam in Retina ipſa, quæ ſimulacra rerum, debet excipere vitium latet, & diſtinctæ viſioni, redditur inutilis.

Glaucedo pariter ſenum oculis ſæpiſſime accidit, cum humores præſertim cryſtallinus, craſſeſcunt & denſiores fiunt, ut luminis in ipſos incidentis, refractio a debita ratione variet, & glaucus color, cæſius, ac cæruleus, qualis noctuarum in oculis obſervetur. Evenit autem hoc vitium in valde ſenum oculis, exareſcentibus quo-

quodammodo humoribus, aqueo & cryſtallino, ipſa ſenſim occidente ſenectute.

Tandem vero cum ſenſus omnes in ſenibus hebeſcant, tum potiſſimum auditus fit gravior, quin & memoria ac mens ipſa, in occidua illa ætate, paulatim deficit.

Senibus autem iſtiusmodi ægritudinibus, quo ad ipſa ætas ferre poterit, bono potius victus regimine quam multis & inutilibus medicamentis occurrere debemus, quæ ex praxi petenda.

Dices primo: Senes ſunt ſicci, Ergo non laborant aſthmate, quin alias hectici forent maxime aſthmatici ℞. ſenes ſunt ſicci, quo ad partes continentes concedo, quo ad contenta nego. Ergo non laborant aſthmate, nego conſequentiam.

Inſtabis: Senes habent vaſa ampliora quam Juvenes, quia caro & pinguedo conſumpta eſt à quibus antea anguſtiabantur. Ergo ſenes minus aſthmate laborabunt quam Juvenes. ℞. Nego antecedens, nam licet caro & pinguedo conſumpta ſit, non ideo ſiunt ampliora vaſa, quia vel corrugantur vel concidunt & hinc fiunt potius anguſtiora.

Urgebis: Ideo ſenes ſunt apoplexiæ, paralyſi & defluxionibus magis obnoxii, quia habent vaſa ampliora ut vult Fonſeca Ergo in iis non corrugantur & concidunt. ℞. In primo Senio tranſeat, in ultimo nego.

Dices ſecundo: Hippocrates dicit Senes minus ægrotare quam Juvenes; Ergo falſum eſt, quod tot obnoxii ſint morbis ℞. Senes minus ægrotare febribus & morbis acutis concedo, Ergo non laborabunt morbis in Aphoriſmo recenſitis, nego.

Dices tertio: Hippocrates in *Coacis* dicit poſt ſexageſimum octavum annum, nec Strumas nec Lapides in Veſica amplius fieri: Ante pubertatem pueros nec Podagra nec pleuritide laborare; cum tamen multi ſenes ſint, qui Lapide in veſica usque ad mortem graviſſime fuerunt cruciati: deinde pueros obſervatum eſt, Podagra laborare ante pubertatem, Ergo dicta ab Hippocrate, non videntur eſſe vera.

℞. *pro-*

℞. *primo* Hippocratis mentem eſſe, quod ſenes poſt ſexageſimum octavum annum lapidibus in veſica non laborent, quos ante non habuerunt, ergo illi videntur, prius lapides illos habuiſſe & illis poſt illud tempus non creviſſe.

℞. *ſecundo* Pueros non laborare Podagra, niſi hæreditaria, quæ tamen raro actuatur ante uſum veneris.

℞. *tertio* Pleuritis ſeu pulmonia rarior eſt in pueris, præcipue quæ fit à cauſis internis, eo quod omnis ſanguis corpori alendo applicetur.

Et hæc ſunt, quæ favente DEO pro ingenii noſtri tenuitate, in tertiam Aphoriſmorum Sectionem enodare, & ſincere tradere intendimus: Benevolus Lector æqui bonique conſulat noſtroque labori faveat, id enim unicus eſt noſter & hujus Libri,

FINIS.

LIBER QUARTUS
SEU
SECTIO QUARTA
DE
REGIMINE PURGANTIUM, FEBRIBUS, SUDORIBUS ET URINA.

Aphoriſmus I.

Pragnantes purgabis, ſi materia turgeat; quadrimeſtres, & usque ad ſeptimum menſem; ſed has parcius: Juniores autem & ſeniores, caute vitare (ſeu abſtinere) oportet.

Nota. *Hic ipſiſſimus Aphoriſmus, iisdem prorſus verbis repetitur Sectione quinta Aphoriſmo 29. Rationem autem hujus repetitionis, dicemus, quando ad locum mox dictum accedemus.*

Contentum ſeu Intentio.
De Purgatione gravidarum ſeu pragnantium.

C*onnexio*: Quamvis hic Aphoriſmus, utpote ordine primus non habeat connexionem, eam tamen habet, præſens liber quartus, cum præcedente libro tertio. In quo cum Hippocrates, morbos, qui & ad anni tempora & ætates

fieri

fieri conſueverunt, explicuiſſet; modo in hoc quarto libro, ad particularem tum curandi tum prædicendi formam accedit: Quoniam vero inter remedia, & quidem validiora & uſu recepta, ſit medicamentum, ideó præ cæteris, de pharmaco purgante ſeu cathartico multa docet, & in hoc Aphoriſmo ſpecialiſſime exponit tempus, in quo tuto vel non tuto, mulieri gravidæ medicamentum purgans exhiberi poſſit? Ideoque hic Aphoriſmus *dividitur* in duas partes juxta duplicem in textu poſitam concluſionem: quarum *prima* docet purgandas eſſe mulieres à quarto ad ſeptimum menſem: *altera* vero negat, id eſſe faciendum ante vel poſt illud tempus. Quandoquidem ergo Hippocrates in hoc Libro per plures Aphoriſmos de recta purgantium medicamentorum ratione, in ægrotantibus verba faciat, antequam ad ulteriorem Aphoriſmi hujus explanationem nos accingamus, prius quædam paucula, notatu digna, *de purgatione* in genere præmittere, cum palam ſit apud Medicos, duas potiſſimas manus auxiliarés, quibus præcipuæ operationes Medicæ perficiuntur, eſſe *venæ ſectionem & purgationem*: de illa alibi, de hac autem in præſenti. Ab hac enim dextre in morbis applicata, non tantum judicium & dexteritas Medici fundati eluceſcit, ſed & plurimum ei gloriæ accedit. Siniſtre autem adhibita, non tantum fortuna ejus obſcuratur, ſed & famæ plurimum decedit. Eſt enim purgatio illa materia, qua apte inſtituta & ponderata in tota Medicina non eſt utilior, imo ſi politice loqui liceat, nulla in rerum Natura, reperitur profeſſio, quæ pro ſuo ſcopo, non habeat purgationem; hinc Poeta:

Theologus animam purgat, Juriſta Crumenam
Et corpus Medicus: unus utrinque labor.

Mirari proinde licet quorundam immaturum impetum, & innatam quaſi in omnibus contradicendi inclinationem, qui omnia purgantia ex foro Medico proſcribere conati, tam frivolas adduxerunt rationes ut refutationem non mereantur. Inter hos ex veterum cœtu fuit *Aſclepiades* à Galeno jam abunde refutatus, ex Neotericorum claſſe Helmontius, qui, ſi vera forent, quæ jactat arcana, quæ, nempe intactis ſuccis vitalibus, ſola excrementa educerent, hominem ſanum prorſus non purgarent, humorem ubicunque latentem radicitus evellerent, jure merito à noſtris purgantibus uſualibus abſtinere videtur: Sed ut verum fateat *Helmontii* promiſſa & ſecreta, cum ſuo univerſali men-

menſtruo liquore, nempe *Alkaeſt*, pleriſque ita & nobis ſemper ſunt & fuerunt ſuſpecta, nam:

Promiſſis Dives, quilibet eſſe poteſt.

Retulit enim fide digniſſima quidam famoſus Doctor *Leſpier* Bruxellenſis Medicus Helmontii Collega, in eadem urbe, eodem tempore, cum eo communem praxim exercens, Helmontium nec ſingulis annis aliquot mille curaſſe Hydropicos. Nec omnem Hecticam in Lunæ Curſu, nec omnes quartanas & lienis ſcirrhoſitates ſolo topico (prout paſſim in ſuis ſcriptis, vaniloque perſuadere conatur) nec tantum fuiſſe Herculem, qui Mercurio ſuo Diaphoretico, veluti Clava in febribus continuis, criticum Naturæ certamen inhibere, prævenire, & maſſæ ſanguineæ præcipitationes, certis diebus & horis pro libitu promovere potuerit. Sed quanta prærogativa relinquis Medicis ſuo tempore ſubtilitate ingenii & Theoria fuiſſet felicior, tanta diſtinctione, ipſum extitiſſe, uſu practico reliquis infeliciorem. de Helmontio verificatur illud *Plauti* dicentis; *qui ſe omnia ſcire putant, nihil ſciunt*: Infelicitas Helmontii maxima, exinde eluceſcit, quod correptus pleuritide, venæ ſectionem (cujus abjuratus hoſtis extitit) ab aliis Medicis ſuaſam, pertinaciter renuens, tandem, ſed ſero nimis annuens, miſere & præmature perierit. Cenſura talium contradicentium hominum eleganter deſcripta legi poteſt apud *Galenum 4. de Loc. affectis Cap. 4.* Taceo, palam & luce meridiana cunctis clariſſimum eſſe, Naturam noſtram in plurimis morbis vomitum, vel alvi fluxum, hæmorrhagias, aliosque ſanguinis fluxus cum Euphoria inſtituere, & per has vias quotidie particulas heterogeneas, ſibi inimicas critice & laudabiliter expellere; hinc Medicus erroris argui nequit, ſi ejus veſtigiis inſiſtendo, medicamentorum opera illud efficere conetur: Et quæ & quanta noſter Hippocrates, ſaluberrima dogmata ac præcepta de Purgatione poſteritati reliquit, quæ ſparſim in ſuis voluminibus, potiſſimum etiam in ſuis Aphoriſticis Dicteriis promulgavit, prout & in hoc Aphoriſmo, aliisque ſequentibus conteſtatur, atque in noſtro præſenti Aphoriſmo initium ducit ab utero gerentibus morbo affectis, cujus cauſa purgatio inſtituenda videatur, atque eas docet purgante medicamento tractari poſſe, ſi tamen materia turgeat, à quarto Menſe usque ad ſeptimum, his autem minus, in cæteris vero omnino abſtinere oportere; tum ob fœtus debilitatem tum ob tenuitatem & mollitiem, vaſorum umbili-

calium & vinculorum uteri, quibus dorſo, lumbis & inteſtinis adhæret. Quemadmodum enim teſte Galeno *in Comment.* & Hippocrate *Lib. de octimeſtri & ſeptimeſtri partu*, tenelli baccarum & fructuum immaturorum periculi a levi ventorum flatu, ſolutis retinaculis, firmamentis & copulis diſrumpuntur, qui vero maturiores ſunt, levius adhærentes, privati ſcilicet vinculo naturali, facile ſeparantur, & ab ipſa arbore, una cum fructu decidunt. Sic pariter fit in muliere, quæ expurgatur prædictis temporibus, ut fœtus tenuior facillime decidat & ab utero ſeparetur. Id ipſum quoque eo facilius evenit, ubi fœtus grandior & pene maturus (poſt ſeptimum nempe aut prope octavum & nonum menſem) extiterit, tunc enim paulatim concidunt & connivere incipiunt vaſa umbilicalia, quæ antea hiabant, ob gravitatem fœtus, ipſa quoque uteri ligamenta laxantur, fœtus verſus Hypogaſtrium declinat, mater fit imbecillior, ob defraudationem alimenti, quod partim ad alendum fœtum grandiorem jam nunc, partim ad generationem lactis, quod provida Natura fœtui excludendo, provide præparat, matri detrahitur.

Videtur itaque Aphoriſmus, tria univerſim comprehendere: *Primo* morbos nimirum in quibus gravidas purgare conveniat. *Secundo* tempus opportunum & minus periculoſum, hujuſcemodi evacuationis. *Tertio* tempora graviditatis lubriciora, eaque cavenda.

Catharticis itaque ſeu elective purgantibus medicamentis gravidas non eſſe commovendas, niſi gravi & acuto morbo afficiantur, nemo unquam in dubium vertere auſus eſt, cum ſubinde maximum, ut mox innuimus, tum ipſis, tum conceptis fœtibus, detrimentum ſit adfuturum ab abortu, qui à purgante medicamento procul dubio ſequeretur, & quod innoxios humores educeret, & quod ſanguinem alioſque liquores funderet, atque alibilem ſuccum perturbaret, & quod uterum, & cætera viſcera naturalia laceſſendo, plurimum concuteret, & contorqueret, adeo ut exiſtimaverit Averrhoes, omnem Medicinam ſolutivam utero nocuam eſſe, ut quæ per ejuſdem ductus ac per meatus urinarios, vitioſos humores etiam promoveat.

Catharticis ergo tunc ſolum utero gerentes ſubjiciuntur, cum acuto & gravi morbo corripiuntur, ac præterea cum peccans humor,

mor, illius cauſa, efferus eſt, & motu irrequietus, ſive ut loquitur Hippocrates *turget*, de ſumpto vocabulo ab animalibus ad Coitum concitatis. Cujus rationem, tum hic tum alibi & *comment 10 hujus Libri* attulit Galenus. *Nam cum* (inquit) *ſuperabundantes humores moventur, & per totum corpus feruntur, nondum in aliqua parte firmati, tunc ad eos expellendos Natura incitatur, & aliquo indiges manum porrigente, & hunc humorum motum ad alvum deducente, priusquam robur corporis diſſolvatur, vel febris caliditas augeatur, aut ad aliquod membrum principale decumbant ii, qui per corpus vagantur humores.* Unde rurſum *tria* exigi videntur ad *turgentiam* in humoribus inducendam; *primo*: Impetus ſcilicet humorum & plus quam Natura poſtulat, in partes irruptio: *Secundo* Robur earundem partium, quæ à ſe ipſis illabentes humores propellunt: *Tertio*. Multitudo, quæ regi, aut cum reliquis excrementis corporis ſenſim ſimul educi nequeat. Quamobrem turgens materia ex ſui copia evacuationem expoſtulat, & cauſa mobilitatis facilem ac promptam illam pollicetur, quæ ſane difficillime ſuccederet, ſi alicui parti adhærerent aut impacta foret; neque vero abſque manifeſto periculo, ſi principem partem occuparet, aut in uterum decumberet, fœtui & matri noxam certiſſimam allatura.

Sed quo genere purgantis medicamenti turgentes, in utero gerentibus, humores educendi ſint, gravior videtur difficultas: & Fuchſius in expoſitione hujus Aphoriſmi præſcribit medicamenta vere & elective purgantia ex colocynthide, ſcammonio, turpetho idque genus aliis. *Et quamquam iſta medicamenta* (inquit) *vix citra fœtus noxam ſumantur, cum ex Galeno 2 de victu acutorum Comment. 12 purgantium omnium medicamentorum Natura, corporum quæ expurgantur, Naturæ contraria atque deleteria ſit, tamen præſtat, hunc ſolum iſta ratione lædi, quam ut nullo prorſus dato, & matrem & fœtum de vita periclitari patiamur.*

Verum communior praxis ab his abſtinet, & tutius putat licere uti levioribus, quæ ſitis ſunt educendis humoribus, & ſponte ſua mobilibus. Sed Abortus periculum non tantum a purgantis medicamenti Natura, ſed ſæpe magis imminet ab irritamento & concuſſione vehementi à Catharticis fortioribus inducta. Quamobrem non

tantum illa formota, ſed & *flatuoſa*, & *folia Sennæ, Caſſia*, & nimis *aperientia* aut *aloe*, quod vaſorum oſcilla faciliſſime aperit & hæmorrhoides excitat. Imo & *rhabarbarum* quibusdam ſuſpectum videtur, eo quod per vias urinæ humores potenter moveat, ſicque attiguum uterum facili negotio proritare & laceſſere poſſit. Hinc omnia quoque *diuretica* proprie dicta vetantur, nec non alimenta *flatuoſa*, ut ſunt legumina bulboſa, *Caſtanea, ficus, Caſeus* &c. omnia quoque *Emollientia* quæ ligamenta uteri elongant & emolliunt, qualia ſunt juſcula ex emollientibus confecta: Sic pariter abſtinendum à multo potu, fructibus horrariis: Demum evitanda omnia violenta animi pathemata, ira, triſtitia metus, gaudium &c.

De Vomitoriis alia poteſt eſſe difficultas, num iſta in uſum purgandarum uterogerentium trahi commode queant? Varia multorum ſuper hac re extant Autorum veterum & recentiorum ſententiæ. Ego crediderim (ſalvo melius ſentientium Judicio) illa tuto praſcribi poſſe, dummodo turgens humor ventriculum petat, illumque ad nauſeam diſponat, ſubvertat, & ad vomendum ſollicitet; eo enim ducendi ſunt humores, quo Natura vergit teſte Hippocrate 1. Aph. 21. quia & ſæpiſſime uterogerentes ſpontaneas ſubire ſolent vomitiones, quibus à pleriſque morbis vel præcaventur vel vindicantur, qua etiam ratione partum in debitum tempus ſalubriter protrahunt, alias procul dubio aborituræ. Conſentit quoque in id Hippocrates *5. Epidem 18.* ubi uxorem Antimachi, gravidam bimeſtrem, à dejectorio medicamento mortuam ſcribit, eamque vivere potuiſſe ſi aquam bibiſſet & evomuiſſet.

An præterea tuto purgari quoque poſſint, uterogerentes ſi aliis morbis afficiantur, & vitioſi humores, minime turgeant, ſed potius alicubi conſiſtant? ℞. Equidem inficias non iverim, cum vitioſus humor partem principem occupat, id commode in uſum trahi poſſe; quare in apoplexiis, convulſionibus, lethargis, cæteriſque cerebri affectibus ſoporiſeris, nemo eſt, qui non audacter medicamentum purgans adhibeat gravidis, etiamſi exinde periculum abortus immineat; præſtat enim opitulari matri, ne mater & fœtus ſimul periclitetur: In uteri quoque affectionibus, & cum pravus humor in illum ruit, ne abortus inde ſequatur, conſueverunt peritiores practici impetentem humorem intercipere, & leni aliquo cathartico ad alvum deducere.

Quo

Quo ad tempus vero magis opportunum hujuſcemodi purgationis, ſtatuit Hippocrates ut mox innuimus, medium illud eſſe geſtationis, nempe *à quarto menſe uſque ad ſeptimum*, & quidem quartum menſis includitur, cum ex græco Codice τετράμηνα quadri meſtres interpretentur Fuchſius & Heurnius, quali vero iſtæ potiſſimum purgationem ſufferant, quod fœtus per vas umbilicalia, tenacius placentæ & utero tunc adhæreat, nec tam facile a concutiente Cathartico diſſocietur. Recte pariter obſervat Heurnius, quadrimeſtres fœtus intelligendos eſſe, non ſpatio temporis, ſed in motus conceptione, cum ſcilicet moveri cœperint, quippe tum denotant utero cuncta firmiora jam evaſiſſe: at vero fœtus in utero moveri incipiunt, ſi robore præcellant, circa tertium & quartum menſem, unde idem Hippocrates *1 Epid 3 ægro 13* ſpontaneas alvi dejectiones in Trimeſtri promovit, & quidem ſalubriter, quo circa gravida illa a febre decima quarta die judicata eſt. De ſeptimo autem menſe major difficultas eſt. Putat Braſſavolus etiam ab Hippocrate comprehendi. At Fuchſius excludendum arbitratur, quod Hippocrates dixerit, *uſque ad ſeptimum*: ſi eum, inquit, hunc excludere noluiſſet, profecto dixiſſet, *ad octavum uſque*, at vero octavus menſis periculoſiſſimus eſt & ſeptimus non raro Partui dicatur. Verum adjecta verba, *ſed hæ minus*, manifeſte declarant, etiam ſeptimum voluiſſe incluſum, non tamen adeo tutum eſſe, veluti ſextus quintus & quartus Menſis, ut propterea, quo uteri geſtatio ſeptimum propius attigerit, eo periculoſior purgatio exiſtimetur. Multum autem hic tribuendum eſt ſolertiæ Medici, qui pro ratione morbi, ejuſque cauſæ atque ægrotantis gravidæ conſtitutione ſeptimeſtrem Catharſi ſubjiciet vel eximet.

Poſtremo à Juniore & Seniore fœtu abſtinere oportere, hoc eſt omnino Catharſim cavere, neceſſum eſſe, in primis & ultimis menſibus graviditatis admonet Hippocrates, ex evidenti abortus & vitæ periculo, tum matris tum fœtus, quoniam ex Galeno, ut ſupra innuimus, fœtuum connexus cum utero eandem habet proportionem quam fructus cum plantis.

Illud tandem hic ſupereſſet examinandum, quo pacto & quo coadhæreſcat fœtus utero materno, unde alimentum & vitam mutuatur. Sed cum id à nobis in inſtitutionibus & anatomia luculenter oſtenſum ſit, eo lectorem remittimus.

Dicet

Dices I. Hippocrates dicit morbos acutos eſſe lethales in prægnantibus; Ergo non erunt purgandæ etiam turgente materia, ne afflictis addatur afflictio. ℞. Per ly lethale ab Hippocrate intelligi non abſolute lethale ſeu deſperatum ſed incertum eventum ſeu dubiam ſpem juxta illud morborum acutorum incertæ ſunt prædictiones ſalutis & mortis.

Dices II. Piaculum eſt prægnantes in ſeptimo utpote Critico & partui vel abortui ſæpius deſtinato menſe purgare ℞. cum Hippocrate parcius non ſunt purgandæ nego, fortius concedo.

Dices III. Utero gerentes fœminæ, quovis tempore patiuntur innocue diuturnas Diarrhœas, Ergo etiam quovis tempore innoxie purgari poterunt ℞. tranſeat antecedens, quod revera dubium eſt, nego conſequentiam, quia medicamentum catharticum, quid ſit & quid præſtet diximus in textu; levis autem Diarrhœa ea damna non præſtat.

Dices IV. Apud Hippocratem 5 *Epidem.* uxori Anthimachi utero gerenti datum eſt fortiſſimum purgans *elaterium* & mortua eſt, non tamen abortivit, ergo purgantia non faciunt abortire ℞. in hoc caſu, Natura vi medicamenti fuit ita proſtrata, ut fœtus excludi, non potuerit, & mors abortum prævenit, ſed ſi aquam bibiſſet & vomuiſſet & mater & fœtus ſalvari fuiſſent.

Dices V. Multæ mulieres in materiæ turgentia, primis menſibus feliciter ſunt purgatæ ergo Aphoriſmus non eſt verus. ℞. Id robori & bonitati Naturæ eſſe adſcribendum, neque facile tentandum ſed cum magna circumſpectione faciendum idque levioribus.

Dices VI. Fœtus bimeſtres & trimeſtres, mediam facilius tolerant matre acuto morbo affecta quam a quarto ad ſeptimum: Ergo illi non tam facile ejicientur quam hi ℞. omnia in tenuioribus fœtibus eſſe debiliora: licet enim ob ſui tenuitatem, facilius mediam ferant, ſunt tamen debiles & purgantia minime ferentes.

Quæres I. Utrum gravidæ tutior ſit purgatio, quam ſaltatio? ℞. Si utraque ſit & fieri debet, tutiorem eſſe purgationem primis menſibus quam ſaltationem, quæ primis & ultimis menſibus magis nocet: cæterum neutra horum ſecura eſt.

Quæres II. Utrum per purgationem facilius abortiant, primis an ultimis menſibus? ℞. primis menſibus utero gerentes minori cum periculo expurgari, quia fœtus ſunt inſenſibiles adhuc qui ſæpe nec violen-

lentiſſimis motibus nec vomitionibus (intellige in robuſtioribus non vero debilibus) ejiciuntur: Ultimis vero menſibus, ob facilem ex pondere ligamentorum rupturam, tum fœtus tum excrementorum molem & copiam, purgantis quoque commotionem, facilius abortiunt.

Quares III. Cur aloe intus ſumpta aperiat venas, extra vero applicata orificia vaſorum conſtringat? ℞. Aloe habere duplices potiſſimum partes; unam *reſinoſam* quæ igneæ & calefacientis ac potenter attenuantis nec non aperientis eſt Naturæ, unde intus ſumpta, ſanguinem actuat, fundit, fervidiorem reddit & orificia vaſorum aperit alteram *terreſtrem*, quæ cruditati & putredini reſiſtit, exiccat, & oſcula vaſorum conſtringit & oblinit.

Aphoriſmus II.

Purgantium medicamentorum uſu, talia è corpore educenda, qualia ſponte etiam prodeuntia juvant: contrario vero modo exeuntia ſiſtenda.

Contentum ſeu Intentio.

De Qualitate & modo Purgantium.

Connexio: Cum Hippocrates in præcedenti Aphoriſmo docuiſſet quo tempore & neceſſitate, utero gerentes purgare conveniat, & de purgatione gravidarum in particulari locutus fuiſſet: In hoc præſenti autem nunc Aphoriſmo de Purgatione univerſali loquitur, & præceptum utiliſſimum tradit, Medico qua Naturæ modo imitatori modo Correctori, quando nimirum Natura ſit imitanda & quando corrigenda. Duas ergo hic Aphoriſmus habet concluſiones & ideo in duas partes dividitur: In *prima* docet, talia eſſe

 medi-

medicamentis purganda, qualia ſponte prodeuntia juvant: In *ſecunda* docet, ſiſtere ea, quæ ſponte prodeuntia non juvant.

De hac materia quidem ſupra Lib. 1. Aphoriſmo 2. abunde egimus, ſed magis diagnoſtice quam practice, hic autem ſermonem noſtrum potiſſimum ad Praxim dirigimus. Et revera hic præſens Aphoriſmus in tribus differt à ſecundo Libri primi. *Primo* quidem quod noſter Aphoriſmus, de materia quæ eſt in motu; ibi vero de materia in univerſum. *Secundo* Hic de Purgatione ſolum, quæ cathartici auxilio peragitur, ibi de quacunque evacuatione ſponte Natura promota. *Tertio* Hic ſiſtendum eſſe evacuationem eorum, quæ prodeuntia non juvant, at ibi ſolum ex conſerentia ac tolerantia, bonam judicat operationem.

Dicit ergo in hoc Aphoriſmo, educenda eſſe talia è corpore artificialibus purgationibus, qualia ſponte ſeu Natura proprio marte, utiliter educit, & e contra talia etiam cohibenda eſſe, qualia Natura inutiliter id eſt ſine Euphoria ſeu bona tolerantia ſed cum detrimento ægri ſeu illa ob his quæ peccant, expurgat. Si itaque juvat purgatio à Sola Natura inſtituta, etiam juvabit illa quæ ab arte inſtituerit, quare conſulit hoc Aphoriſmo Hippocrates, Medicos in Catharticis Naturam imitari oportere. *Eſt autem imitatio* (inquit Galenus in Comment.) *tales in uno quoque morbo humores evacuare, quales novimus in ſpontaneis prodeſſe evacuationibus.* Nomine vero talium & qualium humorum, intelligendi ſunt in ſpecie peccantes, id eſt biliofi, lymphatici, craſſi ſeu pituitoſi, tartarei ſeu melancholici, acres, acidi & alii, ſi fortaſſe plus juſto ſuper abundent.

Affert Galenus exempla earum, quæ ſponte fiunt, ſalutarium evacuationum, ex eodem Hippocrate deſumpta, ut cum aqua inter cutem ſeu hydrope laboranti, & lippitudinem ſeu ophtalmiam, aut ſurditatem patienti, alvus ſolvitur, unde eaſdem evacuationes arte promovere, utile putare eſt, cum id peragatur, quod Natura ſponte ſua ſalubriter perficere conſuevit, quanquam non ſemper ex voto ſuccedere ſoleat.

Quoniam vero Hippocrates, ſponte prodeuntibus, artificiales evacuationes, ſalutares ut eveniant, comparavit indefinite, Jure-

merito

merito hic dubitare licet, quid pro ſponte prodeuntibus intelligere voluerit, cum & Criticis & ſymptomaticis illa aptari queant. Et quidem de Criticis res in confeſſo eſt apud omnes; quia per illas Natura, ſe ipſam à moleſtiis exonerat, & ægros a morbis vindicat: neque aliunde, Criticæ & ſalutares dicuntur evacuationes, niſi quia per ipſas morbi judicantur ac deſinunt. At vero ſymptomaticæ tales non ſunt, quibus non raro Natura plurimum elanguet, morbi ingraveſcunt, & ſæpe etiam mors ſubſequitur, cum tamen humores in illis ſponte prodeant.

Quamobrem non videtur Aphoriſmus indefinite accipiendus de quibusvis ſponte prodeuntibus, etiam ſymptomaticis. Hinc Fuchſius illum ita ſcribendum putat: *In uſu medicamentorum purgantium, talia è corpore educere oportet, qualia etiam, ſi ſponte prodirent, utilia eſſent*. ita ut ſenſus hic ſit, talia è corpore eſſe educenda, qualia ubi ſponte prodirent, utilia forent, id eſt, qualia à Natura ipſa utiliter cum Euphoria & tolerantia evacuarentur. Quo caſu etiam ſymptomaticæ evacuationes ſalutares cenſendæ erunt, ſi ejus ſint humoris, qui obeſt & nocet. Quocirca ſolent communiter dici *conferentes* in genere *cauſæ*, quia morbifica cauſa per ipſas minuitur: *Mala* vero in genere *ſigni*, quo ſignificent humorum multitudinem, vel pravitatem, unde partes gravatæ, vel irritatæ evacuationem moliantur.

Quemadmodum autem purgationes ope medicamenti ab arte promotæ ſalutares & utiles ſunt, ſi ejus ſint humoris, qui peccat, & qui ſponte Naturæ prodiret, ſi critice egereretur: ita è contra malæ & inutiles exiſtimantur, ſi à catharticis medicamentis vacuentur, quæ non utiliter educeret. Quamobrem conſulit Hippocrates illas eſſe cohibendas. Sic oportebit, fluentem immodice ſanguinem & alvum ex hypercatharſi aut egeſtione, alius humoris ab eo, qui educendus eſſet, firmare & cohibere, remediis in hanc rem plane ſpecialioribus.

Unde autem Medicus conjicere poſſit, fore utilem vel inutilem, artificialem ejusmodi evacuationem, ut ſinenda vel inhibenda ſit, ab his quæ conferre vel tolerari probaverint, judicium ſumendum eſſe admonet; utrum æger melius an deterius habeat; ſi

prius ſinenda, ſi poſterius, purgatio à Natura inſtituta prohibenda, artificialis autem præcavenda. Et licet Natura aliquandiu, bene & utiliter expurget, quia tamen ob irritationem limites bonæ operationis excedit, illa refrænanda venit, cum modum excedat. Neque tamen iidem, mox ad alia tranſeundum eſt, etſi ſub principium in purgationibus & vomitibus, quædam, eaque graviora excitentur ſymptomata, tormina, roſiones ſtomachi & virium quidam languor, tum nempe Natura materiam peccantem & turgentem aggreditur & educit, dummodo cum tempore, omnia in melius mutentur; è contra ſi e bono ſtatu omnia vertantur in deterius, manifeſto indicio eſt, purgationem non fuiſſe criticam ſed ſymptomaticam, cum in quali, quanto & modo excedat, prout ex ſequenti Aphoriſmo clarius patebit, quem ideo Hippocrates ſubjungit, veluti iſtius appendicem.

Dices primo: In cholera morbo ubi bilis ſurſum & deorſum ſymptomatice movetur, & purgantia & vomitoria exhibet Galenus Ergo motus ſymptomatici non ſunt prohibendi ſed promovendi. ℞. Id fieri ratione cauſæ morbi tanquam magis urgentis ratione cujus evacuatio in principio minime prohibenda eſt, ſi vero diutius perduret cum virium dejectione, amplius non licet.

Dices ſecundo Natura quandoque in principiis morborum, materiam crudam educit cum tolerantia, ſed hoc arte fieri non licet, teſte Hippocrate, nam *concocta medicari oportet non cruda, neque in principiis morborum* Ergo Aphoriſmus non verificatur. ℞. Natura materiam crudam educit cum Euphoria *ſimpliciter* nego, quia ſic requiritur, ſit materia ſit concocta & per loca convenientia fiat: Educit *ſecundum quid*, ubi turget & per ſe ipſam exitum urget concedo: Ergo in hoc non eſt mutanda Natura nego conſequentiam.

Dices tertio. Vomitus in principiis febrium per artem utiliter materia in ventriculo contenta inſtituitur; a Natura autem inſtitutus, nocet, quia fit a Natura irritata. ℞ negando quod vomitus in principio non æque utiliter inſtituatur à Natura, quam ab arte, quia ſive à Natura ſive arte fiat, fit cum cauſæ diminutione, & majus eſt commodum quod inde evenit, quam damnum ab irritatione profectum.

Dices

Dices quarto: Sudores in principio febrium inſtituuntur à Natura ſed male Ergo etiam nec per artem licet. ℞. Non negamus quidem meliores eſſe ſudores in declinatione, proſunt tamen etiam ſecundum quid in principio, ſi materia turgeat, quia Natura per hoc ſublevatur portione oneris ſui.

Dices quinto: Evacuationes in Dyſenteria non ſunt utiles, & tamen non ſunt cohibendæ ne lupus in ſtabulo includatur, Ergo non ſemper cohibendæ ſunt, evacuationes inutiles ℞. Evacuationes in Dyſenteteria non ſunt cohibendæ ſtatim à principio concedo. Poſtea nego. Hinc etiam in principio non ſunt omnino inutiles, quia alios morbos v. g. epilepſias, febres &c. ſæpe curant.

Dices ſexto: Ubi natura bene agit, totum negotium eſt ipſi relinquendum, Ergo non opus eſt arte, ne actum agatur, aut turbetur. ℞. ubi Natura bene agit, eſt totum negotium relinquendum, in actu diviſo nego, in actu compoſito concedo.

Aphoriſmus III.

Si qualia oportet, purgentur, confert, & facile ferunt: contra vero ſi fiat, graviter.

Nota. *Videatur Aphoriſmus 2. Sectionis 1. qui fere idem eſt.*

Contentum ſeu Intentio.

De Medio Termino Purgantium.

Connexio. Cum dixerit Hippocrates in priori Aphoriſmo, utile eſſe, in purgationibus arte promotis, talia educere è corpore, qualia ſponte Naturæ prodirent, in hoc præſenti Aphoriſmo, Indicia tradit proficientis ejuſcemodi purgationis, deſumpta ex eo, quod conferat, morbus remittat, & æger ſufferat, cum vires, nul-

lum vel leve admodum detrimentum ab illa patiantur. Talis enim purgatio utilis eſt, utpote quæ malos humores educit, benignos vero intactos relinquit, neque in quanto quali aut modo peccat, cauſam quamcumque morbificam tollit & ſic Naturam plus alleviat quam ſupprimat. Purgatio autem quæ contrario modo fit inutilis & valde noxia eſt.

Quamquam autem id ipſum fere totum docuerit Hippocrates *Lib. 1. Aphoriſmo 2.* ut propterea hic videatur inutiliter & fruſtra repetitus, non tamen eximendus, ut bene advertit Cardanus, nam ita nectitur præcedenti, ut oratio omnino mutila remaneret, ſi deeſſet: Sicut enim in evacuationibus ultroneis, utilitas certa & perſeverans judicatur, ſi conferat & toleretur, cum ſcilicet talia egeruntur, qualia convenit evacuari; ita in evacuationibus, medica ope protitatis, emolumentum certo futurum conjicitur, ſi ea purgentur, quæ purgari oportet; & contra ſi talia ſint educta, qualia erant educenda, certo quidem conferret & æger ſufferet, ut proinde viciſſim ſe res habeat, ad utrumque. Qua ſane ratione, ergo judico, facile his reſponderi poſſe, qui auſi ſunt Hippocratem notare, quod tum hic tum *Aphoriſmo 2. ſect. 1.* nihil quidquam ſe dignum ſcripſerit, ſed Lippis & Tonſoribus notiſſimum, ut fuſius alibi notavimus; hoc tantum compendioſe memoriæ commendamus, quod Medico, linceis ſemper oculis, cauſa morbi ante omnia indaganda ſit, nam ablata cauſa tollitur effectus, id eſt morbus & hoc eſt primarium Medici intentum. Hæc cauſa, ſi ſit Cacochymia purgationem indicans, variis modis peccat: nunc enim eſt inſipida, nunc acris, nunc tenuis & liquida, nunc craſſa & viſcoſa, nunc amara, acerba, ſalſa, dulcis, nunc acida nunc alkalina, nunc fixa nunc volatilis. nunc in cavitate contenta, nunc partium ſubſtantiæ impacta; nunc medicamento facile cedens nunc difficulter, nunc in una nunc in altera corporis Regione contenta: Nunc bilioſa vel ſeroſa vel alterius vitii.

Impoſſibile autem eſt, ut unum idemque medicamentum, tot ſpecie diverſos humores educat (fruſtaneus enim alias eſſet, tot purgantium ſelectus) Exemplo res fiet clarior: ponamus v. g. humorem

morem peccantem eſſe calidum, tenuem, facile mobilem, ſi medicamentum purgans itidem ſit calidum, acre incidens, violentum; purgabit quidem, ſed plus nocebit quam conferet. Vel ſi humor ſit frigidus, craſſus, lentus, medicamentum vero dulce refrigerans inſipidum, lene, itidem quidem purgabit, ſed non cum Euphoria ſeu tolerantia, ſed potius cum detrimento, *cum non expurgentur ea, quæ expurgari oportet*; ſed relinquantur in corpore cum notabili detrimento, hinc cauſa morbi frigida, craſſa, radicata, partibus impacta, victus ratio craſſa & plena, habitus robuſtus, violenta deſiderat medicamenta: è contra cauſa tenuis, calida, bilioſa, in prima Regione fluctuans, victus tenuis, habitus tener ſuaviora expoſcit: Nam

Non facit una bonum, ſutoria forma Magiſtrum
Unica nec celebrem, forma facit Medicum.

Sunt & alii Scopi, pro quibus purgantia adhibenda, virtute quadam & proprietate ſpecifica: Sic *elleborus niger* datur ad enervandum acidum melancholicum: *Colocynthis* ad ſolvendam lymphæ ſeu pituitæ gelatinam: *Gialapa* ad lympham ſeu ſerum fundendum: *Rhabarbarum* ad bilem ferocientem reſtringendam, & viſcerum Atoniam corrigendam: *Aloe* ad ventriculi aliorumque viſcerum infarctus reſerandos, & reſtituendum depauperati ſanguinis balſamum, excitandum ſanguinem, & corrigendum in primis viis peccans acidum: *Tamarindi* ad enervandam bilis amaritudinem: *Caſſia* ad diluendam concentratorum humorum acrimoniam &c.

Hæ Regulæ ſi à ſolerti Medico obſerventur, medicamenti purgantis effectus erit cum tolerantia & conferentia, quam 1. Aphoriſ. 25. pro bono purgationis ſigno propoſuit Hippocrates, & fit, cum expurgatur illud, quod peccat, id eſt noxium, ſuperfluum, à vitali conſortio jam ſuperatum, Naturæ inimicum; Succis vitalibus & balſamicis, à medicamenti purgantis activitate, nequaquam perturbatis aut è corpore eductis: Hinc nullo negotio deducetur, neque conferre neque tolerari evacuationem humorum, qui utiles aut alibiles cum ſint, nullatenus ſunt educendi, ſed potius graviorem noxam afferre, commotis nempe & exaſperatis

his,

lus, qui noxii ſunt & morbum faciunt. Et hæc non modo Medicis, ſed cuique homini notiſſima ſunt, propterea longiori non egent explicatione.

Aphoriſmus IV.

Æſtate ſuperiores potius ventres, hyeme vero inferiores purgandi.

Contentum ſeu Intentio.

De Tempore Anni commodiore ad Emedica vel purgantia propinanda.

Connexio: Proſequitur Hippocrates cœptam de purgatione materiam, & cum in præcedenti Aphoriſmo, de humore peccante indicationem ſumpſiſſet: In præſenti jam de Loco Purgationis agit.

Hic Aphoriſmus duas habet partes & concluſiones. In prima dicit æſtate ſuperiores. In ſecunda hyeme inferiores ventres eſſe purgandos ſtatuit.

Videtur autem Hippocrates hoc Loco, ſicuti *Libro de aere Locis & aquis* Annum dividere in *duas* partes; *Æſtatem* nempe & *Hyemem*: Et ſic Æſtas accipienda erit, à medio vere usque ad medium Autumnum: Hyems à medio Autumno usque ad medium Ver. Alii malunt Æſtatem intelligere, quæ fit in Summo Æſtu, nempe ab ortu Vergeliatum ſeu *Plejadum* usque ad ortum *Arcturi*, vel a Solſtitio, usque ad Caniculæ declinationem. Hyemem vero ſumunt, quando ſummum viget frigus.

Per

Per *ventrem ſuperiorem* ut dicit in *comment.* Galenus, *ſtomachum* magis æſtate, hyeme vero per *inferiorem ventrem* ſeu *inteſtina* purgandum eſſe. Et rationem affert, *quoniam qui tunc ſuperabundat humor flava bilis eſt, & tota natura animalis, propter ambientem caliditatem, magis ad ſuperiora movetur.* Hyeme vero potius prævalent, crudi, craſſi, viſcidi, pituitoſi, inertes fixi, graves & in profundo deliteſcentes ſucci, partim ob continuum ſanguinis refrigerium ab ambiente algore & frigore; partim ob frigidam aeris inſpirationem, partim ob majorem ciborum ingurgitationem & ingluviem, partim ob reliquias ab autumno reſtantes, partim ob pororum conſtipationem & tranſpirationis defectum, quo tempore præfati ſucci ſponte ſua deorſum feruntur & tunicis inteſtinorum adhærent ut proinde ad ſuperiora obſtante illorum gravitate, difficillime duci poſſit, quamobrem melius dejectoriis ad alvum ducuntur.

E Contra conſtat Experientia per Æſtatem, calorem æſtivum omnibus corporis noſtri ſuccis, bonis & malis, bilioſis & ſeroſis, non tantum particularem fluibilitatem & tenuitatem, ſed etiam volatilitatem & igneam quaſi proprietatem imprimere, qua mediante magis ſuperiora quam inferiora verſus inclinent. Et ſic natura, Medico curanti, digito quaſi viam monſtrat, eo ducendam, quo ipſa vergit: Autopſia etiam docet, per æſtatem os facillime amareſcere, & ventriculum ejusque orificium ſuperius ad vomendum ſollicitari, ſive quod fermenta illuc ex arteriis gaſtricis derivantia, acriora ſint, ſive quod ſanguis ipſe, acrioribus & quaſi ſulphureis particulis plus æquo redundans, in cyſtim felleam, easdem uberius deponat. Unde & urinæ per idem tempus flaveſcere magis ſoleant & fæces & cætera corporis excrementa pari colore inficiantur. quæ ſane ex documento ejusdem Hippocratis promptam & facilem pollicentur vomitionem.

Sed obſtare ſibi ipſi videtur Hippocrates *libro de ſalubri victu* docens, *ſex hybernis menſibus vomere utile eſſe, nam & pituita plus, & capitis pravitas ſubeſt, In æſtate vero clyſmatum ſit uſus & ſuperiores corporis partes per inferiores purgandæ.*

Idipſum protulit Celſus lib. 1. cap. 3. vomitum indicens utiliorem hyeme, quam æſtate, hanc eandem proculdubio Hippocratis ſententiam ſecutus; Verum licet pleriſque viſum ſit, librum hunc non Hippocrati, ſed Polybio adſcribere, nihil tamen inde deducere, quod rationabiliter propoſitæ objectioni ſatisfaciat,

Dices I. Hippocrates dicit morbos acutos eſſe lethales in prægnantibus; Ergo non erunt purgandæ etiam turgente materia, ne afflictis addatur afflictio ℞. Per ly lethale ab Hippocrate intelligi non abſolute lethale ſeu deſperatum ſed incertum eventum ſeu dubiam ſpem juxta illud morborum acutorum incertæ ſunt prædictiones ſalutis & mortis.

Dices II. Piaculum eſt prægnantes in ſeptimo utpote Critico & partui vel abortui ſæpius deſtinato menſe purgare ℞ cum Hippocrate parcius non ſunt purgandæ nego, fortius concedo.

Dices III. Utero gerentes fæminæ, quovis tempore patiuntur innocue diuturnas Diarrhæas, Ergo etiam quovis tempore innoxie purgari poterunt ℞ tranſeat antecedens, quod revera dubium eſt, nego conſequentiam, quia medicamentum catharticum, quid ſit & quid præſtet diximus in textu, levis autem Diarrhæa ea damna non præſtat.

Dices IV. Apud Hippocratem 5. *Epidem* uxori Anthimachi uterogerenti datum eſt fortiſſimum purgans *elaterium* & mortua eſt, non tamen abortivit, ergo purgantia non faciunt abortum ℞ in hoc caſu, Natura vi medicamenti fuit ita proſtrata, ut fœtus excludi, non potuerit, & mors abortum prævenit, ſed ſi aquam bibiſſet & vomuiſſet & mater & fœtus ſalvati fuiſſent.

Dices V. Multæ mulieres in materiæ turgentia, primis menſibus feliciter ſunt purgatæ ergo Aphoriſmus non eſt verus. ℞. Id robori & bonitati Naturæ eſſe adſcribendum, neque facile tentandum ſed cum magna circumſpectione faciendum idque levioribus.

Dices VI. Fœtus bimeſtres & trimeſtres, inediam facilius tolerant matre acuto morbo affecta quam a quarto ad ſeptimum: Ergo illi non tam facile ejicientur quam hi ℞ omnia in tenuioribus fœtibus eſſe debiliora: licet enim ob ſui tenuitatem, facilius inediam ferant, ſunt tamen debiles & purgantia minime ferentes.

Quæres I. Utrum gravidæ tutior ſit purgatio, quam ſaltatio? ℞. Si utraque fit & fieri debet, tutiorem eſſe purgationem primis menſibus quam ſaltationem, quæ primis & ultimis menſibus magis nocet: cæterum neutra horum ſecuta eſt.

Quæres II. Utrum per purgationem facilius abortiant, primis an ultimis menſibus? ℞. primis menſibus uterogerentes minori cum periculo expurgari, quia fœtus ſunt inſenſibiles adhuc qui ſæpe nec vio-

len-

lenisſimis motibus nec vomitionibus (intellige in robuſtioribus non vero debilibus) ejiciuntur: Ultimis vero menſibus, ob facilem ex pondere ligamentorum rupturam, tum fœtus tum excrementorum molem & copiam, purgantis quoque commotionem, facilius aboriunt.

Quæres III. Cur aloe intus ſumpta aperiat venas, extra vero applicata orificia vaſorum conſtringat? ℞. Aloë habere duplices potiſſimum partes; unam *reſinoſam* quæ igneæ & calefacientis ac potenter attenuantis nec non aperientis eſt Naturæ, unde intus ſumpta, ſanguinem actuat, fundit, fervidiorem reddit & orificia vaſorum aperit: alteram *terreſtrem*, quæ cruditati & putredini reſiſtit, exiccat, & oſcula vaſorum conſtringit & oblinit.

Aphoriſmus II.

Purgantium medicamentorum uſu, talia è corpore educenda, qualia ſponte etiam prodeuntia juvant: contrario vero modo exeuntia ſiſtenda.

Contentum ſeu Intentio.

De Qualitate & modo Purgantium.

Connexio: Cum Hippocrates in præcedenti Aphoriſmo docuiſſet quo tempore & neceſſitate, utero gerentes purgare conveniat, & de purgatione gravidarum in particulari locutus fuiſſet: In hoc præſenti autem nunc Aphoriſmo de Purgatione univerſali loquitur, & præceptum utiliſſimum tradit, Medico qua Naturæ modo imitatori modo Correctori, quando nimirum Natura ſit imitanda & quando corrigenda. Duas ergo hic Aphoriſmus habet concluſiones & ideo in duas partes dividitur: In *prima* docet, talia eſſe

 medi-

medicamentis purganda, qualia ſponte prodeuntia juvant: *In ſecunda* docet, ſiſtere ea, quæ ſponte prodeuntia non juvant.

De hac materia quidem ſupra Lib. 1 Aphoriſmo 2 abunde egimus, ſed magis diagnoſtice quam practice, hic autem ſermonem noſtrum potiſſimum ad Praxim dirigimus. Et revera hic præſens Aphoriſmus in multis differt a ſecundo Libri primi. *Primo* quidem quod noſter Aphoriſmus, de materia quæ eſt in motu, ibi vero de materia in univerſum. *Secundo.* Hic de Purgatione ſolum, quæ cathartici auxilio peragitur, ibi de quacunque evacuatione ſponte Natura promota. *Tertio.* Hic ſiſtendum eſſe evacuationem eorum, quæ prodeuntia non juvant, at ibi ſolum ex conferentia ac tolerantia, bonam judicat operationem.

Dicit ergo in hoc Aphoriſmo, educenda eſſe talia è corpore artificialibus purgationibus, qualia ſponte ſeu Natura proprio marte, utiliter educit, & e contra talia etiam cohibenda eſſe, qualia Natura inutiliter id eſt ſine Euphoria ſeu bona tolerantia ſed cum detrimento ægri, ſeu illa ob his quæ peccant, expurgat. Si itaque juvat purgatio a Sola Natura inſtituta, etiam juvabit illa quæ ab arte inſtituitur, quare conſulit hoc Aphoriſmo Hippocrates, Medicos in Catharticis Naturam imitari oportere. *Eſt autem imitatio* (inquit Galenus in Comment.) *tales in uno quoque morbo humores evacuare, quales novimus in ſpontaneis prodeſſe evacuationibus.* Nomine vero talium & qualium humorum, intelligendi ſunt in ſpecie peccantes, id eſt biliosi, lymphatici, craſſi ſeu pituitoſi, tartarei ſeu melancholici, acres, acidi & alii, ſi fortaſſe plus juſto ſuper abundent.

Affert Galenus exempla earum, quæ ſponte fiunt, ſalutarium evacuationum, ex eodem Hippocrate deſumpta, ut cum aqua inter cutem ſeu hydrope laboranti, & lippitudinem ſeu ophtalmiam, aut ſurditatem patienti, alvus ſolvitur, unde eaſdem evacuationes arte promovere, utile putare eſt, cum id peragatur, quod Natura ſponte ſua ſalubriter perficere conſuevit, quamquam non ſemper ex voto ſuccedere ſoleat.

Quoniam vero Hippocrates, ſponte prodeuntibus, artificiales evacuationes, ſalutares ut eveniant, comparavit indefinite, Jure-
mento

merito hic dubitare licet, quid pro ſponte prodeuntibus intelligere voluerit, cum & Criticis & ſymptomaticis illa aptari queant. Et quidem de Criticis res in confeſſo eſt apud omnes, quia per illas Natura, ſe ipſam à moleſtiis exonerat, & ægros à morbis vindicat: neque aliunde, Criticæ & ſalutares dicuntur evacuationes, niſi quia per ipſas morbi judicantur ac deſinunt. At vero ſymptomaticæ tales non ſunt, quibus non raro Natura plurimum elanguet, morbi ingraveſcunt, & ſæpe etiam mors ſubſequitur, cum tamen humores in illis ſponte prodeant.

Quamobrem non videtur Aphoriſmus indefinite accipiendus de quibusvis ſponte prodeuntibus, etiam ſymptomaticis. Hinc Fuchſius illum ita ſcribendum putat: *In uſu medicamentorum purgantium, talia è corpore educere oportet, qualia etiam, ſi ſponte prodirent, utilia eſſent*: ita ut ſenſus hic ſit, talia è corpore eſſe educenda, qualia ubi ſponte prodirent, utilia forent, id eſt, qualia à Natura ipſa utiliter cum Euphoria & tolerantia evacuarentur. Quo caſu etiam ſymptomaticæ evacuationes ſalutares cenſendæ erunt, ſi ejus ſint humoris, qui obeſt & nocet. Quocirca ſolent communiter dici *conferentes* in genere *cauſæ*, quia morbifica cauſa per ipſas minuitur. *Malæ* vero in genere *ſigni*, quo ſignificent humorum multitudinem, vel pravitatem, unde partes gravatæ, vel irritatæ evacuationem moliantur.

Quemadmodum autem purgationes ope medicamenti ab arte promotæ ſalutares & utiles ſunt, ſi ejus ſint humoris, qui peccat, & qui ſponte Naturæ prodiret, ſi critice egereretur: ita è contra malæ & inutiles exiſtimantur, ſi à cathartieis medicamentis vacuentur, quæ non utiliter educeret: Quamobrem conſulit Hippocrates illas eſſe cohibendas. Sic oportebit, fluentem immodice ſanguinem & alvum ex hypercatharſi aut egeſtione, alius humoris ab eo, qui educendus eſſet, firmare & cohibere, remediis in hanc rem plane ſpecialioribus.

Unde autem Medicus conjicere poſſit, fore utilem vel inutilem, artificialem ejusmodi evacuationem, ut ſinenda vel inhibenda ſit, ab his quæ conferre vel tolerari probaverint, judicium ſumendum eſſe admonet, utrum æger melius an deterius habeat, ſi

prius ſinenda, ſi poſterius, purgatio à Natura inſtituta prohibenda, artificialis autem præcavenda. Et licet Natura aliquandiu, bene & utiliter expurget, quia tamen ob irritationem limites bonæ operationis excedit, illa refrænanda venit, cum modum excedat. Neque tamen iidem, mox ad alia tranſeundum eſt, etſi ſub principium in purgationibus & vomitibus, quædam, eaque graviora excitentur ſymptomata, tormina, roſiones ſtomachi & virium quidam languor, tum nempe Natura materiam peccantem & turgentem aggreditur & educit, dummodo cum tempore, omnia in melius mutentur; è contra ſi è bono ſtatu omnia vertantur in deterius, manifeſto indicio eſt, purgationem non fuiſſe criticam ſed ſymptomaticam, cum in quali, quanto & modo excedat; prout ex ſequenti Aphoriſmo clarius patebit, quem ideo Hippocrates ſubjungit, veluti iſtius appendicem.

Dices primo. In cholera morbo ubi bilis ſurſum & deorſum ſymptomatice movetur, & purgantia & vomitoria exhibet Galenus Ergo motus ſymptomatici non ſunt prohibendi ſed promovendi ℞. id fieri ratione cauſæ morbi tanquam magis urgentis ratione cujus evacuatio in principio minime prohibenda eſt, ſi vero diutius perduret cum virium dejectione, amplius non licet.

Dices ſecundo. Natura quandoque in principiis morborum, materiam crudam educit cum tolerantia, ſed hoc arte fieri non licet, teſte Hippocrate, nam *concocta medicari oportet non cruda, neque in principiis morborum* Ergo Aphoriſmus non verificatur. ℞ Natura materiam crudam educit cum Euphoria *ſimpliciter* nego, quia ſic requiritur, ut materia ſit concocta & per loca convenientia fiat: Educit *ſecundum quid*, ubi turget & per ſe ipſam exitum urget concedo. Ergo in hoc non eſt imitanda Natura nego conſequentiam.

Dices tertio. Vomitus in principiis febrium per artem utiliter materia in ventriculo contenta inſtituitur, à Natura autem inſtitutus, nocet, quia fit a Natura irritata. ℞ negando quod vomitus in principio non æque utiliter inſtituatur à Natura, quam ab arte, quia ſive à Natura ſive arte fiat, fit cum cauſæ diminutione, & majus eſt commodum quod inde evenit, quam damnum ab irritatione profectum.

Dices quarto: Sudores in principio febrium inſtituuntur à Natura ſed male Ergo etiam nec per artem licet. ℞. Non negamus quidem meliores eſſe ſudores in declinatione, proſunt tamen etiam ſecundum quid in principio, ſi materia turgeat, quia Natura per hoc ſublevatur portione oneris ſui.

Dices quinto: Evacuationes in Dyſenteria non ſunt utiles, & tamen non ſunt cohibendæ ne lupus in ſtabulo includatur, Ergo non ſemper cohibendæ ſunt, evacuationes inutiles ℞. Evacuationes in Dyſentereria non ſunt cohibendæ ſtatim à principio concedo. Poſtea nego. Hinc etiam in principio non ſunt omnino inutiles, quia alios morbos v.g. epilepſias, febres &c. ſæpe curant.

Dices ſexto: Ubi natura bene agit, totum negotium eſt ipſi relinquendum, Ergo non opus eſt arte, ne actum agatur, aut turbetur. ℞. ubi Natura bene agit, eſt totum negotium relinquendum, in actu diviſo nego, in actu compoſito concedo.

Aphoriſmus III.

Si qualia oportet, purgentur, confert, & facile ferunt: contra vero ſi fiat, graviter.

Nota: *Videatur Aphoriſmus 2. Sectionis 1. qui fere idem eſt.*

Contentum ſeu Intentio.

De Medio Termino Purgantium.

Connexio. Cum dixerit Hippocrates in priori Aphoriſmo, utile eſſe, in purgationibus arte promotis, talia educere è corpore, qualia ſponte Naturæ prodirent; In hoc præſenti Aphoriſmo, Indicia tradit proficientis ejuſcemodi purgationis, deſumpta ex eo, quod conferat; morbus remittat, & æger ſufferat, cum vires, nul-

 lum

lum vel leve admodum detrimentum ab illa patiantur: Talis enim purgatio utilis eſt, utpote quæ malos humores educit, benignos vero intactos relinquit, neque in quanto quali aut modo peccat, cauſam quamcumque morbificam tollit & ſic Naturam plus alleviat quam ſupprimat Purgatio autem quæ contrario modo fit inutilis & valde noxia eſt

Quamquam autem id ipſum fere totum docuerit Hippocrates *Lib 1 Aphoriſmo 2* ut propterea hic videatur inutiliter & fruſtra repetitus, non tamen eximendus, ut bene advertit Cardanus, nam ita nectitur præcedenti, ut oratio omnino mutila remaneret, ſi deeſſet · Sicut enim in evacuationibus ultroneis, utilitas certa & perſeverans judicatur, ſi conferat & toleretur, cum ſcilicet talia egeruntur, qualia convenit evacuari, ita in evacuationibus, medica ope proritatis, emolumentum certo ſiturum conjicitur, ſi ea purgentur, quæ purgari oportet; & contra ſi talia ſint educta, qualia erant educenda, certo quidem conferet & æger ſuſſeret, ut proinde viciſſim ſe res habeat, ad utrumque. Qua ſane ratione, ergo judico, facile his reſponderi poſſe, qui auſi ſunt Hippocratem notare, quod non hic tum *Aphoriſmo 2 ſect 1* nihil quidquam ſe dignum ſcripſerit, ſed Lippis & Tonſoribus notiſſimum, ut fuſius alibi notavimus, hoc unicum compendioſe memoriæ commendamus, quod Medico, lynceis ſemper oculis, cauſa morbi ante omnia indaganda ſit, nam ablata cauſa tollitur effectus, id eſt morbus & hoc eſt primarium Medici intentum. Hæc cauſa, ſi ſit Cacochymia purgationem indicans, variis modis peccat nunc enim eſt inſipida, nunc acris, nunc tenuis & liquida, nunc craſſa & viſcoſa, nunc amara, acerba, ſalſa, dulcis, nunc acida nunc alkalina, nunc fixa nunc volatilis. nunc in cavitate contenta, nunc partium ſubſtantiæ impacta; nunc medicamento facile cedens nunc difficulter; nunc in una nunc in altera corporis Regione contenta: Nunc biliosa vel ſeroſa vel alterius vitii.

Impoſſibile autem eſt, ut unum idemque medicamentum, tot ſpecie diverſos humores educat (fruſtaneus enim alias eſſet, tot purgantium ſelectus) Exemplo res fiet clarior: ponamus v.g. humorem

morem peccantem eſſe calidum, tenuem, facile mobilem, ſi medicamentum purgans itidem ſit calidum, acre incidens, violentum, purgabit quidem, ſed plus nocebit quam conferet: Vel ſi humor ſit frigidus, craſſus, lentus, medicamentum vero dulce refrigerans inſipidum, lene; itidem quidem purgabit, ſed non cum Euphoria ſeu tolerantia, ſed potius cum detrimento, *cum non expurgentur ea, quæ expurgari oportet*; ſed relinquitur in corpore cum notabili detrimento, hinc cauſa morbi frigida, craſſa, radicata, partibus impacta, victus ratio craſſa & plena, habitus robuſtus, violenta deſiderat medicamenta: è contra cauſa tenuis, calida, biliosa, in prima Regione fluctuans, victus tenuis, habitus tener ſuaviora expoſcit. Nam

Non facit una bonum, ſutoria forma Magiſtrum
Unica nec celebrem, forma facit Medicum.

Sunt & alii Scopi, pro quibus purgantia adhibenda, virtute quadam & proprietate ſpecifica. Sic *elleborus niger* datur ad enervandum acidum melancholicum. *Colocynthis* ad ſolvendam lymphæ ſeu pituitæ gelatinam. *Gialapa* ad lympham ſeu ſerum fundendum. *Rhabarbarum* ad bilem ferocientem reſtringendam, & viſcerum Atoniam corrigendam. *Aloe* ad ventriculi aliorumque viſcerum infarctus reſerandos, & reſtituendum depauperati ſanguinis balſamum, excitandum ſanguinem, & corrigendum in primis viis peccans acidum *Tamarindi* ad enervandam bilis amaritudinem: *Caſſia* ad diluendam concentratorum humorum acrimoniam &c.

Hæ Regulæ ſi à ſolerti Medico obſerventur, medicamenti purgantis effectus erit cum tolerantia & conferentia, quam 1. Aphoriſ 25 pro bono purgationis ſigno propoſuit Hippocrates, & fit, cum expurgatur illud, quod peccat, id eſt noxium, ſuperfluum, à vitali conſortio jam ſuperatum, Naturæ inimicum; Succis vitalibus & balſamicis, à medicamenti purgantis activitate, nequaquam perturbatis aut è corpore eductis: Hinc nullo negotio deducetur, neque conferre neque tolerari evacuationem humorum, qui utiles aut alibiles cum ſint, nullatenus ſunt educendi, ſed potius graviorem noxam afferre, commotis nempe & exaſperatis

his,

his, qui noxii ſunt & morbum faciunt. Et hæc non modo Medicis, ſed cuique homini notiſſima ſunt, propterea longiori non egent explicatione.

Aphoriſmus IV.

Æſtate ſuperiores potius ventres, hyeme vero inferiores purgandi.

Contentum ſeu Intentio.

De Tempore Anni commodiore ad Emedica vel purgantia propinanda.

Connexio: Proſequitur Hippocrates cœptam de purgatione materiam, & cum in præcedenti Aphoriſmo, de humore peccante indicationem ſumpſiſſet: In præſenti jam de Loco Purgationis agit.

Hic Aphoriſmus duas habet partes & concluſiones: In prima dicit æſtate ſuperiores. In ſecunda hyeme inferiores ventres eſſe purgandos ſtatuit.

Videtur autem Hippocrates hoc Loco, ſicuti *Libro de aëre Locis & aquis* Annum dividere in *duas* partes; *Æſtatem* nempe & *Hyemem*: Et ſic Æſtas accipienda erit, à medio vere uſque ad medium Autumnum: Hyenis à medio Autumno usque ad medium Ver. Alii malunt Æſtatem intelligere, quæ fit in Summo Æſtu, nempe ab ortu Vergeliarum ſeu *Plejadum* usque ad ortum *Arcturi*, vel a Solſtitio, usque ad Caniculæ declinationem. Hyemem vero ſumunt, quando ſummum viget frigus.

Per

Per *ventrem ſuperiorem* ut dicit in *comment.* Galenus, *ſtomachum* magis æſtate, hyeme vero per *inferiorem ventrem* ſeu *inteſtina* purgandum eſſe. Et rationem affert, *quoniam qui tunc ſuperabundat humor flava bilis eſt, & tota natura animalis, propter ambientem caliditatem, magis ad ſuperiora movetur.* Hyeme vero potius prævalent, crudi, craſſi, viſcidi, pituitoſi, inertes fixi, graves & in profundo delitescentes ſucci, partim ob continuum ſanguinis refrigerium ab ambiente algore & frigore; partim ob frigidam aeris inſpirationem, partim ob majorem ciborum ingurgitationem & ingluviem; partim ob reliquias ab autumno reſtantes; partim ob pororum conſtipationem & tranſpirationis defectum quo tempore prædicti ſucci ſponte ſua deorſum feruntur & tunicis inteſtinorum adhærent ut proinde ad ſuperiora obſtante illorum gravitate, difficillime deduci poſſit, quamobrem melius dejectoria ad alvum ducuntur.

E Contra conſtat Experientia per Æſtatem, calorem æſtivum omnibus corporis noſtri ſuccis, bonis & malis, biliofis & ſeroſis, non tantum particularem fluibilitatem & tenuitatem, ſed etiam volatilitatem & igneam quaſi proprietatem imprimere, qua mediante magis ſuperiora quam inferiora verſus inclinent. Et ſic natura, Medico curanti, digito quaſi viam monſtrat, eo ducendam, quo ipſa vergit: Autopſia etiam docet, per æſtatem os facillime amaleſcere, & ventriculum ejuſque orificium ſuperius ad vomendum ſollicitari, ſive quod fermenta illuc ex arteriis gaſtricis derivantia, acriora ſint; ſive quod ſanguis ipſe, acrioribus & quaſi ſulphureis particulis plus æquo redundans, in cyſtim felleam, eaſdem uberius deponat. Unde & urinæ per idem tempus flaveſcere magis ſoleant & fæces & cætera corporis excrementa pari colore inficiantur: quæ ſane ex documento ejuſdem Hippocratis promptam & facilem pollicentur vomitionem.

Sed obſtare ſibi ipſi videtur Hippocrates *libro de ſalubri victu* docens, *ſex hybernis menſibus vomere utile eſſe, nam & pituitæ plus, & capitis gravitas ſubeſt, In æſtate vero clyſmatum ſit uſus & ſuperiores corporis partes per inferiores purganda.*

Idipſum protulit Celſus lib. 1. cap. 3. vomitum indicens utiliorem hyeme, quam æſtate, hanc eandem proculdubio Hippocratis ſententiam ſecutus; Verum licet pleriſque viſum ſit, librum hunc non Hippocrati, ſed Polybio adſcribere, nihil tamen inde deducere, quod rationabiliter propoſitæ objectioni ſatisfaciat,

Google

cum & Polybus graviſſimus Author ſit, neque vel ſua ratione, vel experientia deſtituatur.

Neque vero ſatis facit Galenus diſtinguens evacuationes vel ad totum corpus ſpectantes, vel ad ventriculum ſolum ut propterea velit hunc Aphoriſmum intelligendum eſſe, de evacuatione totius corporis per ſuperiora æſtate promovenda, per inferiora hyeme: Effatum autem Hippocratis de *ſalubri diæta* reſtringendum eſſe ad ſolius ventriculi exonerationem quoniam ſive æſtas ſive hyems fuerit, ſemper ac ventriculus humoribus gravatur, vomitu exonerandus eſt, exigente id loci conditione, & humoris expurgandi promptitudine, quippe qui compendioſiori via ſtatim educitur.

Verum enim vero, quocunque humore ventriculus infarciatur, facilius plane per vomitum, quam dejectione exonerabitur, ſive tempus æſtivum ſive hyemale ſit, cum non à tempore, ſed ab humoris evacuandi proclivitate & facilitate indicationes deſumantur, ejuſcemodi ſpecialium egeſtionum. Quoniam vero humores, ſub æſtate plerumque ventriculum occupant, atque à depravatis ejuſdem digeſtionibus morbos inferunt, unde eo tempore faciles, cruditates, nauſeæ, oris amaritudines. Propterea fit, ut promptius per vomitum egerantur. Faciunt in idem eſus fructuum immoderatus, gelidæ potationes, balneationes, & cætera his ſimilia, quibus plurimum ventriculus elanguet, & impuritatibus oneratur. Hinc compertum habemus cunctos propemodum morbos æſtate vagantes ab uno ventriculo crudis humoribus oppreſſo exoriri, ut propterea vomitus opportune concitatus, momento veluti graviſſimis cæteroquin morbis remedio ſit. Sed & neque abſolute dixit Hippocrates, æſtate per ſuperiora ſolummodo purgandum, etenim uſus eſt comparativa voce *magis*, quaſi dicere voluerit, plerumque æſtate per vomitum, vitioſos humores eſſe educendos, quoniam iſti plurimum primos ductus gravare ſolent, aut circa ventriculum ſtagnare. Quod ſi fortaſſe alibi reſideant, per alios ductus erunt evacuandi, quo nimirum illi vergere videbuntur, modo loca ipſa ſint conferentia. Ita quoque ſi hyeme ventriculus, bilioſis ut vocant ſuccis, ſcateret, non inferne ſed ſuperne vacuandus foret, nulla habita ratione temporis, ſed tantum loci, præternaturam expleri, & prompte per ſuperiora exonerandi: quia tamen hyeme craſſi humores, inteſtina ſæpe occu-

occupant, inde fit, ut facilius dejiciantur, cum difficile admodum foret, inverſo inteſtinorum motu per ventriculum illos protrudere & per os expurgare, idque non ſine gravi periculo. Cur autem humores vitioſi plerumque in hyeme, inteſtina vel glandulas meſenterii occupar, ratio peti poteſt, non tantum ex eorundem, qui ſæpe ſæpius craſſi & viſcoſi eſſe ſolent conditione, ſed & potiſſimum ex tardiori ſecretione quæ tunc peragitur: Sicut enim æſtate ciborum digeſtio ſeu diſſolutio in ventriculo languet, & tarda eſt, Secretio vero in inteſtinis celerrima fit, ſive à fermentorum acredine, ſive à laxitate viarum: Ita vice verſa ciborum confectio, hyeme in ventriculo citior eſt, cum ventres hyeme & vere natura calidiores ab Hippocrate dicantur, at vero ſecretio & diſtributio tardior, unde etiam alvus adſtrictior evadit, & pulſus eo tempore rariores fiunt. Accedit quod ſomni longiſſimi per hyemem adjuvant coctionem; Vigiliæ & motus per æſtatem facilitant diſtributionem, ut proinde mirum non ſit, cur humores excrementitii æſtate potius ventriculum occupent hyeme vero inteſtinis & glandulis meſenterii reſtagnent; quamobrem illi per vomitum, hi vero per dejectionem facilius educuntur

Atque hinc modo contradicentia Hippocratis loca facile erit in unum, & concordem ſenſum revocare Etenim ideo hyemali tempore vomitum commendavit, quia ventriculum multa pituita repletum exiſtimat, ut clarius ejus latinus interpres Celſus expreſſit, ſiquidem non à tempore ſed ab humore ventriculum occupante, indicatio vomendi deſumitur, quare ſive æſtas ſive hyems ſit, parum refert, dummodo locus vomitioni paratus videatur.

Quod autem putaverit Braſſavolus vomitum æſtate commendatum, ad maniendos ſuperiores ventres, caput nempe & Thoracem revera nec Hippocrati, nec rationi aut experientiæ cohæret. Hippocrates ſiquidem in diverſis capitis morbis, alvi ſubductionem conſulit, non vomitum, ut in ſurditate, oculorum dolore, & aliis id genus; quin & Galenus *in comment. hujus*, non niſi de ventriculo ſolum aphoriſticam hanc ſententiam eſt commentatus. Ratio vero tantum abeſt, ut ſuadeat Caput & Thoracem per vomitum maniri, ut potius expanſa, repleantur, & graviter ab impetenre ventriculo afficiantur, unde vomitus in affectibus oculorum & pectoris, omnium

Mmm 2 ſenſu,

ſenſu, tamquam nocivus reprobatur. Experientia denique pluries conſtitit, in harum partium morbis, plurimum vomitum obfuiſſe & quibuſdam, ſputum ſanguinis, aliis oculorum inflammationem, & vehementiſſimum capitis dolorem attuliſſe, ut propterea nemo ſit, qui in praxi audeat, vomitoria à partium ſuperiorum præſcribere, niſi tantum cum illi laborante ventriculo proficiſcuntur, à cujus levamine illæ conſaneſcant.

Ventres corporis humani, vulgo à Medicis tres ſtatuuntur Caput Thorax & Abdomen. Caput humeris terminatur. Thorax ſepto tranſverſo: Abdomen à coſtis ultimis atque ad Pubem.

Dices Bilis naturaliter vergit vel inteſtinum duodenum per meatum cholidochum ergo illuc ducenda eſt, quia quo natura vergit eo ducenda. ℞ Non negamus inclinationem bilis ad inteſtina, attamen quando regurgitat ad ventriculum, ut ſæpiſſime fit in Pichrocholis, tunc evacuanda eſt per vomitum, tamquam breviorem viam. Inclinatio autem illa, non tam eſt ab ipſa bile quam à natura agente, ut in textu diximus.

Dices 2 Hippocrates dicit, per revulſionem curam eſſe tutiſſimam, ergo bilis tutius ducetur per inferiora quam vomitum. ℞ Hippocratem intelligendum eſſe de revulſione per venæ ſectionem, in partis alicujus inflammatione, non de purgatione, vel vomitu.

Dices 3 Æſtate ventres ſunt frigidiores, ſicut hyeme calidiores ut vult Aphoriſmus, ergo in æſtate bilis minus generabitur. ℞. Negando conſequentiam, bilis enim in æſtate magis ab externo calore quam interno cauſatur.

Dices 4 Sub cane & ante canem difficiles ſunt purgationes ut dicit ſequens Aphoriſmus 5. ergo in æſtate circa canem non erit purgandum per ſuperiora. ℞ Sub cane & ante canem difficiles ſunt purgationes, in corporibus Eucraſis & bene habentibus concedo, in cacochymicis & male habentibus nego, neceſſitas enim non habet legem.

Aphoriſmus V.

Sub cane & ante canem difficiles ſunt purgationes (ſeu medicationes.)

Con-

Contentum ſeu Intentio.

De Purgatione ſub diebus canicularibus.

Connexio. Cum in præcedenti Aphoriſmo Hippocrates dixiſſet quo anni tempore per ſuperiora, & quo per inferiora purgandum foret: In hoc præſenti Aphoriſmo, affert tempus quo purgare, non usque quaque conſultum eſt, nempe *ſub cane & ante canem.*

Hic Aphoriſmus ob ſummam brevitatem diviſionem non patitur. Quantum autem opportunum tempus conferat in purgantibus medicamentis adhibendis, ut ſubinde conducant, & ſine ullo incommodo utiliter ferantur, non tantum hic, ſed alibi ſæpius inculcavit Hippocrates, ſpeciatim autem *Lib. de Äere, aquis & locis*, illorum uſum inhibuit, in magnis temporum mutationibus, itemque in ſolſtitiis & æquinoctiis: conſiderandos quoque voluit in errantium aſtrorum exortus, præcipue *canis* & *arcturi* & *Pleiadum occaſum.* Unde non minimam partem conferre ad rem medicam Aſtronomiam cenſuit, tum in prænoſcendis tum in curandis morbis, ut vix errare Medicum poſſe aſſerat, qui ſtellarum congreſſus præſentire & obſervare didicit.

Apprime igitur in hoc Aphoriſmo quoque difficiles & moleſtas admonet futuras purgationes, *ſub cane & ante canem:* quod etiam docuit *Lib. de medicament. purgant. in fine*, inquiens, *tempore æſtatis à canis ortu, per dies quinquaginta vitare oportet, & non dare medicamentum, ſed infuſis per Clyſterem uti.* Quia ex Galeno *in comment. hujus* Aphoriſmi, *exuſta tum*, inquit, *noſtra natura, eam, quæ à medicamentis purgantibus exiſtit, non fert acritudinem. quare & pluries purgati, hoc tempore incidunt in febres, & natura ex æſtu imbecillis, magis ex purgatione diſſolvitur: & quidem purgatio hac mala fiet, cum calor aëris ambientis in partem trahat extrinſecam, contrariam ei ad quam Medicina ducit humores.*

Quodnam autem ſit ejuſmodi temp⁹ *ſub cane & ante canem* eſt dignū inquiſitione: verum oportet ſcire ex Aſtronomia, *duos* affigi firmamento *Aſteriſmos canis* nomine appellatos, quorum alterum *canem majorem*, alte-

alterum *minorem* faciunt. Ambo ſunt in Plaga Auſtrali extra Zodiacum, ſed *minor* ab æquinoctiali declinat ad Boream, *major* vero ad Auſtrum. Aſteriſmo *canis minoris* ad femur appingitur ſtella primæ magnitudinis fulgidiſſima, quam Ptolomæus *in Almageſta* ſtellarum pulcherrimam appellavit, quod ob magnitudinem & ſplendorem præ cæteris longe admodum micet, atque ſcintillet; Hæc vero per dies decem circiter poſt Procyonis ortum, ex Horizonte cum ſole emergit. Cum igitur dixit Hippocrates *ſub cane* tempus illud intelligendum voluit, quo *Sirius & canis major* viget, ſive cum ſole coſmice oritur, *Ante canem* vero tempus quo Procyon exortum Sirii præcedit.

Sed non bene convenit inter Authores, cuinam cani, nomen *caniculæ* proprie tribuendum: Equidem ſi vocem ipſam attendamus, videtur convenire *cani minori*, quem pro canicula uſurpant tabulæ plerorumque Aſtronomorum: cui ſententiæ quoque favet Horatius Lib. 3. Ode 29. dicens

- - - jam Procyon furit
Et ſtella veſani leonis,
Sole dies referente ſiccos.

Multo clarius *Plinius Lib. 18. Cap. 28.* inquit: *Ægypto vero Procyon matutino aſtuaſiu, quod Sydus apud Romanos non habet nomen, niſi caniculam hanc velimus intelligi hoc eſt minorem canem, ſane ut Aſtris pingitur.*

Bayerus *in ſua Vranometria* utrumque canem vocat *caniculam* quod & alii faciunt. At multo plures ſunt, qui *canicula* nomen *Sirio* attribuunt, & inter cæteros Aſtronomi, qui propterea caniculares mutationes cani majori & Sirio adſcribunt, unde Manilius *Aſtronomic. 5.*

Cum vero in vaſtos ſurgit Nemeæus hiatus,
Exoriturque canis, latratque canicula flammas
Et rapit igne ſuo, geminatque incendia ſolis.
Qua ſubdente facem terris, radioſque movente
Dimicat in cineres orbis, fatumque ſupremum
Sortitur, languetque ſuis Neptunus in undis
Et viridis Nemori ſanguis decedit & herbis &c.

Quamquam Galenus *1. Epidem. Comment. 1. Conſtit. 1.* de Sirio

hæc

hæc habet; *Hunc alqui nomine abutentes, totius Syderis canem etiam nominant: atqui cani univerſo Syderi eſt nomen, illi vero qua in ejus eſt mandibula, canicula, quam recte anticonem, non canem appelles.* Idemque indicatum legimus ab Arato vetuſtiſſimo Poeta dicente

> Ætheriæ canis ille Plagæ, cui plurimus ardor
> Æſtuat in mento:

Et mox:

> Qui formidato ſub nomine Sirius æthram
> Urit, hunc rutilos ſi ſol adflexerit axes,
> Quantus corporibus, quantus labor imminet ægris.

Quo inſuper tempore, uterque canis oriatur, licet aliter, aliterque apud veteres ſcriptum ſit, noſtris tamen temporibus Coſmicus ortus Sirii incipit initio Auguſti, Procyonis vero ad diem 24 Julii. At ſi ortum Heliacum ſpectemus hujus accidit tertia idus ſeu 30. Auguſti, illius vero 17 Calendas id eſt 16. Septembris. Tempore autem Hippocratis, annis ante Chriſtum natum 400 & in quarto Climate, quod per Rhodum inſulam tranſit, ortus Caniculæ referebatur ad pridie Idus id eſt 12 Julii. Et tempore Avicennæ, id eſt Anno Chriſti milleſimo centeſimo circiter ad 16 Caleodas id eſt 17 Auguſti, idque fortaſſe ex Plinio Lib 2. Cap. 47. qui ad dies 15. ante Calendas Auguſti adſcribit. Et clarius Lib 18. Cap 28. decima ſexta Calendas, id eſt 17. Auguſti, *Aſſirie Procyon exoritur, deinde poſtridie fere ubique confeſſum inter omnes ſidus indicans quod canis ortum vocamus ſole partem primam Leonis ingreſſo. Hoc fit poſt ſolſtitium 23. die:* Et rurſus, Cap 29 *Plenilunii nocte ad 4 Nonas id eſt 2 Iulii, cum Ægypto canicula exoritur vel certe 16. calendas id eſt 17 Auguſti.* Circa idem tempus illam oriri teſtatur quoque Ptolemæus *Lib. de inerr. ſtell.* At vero Maginus anno Domini milleſimo ſexcenteſimo ad altitudinem Poli graduum 45 ortum caniculæ coſmicum, accidiſſe ſcribit 4. Nonas id eſt 2. Auguſti. Et Argolus Romæ anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo tertio ad pridie Calendas id eſt 31 Julii. Verum tamen variat ſemper illius ortus, non tantum pro varia locorum latitudine & Poli elevatione, verum etiam quia ſtellæ fixæ, ex accuratiſſimis obſervationibus *Tychonis* & cæterorum Recentiorum Aſtronomorum, quotannis in ortum, ſecundum ſignorum ordinem feruntur.

Nume-

Numerus dierum canicularium varius adhuc dicitur ab Authoribus. Idem Argolus ad dies duntaxat 26 contrahit, nempe à die 23. Julii (cum ſol ingreditur amplitudinem orbis lucis Sirii) ad diem 18 Auguſti. Manginus protrahit ad dies triginta Keplerus ad 35. vel 40. At vero Hippocrates ad 50. dies produxit: hinc ad idus usque id eſt 13. ſeptembris, ex mente ejusdem purgantia medicamenta, veluti toleratu difficilia ac moleſta, in pleriſque Regionibus vitanda erunt.

Num inſuper ex ſolo hujus temporis æſtu inmoderato exiſtimaverit Hippocrates, difficiles & moleſtas futuras purgationes, an etiam ex peculiari Aſtrorum vi, atque influxu, nolim ego determinare, quippe ex una parte, non ſolum fervida hæc. atque æſtuoſa tempora, vitanda is monuit, ſed etiam temperata, cujusmodi ſunt æquinoctia, itemque occaſus Arcturi & Pleiadum per Autumnum contingentes, quamobrem non à ſolo aeris calore, moleſtiam purgantium deducit. Ex altera vero parte non levis ratio ſuppetit ex Galeno ſuperius adducta, quam larius ſunt proſecuti Fuchſius & Cardanus hoc loco, quod eo tempore natura imbecilla ſit, corpus exſiccum & excalefactum, atque humores ſponte ſua ad habitum corporis ferantur per ſudores, ut propterea non tuto ad interiora duci poſſint, nec ambobus inter ſe pugnantibus natura diſtrahatur, aut penitus diſſipetur. Expertum quoque dicitur in caniculæ exortu, ſolem cæteroqui à vertice decliviorem, urentiorem, & moleſtiorem perſentiri: quin imo ſcribit Plinius *Lib. 2. cap. 40* maria, exoriente Sirio, plurimum fervere, fluctuare in cellis vina, ſtagna moveri, canes in rabiem agi, apes ubertime mellificare, eteſias ventos ſpirare, aliosque plures effectus ſane admirandos in terra percipi, qui non aliunde quam à vi, atque influxu ſpeciali hujus Syderis proficiſci poſſe videntur.

Sed ut verum fatear, non video qua ratione, tot ac tanta caniculæ & Sirio tribuantur, quæ in noſtris Regionibus, vel nulla ſunt, vel potius ſoli, quam ipſi debentur. Ea enim longe admodum à noſtro vertice diſſita eſt, amplitudinem habens ortivam perquam proximam Tropico capricorni, unde vix gradibus 33. ſupra Horizontem aſſurgit, & tum potiſſimum a ſole remotiſſima fit. Sed & quibus illa in vertice eſt non calorem, ſed frigus affert, quo tempore cum ſole

coſmi-

coſmice exoriens, nobis ſub zona temperata degentibus æſtum congeminare putatur, quippe tum illis hyems eſt. Quod ſi in errantibus ſtellis quidpiam virtutis erga nos unquam ineſſet, profecto id foret potius conferendum, Regulo, Baſiliſco, ſeu cordi Leonis, ſtellæ primæ magnitudinis, de natura quoque martis, quæ tum juncta ſoli, ſignum ipſum Leonis peragranti, per idem tempus ſupra Horizontem emergit, Cœlum mediat, & iterata circuitione revolvitur. Attamen negari non poteſt, maxime tunc etiam in urentiorem æſtum conferre, majorem in aere vaporoſiori refractionem. Compertum enim habemus aerem etiam in noſtris Regionibus, per hæc eadem tempora, vaporibus fieri confertiorem, unde radii ſolis, etſi aliquanto decliviores, ad tellurem trajecti, ubertime, velut ex vitro uſtorio, colliguntur & quodammodo exurunt. Hinc quo die caliginoſum aerem antelucanis vel veſpertinis horis proſpicimus, æſtum longe admodum urentiorem futurum præſagire ſolemus, quem mox per diem experimur. Fieri autem per hæc tempora aerem vaporibus confertiorem, ipſe crediderim, ejuſdem ſolis vi, qui è Terraqueo Globo, in hiatus potentiſſimos dehiſcente, innumeros & varios vapores elicit, cumque hi per noctem, nequeant deinde diſcuti, nec præ ſui tenuitate, in pluviam concreſcere, per circumambientem propterea aerem diſperſi, neque multum à tellure ſublimati, juſta diſtantia, collectos ſolis radios, acriſſime in nos transfundunt, & ad igneum pene ardorem iterum iterumque conduplicant. Hac ergo de cauſa fit, ut mane & ante ſolis exortum, non leve frigus perſentiamus, interdiu vero exæſtuemus. Hinc etiam eſt, cur per hoc idem tempus tam pernicioſæ apud quoſdam ſint locorum mutationes, quippe aer tum quoque ex hiante tellure, variis & multigenis evaporationibus inficitur, quæ non minimum officiunt reſpirationi, & ſanguini per pulmonem circulanti, & niſi per ingentes, & iteratos imbres, aut à flante Borea, aer omnino repurgetur, exitioſas ægritudines minatur, ut alibi diximus. Dixit autem Hippocrates *ſub cane & ante canem*: non vires ſed tempus potius, exortus utriuſque deſignans, cum nimirum ea accidunt, quibus aer æſtuoſior fit, & corporum habitudi-

bitudines adeo afficiuntur, ut purgantium medicamentorum vim & commotionem ſufferre nequeant. Quoniam vero Hippocrates de tempore ortus utriuſque canis expreſſe hoc Aphoriſmo meminit, plane audiendi non ſunt, qui exiſtimant, *ſubeane* illum voluiſſe oppoſitum tempus ortus canis deſignare, atque adeo hyberni ſolſtitii, & intenſioris frigoris dies referre: quamquam & hoc etiam tempus importunum Galeno videatur *Lib. quos, quibus & quando*, purgantibus adhibendis, cum tunc quoque difficiles & moleſtæ admodum contingant purgationes, quod humores, non tam ſint ad exitum parati, nec via laxæ aut expeditæ: id enim licet verum ſit, non tamen menti Hippocratis hoc in Aphoriſmo cohæret, cui ſolum de tempore ortus Sirii & Procyonis meminiſſe in animo fuit. Verum enim vero non omnino cavenda dicit tempora, vigentis utriuſque canis in uſu purgantium medicamentorum, ſed ſolum per ea tempora, purgationes difficiles & moleſtas, id eſt, non facile tolerabiles, accidere. Siquidem illa dicitur ab eodem ſalutaris evacuatio, quæ confert & toleratur, modo hæc minime videtur ſufferri poſſe in diebus canicularibus ex antea traditis. At ſi morbus talis per hæc tempora contingat, quæ exigat purgationem, profecto illa adhibenda, quoniam potiſſimum indicatio agendi in morbis, non quidem à temporibus ſumitur ſed ut ſæpius diximus, a cauſis morbificis, atque ab his, quæ intra corpus ſunt, non extra. Sic apoplecticos, hydropicos, colico dolore vexatos, aliosque, tempore caniculari graviter affectos, absq; ullo metu æſtus aut caniculæ, communiter in praxi, catharticis curare admittuntur, ad humoris vitioſi expulſionem. Idque eo facilius & ſecurius præſtari ſolet, in noſtris Regionibus in quibus ſæpe numero, longe temperatiorem, imo nonnunquam rigidiorem, ac ipſo veris tempore, aerem experimur.

Quamobrem hunc Aphoriſmum potius ſervandum interpretabimur in his, qui ab imminentibus ſe tueri, quam à præſentibus morbis vindicari ſatagunt, & potius in corporibus ſanis vel neutris, quam in morboſis, qui morbo laborant, cathartici uſum expoſtulantes. Etenim de his, qui adhuc ſunt ſani, ſed ægri futuri ſunt ſcripſit Hippocrates 6. Aph. 47 *quibuſcumque venæſectio, vel medicatio convenit, hos vere purgare, vel venam incidere oportet*, ad præveniendos imminentes per æſtatem morbos, ut fuſe Galenus explicat *in comment. ejuſdem*

Apho-

Aphoriſmi. Quod autem hos meminerit Hippocrates, qui per medicamenta purgantia ſe tueri cupiunt, manifeſte declarat Galenus hoc loco inquiens; *quare & plures purgati hoc tempore incidunt in febres, & natura ex æſtu imbecillis, magis ex purgatione diſſolvitur.* Si enim timor eſt ne incidant in febres, proculdubio de non febrientibus & morboſis ſermo eſt habitus.

Non autem hactenus dicta, de caniculæ exortu ſolummodo ſed & de omni ſyderum vehementi mutatione, ut ſupra innuimus, intelligenda, & in eadem, magna remedia fugienda ſunt, unde ſcripſit Hippocrates *Lib. de aere & aquis*, vitanda eſſe *æquinoctia & ſolſtitia* per dies decem ante & poſt, nec per illa tempora aliquid moliendum, niſi urgeat neceſſitas. Imo non ſolum ad tempora ſed & ad Regiones traducenda eſt Aphoriſmi ſententia, quippe calidiſſimæ & frigidiſſimæ medicamenta difficile ferunt. Neque pariter ſolum de medicamentis purgantibus intelligendus Aphoriſmus, ſed etiam horum exemplo, de aliis magnis remediis, venæſectione, uſtione, ſectione aliisque id genus.

Dices 1. Hollerius ait, nullum tempus eſſe ſalubrius canicularibus, quia morbi, menſe Junio & Julio nati ſub canicula ſolvantur, ergo Aphoriſmus non ſubſiſtit. ℞. Hollerium intelligendum eſſe de canicularibus ab Eteſiis perflatis, non vero de æſtuantibus, & hoc ipſum jam in textu diximus.

Inſtabis Ergo flantibus Eteſiis, etiam in canicularibus licebit magna medicamenta præſcribere, quod eſt contra Aphoriſmum. ℞. Concedo totum, quia nec obſtat nimius calor, nec corporis debilitas &c.

Dices 2. In maxima hyeme & frigore ſæpius & purgationes & venæſectiones inſtituuntur, maxime tum adeſt gravis cacochymia vel Plethora. Idque etiam fit in æſtate ergo non ſunt inhibendæ. ℞. Neceſſitas non habet legem ſed tamen, etiam urgente neceſſitate, eæ cum magna circumſpectione adhibendæ.

Dices 3. In canicularibus natura vergit ad ſudores ergo per ſudores & non purgantia aut alia eſt medicanda. ℞. Si natura ipſa cum Euphoria id præſtet, relinquenda ſi vero prævaricate & ſymptomatice agat, neque arte irritanda, neque per ſe relinquenda in violento opere.

his, qui noxii ſunt & morbum faciunt. Et hæc non modo Medicis, ſed cuique homini notiſſima ſunt, proterea longiori non egent explicatione.

Aphoriſmus IV.

Æſtate ſuperiores potius ventres, hyeme vero inferiores purgandi.

Contentum ſeu Intentio.

De Tempore Anni commodiore ad Emedica vel purgantia propinanda.

Connexio: Proſequitur Hippocrates cœptam de purgatione materiam, & cum in præcedenti Aphoriſmo, de humore peccante indicationem ſumpſiſſet: In præſenti jam de Loco Purgationis agit.

Hic Aphoriſmus duas habet partes & concluſiones: In prima dicit æſtate ſuperiores. In ſecunda hyeme inferiores ventres eſſe purgandos ſtatuit.

Videtur autem Hippocrates hoc Loco, ſicuti *Libro de aëre Locis & aquis* Annum dividere in *duas* partes, *Æſtatem* nempe & *Hyemem*: Et ſic Æſtas accipienda erit, à medio vere usque ad medium Autumnum: Hyems à medio Autumno usque ad medium Ver. Alii malunt Æſtatem intelligere, quæ fit in Summo Æſtu, nempe ab ortu Vergeliarum ſeu *Plejadum* usque ad ortum *Arcturi*, vel a Solſtitio, usque ad Caniculæ declinationem. Hyemem vero ſumunt, quando ſummum viget frigus.

Per

Per *ventrem ſuperiorem* ut dicit in *comment.* Galenus, *ſtomachum* magis æſtate, hyeme vero per *inferiorem ventrem* ſeu *inteſtina* purgandum eſſe. Et rationem affert, *quoniam qui tunc ſuperabundat humor flava bilis eſt, & tota natura animalis, propter ambientem caliditatem, magis ad ſuperiora movetur.* Hyeme vero potius prævalent, crudi, craſſi, viſcidi, pituitoſi, inertes fixi, graves & in profundo delitescentes ſucci, partim ob continuum ſanguinis refrigerium ab ambiente algore & frigore; partim ob frigidam aeris inſpirationem, partim ob majorem ciborum ingurgitationem & ingluviem; partim ob reliquias ab autumno reſtantes, partim ob pororum conſtipationem & tranſpirationis defectum quo tempore præfati ſucci ſponte ſua deorſum feruntur & tunicis inteſtinorum adhærent ut proinde ad ſuperiora obſtante illorum gravitate, difficillime deduci poſſit, quamobrem melius dejectoriis ad alvum ducuntur.

E Contra conſtat Experientia per Æſtatem, calorem æſtivum omnibus corporis noſtri ſuccis, bonis & malis, biliosis & ſeroſis, non tantum particularem ſtuibilitatem & tenuitatem, ſed etiam volatilitatem & igneam quaſi proprietatem imprimere, quia mediante magis ſuperiora quam inferiora verſus inclinent. Et ſic natura, Medico curanti, digito quaſi viam monſtrat, eo ducendam, quo ipſa vergit: Autopſia etiam docet, per æſtatem os faciliime amareſcere, & ventriculum ejusque orificium ſuperius ad vomendum ſollicitari, ſive quod fermenta illuc ex arteriis gaſtricis derivantia, acriora ſint, ſive quod ſanguis ipſe, acrioribus & quaſi ſulphureis particulis plus æquo redundans, in cyſtim felleam, easdem uberius deponat. Unde & urinæ per idem tempus flaveſcere magis ſoleant & fæces & cætera corporis excrementa pari colore inficiantur: quæ ſane ex documento ejusdem Hippocratis promptam & facilem pollicentur vomitionem.

Sed obſtare ſibi ipſi videtur Hippocrates *libro de ſalubri victu* docens, *ſex hybernis menſibus vomere utile eſſe, nam & pituita plus, & capitis pravitas ſubeſt; In æſtate vero clyſmatum ſit uſus & ſuperiores corporis partes per inferiores purgandæ.*

Idipſum protulit Celſus lib. 1. cap. 3. vomitum indicens utiliorem hyeme, quam æſtate, hanc eandem proculdubio Hippocratis ſententiam ſecutus; Verum licet plerisque viſum ſit, librum hunc non Hippocrati, ſed Polybio adſcribere, nihil tamen inde deducere, quod rationabiliter propoſitæ objectioni ſatisfaciat,

Mmm cum

occupant, inde fit, ut facilius dejiciantur, cum difficile admodum foret, inverſo inteſtinorum motu per ventriculum illos protrudere & per os expurgare, idque non ſine gravi periculo. Cur autem humores vitioſi plerumque in hyeme, inteſtina vel glandulas meſenterii occupat, ratio peti poteſt, non tantum ex eorundem, qui ſæpe ſæpius craſſi & viſcoſi eſſe ſolent conditione, ſed & potiſſimum ex tardiori ſecretione quæ tunc peragitur. Sicut enim æſtate ciborum digeſtio ſeu diſſolutio in ventriculo languet, & tarda eſt, Secretio vero in inteſtinis celerrima fit, ſive à fermentorum acredine, ſive à acritate viatum. Ita vice verſa ciborum confectio, hyeme in ventriculo citior eſt, cum ventres hyeme & vere natura calidiores ab Hippocrate dicantur, at vero ſecretio & diſtributio tardior, unde etiam alvus adſtrictior evadit, & pulſus eo tempore rariores fiunt. Accedit quod ſomni longiſſimi per hyemem adjuvant coctionem; Vigiliæ & motus per æſtatem facilitant diſtributionem, ut proinde mirum non ſit, cur humores excrementitii æſtate potius ventriculum occupent hyeme vero inteſtinis & glandulis meſenterii reſtagnent, quamobrem illi per vomitum, hi vero per dejectionem facilius educuntur.

Atque hinc modo contradicentia Hippocratis loca facile erit in unum, & concordem ſenſum revocare: Etenim ideo hyemali tempore vomitum commendavit, quia ventriculum multa pituita repletum exiſtimat, ut clarius ejus latinus interpres Celſus expreſſit; ſiquidem non à tempore ſed ab humore ventriculum occupante, indicatio vomendi deſumitur, quare ſive æſtas ſive hyems ſit, parum refert, dummodo locus vomitioni paratus videatur.

Quod autem putaverit Braſſavolus vomitum æſtate commendatum, ad inaniendos ſuperiores ventres, caput nempe & Thoracem revera nec Hippocrati, nec rationi aut experientiæ cohæret. Hippocrates ſiquidem in diverſis capitis morbis, alui ſubductionem conſulit, non vomitum, ut in ſurditate, oculorum dolore, & aliis id genus; quin & Galenus *incomment. hujus*, non niſi de ventriculo ſolum aphoriſticam hanc ſententiam eſt commentatus. Ratio vero tantum abeſt, ut ſuadeat Caput & Thoracem per vomitum inaniri, ut potius expanſa, repleantur, & graviter ab impetente ventriculo afficiantur, unde vomitus in affectibus oculorum & pectoris, omnium

 ſenſu,

ſenſu, tamquam nocivus reprobatur. Experientia denique pluries conſtitit, in harum partium morbis, plurimum vomitum obfuiſſe & quibusdam, ſputum ſanguinis, aliis oculorum inflammationem, & vehementiſſimum capitis dolorem attuliſſe, ut propterea nemo ſit, qui in praxi audeat, vomitoria à partium ſuperiorum præſcribere, niſi tantum cum illi laborante ventriculo proficiſcuntur, a cujus levamine illæ conſaneſcant.

Ventres corporis humani, vulgo à Medicis tres ſtatuuntur Caput Thorax & Abdomen. Caput humeris terminatur. Thorax ſepto tranſverſo. Abdomen à coſtis ultimis atque ad Pubem.

Dices. Bilis naturaliter vergit vel inteſtinum duodenum per meatum cholidochum ergo illuc ducenda eſt, quia quo natura vergit eo ducenda. ℞. Non negamus inclinationem bilis ad inteſtina, attamen quando regurgitat ad ventriculum, ut ſæpiſſime fit in Pichrocholis, tunc evacuanda eſt per vomitum, tamquam breviorem viam. Inclinatio autem illa, non tam eſt ab ipſa bile quam à natura agente, ut in textu diximus.

Dices 2. Hippocrates dicit, per revulſionem curam eſſe tutiſſimam, ergo bilis tutius ducetur per inferiora quam vomitum. ℞. Hippocratem intelligendum eſſe de revulſione per venæſectionem, in partis alicujus inflammatione, non de purgatione, vel vomitu.

Dices 3. Æſtate ventres ſunt frigidiores, ſicut hyeme calidiores ut vult Aphoriſmus, ergo in æſtate bilis minus generabitur. ℞. Negando conſequentiam, bilis enim in æſtate magis ab externo calore quam interno cauſatur.

Dices 4. Sub cane & ante canem difficiles ſunt purgationes ut dicit ſequens Aphoriſmus 5. ergo in æſtate circa canem non erit purgandum per ſuperiora. ℞. Sub cane & ante canem difficiles ſunt purgationes, in corporibus Euſarchis & bene habentibus concedo, in catochymicis & male habentibus nego, neceſſitas enim non habet legem.

Aphoriſmus V.

Sub cane & ante canem difficiles ſunt purgationes (ſeu medicationes.)

Con-

Contentum ſeu Intentio.

De Purgatione ſub diebus canicularibus.

Connexio. Cum in præcedenti Aphoriſmo Hippocrates dixiſſet quo anni tempore per ſuperiora, & quo per inferiora purgandum foret: In hoc præſenti Aphoriſmo, affert tempus quo purgare, non usque quaque conſultum eſt, nempe *ſub cane & ante canem*.

Hic Aphoriſmus ob ſummam brevitatem diviſionem non patitur. Quantum autem opportunum tempus conferat in purgantibus medicamentis adhibendis, ut ſubinde conducant, & ſine ullo incommodo utiliter ferantur, non tantum hic, ſed alibi ſæpius inculcavit Hippocrates, ſpeciatim autem *Lib. de Äere, aquis & locis*, illorum uſum inhibuit, in magnis temporum mutationibus, itemque in ſolſtitiis & æquinoctiis conſiderandos quoque voluit inerrantium aſtrorum exortus, præcipue *canis & arcturi & Pleiadum occaſum*. Unde non minimam partem conferre ad rem medicam Aſtronomiam cenſuit, tum in prænoſcendis tum in curandis morbis, ut vix etiate Medicum poſſe aſſerat, qui ſtellarum congreſſus præſentire & obſervare didicit.

Apprime igitur in hoc Aphoriſmo quoque difficiles & moleſtas admonet futuras purgationes, *ſub cane & ante canem*: quod etiam docuit *Lib. de medicament. purgant. in fine*, inquiens, *tempore æſtatis à cane per dies quinquaginta vitare oportet, & non dare medicamentum, ſed infuſis per Clyſterem uti*. Quia ex Galeno *in comment. hujus* Aphoriſmi, *exuſta tum*, inquit, *noſtra natura, eam quæ à medicamentis purgantibus exiſtit, non fert acritudinem: quare & plures purgati, hoc tempore incidunt in febres, & natura ex æſtu imbecillis, magis ex purgatione diſſolvitur: & quidem purgatio hæc mala fiet, cum calor aeris ambientis in partem trahat extrinſecam, contrariam et ad quam Medicina ducit humores.*

Quodnam autem ſit ejusmodi temp' *ſub cane & ante canem* eſt dignũ inquiſitione. verum oportet ſcire ex Aſtronomia, *duos* affigi firmamento *Aſteriſmos canis* nomine appellatos, quorum alterum *canem majorem*,

 alte-

alterum *minorem* faciunt. Ambo ſunt in Plaga Auſtrali extra Zodiacum, ſed *minor* ab æquinoctiali declinat ad Boream, *major* vero ad Auſtrum. Aſteriſmo *canis minoris* ad femur appingitur ſtella primæ magnitudinis fulgidiſſima, quam Ptolomæus *in Almogeſto* ſtellarum pulcherrimam appellavit, quod ob magnitudinem & ſplendorem præ cæteris longe admodum micet, atque ſcintillet; Hæc vero per dies decem circiter poſt Procyonis ortum, ex Horizonte cum ſole emergit. Cum igitur dixit Hippocrates *ſub cane* tempus illud intelligendum voluit, quo *Sirius & canis major* viget, ſive cum ſole coſmice oritur, *Ante canem* vero tempus quo Procyon exortum Sirii præcedit.

Sed non bene convenit inter Authores, cuinam cani, nomen *caniculæ* propriè tribuendum: Equidem ſi vocem ipſam attendamus, videtur convenire *cani minori*, quem pro canicula uſurpant tabulæ plerorumque Aſtronomorum: cui ſententiæ quoque favet Horatius Lib. 3. Ode 29. dicens

- - - jam Procyon furit
Et ſtella veſani leonis,
Sole dies referente ſiccos.

Multo clarius *Plinius Lib. 18. Cap. 28.* inquit: *Ægypto vero Procyon matutino æſtuoſus, quod Sydus apud Romanos non habet nomen, niſi caniculam hanc velimus intelligi hoc eſt minorem canem, ſane ut Aſtris pingitur.*

Bayerus *in ſuo Uranometria* utrumque canem vocat *caniculam* quod & alii faciunt. At multo plures ſunt, qui *caniculæ* nomen *Sirio* attribuunt, & inter cæteros Aſtronomi, qui propterea caniculares mutationes cani majori & Sirio adſcribunt, unde Manilius *Aſtronomic. 5.*

Cum vero in vaſtos ſurgit Nemeæus hiatus,
Exoriturque canis, latratque canicula flammas
Et rapit igne ſuo, geminatque incendia ſolis.
Qua ſubdente facem terris, radioſque movente
Dimicat in cineres orbis, fatumque ſupremum
Sortitur, languetque ſuis Neptunus in undis
Et viridis Nemori ſanguis decedit & herbis &c.

Quamquam Galenus *1. Epidem. Comment. 2. Conſtit. 1.* de Sirio

hæc

hæc habet; *Hunc aliqui nomine abutentes, totius Syderis canem etiam nominant: atqui cani univerſo Syderi eſt nomen, illi vero quæ in ejus eſt mandibula, caniculæ, quam recte anticanem, non canem appelles.* Idemque indicatum legimus ab Arato vetuſtiſſimo Poeta dicente

Ætheriæ canis ille Plagæ, cui plurimus ardor
Æſtuat in mento.

Et mox:

Qui formidato ſub nomine Sirius æſtuans
Urit, huic tutilos ſi ſol adflexerit axes,
Quantus corporibus, quantus labor imminet ægris.

Quo inſuper tempore, uterque canis oriatur, licet aliter, alterque apud veteres ſcriptum ſit, noſtris tamen temporibus Coſmicus ortus Sirii incipit initio Auguſti, Procyonis vero ad diem 24 Julii. At ſi ortum Heliacum ſpectemus hujus accidit tertia idus ſeu 30. Auguſti, illius vero 17 Calendas id eſt 16 Septembris. Tempore autem Hippocratis, annis ante Chriſtum natum 400. & in quarto Climate, quod per Rhodum inſulam tranſit, ortus Caniculæ referebatur ad pridie Idus id eſt 12 Julii Et tempore Avicennæ, id eſt Anno Chriſti milleſimo centeſimo circiter ad 16 Calendas id eſt 17 Auguſti, idque fortaſſe ex Plinio Lib. 2. Cap. 47 qui ad dies 15. ante Calendas Auguſti adſcribit. Et clarius Lib. 18. Cap 28. decima ſexta Calendas, id eſt 17 Auguſti, *Aſſirii Procyon exoritur, deinde poſtridie ferè ubique confeſſum, inter omnes, ſidus indicans quod canis ortum vocamus ſole partem primam Leonis ingreſſo. Hoc fit poſt ſolſtitium 23. die:* Et rurſus, Cap 29 *Plenilunii noctes ad 4 Nonas id eſt 2 Iulii, cum Ægypto canicula exoritur vel certe 16. calendas id eſt 17 Auguſti.* Circa idem tempus illam oriri teſtatur quoque Ptolemæus *Lib de in err. ſtell.* At vero Maginus anno Domini milleſimo ſexcenteſimo ad altitudinem Poli graduum 45. ortum caniculæ coſmicum, accidiſſe ſcribit 4. Nonas id eſt 2. Auguſti. Et Argolus Romæ anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo tertio ad pridie Calendas id eſt 31 Julii. Verum tamen variat ſemper illius ortus, non tantum pro varia locorum latitudine & Poli elevatione, verum etiam quia ſtellæ fixæ, ex acuratiſſimis obſervationibus *Tychonis* & cæterorum Recentiorum Aſtronomorum, quotannis in ortum, ſecundum ſignorum ordinem feruntur.

Nume-

Numerus dierum canicularium varius adhuc dicitur ab Authoribus. Idem Argolus ad dies duntaxat 26 contrahit, nempe à die 23. Julii (cum ſol ingreditur amplitudinem orbis lucis Sirii) ad diem 18 Auguſti. Manginus protrahit ad dies triginta Keplerus ad 35. vel 40 At vero Hippocrates ad 50. dies produxit huic ad idus uſque id eſt 13. ſeptembris, ex mente ejusdem purgantia medicamenta, veluti toleratu difficilia ac moleſta, in pleriſque Regionibus vitanda erunt.

Num inſuper ex ſolo hujus temporis æſtu immoderato exiſtimaverit Hippocrates, difficiles & moleſtas futuras purgationes, an etiam ex peculiari Aſtrorum vi, atque influxu, nolim ego determinare, quippe ex una parte, non ſolum fervida hæc, atque æſtuoſa tempora, vitanda is monuit, ſed etiam temperata, cujusmodi ſunt æquinoctia, itemque occaſus Arcturi & Pleiadum per Autumnum contingentes; quamobrem non à ſolo aeris calore, moleſtiam purgantium deducit. Ex altera vero parte non levis ratio ſuppetit ex Galeno ſuperius adducta, quam latius ſunt proſecuti Fuchſius & Cardanus hoc loco, quod eo tempore natura imbecilla ſit, corpus exſuccum & excalefactum, atque humores ſponte ſua ad habitum corporis ferantur per ſudores, ut propterea non tuto ad interiora duci poſſint, nec ambobus inter ſe pugnantibus natura diſtrahatur, aut penitus diſſipetur. Expertum quoque dicitur in caniculæ exortu, ſolem cæteroqui à vertice decliviorem, urentiorem, & moleſtiorem perſentiri quin imo ſcribit Plinius *Lib. 2. cap 40* maria, exoriente Sirio, plurimum fervere, fluctuare in cellis vina, ſtagna moveri, canes in rabiem agi, apes uberrime mellificare, eteſias ventos ſpirare, aliosque plures effectus ſane admirandos in terra percipi, qui non aliunde quam à vi, atque influxu ſpeciali hujus Syderis proficiſci poſſe videntur.

Sed ut verum fateat, non video qua ratione, tot ac tanta caniculæ & Sirio tribuantur, quæ in noſtris Regionibus, vel nulla ſunt, vel potius ſoli, quam ipſi debentur: Ea enim longe admodum à noſtro vertice diſſita eſt, amplitudinem habens ortivam perquam proximam Tropico capricorni, unde vix gradibus 33. ſupra Horizontem aſſurgit, & tum potiſſimum à ſole remotiſſima fit. Sed & quibus illa in vertice eſt non calorem, ſed frigus affert, quo tempore cum ſole coſmi-

coſmicè exoriens, nobis ſub zona temperata degentibus æſtum congeminare putatur, quippe tum illis hyems eſt. Quod ſi in errantibus ſtellis quidpiam virtutis erga nos unquam ineſſet, profectò id foret potius conferendum, Regulo, Baſiliſco, ſeu cordi Leonis, ſtellæ primæ magnitudinis, de natura quoque martis, quæ tum juncta ſoli, ſignum ipſum Leonis peragranti, per idem tempus ſupra Horizontem emergit, Cœlum mediat, & iterata circuitione revolvitur. Attamen negari non poteſt, maxime tunc etiam in urentiorem æſtum conferre, majorem in aere vaporoſiori refractionem. Compertum enim habemus aerem etiam in noſtris Regionibus, per hæc eadem tempora, vaporibus fieri confertiorem, unde radii ſolis, etſi aliquanto decliviores, ad tellurem trajecti, uberrime, velut ex vitro uſtorio, colliguntur & quodammodo exurunt. Hinc quo die caliginoſum aerem antelucanis vel veſpertinis horis proſpicimus, æſtum longe admodum urentiorem futurum præſagire ſolemus, quem mox per diem experimur. Fieri autem per hæc tempora aerem vaporibus confertiorem, ipſe crediderim, ejusdem ſolis vi, qui è Terraqueo Globo, in hiatus potentiſſimos dehiſcente, innumeros & varios vapores elicit, cumque hi per noctem, nequeant deinde diſcuti, nec præ ſui tenuitate, in pluviam concreſcere, per circumambientem propterea aerem diſperſi, neque multum à tellure ſublimati, juſta diſtantia, collectos ſolis radios, arctiſſime in nos transfundunt, & ad igneum pene ardorem iterum iterumque conduplicant. Hac ergo de cauſa fit, ut mane & ante ſolis exortum, non leve frigus perſentiamus, interdiu vero exæſtuemus: Hinc etiam eſt, cur per hoc idem tempus tam pernicioſæ apud quosdam ſint locorum mutationes, quippe aer tum quoque ex hiante tellure, variis & multigenis evaporationibus inficitur, quæ non minimum officiunt reſpirationi, & ſanguini per pulmonem circulanti, & niſi per ingentes, & iteratos imbres, aut à flante Borea, aer omnino repurgetur, exitioſas ægritudines minatur, ut alibi diximus. Dixit autem Hippocrates *ſub cane & ante canem*: non vires ſed tempus potius, exortus utriusque deſignans, cum nimirum ea accidant, quibus aer æſtuoſior ſit, & corporum habitudi-

bitudines adeo afficiuntur, ut purgantium medicamentorum vim & commotionem ſufferre nequeant. Quoniam vero Hippocrates de tempore ortus utriusque canis expreſſe hoc Aphoriſmo meminit, plane audiendi non ſunt, qui exiſtimant, *ſubeane* illum voluiſſe oppoſitum tempus ortus canis deſignare, atque adeo hyberni ſolſtitii, & intenſioris frigoris dies referre quanquam & hoc etiam tempus importunum Galeno videatur *Lib. quos, quibus & quando*, purgantibus adhibendis, cum tunc quoque difficiles & moleſtæ admodum contingant purgationes, quod humores, non tam ſint ad exitum parati, nec vix laxæ aut expeditæ id enim licet verum ſit, non tamen menti Hippocratis hoc in Aphoriſmo cohæret, cui ſolum de tempore ortus Sirii & Procyonis meminiſſe in animo fuit. Verum enim vero non omnino ea vetanda dixit tempora, vigentis utriusque canis in uſu purgantium medicamentorum, ſed ſolum per ea tempora, purgationes difficiles & moleſtas, id eſt, non facile tolerabiles, accidere. Siquidem illa dicitur ab eodem ſalutaris evacuatio, quæ confert & toleratur, modo hæc minime videtur ſufferri poſſe in diebus canicularibus ex antea traditis. At ſi morbus talis per hæc tempora contingat, quæ exigat purgationem, profecto illa adhibenda, quoniam potiſſima indicatio agendi in morbis, non quidem à temporibus ſumitur ſed ut ſæpius diximus, a cauſis morbificis, atque ab his, quæ intra corpus ſunt, non extra. Sic apoplecticos, hydropicos, colico dolore vexatos, aliosque, tempore caniculari graviter affectos, absq; ullo metu æſtus aut caniculæ, communiter in praxi, catharticis curare admituntur, ad humoris vitioſi expulſionem. Idque eo facilius & ſecurius præſtari ſolet, in noſtris Regionibus in quibus ſæpe numero, longe temperatiorem, imo nonnunquam rigidiorem, ac ipſo veris tempore, aerem experimur.

Quamobrem hunc Aphoriſmum potius ſervandum interpretabimur in his, qui ab imminentibus ſe tueri, quam a præſentibus morbis vindicari ſtragunt, & potius in corporibus ſanis vel neutris, quam in morboſis, qua morbo laborant, cathartici uſum expoſtulante; Etenim de his, qui adhuc ſunt ſani, ſed ægri futuri ſunt ſcripſit Hippocrates 6. Aph. 47. *quibuscumque venæſectio, vel medicatio convenit, hos vere purgare, vel venam incidere oportet*, ad præveniendos imminentes per æſtatem morbos, ut ſuſe Galenus explicat *in comment. ejusdem*

Apho-

Aphoriſmi. Quod autem hos memoret Hippocrates, qui per medicamenta purgantia ſe tueri cupiunt, manifeſte declarat Galenus hoc loco inquiens, *quare & plures purgati hoc tempore incidunt in febres, & natura ex æſtu imbecillis, magis ex purgatione diſſolvitur.* Si enim timor eſt ne incidant in febres, procul dubio de non febricitantibus & morboſis ſermo eſt habitus.

Non autem hactenus dicta, de caniculæ exortu ſolummodo ſed & de omni ſyderum vehementi mutatione, ut ſupra innuimus, intelligenda, & in eadem, magna remedia fugienda ſunt, unde ſcripſit Hippocrates *Lib. de aere & aquis,* vitanda eſſe *æquinoctia & ſolſtitia* per dies decem ante & poſt, nec per illa tempora aliquid moliendum, niſi urgeat neceſſitas. Imo non ſolum ad tempora ſed & ad Regiones traducenda eſt Aphoriſmi ſententia, quippe calidiſſimæ & frigidiſſimæ medicamenta difficile ferunt. Neque pariter ſolum de medicamentis purgantibus intelligendus Aphoriſmus, ſed etiam horum exemplo, de aliis magnis remediis, venæſectione, uſtione, ſectione aliisque id genus.

Dices 1. Hollerius ait, nullum tempus eſſe ſalubrius canicularibus, quia morbi, menſe Junio & Julio nati ſub canicula ſolvantur, ergo Aphoriſmus non ſubſiſtit. ℞. Hollerium intelligendum eſſe de canicularibus ab Eteſiis perflatis, non vero de æſtuantibus, & hoc ipſum jam in textu diximus.

Inſtabis Ergo flantibus Eteſiis, etiam in canicularibus licebit magna medicamenta præſcribere, quod eſt contra Aphoriſmum. ℞. Concedo totum, quia nec obſtat nimius calor, nec corporis debilitas &c.

Dices 2. In maxima hyeme & frigore ſæpius & purgationes & venæſectiones inſtituuntur, maxime tum adeſt gravis cacochymia vel Plethora. Idque etiam fit in æſtate ergo non ſunt inhibendæ. ℞. Neceſſitas non habet legem ſed tamen, etiam urgente neceſſitate, eæ cum magna circumſpectione adhibendæ.

Dices 3. In canicularibus natura vergit ad ſudores ergo per ſudores & non purgantia aut alia eſt medicanda. ℞. Si natura ipſa cum Euphoria id præſtet, relinquenda ſi vero prævicane & ſymptomatice agat, neque arte irritanda, neque per ſe relinquenda in violento opere.

Aphoriſmus VI.

Graciles & ad vomendum faciles, per ſuperna, purgare oportet, caventes hyemem.

Contentum ſeu Intentio.
De diſpoſitis ad vomitoria.

C*onnexio*: Apprime conjungitur hic Aphoriſmus cum ſuperioribus: nam cum de indicatione locutus eſſet, quæ à tempore ſumitur, ad locum purgationis eligendum, ſeu per quas partes corpus eſſet expurgandum. In hoc Aphoriſmo indicationes deſumit a corporis habitu, & facili vel difficili inclinatione ad vomendum vel purgandum.

Hic Aphoriſmus, ob ſummam brevitatem diviſionem non patitur.

Quemadmodum ergo in præcedentibus Aphoriſmis de temporibus aptis vel ineptis ad vomitum aut dejectionem egit, ita nunc de corporibus, & illorum habitudinibus verba facit. Et primum *graciles* ac *facile vomentes* conſiderat, quos ait per ſuperiora purgandos eſſe. Pro gracilibus autem non intelligendi ſunt tabidi, & qui ex morbo graciles evaſere ſeu qui ad phtyſim vel ſputum ſanguinis diſpoſiti, vel effectiva phtyſi jam laborant; nam de his agemus *Aphoriſmo octavo*, ſed qui obeſi & carnoſi natura non ſunt. Neque eos qui longis morbis, laboribus & vigiliis exhauſti. Plerumque autem graciles iſtiuſmodi ſolent eſſe *Picrocoli* vulgo Biliosi & Cholerici, ut advertit *in Comment.* Galenus quibus venæ & arteriæ latæ ſunt, ſanguis tenuior & acrior ac ſtomachus atque os ingenti amatore ſuffunditur, qui proinde ob ſalivam acrimoniam ad nutritionem & appoſitionem aliti, minus eſt habilis, ſanguine dulciore & modificato: quod ita declarat Poeta:

Bilis & ira ſuum conſumunt tabida corpus:
Impinguant corpus, ſomnus & unda ſuum.
Ignea vis bilis eſt, ſævumque liqueſcit ab igne.
Phlegmatico cõntra, frigore ſtagnat adeps.

Cogno-

Cognoſcuntur autem facile tales graciles & extenuati atque ad Phtiſim proclives, ad vomitum autem periculoſi, quod ſcilicet iis lympha, eaque ſolito acrior, vix non quotidie ad partes pectoris deſtillet, tuſſim ſæpius vulpinam ex irritatione procreet, color faciei lividus & pallidus, à cibo vero aſſumpto & elevatis inde vaporibus rubicundus, collum longum, tenue, anſerinum cum gutturis prominentia, pectus anguſtum & breve, ſcapulatum inſtar alatum, ita & claviculæ per modum arcus prominentia. Hos ergo ab emeticis cavere ſumme expedit, ob periculum convulſionis, & inanitionis, unde quaque periculum minitantis. Nemo medicorum ignorat conſenſum (mediantibus muſculis, nervis & membranis) qui inter tuſſim & vomitum in praxi paſſim obſervatur: quippe tuſſibus violentis aut inveteratis, ſæpius ſuccedunt vomitus, & rurſus, ipſos vomitus tuſſicula quædam, vel præcedit vel comitatur, quorum ope & motu violentiori concuſſivo, pulmonibus & pectori violentia infertur, idque cum ſummo ruptionis vaſorum periculo.

Non autem ſolum ſatis eſt, à natura eſſe graciles, niſi etiam faciles ſint ad vomendum, ſiquidem multum valet promptitudo loci, & facilitas, ſeu diſpoſitio humoris, ſponte ſua vergentis, ad ſupera: tales autem obſervantur, qui breve collum habent, Thoracem latum, & Pylorum ex irritamento protinus ſe invertentem ex coarctatione fibrarum circularium. Anatome quippe expertum eſt, vomiturientes ſortiri, cholidochum ductum recta pergentem in pylorum, quo bilarius ſuccus ſuperabundans facile irruit & vomitum concitat. Itaque quando hæc omnia plerumque concurrunt in gracilibus, merito per ſuperiora illi purgandi erunt. Adjicit tamen Galenus adverbium *magis*, nam magna ex parte, inquit, graciles ſunt bilioſi. Quod ſi gracilitas talis ſit, qualis in melancholicis corporibus eſſe ſolet, quia in illis etiam deſunt conditiones mox memoratæ, jure merito tamquam inepta (ſicut de gracilibus extenuatis diximus) ad vomendum excluduntur ab eodem Hippocrate Aphoriſmo nono infra explicando.

Verum unde oriatur aut accidat gracilitas iſta corporibus curioſum eſt inquirere? At, qui conſideraverit, partem ſanguinis glutinoſam & albicantem, in animalibus obeſioribus, & mole & virtute plurimum valere, tenuem vero & dilutam

minus eſſe in gracilibus, Plane cauſam utriusque inveniet; quæcunque enim animalia ſunt obeſa & multo adipe ſcatentia, ſanguine quoque abundant glutinoſiori, qui facile partibus appingitur & hæreſcit pro nutricatu, quæ vero macilenta ſunt, modico glutine donantur, eoque plerumque diluriori, ut propterea concreſcere non ſatis ſit, & in augmentum partium adhiberi.

Hac eadem ratione contingit, ſenes ſenſim extenuari, & contabeſcere, maraſmo ut vocant frigido, quoniam ſanguis in ipſis, ætatum progreſſu, tenuior atque dilutior fit, & ſi fortaſſe concreſcat, potius à crudo & inutili phlegmate craſſeſcit, quod partibus gravamen eſſe ſolet. Contra vero pueri, ſanguinem ſortiti conſiſtentiorem & glutine abundantem, in dies incrementum ſuſcipiunt, atque ad trinam dimenſionem vegetant.

Verum tamen eſt, quod licet gracilia corpora, nacta ſint ſanguinem multo glutine non ſaturum, adeoque illa modice nutriantur & creſcant, ſolent nihilominus eſſe vegetiora & validiora, quippe quæ ſanguinem habent acriorem, floridiorem, multisque ſpiritibus refertum, quo ſane privantur obeſa; ſed & venæ quoque ac arteriæ in his obſervantur magis exiles, quæ tamen laxiores ſunt in gracilibus, unde & pulſus in illis fiunt tardiores & minus validi, in his vero crebriores & vehementiores, quin imo dixit Hippocrates 2. Aph. 44 Natura admodum craſſos citius interire, quam graciles, cujus rationem reddens Galenus *in comment.* inquit, *Anguſtæ enim ſunt horum arteriæ & venæ atque ob id paucum omnino ſanguinem habent, ſpiritumve, adeo ut cum ætate proceſſerint, cito ipſis, vel parvam ob cauſam, calor nativus deſtruatur.*

Quoniam ergo gracilia corpora, tenuiorem habent ſanguinem felleum humorem plus juſto cumulant, qui delatus, ut dictum, ad pylorum, facilem in illis vomitum excitat; eumque bilarius iſte ſuccus, quodammodo etiam conferat excrementorum per alvum expulſioni, ne iſta magis hyeme impediatur, quæ tardior per id tempus eſſe ſolet, proinde conſulit Hippocrates, *cavendum hyeme.*

Præterquam quod eo tempore bilis iners eſſe ſolet, vel ſaltem à congeſtione excrementi mucoſi, ex tardiori diſtributione, emergentis, plurimum retuſa, quamobrem ſatius erit, per eadem tempora alvum, ſi oportuerit, ſubducere, & tardas ipſius egeſtiones promove-

movere, craſſos itemque ſuccos & in plicis inteſtinorum impactos, detergere & expurgare. Sed mirum eſt, quod Celſus exactiſſimus ſententiarum Hippocratis compilator, in hac re tam clara, atque ab omnibus recepta illi contradicere videatur, cum aſſerat *Lib. 1. Cap. 3.* vomitum gracilibus, & imbecillum ſtomachum habentibus inutilem eſſe, utilem vero plenis & biliosis omnibus, ſi vel nimium ſe repleverunt, vel parum concoxerunt. Sed recte utrumque conciliat Fuchſius, Celſum interpretatus, de gracilibus, qui vi morbi ſunt extenuati, ac ventriculum languidum & humoribus vacuum habent. Si enim is vomitum utilem eſſe ait, plenis & bilioſis omnibus, profecto graciles intelligit tabidos, exhauſtos, viribus exolutos.

Illud tandem erit advertendum, tunc graciles & facile vomentes, per ſuperiora purgandos, cum morbo laborant, purgationem indicante atque per vomitum opportunius. Etenim in omni evacuatione neceſſe eſt primum quod exigit in eſſe, mox etiam abeſſe quod repugnat, ut illa convenienter inſtituatur, ſimulque conferat & toleretur ab ægrotante.

Quæres Utrum magis debilitet, an vomitus an dejectio? ℞. Vomitum in ipſa operatione, magis affligere, at infernam purgationem, poſt operationem.

Dices 1. Graciles & bilioſi omnes ſunt faciles ad vomitum, ergo non opus fuit addere illud *& facile vomentes.* ℞. Cum Fonſeca, hominem dupliciter eſſe bilioſum, vel ad inferiora, ſcilicet ad ventrem, vel ad ſuperiora ut ſunt Pichrocoli quibus bilis ad ventriculum fertur; primi commodius per ventrem ſecundi per vomitum purgantur.

Inſtabis In obeſis & corpulentis videtur minus eſſe periculum a vomitu, quam in gracilibus, quia in omnibus ſunt robuſtiores & firmiores. ℞. Nego ſuppoſitum, non enim intelligit hic Hippocrates, extreme graciles & extenuatos, ut diximus, ſed mediocriter tales, unde nullum periculum emergit.

Dices 2. Videtur a multis in Phtiſicis vomitus concedi, eo quod minus a vomitu quam à tuſſi offendantur, quia tuſſis eſt depravata actio pulmonum, non autem vomitus, qui eſt proprius ipſius ſtomachi. ℞. Nullam hic eſſe contradictionem, quia non plane extenuatis

aut

aut hecticis vomitus conceditur, ſed ut cumque bene ſe adhuc habentibus, id eſt aliqualiter carnoſis.

Aphoriſmus VII.

Vomentes vero difficulter, & mediocriter carnoſos, per inferiora, caventes æſtatem.

Contentum ſeu Intentio,

De Indiſpoſitis ad vomendum.

Connexio: Cum contraria juxta ſe poſita magis eluceſcant ſic hic Aphoriſmus cum præcedenti, tamquam omnino contrarius, ſeu contraria ejuſdem pars conjungitur: In priori egit de gracilibus, hic agit de carnoſis; ibi egit de vomitu; hic de purgatione, qui motus ſunt contrarii; ibi hyemem excluſit, hic æſtatem.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem ſuam etiam diviſionem non patitur. Quemadmodum ergo facile vomentes ad vomitum inducendi ſunt; ut in ventriculum irruentes egerant humores; Ita vomentes difficulter illum cavebunt, ne periculum dilacerationis venatum incurrant, potiſſimum in Thorace; aut lypothimia aut motus convulſivi ſuccedant, & filum vitæ præſcindant. Quod ſi præterea carnoſi ſint, adhuc magis periclitabuntur, ob nimiam ventris compreſſionem, renixum muſculorum & vaſorum exilitatem obſervat enim Fuchſius, non temere adjectum eſſe *mediocriter* græce *μίσως*, quoniam qui mediocriter carnoſi ſunt, mediocri habitu corporis præditi, meliori fruuntur ſanitate, & quandoque optima, quamobrem nulla evacuatione moleſtantur ut dicitur *2. Aphor 36 & 37.* cæterum omnino pingues ſeu nimis obeſi, inepti ſunt vomitioni, ſcatentque humoribus pituitoſis & tenacibus, hærentibus potiſſimum in glandulis meſenterii & inteſtinorum, qui proinde dejectoriis potius, quam vomitoriis educi poſſunt, juxta Poetam

Incolit infernum caro, dæmon mundus: & hinc eſt,
Quod caro cum ſuccis, inferiora petat.

Vel juxta illud:

Si pinguis venter, purgat Medicina libenter,
Si pinguedo perit, tunc Medicina ferit.

Additur

Addunt poſtremo cavendo æſtatem: & quidem non tantum ex nuper traditis, verum etiam quia carnoſi & obeſi à purgantibus medicamentis facillime eliquantur & ſangnis in illis funditur usque ad hypercatharſim, ſi præſertim medicamenta ſumantur validiora, ut deducitur ex Galeno *Comment. 36 & 37. mox memorati Lib. 2. Aph. 36. 37.* cum & per æſtatem ejusmodi corpora multis, & abundantibus ſudoribus perfundantur. At quamquam cavendam dixerit Hippocrates æſtatem, non tamen reliqua anni tempora prohibuit, quæ alibi tutiora & convenientiora promulgavit.

Dices 1. Nec hic nec præcedens Aphoriſmus à practicis obſervantur, ſiquidem facile vomentibus carnoſis & obeſis, quovis tempore vomitoria porrexerunt, & graciles etiam æſtatis tempore per inferiora purgarunt. Imo Argenterius dicit, hos duos Aphoriſmos cum rudi Medicina natos eſſe. ℞. Nec nos nec alii in modice carnoſis & obeſis, ita & modice gracilibus, ut in textu diximus, omnis vomitus in hyeme, vel omnis purgatio in æſtate prohibemus, ſed tantum caute & cum circumſpectione faciendam. ℞. 2. Argenterium mordacem alias virum quod attinet, ejus dictum nullius momenti eſt, enim hi Aphoriſmi, eodem tempore nati ſint, quo alii, & alii non ſuerunt nati, cum rudi Medicina, ergo nec hi.

Dices 2. Hippocrates dicit: nec *ſans* nec *cacochymici* ſunt expurgandi, ergo nulli ſunt expurgandi, ſiquidem *ſani* inquit, *exolvuntur ſicut & malo utentes ſucco.* ℞. Quod *ſani* non ſint expurgandi, certum eſt, nam *ſani non egent Medico.* dicit autem malo ſucco utentes non eſſe expurgandos, id eſt forti medicina ſed tantum per epicraſin quod ſufficit.

Aphoriſmus VIII.

Tabidos vero per inferiora, caventes ſuperiora. Vel brevius: Tabi obnoxios ſupra ne purgato.

Contentum ſeu Intentio.
De Purgatione Phthiſicorum.

C*Onnexio:* Cum in ſexto ſupra Aphoriſmo, graciles per ſuperiora purgandos monuiſſet, in hoc Aphoriſmo gloſſat illam ſententiam, eos hic excipiens, qui tabi ſunt ob noxii, hi enim ordinarie & ut plurimum graciles ſunt. Hic Aphoriſmus ob brevitatem diviſionem non patitur. Ne ergo quis confunderet graciles cum tabidis & à morbo extenuatis, de quibus antea egimus, adjicit hunc Aphoriſmum Hippocrates, quo admonet, *Tabidos* græce φθινώδεας, ſeu Phthiſicos per ſuperiora purgandos non eſſe, per quas ſcilicet vias ſuperius dixerat graciles purgari oportere. At quamvis Galenus *in Comment* pro Tabidis phthiſicos, quique Phthiſim morbum patiuntur, ſit interpretatus, videtur tamen non veriſimile, hos voluiſſe Hippocratem comprehendere, nam qua cauſa, quave indicatione unquam Phthiſi laborantes ad vomitum ſint deducendi, non bene conſtat, quippe qui exſucci & macilenti, potius repleri, quam evacuari expoſtulant. Quamobrem veriſimilius exponit Cardanus, eos hic ſubintelligendos eſſe, qui ad tabem & Phthiſim contrahendam proni ſunt, quales deſcribuntur à Galeno, ex mente ipſius Hippocratis *1 Epidem.* Thorace & tergo reſtricti, & anguſti ac ſcapulas habentes alarum inſtar exporrectas, atque ampliori capite præditi, deſtillationibus in pulmonem & Thoracem irruentibus, obnoxii; genæ rubent præcipue a paſtu. In his enim Pulmo mollis & laxus admodum & cætera reſpirationis inſtrumenta valde debilia, facile a confluentibus ſuccis eroduntur, unde ſanguinis ſputum, empyema & Phthiſis. Si his ergo vomitus indicitur, procul dubio periclitantur. Mirari quoque ſubit cur in codice Leoniceni adjectum inveniatur, per *inferiora*, cum nec Heurnius nec Fuchſius neque Cardanus, aliusque ex recentioribus Aphoriſmorum interpretibus, id in ſuis verſionibus habeant. Qua enim ratione, ſive qui Phtiſi laborant, ſive qui ad Phtiſim contrahendum ſunt diſpoſiti, quocunque medicamenti purgantis genere tractari poſſint. Verum tacite ſubintelligendum (quod nos in textu expreſſe poſuimus) exiſtimo purgationem per inferiora potius moliendam eſſe, ſi fortaſſe ventriculus

lus cum adjunctis ductibus fuerit aliquo humore gravatus: quamvis enim ex humore in ventriculo ſtagnante vomitus foret indicatus, ob malam tamen pectoris & corporis habitudinem, vergentem ad Tabem, potius ad inferiora is ducendus erit, ne periculum diruptionis vaſorum & ſuffocationis ſubeatur, ut dictum.

Medicamenta autem purgantia ex levioribus ſeligenda erunt, Manna, Caſſia, Roſa, Rhabarbarum, ne per acredinem major in humoribus commotio excitetur, cum alioquin ſatis ſit, in his blande alvum ſubducere, & neque multum neque univerſaliter evacuare, ſed tantummodo ventriculum, atque inteſtina inutilibus ſuccis oppleta, leniter inanire & quodammodo abluere, Fortiora enim purgantia, æque ac vomitoria Tabidis nocere poſſunt, cum praxis doceat alui fluxus, ipſis fatales eſſe.

Dices 1, Hippocrates 7. Aph 2. exhibet Tabidis Elleborum, ergo purgat per ſuperiora contra hunc Aphoriſmum. ℞. Hippocratem hoc feciſſe, ſumma urgente neceſſitate, imminente nimirum ſuffocatione ex magna fluxione.

Inſtabis. Quo natura vergit eo ducenda eſt, ſed in Tabidis & Phtiſicis vergit ad ſuperiora ergo ℞. Si natura vergat ad loca conferentia, illuc ducenda eſt, concedo, ſed vomitus hic excitatus, non fit per loca conferentia, quia ex toto corpore trahit humores noxios ad partem affectam.

Vrgebis Non ſunt alia loca conferentia; nam ut dictum neque per alvum duci poſſunt ex metu diarrhææ colliquativæ ergo. ℞. Quod ſi non adſit ſumma Tabes, cum minori periculo poſſe duci per inferiora quam per partem affectam. Deinde non ſumitur hic indicatio à motu humorum, ſed à partis affectæ habitudine.

Inſtabis denuo Hippocrates Tabidæ in fieri multoties venam ſecuit ergo etiam purgare licebit. ℞. Hippocratem, Tabidæ mulieri ob retenta menſtrua venam ſecuiſſe, & bene quidem, ſic enim natura, à Plethora ad vires liberata, reſipuit.

Vrgebis tandem: Tabes eſt ob defectum alimenti & nutritionis, ergo cum hac, non videtur poſſe ſubſiſtere Plethora etiam ad vires. ℞. Tabes eſt ob defectum alimenti vel nutrimenti immediati, concedo, mediati nego poteſt enim alimentum corruptum in venis exiſtere, & tamen non attrahi à partibus ſiquidem hæ illud reſpuunt.

Aphoriſmus IX.

Melancholicos, infra vehementius purgabis, eadem ratione contraria adhibens.

Contentum ſeu Intentio.

De Purgatione melancholicorum.

Connexio: Cum graciles ſint vel bilioſi vel melancholici & mox ſupra dictum ſit, bilioſos per ſuperiora purgandos: Nunc in hoc Aphoriſmo de gracilibus melancholicis verba facit, explicans, illos per inferiora & quidem vehementius eſſe purgandos. Hic Aphoriſmus duas habet partes. in prima dicit, melancholicos per inferiora eſſe purgandos: In ſecunda docet, eos fortius evacuandos.

Quemadmodum ergo Tabidos interpretati ſumus eos, qui ad Tabem ſunt diſpoſiti, non autem qui jam Tabidi & Phtiſici facti ſunt: Ita Melancholicos hic ſumere oportebit eos, qui habitus ſunt melancholici, ſive Proclives ad melancholicum habitum contrahendum, ad differentiam eorum, qui ſolent à Medicis appellari, bilioſi, ſanguinei, pituitoſi, ex diſpoſitione qua ſunt affecti, hunc potius, non alium humorem cumulandi, vel etiam ex conditione ſanguinis craſſioris, & fixioris, non vero tenuioris & acrioris. Quamobrem Galeno viſum eſt, *Lib. de humoribus & Comm. de natura humana bilioſos* appellare, qui in operationibus agiles nimium ſunt, & cutis colore flaveſcentes: *Sanguineos* qui rubicundiores, & roſeo colore ſuffuſi atque hilares: *Pituitoſos* quibus cutis albicat, aquoſa excrementa inſunt, & operationes ſegnes ſunt: *Melancholicos* denique, quorum fuſcus color eſt, mens intenta & cogitabunda, cum mœrore & taciturnitate.

Hos itaque ait Hippocrates, per inferiora purgandos eſſe, ſi neceſſitas exegerit, & quidem *vehementius*, vel ut alii legunt *Plenius*, quam in Tabidis dictum eſt ob craſſitiem, aciditatem, auſteritatem, denſitatem, fixitatem, gravitatem & terreſtritatem humoris melancholici, qui non tam facile purganti medicamento cedit, nec

nec prompte per anguſtos meatus corporis ad exitum deducitur. Sive autem dicatur Plenius vel vehementius, id ita accipiendum, ut edoceamur, iteratis potius egeſtionibus, ſi oportuerit, melancholicos & tartareos eosque contumaces ſuccos eſſe educendos, quam unico & vehementi cathartico, quo magis furerent & excandeſcerent, vel è contra tenacius hærerent, ſerofiori portione ſepoſita: Ea propter melius iſti craſſi & compacti ſucci blandis ſubducentibus parere conſueverunt, quibus ſcilicet lubriciores redditi, & laxiores ſibi faciunt vias, & commodius in alvum extra moleſtiam deducuntur: juxta Poetam:

Ut levis humor humum fugit & petit Attale ſummum,
Sic gravis ad Matrem confluit humor humum.

Adjecta denique verba. *Eadem ratione contraria adhibens* denuntiant, pro varia ratione peccantium humorum, diverſimode Medicum ſe gerere oportere, ut proinde vitioſus humor, ſi promptus ad exitum videatur vomitu, forte quia ventriculum occupat, eo promovendus: Si vero tunicis & glandulis inteſtinorum aut meſenterii adhæret, purgatione, magis & minus valida, pro majori vel minori, ipſius & Patientis corporis habitudine. Niſi etiam dicere velimus cum Argenterio, his in textu adjectis ſignificare Hippocratem voluiſſe, melancholicum humorem, per inferiorum vacuandum eſſe, dummodo nil impediat æſtas, corporis gracilitas, aut ad vomendum promptitudo, vel quidpiam aliud eorum, quæ pollicentur faciliorem per ſuperiora evacuationem.

Dices 1. Galenus *de arte curativa ad glauconem de cura quartanæ dicit* utendum eſſe vomitibus poſt cibum continue, imo ipſum Elleborum porrigendum, ſi vero vomere nequeant, per inferiora purgandum, quod eſt contra Aphoriſmum. ℞. Galenum intelligendum eſſe de quartanariis famelicis, quibus melancholicus humor ventriculum petit, non vero de iis in quibus is ad inteſtina deponitur.

Inſtabis. Melancholici ſunt debiles ergo fortiter non ſunt purgandi. ℞. Omnes melancholici ſunt debiles nego, aliqui concedo, & in his Medicus ſcit moderari remedia.

Urgebis. Humor melancholicus per fortia remedia exaſperatur, ſic videmus quartanas intermittentes factas eſſe continuas & lethales. ℞. Tam fortibus remediis non eſt oppugnandus per vomitum con-

cedo per inferiora (de quibus loquitur Aphoriſmus) nego. Præſertim præmiſſis præparantibus.

Dices 2. Hippocrates 6. Epidem. ait. Melancholicos abundare ſanguine ichoroſo, ſed ichor non eſt difficilis purgationis utpote tenuis ergo non eget tam fortibus remediis. ℞. Per melancholicos hic intelligi melancholicos ad cachexiam vergentes, non vero qui revera & ſimpliciter tales ſunt, de quibus eſt Aphoriſmus.

Aphoriſmus X.

Purgandum in valde acutis, ſi turgeat materia, eodem ipſo die, differre enim in talibus malum;

Contentum ſeu Intentio.

De Purgatione in Acutis.

C*Onnexio.* Cum hactenus Hippocrates in prioribus Aphoriſmis, de purgatione, multa præcepta tradidiſſet, deſumpta, tum ab anni tempore, tum conſuetudine, & habitu corporis; In hoc Aphoriſmo jam agit de illa, quatenus à morbo, ejusque cauſa deſumitur.

Hic Aphoriſmus duas habet partes: In prima, ponit concluſionem, purgandum nempe, in valde acutis, ſi turget materia, eodem ipſo die. In ſecunda, ponit rationem illius concluſionis, quod nimirum, differre purgationem, turgente materia, in valde acutis, malum ſit. Quibus monet medicum vigilantiſſimum eſſe, in arripienda occaſione, nec differendum remedium præcipue in morbis acutis.

Quamobrem jubet in hoc Aphoriſmo Hippocrates, ſtatim eſſe purgandum in valde acutis morbis, ſi tamen materia turgeat, nulla exſpectata coctione, quam alias in morbis curandis & evacuandis humoribus, exigere viſus eſt, ex jam allata ratione, quoniam tardare in his malum eſt.

Turgentia græce ὀργασμὸς ſeu materia turgens dupliciter intelligitur; aut cum hinc inde movetur, non habens determinatum locum in corpore. aut quia movetur ad aliquam partem ad faciendam inflammationem antequam firmetur.

Quod

Quod autem de ſola purgatione illico inſtituenda loquatur, patet ex verbo *Purgandum* vel ut alii *Medicari*: quod paſſim à Græcis & Latinis Scriptoribus, ſic & non aliter expoſitum legitur: neque aliud quidpiam, videtur poſſe ſignificare, nam ex ſuperioribus Aphoriſmis, continuatus ſemper ſermo eſt habitus de purgatione per Cathartica, ut propterea nec de venæ ſectione ſeu miſſione ſanguinis, nec de diaphoreſi aut Diaphoreſi promovenda liceat interpretari ſed ſolum de dejectione, vel vomitu, prout humor, in hanc vel illam partem vergere videbitur: quamvis non nulli ſint, qui credunt, primum ſupra dictum, turgentis materiæ modum, purgationem indicare. Secundum vero, ſanguinis miſſionem exigere; ac proinde hunc Aphoriſmum, non ſolum ad Pharmaciam ſed & ad Chirurgiam conſcriptum eſſe. In hoc autem Aphoriſmo prætere a intelligendi ſunt morbi valde acuti, id eſt peracuti, qui ſcilicet cito & cum violentia ad finem ſuum, tendunt, & quartum aut ſeptimum diem non tranſcendunt hi enim cum tanto impetu aggrediuntur, ut quam citiſſime omnia quatuor tempora tranſigant, & non raro etiam vehementiſſimis ſymptomatibus ſociantur, de quibus idem Hippocrates *1. Aph. 7. Ubi morbus peracutus eſt, ſtatim extremos habet labores.*

Vult ergo Hippocrates medicandum ſeu purgandum ſtatim *ſeu eodem ipſo die, cum materia* turget: Licet Argenterius arbitretur purgationem ſubito indicatam, non ex turgentia ut ipſe loquitur, humorum, ſed ex acutie, vehementia ſubitanea ejuſcemodi morborum, qui inducias non præbent, ut proinde putet delendas & expungendas illas particulas *ſi materia turget.*

Verum quod non temere *turgens materia* hic ſit appoſita, ſuadent potiſſimum, quæ alias à nobis ſunt animadverſa: Etenim, ratio & autopſia docet, non omnem morbum peracutum indicare purgationem, cujuſmodi eſt ſuffocans Angina, Cauſus ſeu febris ardens, febris lypiria, quælibet inflammatio interna idque genus alii morbi: Item juxta Hippocratem *Lib. de internis affectibus* ſi materia (inquit) incipiat decumbere ad partes externas ſeu glandulas, purgationem vetat, ne ſcilicet materia à Peripheria ad centrum retrahatur.

Nihilominus ut diximus, non temere adjecta verba; *ſi materia turget.* Nam idem Hippocrates Lib. 1. Aph. 27. *concocta medicanda docent, cruda vero non movenda, neque in principiis, modo non turgeant.* &

1. Aph.

1. Aph. 24 In acutis morbis dixi, raro & in principiis medicamentis purgantibus utitur licere. Accedit quod prior ratio exhibendi cathartica in peracutis deſumpta videtur ex imminenti periculo, decubitus humorum vergentium in membra vitæ principaliora, cum magno ejuſdem diſcrimine: quod ſane deeſſe ſolet in acutis morbis *materia non turgente*, cum cæteroqui in peracutis æſtus febrilis, ſitis, humorum cruditas, tenuitas urinarum, vel earundem turbatio, purgationem contradicent: quare prudenter nos admonet Hippocrates *4 de rat. victus in acutis 38.* non tantum abſtinere oportere inter initia febrium aliorumque morborum acutorum, a purgantibus ſed à quibuscunque medicamentis naturam turbantibus & humores commoventibus. *Et Lib. de medic purgant* inhibet uſum eorundem in febribus vehementibus, quales ſunt ardentes & peracutæ, ſed ſolis clyſteribus ſuadet molliendam alvum ſi opus ſit. Conferenda huc quoque ſunt, quæ fuſius attulimus in Expoſitione *1 A h 22. 24.*

Cum igitur turget materia, duntaxat purgare licebit inter initia, imo protinus, nulla data mora, priusquam ſcilicet robur corporis diſſolvatur, vel æſtus febrilis augeatur, aut ad aliquod membrum principale decumbant ii, qui per corpus vagantur humores, ut ſubdit *in Comment* Galenus: Idque profecto eſt quod Hippocrates in Aphoriſmo inquit *Tardare in talibus malum.* Quod ſi humores agitati, & commoti, alicubi per decubitum conſiſtant, abſtinendum plane ut ſupra innuimus, à purgante medicamento, ne denuo commoveantur, & interiores & nobiliores partes petant, modo tamen is ſit factus, in parte corporis, quæ univerſam peccantem materiam capiat, eumque comitetur ſymptomatum abolitio vel remiſſio, juxta ea quæ de abſceſſu ſalutari notantur à practicis & fuſe referuntur à Galeno *2 & 6. Epidemio.*

Dices 1. Morbi valde acuti ſtatim à principio Phlebotomiam requirunt, Ergo non requirunt purgationem, utrumque enim debilis natura uno eodemque die ſuſtinere non poteſt. ℞. Morbi valde acuti dependentes à ſanguine ſeu plethora, requirunt phlebotomiam concedo, à turgente cacochymia de qua Aphoriſmus loquitur, Nego.

Inſtabis. In morbis à ſanguine ortis etiam adeſt turgentia, ergo debebit ſtatum fieri venæſectio. ℞. Nego antecedens, nam ſanguis, unicus

unicus naturæ theſaurus, nunquam eum per ſe incitat ad ſui expulſionem, ſicut facit materia cacochymica. Nec obſtat, quod natura quandoque expellat ſanguinem per Hæmorrhagiam, id enim facit, vel ratione quantitatis à qua ſtimulatur aut ratione qualitatis à qua irritatur.

Vrgebis: Purgatio majorem excitat calorem & vires magis debilitat ergo non habet locum. ℞ Hippocratem in Lib. 1. Aphoriſmorum dixiſſe, id cum præmeditatione & raro faciendum eſſe, conſideratis viribus; nos in noſtra patria, cum raro ſit turgentia, raro id præſtatur, ſed contenti ſumus lenitivis & clyſteribus.

Dices 2. Hippocrates *4. Acutor.* jubet in febribus acutis exhibere purgationem ante quartam diem, non ſtatim ab initio ut hic ergo contradicit ſibi. ℞ Hippocratem ibidem intelligendum eſſe de morbis non valde acutis, neque ibidem facit mentionem turgentiæ, ergo aliter ibi, aliter hic ſentit.

Aphoriſmus XI.

Quibus Tormina adſunt, & circa umbilicum cruciatus, & lumborum dolor, qui neque Medicamento neque per alia præſidia ſolvatur, in ſiccum hydropem firmatur.

Contentum ſeu Intentio.

De Signis futuræ Tympanitidis.

Connexio Cum hactenus Hippocrates de temporibus & conſtitutionibus corporum egiſſet, in quibus purgatio inſtituenda foret, vel per ſuperiora, vel per inferiora, ad præcautionem vel curationem morborum. In hoc nunc Aphoriſmo, memorat eos, qui licet purgationem exigant, non tamen ab illa juvantur, ſed ob repugnantem cauſam vel partium diſcraſiam, in morbos graviores & pene incurabiles delabuntur. Hine vide-

videtur Aphoriſmus ad Prognoſim pertinere, qua præmuniri poſſit medicus, ne ſuo ſine fruſtratus infamia notetur, ſimulque præſagire ſciat a juvantibus & lædentibus, futurum ex mala naturalium viſcerum conſtitutione morbum ejusque eventum.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem ſimplex & Individibilis eſt. Inquit enim, quibus tormina contingunt & circa Umbilicum dolores, ſeu anxietates ac moleſtiæ, una cum doloribus Lumborum, unde medicamentis ſubducentibus, vel aliter ſolventibus, videntur tractandi, ſi his non proficiant, futurum, ut ſiccum hydropem incidunt. Tria ergo hic commemoravit ſimul Hippocrates *Tormina circa umbilicum labores*, & *lumborum dolorem* ut nimirum his univerſam fere Regionem naturalem ſeu infimam comprehenderet. Tormina pertinent ad inteſtina, circa umbilicum labores ad meſenterium, omentum & peritonæum: Lumborum dolores denique complectuntur utrumque hypochondrium, jecur, lienem, pancreas, cum adjunctis partibus, & glandulis lumbaribus, & ubi potiſſimum peritonæum adnectitur. Quoties ergo ejusmodi partes afficiantur, ac dolent, nec tam facile medicamentis conſaneſcunt, plane denuntiant cauſam omnino rebellem & contumacem, quæ ob reconditos anfractus, neque facilem inveniat aditum, ſed potius exagitata, atque excuſſa ſolvatur in flatus, qui deinde diſtendendo, & inflando, ventrem tumefaciant, & hydropem ſiccum inducant.

Equidem Tormina fiunt a re quapiam tenacius hærente, & ſenſim in halitus evaporante, ideoque extendente & contorquente plerumque cavitates corporis ampliores, quales potiſſimum ſunt inteſtinorum, quæ diſtenta, utpote ſenſu prædita acriori cruciatus ſubeunt acerbiſſimos. Neque ſolum moleſtantur inteſtina ab his quæ internis illorum cavum occupant, ſed ab iis etiam, quæ per meſenterium, ejusque ductus, illuc confluunt, atque gravando, irritando, vel inæqualiter afficiendo, non leviter divexant & excruciant. Debent autem iſta, ejus eſſe conditionis, ut acidum auſterum redoleant; ita enim & concreſcentem ſubſtantiam in humoribus pariunt, & tormina atque lancinantes dolores inferunt. quamobrem veteribus, cauſa horum cruciatuum, *pituita vitrea* dicta eſt, & recentioribus *ſuccus Pancreaticus* acidior redditus, & in debile commixtus glutinoſiori chylo, & oleoſiori ſelleo humori. qui propterea plicis & cellulis inte-

inteſtinorum hærentes, & craſſitie difficulter removeantur, & auſte ra aciditate vellicent, compungant, & moleſte nimis contorqueant, univerſam abdominis Regionem. Ex cauſis omnino iisdem contingunt, circa *umbilicum labores*, ſive ut Heurnius vertit Cruciatus: nam quæ interius inteſtinorum involucra infeſtant, circa umbilicum eſſe videntur, ubi potiſſimum inteſtinum ileon, omnium longiſſimum, & maxime anfractibus flexuoſum reſidet, & ubi diutius fæces immorantur, & innumeris hiant oſculis, vaſa chylifera ſeu lactea, & venæ meſeraicæ dictæ.

Ad *lumborum vero dolorem* referuntur mala quæcunque pertinentia ad glandulas lumbares, centrum meſenterii, Pancreas, utriusque hypochondrii latera atque his adjacentia viſcera, quorum affectiones hoc loco Hippocrates ſub generaliori nomine doloris complexus eſt. Sunt enim partes iſtæ, ſenſu non modico præditæ, ob innumeras nervorum propagines, tum à vago pari, tum à vertebris lumbaribus & oſſis ſacri dependentes. Dolent autem ab humoribus ibidem congeſtis, & acidam, acrem & muriaticam conditionem nactis, unde innumera propemodum mala exoriuntur, ut primus omnium ſuſpicatus eſt Fernelius, inoxque per Anatomen reliqui poſt ipſum detexerunt.

Cum itaque hæc alicui accidunt, atque ab uſu purgantium non deſinunt, quæ cæteroqui per evacuationem peccantium humorum delinere deberent, vel ſaltem infringi, ac ſedari, ope aliorum medicamentorum diureſim vel diaphoreſim moventium, *ſiccus hydrops* facillime ſuccedet: Inde etiam arguitur, mala partium dyſcraſia & vitioſorum ſuccorum repugnantia, quæ prædictis medicamentorum generibus non cedit. Sed & quamvis genita ac cumulata ibidem excrementa, vi medicamentorum repurgentur, non tamen fieri poteſt, ut omnino evellantur, ob humorum craſſitiem, viarum anguſtiam, glandularum ineptitudinem, & partium affectarum imbecillitatem, cum neque medicamenta facilem habeant ad eas acceſſum, ſine multa & valida commotione & violentia. Quod vero *ſiccus hydrops* græce Tympanites, inde potius oriatur, cauſa eſt humorum craſſities & acor, unde multi & tenaces halitus, atqui morbus hic a materia craſſa & concreta, & flatibus permixta dependet, à qua etiam ventris Tormina, circa umbilicum labores & lumborum dolores dependent

& ori inturitante diximus. Sed tamen non ſolum hydrops ſiccus, verum etiam congeneres alii morbi contingere poſſunt, quales ſunt colici dolores, hypochondriacæ affectiones, hyſtericæ paſſiones, Iſchiades. Meminit autem potiſſimum Hippocrates *ſicci hydropis*, tamquam morbi patentioris, qui ſcilicet viſu, & tactu percipitur eo enim imus venter, non ſolum ingenter intumeſcit, ſed percuſſus talem ſonitum edit, qualem Tympana, ut loquitur Galenus *in comment.* ad differentiam humidi hydropis, qui *aſcites* ab utris ſimilitudine dicitur, in eo enim materia, in ventre collecta, non eſt flatuoſus aer, ſed humor aquoſus.

Dices 1. Plures colica diuturna laborantes, nulli remedio cedens tamen in Tympanitidem non inciderunt, ſed in contracturam & Paralyſim ergo non ſubſiſtit Aphoriſmus. ℞. Tales colicas fuiſſe humidas non ſiccas de quibus intelligendus Aphoriſmus.

Dices 2. Sicut ſanguinis fluxum ſequitur Aſcites, ita fluxum alui ſequitur Tympanitis, ſed in utroque caſu tollitur humiditas, ergo in utroque fieri debet Tympanitis ℞. Per ſanguinis fluxum, non immediate tolli humiditatem inteſtinorum, ſicut fit in alui fluxu.

Dices 3. Aſcites & Tympanitis differunt tantum ſecundum magis & minus, ergo uterque fiet à ſiccitate, cum tamen Aſcites ſit ab humore aquoſo, Tympanitis à flatu ℞. Licet Aſcites fiat ab humore aquoſo, tamen cum tempore etiam adeſt ſiccitas, & ſicci flatus, ſicut pariter in Tympanitide aqua ex retentione urinarum ob vaſorum compreſſionem.

Inſtabis Tympanitis juxta plures ſæpe fit à calore, Aſcites à frigore ergo non tantum differunt ſecundum magis & minus. ℞. Licet Galenus *Lib. de locis affectis* videatur aſſerere, hydropem fieri à calore, tamen id alibi negat. Putaverim autem Galenum in loco citato intelligendum eſſe de cauſa remota v. g. prava aliqua febre ardente, & diuturna alio autem loco, de cauſa proxima intelligi debet, nempe ubi putat fieri a frigore.

Vrgebis Tympanitis calore ſicco ſemper abundat, quod patet ex intenſo urinarum rubore, ex hectica, conſummata, ergo Tympanitis etiam fit à calore ut cauſa conjuncta. ℞. Etſi Tympanitis calore ſicco ſemper abundet adeſt tamen quædam aſcititia humiditas, à reſolutione caloris orta.

Apho-

Aphoriſmus XII.

Quorum alui Lævitate inteſtinorum laborant, eos hyeme ſupra purgare malum.

Contentum ſeu Intentio.

De Purgatione Lientericorum.

Connexio In ſuperioribus Aphoriſmis Hippocrates, ad Tempus comparavit habitum & temperamentum ſeu Craſim corporis, & potiſſimam eſſe dixit indicationem, quæ à tempore ſumebatur. In hoc præſente Aphoriſmo, ad idem tempus comparat morbum, & ſimul indicationem, quæ de purgationis loco ex eodem ſumitur: hic Aphoriſmus duas habet partes In *prima* dicit, lientericos hyeme per ſuperiora non eſſe purgandos In *ſecunda*, docet, indicationem quæ à tempore ſumitur, ſuperare eam quæ à morbo.

Plures hic Aphoriſmus patitur difficultates, ſi vulgati commentatione exponatur. Et quidem 1. Cum Hippocrates antea generaliter vituperaverit, uſum purgantium per ſuperiora hyeme, non erat cur nunc, id ipſum repeteret, in lævitate inteſtinorum, quæ multo magis vomitum recuſat, cum ex mala coctione ciborum oriatur. 2. Non videtur conſentaneum rationi, Lævitate inteſtinorum laborantes, debere unquam vomitoriis tractari, cum lævitas Inteſtinorum, græce *Lienteria* definiatur a Galeno tum hic tum *Comment. 1. Lib. 6. Velox exitus eorum, quæ comeduntur & bibuntur, quaque talia dejiciuntur, qualia ſunt devorata.* Vel brevius. *Defectio coctionis:* Quando ergo coctionis defectus accidit ex languore ventriculi, & caloris naturalis concoquentis, ex ejuſdem Galeni doctrina; Unde igitur deſumi poterit indicatio, promovendi vomitum in ejuſmodi morbo, qui potius roborantia expoſtulat. 3 Excluditur in Textu, uſus purgantium nimirum per ſuperiora; videtur ergo, tacite is admitti per inferiora, ut clare deducitur ex præcedentibus Aphoriſmis, in quibus alter ſemper ex duobus admittitur, & alteruter tantum vituperatur; quis autem unquam commendaverit purgantia dejectoria in languore ventriculi? 4. Pugnare videtur præſens Aphoriſmus cum Aphoriſm. 15. Sect 6.

Google

Ubi *longo alui profluvio laboranti, ſpontaneus vomitus ſuperveniens ſalutaris* dicitur: certe ſi ſpontaneus vomitus prodeſt, poterit quoque prodeſſe ex arte factus, nam Medicus naturæ imitator eſſe debet.

Verum hæc omnia ſolutu difficillima profecto forent, ſi lienteriæ incommoda, à languido ventriculi calore deducere niteremur, & ut antiquioribus eſt creditum, à vitio concoctricis, retentricis, & expultricis Facultatis, nam cum in lienteria cibi incocti ſtatim egerantur, eo fere modo, quo ſunt aſſumpti, ad imbecillitatem concoquentis Facultatis, illos conficere, & in chylum permutare nequeuntis, cauſam ejuſcemodi ſubitæ egeſtionis veterum plerique retulerunt. Alii ad defectum etiam retentricis, unde debitum tempus concoctrice denegaretur. Alii ad irritatam ſimul expultricem, quæ ante tempus ſollicitata, cogeretur cibos præ propera propulſione ad alvum deturbare.

Quocunque autem modo, ciborum hæc cita dejectio explicetur ſemper eædem occurrent difficultates. At vero ſi perpendantur, quæ ab eodem Hippocrate, de lævitate inteſtinorum dicta ſunt, certe faciliorem & veriſimiliorem hujus morbi cauſam inveniemus, atque propoſitarum difficultatum ſolutiones. Is enim *6. Aphoriſm. 1.* inquit. *In longis lævitatibus inteſtinorum, ſi ructus acidus ſuperveniat, qui prius non erat, ſignum bonum.* Quoniam ut ſubdit *in Comment.* Galenus, *ſignificant ructus acidi, tantiſper cibum in ventriculo retineri, donec principium mutationis accipiat, & naturam ſuorum operum reminiſſe.* Siquidem jam ſatis ex anatomia compertum eſt ciborum diſſolutionem, ſeu coctionem in ventriculo, ope quorundam ſuccorum acidoacrium fieri, quin & diſtributionem eorundem, jam diſſolutorum contingere in inteſtinis tenuibus, per mixturam confluentium ſuccorum, fellei ſcilicet & pancreatici. Quoties itaque ſucci iſti hebetes ſunt, vel mucore retuſi, præpediti, vel aliter depravati, nulla vel mala fit ciborum confectio, diſſolutio, diſtributio & ſecretio, ſed gravamine inteſtinis illato ſponte ſua illi feruntur in alvum & egeruntur.

Neque vero improbabile omnino eſt, quod ex veterum medicorum ſententia refert Galenus *ibidem*, fieri ejusmodi morbum, propter intrinſecæ inteſtinorum ſuperficiei lævitatem. Etenim ex anatome conſtat, internam inteſtinorum Tunicam, rugoſam, & villoſam eſſe, innumeris glandulis miliaribus refertam, in quas hiant oſcilla, vena-

rum

rum lactearum, quæ tranſeuntem chylum, à ſuis fæcibus ſecretum exugant, deducendum deinde, per proprios ductus, in commune Pecqueti receptaculum.

Si igitur contingat, villoſam hanc inteſtinorum cruſtam, à re quapiam erodente abradi & complanari, ut deinceps nequeant lactea vaſa præterfluentem chylum exugere, proculdubio, ſponte ſua, tota maſſa chyloſa, vel etiam non confecti cibi ad alvum delabentur, & evacuationem promovebunt lientericam. Idipſum quoque accidet, à laxitate fibrarum inteſtinalium, & cum a vitiatis, felleo & Pancreatico liquore, mala fit alibilis portionis diſſolutio, atque a fæcibus ſecretio, ut patet ex praxi.

His itaque ſic conſtitutis & expoſitis, facili nunc negotio Hippocratis mens in præſenti Aphoriſmo dilucidabitur. eo enim 1. inſinuare videtur lævitatem inteſtinorum ſaltem aliquando oriri vitio alicujus humoris, ut etiam videtur annotaſſe Galenus *in Comment. in Aph 1. Sect 6.* qui propterea evacuatione egeat, ſicuti ſuperioribus Aphoriſmis de aliis meminerat. 2. Vomitum non omnino in hoc morbo prohiberi, ſi præſertim ille æſtate contingat, ex humoribus ventriculum occupantibus, cum in hoc textu dicat, Hyberno tempore non licere per ſuperiora purgari. unde in aliis temporibus, & præſertim æſtate, forte aliquando licebit, alias indefinite dixiſſet, in lævitatibus inteſtinorum nunquam per ſuperiora purgandum. 3 Quod hyberno tempore malum ſit lientericos, per ſuperiora purgare tum quia per id tempus vomitus non ſolet eſſet facilis, ob craſſitiem & gravitatem humorum, ſuo pondere naturali ad inferiora inclinantium tum quia, hyeme coctio quæ in ventriculo peragitur, melior eſſe conſuevit diſtributione, quæ fit in inteſtinis, ut mox ante oſtenſum eſt, quare ne vitioſi humores ibidem ſtagnantes, ad ventriculum per vomitum revocentur, propterea dixit, malum hyberno tempore per ſuperiora purgari: Accedit, quod ſi lientericus fluxus, ex glandulis inteſtinorum, mucoſis ſuccis obſitis, & veluti incruſtatis oriatur, certe illi per inferiora & non per ſuperiora purgandi erunt, quod & plerique famoſi practici obſervant 4. Difficultati ex *Aph 15 Sect. 6.* propoſitæ facile ſatis fiet, ſi dicamus, locutum ibi Hippocratem, non de lienteria proprie dicta ſed de diarrhæa, quæ inter ſe multum differunt. Sed & ibi de vomitu ſpontaneo diarhϾ contingenti, hic vero,

de

de purgationibus arte promotis ſermo eſt. Atqui non ſemper licet, quocunque morbi tempore, id ipſum agere, quod aliquando ſolet, ſpecialis & provida morborum rectrix & medicatrix natura ſponte ſua operari: ſic per hæmorrhagias narium, per ſuppurationes ex auribus, per Parotidas, per umbilici relaxationem, morbos ſæpe numero & cauſas morboſas abſtulit, per quas vias, minime Medico expediret: Et quis unquam naturæ ſolertiam poterit imitari, quæ ſibi mille parat vias, ut ſe ipſam à morbis vindicet, quemadmodum Galenus animadvertit.

Dices 1. Lienteria etiam poteſt fieri à bile, ut facta & obſervata eſt, ergo ſaltem tunc per vomitum curari debet. ℞. Etſi Lienteria à quovis humore fieri poſſit, tamen in hyeme potiſſimum fit à craſſis viſcidis & pituitoſis, & de his loquitur Aphoriſmus.

Dices 2. Hippocrates ait, quod diuturne inteſtinorum lævitatibus, superveniens vomitus ſit proficuus ergo ſi a natura bene & utiliter fit, etiam ante fieri poteſt. ℞. Extra hyemem tranſeat, in hyeme nego. Conſequentia in textu eſt ventilata nempe artem non ea poſſe, quæ natura poteſt.

Dices 3. Revulſiones ad partem contrariam, ſi hæc non ſit nobilis, ſunt ſemper bonæ, ergo affectis in lienteria inteſtinis, conferet vomitus. ℞. In Lienteria ſtomachum primario. Inteſtina autem tantum ſecundario eſſe affecta. Ergo ſi fiat eductio humorum per ſtomachum, non erit revulſio, ſed potius tractio ad partem affectam, & afflictæ addetur afflictio.

Aphoriſmus XIII.

Qui ad Helleborum, non facile ſupra purgantur, eorum corpora, ante potionem copioſiore alimento, & quiete præhumectanda.

Contentum ſeu Intentio.

De Præparationibus Emeticorum.

Connexio. Cum in præcedenti Aphoriſmo, Regulam circa vomitum à tempore & morbo deſumptam tradidiſſet; In hoc de præparatio-

patatione ad vomitum verba facit. nimirum, quod ſi ex ſuppoſito corpus ſit purgandum per Elleborum, quid faciendum iis, qui difficulter ſurſum moventur, ſcilicet eorum corpora præparanda eſſe humectantibus, potu nempe cibo & quiete &c. Verbo vult dicere corpora ad vomendum difficilia, non eſſe ad uſum Hellebori ducenda, priusquam fuerint humectata.

Hic Aphoriſmus ſimplex eſt & diviſionem non patitur.

Helleborus ſeu *Veratrum* in officinis, duplex ſemper eſt habitus, *albus* unus, alter *niger* albus ad vomitum, niger potius ad dejectiones efficax. De albo autem, hic mentio facta videtur, cum de evacuatione per vomitum, ſermo ſit, & uſu is foret frequentiore apud veteres, quibus familiariſſimæ quoque erant vomitiones, vnde Plinius *Lib 25 Cap 5.* illud quondam terribile, poſtea tam promiſcuum evaſiſſe ſcribit, ut plerique ſtudiorum gratia, ad exploranda acrius quæ commentabantur, ſæpius in uſum traxerint. Sed & tutiſſime ſumi in Anticyra Inſula, quoniam Seſamoides ſeu Seſamum veterum vulgo Flachs-Dotter / admiſcent. In ejus autem uſu, cautionem ſane digniſſimam proponit, hoc Aphoriſmo Hippocrates, ne mala inde ſequantur, quorum alias ipſemet meminerit, cum importunus & immoderatus eſt,

Primum conſiderat, num corpora difficulter, per ſuperiora purgentur, an vero facilem ſubeant vomitionem. Si facile ad vomendum deducantur, non erit ut ad Ellebori uſum deſiniendum ſit, cum levi quocunq; vomitorio ventriculus poſſit exonerari. Solum ergo veratri uſum, admittendum conſulit, in difficulter vomentibus, quorum ventriculus, actiori eget ſtimulo, quam ut à quocunque alio blandiori medicamento levius protritetur, ad difficilem vomitionem promovendam. Difficilis autem vomitus contingit, vel à ſtructura ventriculi, ſe potius per fibras ad inferiora, quam ad ſuperiora corrugantis, vel à craſſiori tunica, qua interius ipſe veſtitur; vel à glutinoſis & craſſis ſuccis internam illius partem oblinentibus, vel ab ejusdem ventriculi fundo diſtantiori, ut non tam facile per vomitum ſubverſus, ſe poſſit per œſophagum exonerari, renitente quodammodo per anguſtiam, atque ſtomachum comprimente diaphragmate, ut in arctis pectore ſæpe evenit. Quocunque autem modo, vomendi diffi-

difficultas accidat, ſemper opus eſt valentiori vomitorio, quo ſcilicet, irritatio ſenſibilior, & moleſtior excitetur, ad invertendum ventriculi, & inteſtinorum motum periſtalticum, cum vomitus motus ſit ventriculi inverſus conantis expellere ea, quæ illius cavum occupant. Cum igitur vomitus, non facile ſuccedit his, qui ex allatis cauſis, non omni leviori vomitorio, per ſuperiora, purgari poſſunt, monet Hippocrates, ad veratrum eſſe confugiendum: veruntamen, pleniori cibo, & longiori quiete eſſe magnopere præhumectandos ægros. Siquidem elleborus tenuium eſt partium, & inter pharmaca, nimia acredine, & ingenti mordacitate pollet, unde, ne ventriculo vehementi noceat irritatione, atque inflammationem inducat, expediet illum præmunire, humectantibus alimentis, ſecus ab utraque ſequi facile poſſet convulſio, quam ex Elleboro lethalem, idem Hippocrates pronuntiavit, Aph. 1. Humectabitur autem convenienter ventriculus, juſculis potiſſimum & alimentis pinguibus: quin & conſueverunt plerique, ante ejuſcemodi vomitoriorum exhibitionem, cibum ad ſaturitatem uſque, & ex rebus, præſertim oleoſis & pinguibus imperare, ut melius craſſi & tenaces ſucci, cibo commixti, una ſimul evomantur, & medicamentum vomitum inducens, quodammodo cibo retuſum, nequeat ventriculum vehementius lædere & exagitare.

Quod ſane non tantum in Hellebori uſu, ſed in cujuſvis alterius efficacis & violenti vomitorii intelligendum. Etenim Hippocrates, eo ſolum hic uſus eſt loco exempli.

Eadem de cauſa, quietem ſervandam docet, antequam veratrum ſumatur, eamque non ſolum corporis ſed & animi. Confert enim utraque quies, non tantum ad humefaciendum, verum etiam ad vitale robur ſervandum, quod bene valere neceſſum eſt, ad ſufferendam vomitionem. Equidem corporis & animi motus, plurimum extenuant, & vires debilitant.

Verum, cum Ellebori uſus, veluti periculoſiſſimus (tametſi multifariam illum corrigere & præparare veteres conati ſint, *ut apud Dioſcoridem Lib. 4. Ætium Lib. 3. Cap. 124. Æginetam Lib. 7. Cap. 21. & Galenum Lib. quos, quibus & quando & 3. de fractur.*) noſtris tamen temporibus exolevit, alia & quidem tutiora vomitoria excogitata ſunt, in quibus tanta cautio, quanta in Elleboro expoſtulatur, non vide-

videtur neceſſaria. Verum tamen non temere, & inconſiderate, quæcunque vomitum movent, uſurpanda ſunt, cum aliquibus ſatis ſint, quæ ex vegetabilibus conficiuntur, aliis vero etiam, quæ ex mineralibus ſunt parata quo pacto hic Hippocrates, non omnibus vult Elleborum eſſe exhibendum, ſed ſolum iis qui difficulter evomunt, unde pro varia evacuandorum humorum conditione, vomitoria iſta variare licebit.

Dices 1. Juvenes ſunt calidi & ſicci, ergo elleborus non convenit ℞. Niſi prius humectentur concedo alias nego.

Dices 2. Hippocrates Elleborum febricitantibus exhibet, cum tamen ſit acris & calidæ ſubſtantiæ, & febrem magis accendit, ergo non eſt exhibendus: ℞. Hippocratem non dediſſe Elleborum, fortiter febricitantibus, ſed tantum febribus à craſſis & viſcoſis ſuccis atque ſtomachalibus laborantibus. Præterea in mania, inſania &c.

Quæres Quænam ſit præparatio & doſis Ellebori? ℞. 1. Varia à variis, ejus inſtituitur præparatio, alii cum pomo cydonio miſcent & ſub cineribus coquunt, alii cum raphano alii involvunt paſtæ & coquunt in ſpiritu vini, donec conſumptus ſit ſpiritus: alii macerent per plures dies in aceto, alii aliter id præſtant. ℞. 2. Sunt qui radicem ad ℈j dant, & ultra, ſed revera cum periculo; nos non transgredimur ℈j aut ℈ß in pulvere, in infuſione a ʒj ad ʒii cum corrigentibus aromaticis.

Aphoriſmus XIV.

Poto Elleboro, corpus movendum potius, quam ſomno tradendum aut quieti: nam vel navigatio indicat, motione turbari corpora.

Contentum ſeu Intentio.

De promoventibus vomitoriorum operationem.

Connexio: Cum in præcedenti Aphoriſmo Hippocrates de præparatione, quæ ante potionem Ellebori, fieri debet, egiſſet:

In hoc præſenti vero agit de modo, quomodo ſeſe æger debeat gerere accepto Elleboro, ut facilem faciat purgationem. Hic Aphoriſmus duas habet partes: in *prima* concludit, quod poto Elleboro corpus potius movendum ſit, quam ſomno tradendum aut quieti: In *ſecunda*, reddit cauſam & rationem, quod nimirum non ſolum in vomitu, ſed in omni alia purgatione, motus acceleret operationem medicamenti, quies vero impediat.

Poſtquam ergo corpora ad Ellebori ſumptionem ſunt diſpoſita, ut facilem ex illo nanciſcantur evacuationem, conſulit Hippocrates ad motiones eſſe ducenda, ſumpto exemplo, à navigatione, perquam conſtat, illa turbari & promptius evomere, juxta illud: qui vult vomitare, eat ad mare: vel juxta Hippocratem: *Si medicinam ducere velis, corpus moveto.*

Doctiſſime autem advertit Cardanus, hunc Aphoriſmum ſcriptum fuiſſe, ad commodam, facilem, celerem, & minus moleſtam ab Elleboro evacuationem. Sequentem vero Aphoriſmum, adjectum eſſe, ad illam augendam vel cohibendam, ſi fortaſſe vel diminuta, vel excedens videatur: qua ratione vindicatur Hippocrates, à calumniis Galeni, *in Comment.* dicentis. *Liquet, quod hic ſermo eandem vim habeat, cum priore.* quaſi vero Hippocrates, bis de eadem re verba fecerit.

Confert itaque motus, evacuationi promovendæ. tum quia humores attenuat, & fluxiles reddit: tum quia ductus corporis dilatat: tum etiam, quia calorem ſuſcitat, & medicamenti aſſumpti operationem ſollicitat: Contra vero quies & ſomnus impedit & cohibet: quamobrem experimur ſiſti ſomno, omnes, cujusvis generis evacuationes, uno ſolum excepto ſudore.

Non tamen motus adeo vehemens & immoderatus eſſe debet, ut corpus delaſſet, vires enervet, & ad cutim commotos humores deducat. Hoc enim pacto, retardaretur potius evacuatio quæ ex aſſumpto vomitorio deſideratur: quin imo duceretur vis venefica epoti Ellebori, in partes corporis penitiores, non ſine gravi noxa totius.

Sed & nec quicunque motus, ad vomitum promovendum requiritur, ſed qui corpora turbare valeat, & nauſeam movere, cujusmodi eſt navigatio, per quam inæqualiter illa exagitantur. Unde exiſtimavit Argenterius, conducibiles ſolum, in id eſſe navigationem, equitationem, & ambulationem per circulum. Sed

Sed an ſtatim ab aſſumpto Elleboro, & alio vomitorio medicamento movendum ſit corpus? Ego puto, eo usque quieſcere oportere, quousque medicamentum fuerit in ventriculo diſſolutum, ſive ut practici loquuntur, à potentia deductum in actum. Cum vero ventriculum vellicare, & nauſeam movere cœperit, turbatione commovere neceſſum erit, quod & plerique facere conſueverunt, ſola linguæ & ſummitatis æſophagi vellicatione. Verum in hac re plurimum tribuendum prudentiæ & ſagacitati aſſidentium, ne diutius, crebrius aut impenſius, quam par ſit, ventriculus proritatione ſubvertatur, & mala ſuboriantur, non raro immedicabilia. Idem quoque ſervandum erit, in uſu purgantium & ſubducentium medicamentorum, in quibus pro quiete ſomnus, & pro motu vigilia (ſi forte illum corpus ferre nequeat) commendabiles erunt, prout medicamentum diu aut exacte expoſtulaverit.

Dices Si ab aſſumpto medicamento corpus moveatur, illud mox rejicietur ante operationem, ergo non eſt movendum. ℞. Ut diximus ſi ſtatim moveatur concedo, ſi poſtea, poſtquam in actum reductum nego.

Quares Cur ambulatio ante cibum ventrem ſtringat, poſt cibum laxet? ℞. Hoc fit quia per motum ante cibum alvus ſiccatur, poſt cibum humectatur, quia alimenta humida eo feruntur: juxta ſcholam Salernitanam *poſt paſtum ſtabis aut paſſus mille meabis*: Ante cibum autem, motu corpus magis exſiccatur.

Aphoriſmus XV.

Cum Elleborum magis ducere voles, move corpus: cum vero ſiſtere, ſomnum concilia, nec move.

Contentum ſeu Intentio.

De promoventibus & ſiſtentibus purgantia.

C*onnexio*. Cum in antecedenti Aphoriſmo docuiſſet motum & vigiliam facilem reddere evacuationem; quietem vero & ſomnum eandem retardare & ſiſtere: In hoc præſente Aphoriſmo eandem doctrinam dilucidat, quid nempe faciendum ſit cum operationem medicamenti ſiſtere, aut augere intendimus.

Hic Aphoriſmus etiam duas habet partes: In *prima* docet augendam purgationem ſeu evacuationem per motum: In *ſecunda* vero ſiſtendam per ſomnum & quietem, ubi id requirit medendi ratio.

Quod ergo hoc Aphoriſmo doceat Hippocrates, modum, quo aſſumptum Elleborum, evacuationem copioſiorem eliciat, patet per adverbium illud: *Magis*, nam proculdubio vehementius & uberius purgabit Elleborus, ſi à motu ſe ipſi in inſinuaverit, & confluentes humores adhuc à ventriculo & inteſtinis remotiores eduxerit, potiſſimum ſi motus ejus ſit conditionis, ut præter attenuationem & amplificationem, agitet, turbet & nauſeam moveat, ut ante dictum eſt. Sicut autem motus confert ad copioſiorem evacuationem promovendam, ita ſomnus & quies, eandem, forte immoderatam ſiſtit & cohibet, quamobrem Hippocrates conſulit, hoc eodem Aphoriſmo, à motu abſtinendum, & ſomnum eſſe inducendum, ſi illam ſiſtere opus fuerit.

At quo pacto ſomnus inducatur, Hippocrates non explicat: Et quidem non tam facile eſt, in egeſtionibus, à purgante medicamento excitatis, quo ſcilicet venter aſſiduo ad ſeceſſus proritatur, ſomnum conciliare. Verum ad compeſcendas evacuationes, per alvum immoderatas, non raro cibus aſſumptus mire contulit. eo enim allecta natura, ab evacuatione deſtitit, & fibræ ventriculi ac inteſtinorum, plurimum eadem de cauſa delaſſatæ, contrahuntur, & confluxuros humores detinent, quin imo vis medicamenti, à portionibus cibi humidioribus, non leviter infringitur, ipſæque ſuccorum particulæ, jam antea diſſolutæ & attenuatæ, ſummopere craſſeſcunt & conſiſtunt. Attamen in vomitu, quia ventriculus graviter afficitur, & per plures horas, nauſea & ſubverſione tenetur, non eſt opportunum cibum aſſumere, is quippe ſubinde gravatus, magis & magis, ad vomendum ſollicitaretur, non ſine graviori noxa. Proderunt ea propter, quæ ſtomacho grata, reficere quidem poſſunt, ſed vi quadam opiata vomitum ſedant, qualia ſunt vinum, vini ſpiritus rectificatus, aqua cinamomi &c. Extra in ungendo & applicando unguenta olea, balſama: Theriaca extra & intro maxime recens adhibita, ita & methridarium, diaſcordium; Laudanum denique opiatum, in compeſcendo vomitu, & in cæteris evacuationibus cohibendis præcellere dicitur, cavendum tamen ne importune aut excedentre

dentedoſi adhibeatur, nam conſopitis omnino viribus, & ſtupefacto cerebro mors ſubſequeretur.

Dices Quies opponitur motui, & non ſomnus, ergo potius imperanda quies ad motum compeſcendum humorum quam ſomnus. *R.* Somnum adhuc magis contrariari motui, quam quietem, medice loquendo quia etſi homo quieſcat, non tamen ſemper ſiſtitur motus medicamenti, ſed ſi dormiat æger, citius quietatur, humorum & medicamenti motus.

Aphoriſmus XVI.

Elleborus periculoſus, carnes ſanas habentibus; Convulſionem enim inducit.

Contentum ſeu Intentio.
De Noxis Hellebori.

C*onnexio*: Cum de operatione & evacuatione, quæ per Helleborum fit, multa hactenus docuiſſet Hippocrates. in hoc præſenti Aphoriſmo, cautum reddit medicum periculi, quod non tantum in eo, ſed in omnibus medicamentis catharticis fortioribus obſervatur.

Hic Aphoriſmus duas habet partes: in *prima* docet exemplo Hellebori cavendum omne forte Pharmacum, ab his, qui ſanas habent carnes: In *ſecunda*, ut peculiariter, vitium & noxam, quæ in Helleboro eſt, gignendi convulſionem, manifeſtet, quod non niſi cum ſumma cautione & præmeditatione, tale Pharmacum ſit exhibendum. Quod ergo alias, Hippocrates, de quocunque purgante medicamento, in bene valentibus protulit, ſpeciatim in hoc Aphoriſmo de Helleboro adnotat, & quidem albo, quo nimirum vomitus concitatur, ut ex hactenus traditis clare deducitur.

Sed mirum videri poteſt, quod Elleborus, ſit unquam ſanis exhibendus, ut exinde convulſionis periculum timeatur, quis enim unquam ſanæ mentis Helleboro utetur, aut ſuo aut alieno conſilio cum bene valet? quamobrem videtur hic Aphoriſmus inutiliter adjectus,

quo

quo fortaſſe debeant bene valentes commonefieri, ne Helleborum aſſumant. Verum non dixit Hippocrates *bene valentibus*, ſed, *ſanas carnes habentibus* Elleborum eſſe periculoſum: nam poſſunt corpora, ſanas carnes habere, & aliquo morbo laborare, præſertim citra febrem, & abſque ullo ſanguinis vitio, ſed ſola quarundam partium affectione, uti eſt dolor Lumborum, genuum gravitas, Iſchiades, ardor ſtomachi &c. In his enim affectibus ſolebant veteres vomitoriis uti, imo ex quacunq; occaſione Elleborum ſumere: tam illis familiare & conſuetum erat vomere. Hos ergo conſulit Hippocrates ab Elleboro abſtinere ſi carnes ſanas habeant, additq; rationem, quia Elleborus convulſionem affert.

At quomodo ex Elleboro convulſio oriatur, dubitari non incongrue poteſt. Et quidem non ex vi purgante id evenire fatendum, ex eo potiſſimum, quod cætera cathartica medicamenta, etſi vehementiſſima, uti ſunt *colocinthis*, *Scammonium Elaterium* convulſionem non afferant. Videtur itaq; convulſionem afferre, Helleborus acredine potius ventriculo, & nervis infenſa, quemadmodum *Cantharides* ſpeciatim nocuæ ſunt veſicæ urinariæ, *colocinthis* & *Scammonium* inteſtinis, *apium* cerebro. Propter vomitum enim, quem violenter inducit, fibras ventriculi laceſſit, & nervos ejuſdem compungit, ac extorquet, unde fit, ut convulſionem, quæ paſſio nervorum eſt pariat. At vero magis afficit Lleborus habentes ſanas carnes, quoniam in his nervorum fibræ exquiſitioris ſenſus ſunt, atque adeo facilius acris & irritantis medicamenti vim, & moleſtiam percipiunt, quam minime perſentirent, ſi hebetioris ſenſus forent, aut multa pinguedine & craſſiorum ſuccorum copia infarcirentur. Qua etiam ratione fit, ventriculum lentis & viſcoſis humoribus, aut adipoſis cibis oblitum, acredinem Ellebori, minus perſentire, quam ſi omnino vacuus & bene valens ſit. Hinc experimur gravius affici eos, qui jejuni Arſenicum, auripigmentum, ſublimatum & alia ſimilia venena aſſumpſerunt, levius vel nullimode, qui à paſtu. Cujus rei, non ignari, circumforanei, Pharmacopolæ, arcanorum jactatores, ut rudem Plebeculam illudant, venena ſumunt, poſtquam ſe plurimum ingurgitaverint, & cibis potiſſimum oleoſis ac pinguibus, quibus interna ventriculi tunica, ad efficaciam veneni retundendam oblinatur.

Cæterum convulſio hic ab Hippocrate notata, non vera convulſio intelligenda eſt, ſed motus convulſivus: Si quidem

per

per convulſionem veram, nervi & muſculi ad ſua principia retrahuntur, & retracti perdurant, ut in Tetano, Opiſthomo & Emproſthomo at vero convulſio, quæ ex Elleboro contingit, refert potius inæquales, atque irregulares earundem partium commotiones ſpasmodicas, congruentiori nomine appellaris, quemadmodum in Epilepſia: quæ ſimilis ſæpe eſt ſtrangulationi, quia peculiare eſt Elleboro ſtrangulare. Sed quibus remediis ſuccurrendum iis ſit, qui ex uſu Ellebori aliusve ſimilis medicamenti, motus iſtiusmodi convulſivos patiuntur, non erit abs re, hic breviter memorare, idque lubentius, quoniam non ſunt hi iisdem omnino remediis tractandi, quæ uſui eſſe ſolent cæteris convulſionibus, aut motibus convulſivis, ab humore nervos occupante progenitis, in quibus purgantia, diſſolventia & calefacientia dicta à practicis commendentur: ſed potius humectantibus & obtundentibus acrimoniam ab Elleboro inductam: quare juſcula ex vegetabilibus, quæ nervis opitulentur, & ſtomacho grata ſint proderunt, quæ potiſſimum parantur ex Bardana, ſtæchade viſco quercino, floribus NymphEæ & violarum: Cydonium ipſum & ex eo parata fertur Ellebori magnum Antidotum, item Gelatina cornu cervi & muſice etiam conferre dicitur ſambucus atque ex eo facta remedia, Therica mithridatium recens. Exterius vero proderunt, quæcunque leniunt, & partes concitatas demulcere valent, unde oleum Hyperici, baccarum lauri, item radices Angelicæ in vino coctæ & in Cataplaſmatis formam applicatæ conferunt. Item Thermæ naturales & artificiales Balneationes ex anodynis, præſertim Chamomilla, meliloto Hyperico &c. reliqua ex praxi petenda.

Dices 1. Hippocrates 2. Aph. 36. ait *qui ſalubritate corporis ſunt præditi, ii, hauſto purgante medicamento, ſtatim deficiunt, & qui pravo utuntur victu* Item 2. Aph. 37. *qui integra ſunt corporis valetudine, medicationes ægre & moleſte ferunt*, atqui idem dicit hic Aphoriſmus ergo idem repetit. ℞. Quod ibidem dixit in genere, hic repetit in ſpecie de Elleboro, ergo idem repetit, nego conſequentiam.

Inſtabis Qui ſanas carnes habent, non indigent Elleboro, ergo

frustra

fruſtra poſitus eſt Aphoriſmus. ℞. Ideo hic ponitur, ut præcaveatur ipſius exhibitio in corporibus ſanis.

Quæres Cum Elleborus ſit periculoſus, an tamen tuta conſcientia poſſit adhiberi. ℞. Si debite ſit præparatus, cum cautione & circumſpectione poteſt adhiberi, non autem indiſcriminatim.

Aphoriſmus XVII.

Non febricitanti, cibi faſtidium, oris ventriculi morſus, vertigo tenebricoſa, & oris amaritudo, purgatione per ſuperiora opus eſſe ſignificant.

Contentum ſeu Intentio.
De Indicantibus vomitoriorum.

C*onnexio*: Cum in ſuperioribus docuiſſet, quibus vomitorium medicamentum, & in ſpecie ex Elleboro factum, dare vel vitare opportunum eſſet, addendo tempus, habitum & conſuetudinem: In præſenti Aphoriſmo adducit indicantia & ſymptomata quæ ſupernam purgationem ſeu vomitum pro ſui ablatione expetunt

Hic Aphoriſmus ſimplex eſt, nullamque patitur diviſionem. Recenſet itaque in hoc Aphoriſmo Hippocrates indicia quibus medici dignoſcere queant, quando nam per ſuperiora vitioſos humores expurgare cogantur, imitantes naturæ motum, ut idem Hippocrates alibi ſcripſerat, *quo natura* vergit eo ducere oportet.

Et quidem ad ſuperiora ferri indicabunt 1. *Ciborum faſtidium*, quo deſignatur ventriculus, inutilibus humoribus repletus, unde illius fibræ laxatæ nequeant corrugari, ſucci diſſolventes, digeſtioni addicti, præpediti, aut retuſi, famis ſenſum, non exacuant, & ejus ipſa ciborum concoctrix hebetetur & elanguent.

2. *Oris ventriculi morſus*, qui non niſi ab humoribus præter naturam ibidem congeſtis, acribus & bilioſis dictis, cauſatur, quibus nimirum ſtomachus vellicatur & compungitur, ea doloris ſpecie, græce *Cardiogmos* & *Cardialgia* appellatur.

3. *Vertigo* deſignans, iiſdem humoribus in ventriculo congeſtis

&

& collectis ſive per nervos, ſive per Arterias cerebrum affici & pravis halitibus, adeo tentari, ut ſubinde in ſuis operationibus turbetur & vertiginem incurrat, vel ſimplicem vel tenebricoſam dictam.

4. *Oris amaritudo* quæ à degeneratis pariter humoribus amarorem præſeferentibus exoritur unde œſophagus palatum & lingua, pari affectione, per conſentientes glandulas, & tunicas cum ſalivario rore depraventur.

Quamobrem cum hæc omnia manifeſtiſſime demonſtrent vitioſos humores, ventriculi cavum occupare, merito per ſuperiora, veluti per loca conferentia, illi erunt exturbandi; ſi enim ad inferas partes dejicerentur uſu purgantis dejectorii, non tam prompte & expedite evacuarentur, & proculdubio infici quodammodo quoque poſſent, qui in inteſtina confluunt ſucci: quin & catharticum ipſum, ab eorundem ſuccorum miſcela, depravatum & corruptum, graviorum moleſtiam afferet, atque ex diuturniori mora in inteſtinis, venæ lacteæ inquinarentur, & facile oriri poſſent tormina, diarrhææ, febres, atque alia non leviora, reliquorum viſcerum naturalium mala, ſpeciatim vero Renum & veſicæ, ob transmiſſionem alicujus portionis dejectorii medicamenti. Id enim cujuscunque generis illud fuerit, diureticum fieri ſolet, quemadmodum teſtantur urinæ, per id tempus coloratiores & multum turbatæ.

Hæc autem indicia ſimul juncta dixit indicare per ſuperiora purgationem, abſente tamen febre, nam ſi fortaſſe illa febri ſociarentur, certe non à præſentia humoris in ventriculo, quæ plane vomitum indicat, ſed ab ipſa febre oriri poſſent. Quamobrem, ſi humor ventriculi cavum occupans deſit, evacuatio minime indicabitur, quæ non niſi expoſtulata videtur ab humore ventriculum replente: at vero non raro à febre accidit cuncta hæc oriri quæ tamen purgationem non exigunt, imo & aliquando contraindicant, ut cum febris inflammationi & Phlogoſi copulatur.

Verum quamvis iſta ſigna, citra febrem corpus denuntient per ſuperiora purgandum, eo quod deſignent ventriculum malis humoribus repletum, non tamen ſi febris adſit, oportebit ſemper & abſolute à vomitoriis abſtinere, ſi ex iiſdem & aliis ſignis conjiciamus, humorem ventriculi cavum occupare, Etenim ſemper ac humores ventriculum infeſtant, vomitu ejiciendi ſunt; unde ſenſus Aphoriſmi 15.

 erit,

erit, ut ſi abſente febre, nauſea, morſus oris ventriculi, vertigo tenebricoſa, & oris amaritudo, quempiam affecerint, vomitus ſemper indicetur. Si vero hæc omnia à febre habeantur, citra humorem in ventriculo contentum ab illo abſtinendum, cum hæc eadem, à ſola febre dependere poſſint, at ſi præterea, etiam humoris præſentiam in ventriculo ſequantur, & non præciſe à febre oriantur, vomitus adhuc erit proculdubio indicatus, potiſſimum inter ejusdem initia. Dixi inter ejusdem initia, nam ſi forjaſſe hæc accidant, tempore declinantis febris, quia ſignificant criticam evacuationem per ſuperiora futuram, oportebit a vomitorio abſtinere, & naturæ motum criticum expectare, ex regula ab eodem Hippocrate tradita *Lib. 1. Aph. 20. quæ judicantur & judicata ſunt integre, neque movere neque novare aliquid, ſive medicamentis, ſive aliter irritando, ſed ſinere oportet*: de qua etiam re legendus Galenus *3. de criſibus*. Liceret autem ſi præmonitam evacuationem minime natura expleret, ut alibi diximus. Verum inter ea, quæ vomitum movent & cito ac tuto conferre ſolent, præſtant ex ſtybio ſeu antimonio præparata.

Quæres quid per Cardiogmos ſeu Cardialgiam intelligatur, cujus in textu facta eſt mentio. R. Per illam intelligi vellicationem quandam ſeu dolorem ſuperioris orificii ventriculi, quod ab antiquis cor nominabitur, quia eſt exquiſitiſſimi ſenſus, dicitur ejus dolor vulgo Hertzgeſpan/ præterea eſt vicinum atque nervis & arteriis cordi junctum, & ſic facile ſyncope comitatur, & cum cerebro pariter magnam mediantibus nervis habet Sympathiam unde vertigines, dolores, convulſiones &c.

Aphoriſmus XIIX.

Supra ſeptum tranſverſum, (vel ut alii ſupra præcordia) dolores, quicunque egenti purgatione, per ſuperna purgandum eſſe ſignificant; qui vero infra ſunt, per inferna.

Con-

Contentum ſeu Intentio.

De diſtinctis indicationibus Purgandi ἄνω ϰὶ ϰάτω.

Infra vel Supra.

CONnexio: Cum in prædenti Aphoriſmo indicationem ſumpſiſſet ad ſupernam purgationem ex ſymptomatibus ſeu productis morboſis, In hoc præſenti dolorem (utpote ſymptoma ſolenne & famoſum) aſſumens demonſtrat, quando ſupra & quando infra purgare conveniat.

Hic Aphoriſmus duas habet partes: In *Prima* concludit & dicit, quod dolores ſupra ſeptum transverſum (vel ut alii ſupra præcordia) qui purgationem poſtulant, vomitum indicare. In *ſecunda* dicit, qui verò dolores infra ſunt, per inferna purgationem faciendum denotare.

In doloribus itaque, ſive (ut Fuchſius & Heurnius exponunt) in moleſtiis, ſeu affectionibus, ſupra præcordia ſeu ſupra ſeptum transverſum, ſi purgatione egeant, vomitu potius agendum & utendum, quia breviori via & faciliori molimine, ſe natura exonerabit, imo humores ipſi evacuandi promptiores, & paratiores erunt ad exitum. Non tamen dixit in doloribus ſeu moleſtiis quibuscunque ſive *in doloribus ſimpliciter & abſolute*. Nam neque pleuritis, aut Peripnevmonia, neque angina vel alius dolor cum inflammatione, purgationem indicabit: ſed in doloribus, qui purgatione egent, quales ſcilicet à ventriculi orificio ſuperiori, ex pravis humoribus oriuntur. Sed neque defuerunt, nec hodiedum deſunt, qui etiam in affectibus Pectoris & Pulmonis, etiam cum inflammatione conjunctis, vomitum commendent, quemadmodum præ cæteris Rulandus, qui uſu ſuæ *Aquæ Benedictæ* ab ipſomet appellatæ, Pleuritidem, Peripnevmoniam, Empyema, & cæteros morbos Thoracis tuto ſe curaſſe teſtatur. Quamobrem hac ratione, ſenſus iſtius Aphoriſmi generaliſſimus foret aptandus, cuicunque morbo ſupra ſeptum transverſum. Quod ſi non ſupra ſeptum transverſum, ſed ſupra Præcordia

 dolo-

dolores ac moleſtiæ hic intelligantur, hic Aphoriſmus proculdubio clarior fiet, quippe *Præcordia* ſub nomine *Phrenos* græce nuncupata, comprehendunt etiam viſcera plurima ſub ſepto transverſo conſtituta, ut hepar ventriculum Lienem & alia adjacentia (ut patet ex anatomia) in quorum doloribus commodius purgare per ſuperiora tutius licebit, ob conſenſum, quem habent, cum eodem ventriculo, in cujus cavum ſe plerumque exonerant. Quemadmodum autem affectiones partium ſuperiorum, ob loci promptitudinem, indicant per ſuperiora purgandum: Ita e converſo, quæ inferiores partes moleſtant, exigunt purgationem per inferiora: difficillime enim humores in imo ventre conſiſtentes poſſent per vomitum expurgari, cum tamen promptiſſime, in inteſtina continentes ad alvum deponantur. Nec abs re dixit Hippocrates, *quæ infra ſunt ſeu ſubſiſtunt* id eſt ſtabiles & firmi ſunt; nam ſi fortaſſe vagi forent, hanc vel illam partem impetentes, non temere purgationem exquirerent, [illegible] non bene conſtaret, per quas vias eſſet educendum, quin & metuendum foret, ne a flatibus orti commoda adhuc purgatione deſinerent, quin potius exacerbarentur.

Neque vero rationi diſſentaneum putandum eſt, non tantum evacuationibus per cathartica tantum Hippocratem locutum, verum etiam de quibuſcunque aliis egeſtionibus ſupra vel infra promovendis, ut propterea ſenſus Aphoriſmi ſit, in doloribus ſupra ſeptum transverſum, & vomitione & Anacatharsi, prout alterutra opus fuerit, utendum eſſe; infra ſeptum transverſum vero & dejectione & diverſis, pro loci & humoris proclivitate: non minus enim una quam alia evacuatione, corpus affectum purgari poſſe experimur, quamvis hic de Catharſi proprie videatur locutus Hippocrates. cæterum obſervandus alibi traditus Hippocratis Aphoriſmus *quo natura vergit, eo ducere oportet per loca conferentia.*

Dices 1. Ventriculus eſt infra diaphragma ſeu ſeptum transverſum ergo ſemper erit purgandus per inferiora. ℞. Ventriculus eſt infra diaphragma ſecundum Pylorum ſeu inferius ejus orificium, ſecundum œſophagum ſeu orificium ſuperius nego.

Inſtabis In dolore capitis & oculorum purgamus per inferiora imo vomitus in his multum nocet, ergo non ſubſiſtit Aphoriſmus. ℞. ſi dolor capitis & oculorum eſt idiopathicus ſeu per eſſentiam con-

cedo

cedo non debere purgari per ſuperiora, ſi vero ſympathicus ſeu per conſenſum inferiorum partium nego.

Aphoriſmus XIX.

Qui medicamentis purgati non ſitiunt, ipſorum purgandi finis non ſit, donec ſitiverint.

Contentum ſeu Intentio.

De Purgantium pediſſequa ſiti.

C*onnexio*: Cum in præcedenti Aphoriſmo Hippocrates egiſſet de iis per quas fieri deberet evacuatio ſeu purgatio In hoc jam Aphoriſmo, ſignum completæ purgationis, a medicamento habitæ proponit, illudque dicitur eſſe *ſitis*, evacuationem ſubſequens, ut propterea eo usque purgationem eſſe producendam videatur aſſertum, quousque ſitis comparuerit.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem & ſimplicem concluſionem, diviſionem non patitur. Duplex tamen eſt ſenſus hujus Aphoriſmi *Primus*. quod qui dum purgantur, non ſitiunt, illis non ceſſet purgatio, donec ſitiant· *Secundus* vero, quod cum ſitiunt ſi non prius ſitierant, finis eſt purgationis.

Aſſert Galenus *in Comment.* quatuor cauſas, ſitis expurgante medicamento oritur. *1 Ratione ipſius ventriculi, qui ex caliditate vel ſiccitate, vel ambabus qualitatibus promte ad ſiccitatem perducatur. 2 Ratione medicamenti, cum acre fuerit, calidum & mordax· 3. Ratione humoris evacuati, qui plerumque bilis amara eſt. 4. Ratione superabundantis evacuationis, per quam roscida ſubſtantia educta, ſiccitas deinde ſubſequatur & ſitis,*

Quamvis autem hæc ut plurimum, ita ſe habeant, non tamen ſemper & ubique veritati conſonant, cum non raro expertum ſit, ingentem ſitim fuiſſe ſubortam, absque ulla vel modica evacuatione, atque ab uſu medicamenti leviter purgantis, quod ſedandæ ſiti

niti

uiui eſſe ſolet, quemadmodum fatentur de Pulpa Tamàrindorum, de caſia, de violis &c.

Contra vero ſitis nulla vel exigua ſubſecuta eſt à cathartico vehementiori; unde fallacem nimis conjecturam plerique exiſtimarunt ſuccedentem ex purgatione ſitim quin & de veritate iſtius Aphoriſmi magnopere ſunt veriti. Si præterea perpendantur, quæ à Galeno ſunt in ejus argumentum propoſita, plane alias & quidem graviores addere poterimus difficultates: Etenim ſi ex caliditate & ſiccitate ſitis oriretur, proculdubio, febre hectica laborantes, immenſum ſitirent, nullatenus vero Hydropici, neque vero etiam propter medicamentum cum acre fuerit, calidum & mordax, neque propter humorem evacuatum, & ſi bilioſus ſit, ſitis orietur, nam etiam levia & quæ benedicta vocantur purgantia medicamenta, ſitim ſæpiſſime excitant moleſtiſſimam, Et evacuato humore, præſertim bilioſo, febrem & ſitim inferente, utraque potius deſinere deberet.

Quod præterea idem Galenus ſcribit *1. de ſimpl. medic. facult.* Cap. 30. augeri ſitim, vel ob caloris copiam, vel ob humoris inopiam *ob caloris copiam* quidem ex febribus, aere æſtivo, cibis calefacientibus & exſiccantibus, purgantibus medicamentis, venenis erodentibus & id genus aliis. *ob humoris inopiam* vero, ex laboribus, vigiliis, ſudoribus, & ceteris evacuationibus immodicis, neque veritati cohæret; Siquidem Hydropicos intenſa & moleſta ſitis urget, quæ nec ab humoris inopia, neque a caloris copia dependet.

De Organo ſeu ſitis ſede, multi diſceptant: nam quamvis, in *Comment.* hujus Aphoriſmi & alibi putaverit Galenus eſſe *Ventriculum* alii tamen, non tantum ex recentioribus ſed ex vetuſtioribus Philoſophis & Medicis *pulmonem* exiſtimarunt. Cujus ſententiæ fuerunt Plato & Ariſtoteles. Unde ſicut Edaces dixerunt eos, qui latiorem ventrem a nativitate nacti ſunt ita Bibaces ex adverſo, qui ampliorem & longiorem thoracem Hippocrates etiam *libro de carnibus* id ipſum manifeſte docere videtur, aſſerens per laryngis rimam aliquid potulenti in Trachæam & pulmonis Bronchia delabi, ad illum irrorandum & humectandum cui conſentit pariter Galenus 8. de Plac. Hippoc. & Platonis Cap. 15. Hinc idem Hippocrates infra 4. Aph. 54. inquit:

Quibus

Quibus plurimum ſiccæ tuſſes, leviter irritantes in febribus ardentibus fiunt, non multum ſiti infeſtantur: quoniam ut ſubdit Gal. in comment. *madeſcunt loca, quæ ad aſperam pertinent arteriam & ideo minus ſiticuloſi fiunt.* Quamobrem ſæpe expertum, magis extingui ſitim uſu Gargariſmotum, quibus ſcilicet aſperæ arteriæ ductus humectatur, quam ſi liberalior potus ventriculum irroraret. Huc etiam facit, quod notavit pariter Hippocrates *in epidemiis* magnopere ad omnem ſitim prodeſſe os claudere & tacere, quandoquidem ex loquela, non ſolum ſalivarius ros extenuatur & deficit ſed etiam Thorax, Pulmo, & aſpera arteria plurimum defatigantur & exareſcunt, Si autem à ventriculo ſitis oriretur, haud quaquam proficeret ſilentium, eo loco ab Hippocrate recommendatum, cum vox & loquela ad Thoracem, Tracheam & Pulmonem pertineat, juxta illud. *Cor ſapit, pulmo loquitur, fel commovet Iram*

Splen ridere facit cogit amara jecur.

Atqui non raro a paſtu ſi diutius loquamur, vehementius ſitimus, etſi ventriculus uberiori potu jam inundet.

Ex his igitur & aliis, quæ conſulto omittimus, videntur plane rationes a Galeno pro expoſitione hujus Aphoriſmi ſupra adductæ, non minime enervati. Quamobrem ut ſenſum Hippocratis verius aſſequamur, & congruentius tueamur à vindictis, ſcire oportet, ſitim in animantibus, induci ex defectu ejus humoris, qui per ſua vaſa circumfluus irrorandis partibus addicitur, *latex & lympha* ab Anatomicis dicitur. Etenim in ſtatu naturali, pari circuitu, partes cunctas corporis petit, irrigat & humefacit, quo ſanguis in easdem illapſus, alit fovet & in vita tuetur. Hic idem aqueus humor, glandulas ſalivales pervadens, fauces, linguam & guttur irrorat, atque guſtui & locutioni peragendæ plurimum confert: oculos quoque oblinit: ſerum in Pericardio conſervat, & pro Pulmonibus aliqua ſui parte, in pectoris cavo colligitur; Imo univerſas glandulas corporis alluens, nec non articulos, membranas, Parenchymata, non ſolum nutricatui & incremento proficit, ſed etiam à plurimis morbis cuncta tutatur.

At vero ſicuti in ſtatu naturali, ſubſtantia, qualitate, quantitate convenienti, cum per ſuos ductus circuit, omnia hæc beneficia corpori elargitur; Ita in ſtatu præternaturali ſeu morboſo, ſi in his deficiat, mille propemodum incommoda parit. potiſſimum autem ſitim

 excitat,

excitat, ſi deſit, totoque fere corpore exhauriatur, ſudoribus, mictionibus, ſputo, lacrimis, aliiſque immodicis evacuationibus, ſive ſponte ſive arte promotis. Similiter ſi glutinoſior, ſalſior, acrior, acidior redditur, nequeat fauces, guttur & linguam convenienter irrigare, ut experimur in Catharris, in febribus, in ſubito timore, & aliquando etiam mox à paſtu. Si præterea alio confluat, quam ut decet, aut alicubi reſtagnans, extra proprios ductus feratur ut in hydrope & dipſaco ſeu diabete. Quare non mirum, ſi diverſimode ſitim ſe dari comperiamus, non tantum largo aquæ hauſtu, ſed & vino, ejuſque ſpiritu, aliquando ſpiritu vitrioli vel ſalis, & cæteris multum inter ſe diſparibus, quandoquidem non ab una eademque cauſa lymphæ vitium & ſitis exoritur.

Naturalis præterea ſitis in ventriculo quidem & in Faucibus excitatur ac perſentitur: at vero morboſa & quæ præter naturam evenit, etiam in Gutture, Trachea, & pulmonibus, unde ſæpe numero, accidit, ut ingenti ſiti crucientur ægri, etſi ventriculus multis humoribus, etiam aqueis ſit repletus, imo nonnunquam adhuc languidus & nauſea affectus. Sunt inſuper qui ſolis Gargariſmis, ab ejuſmodi ſitis moleſtia liberantur, & alii inſpirato duntaxat aere frigidiore: ſub quo ſenſu dixit Hippocrates, *Tuſſes leviter irritantes in febribus* ſitim ſedare & infringere.

Purgantia autem medicamenta, poſtquam diſſolutionem in ventriculo paſſa ſunt, ſuas operationes plerumque exerunt in inteſtinis tenuibus, ubi irritatione ſimul, ac fermentatione indebita, cum liquoribus, felleo & Pancreatico perperam inducta, eos primum humores diluunt, & extenuant, qui tunicis & glandulis, eorundem impacti, fæcum depoſitionem non raro etiam remorantur; Unde, prima alui exoneratio, tota ferme ſtercoraria eſſe ſolet. Mox ſi ejus ſunt efficacitatis, ut lacteas venas ſubeant, atque etiam cum ſanguine, ſecundum partes ſaltem tenuiores miſceantur ipſum fundunt, & Glandulas potiſſimum meſenterii laxant, & exturbant & extenuant, ideoque vaſa lymphatica illuc pertingentia, pari moleſtia cogunt lympham ubertim effundere & quandoque etiam ſanguine tinctam, ut in hypercatharſi contingit. Quoniam vero in Glandulis præſertim, ſolent vitioſi & inutiles humores hærere, cum ob ſpongioſam earundem ſubſtantiam facile ſuſcipiant, & difficulter deponant, quos

ſemel

ſemel humores exceperunt, id circo fit, ut nunquam à Catharticis congrua purgatio ſit ſucceſſura, niſi glandulæ malis humoribus ſint inanitæ, & ex præter labente lympha quodammodo deterſæ, ut inde univerſalis corporis purgatio, & veluti purificatio habeatur. Hinc modo ad expoſitionem, præſentis Aphoriſmi dicendum; Hippocratem hoc loco de ea purgatione habuiſſe ſermonem, quæ ex medicamentis vere purgantibus & catharticis univerſalibus dictis peragitur, neutiquam vero de laxantibus ſolum & lenitivis appellatis, quæ utrum antiquis cognita fuerint, alibi diſcuſſum eſt. Ea vero cum ſit addicta, purgandis non ſolum primis ductibus corporis, ſed etiam intimioribus ejusdem partibus atque à ventriculo remotiſſimis, plane in glandulas meſenterii & Pancreatis, imo in Arterias & Venas, vires ſuas diffundunt: quamobrem non tantum excrementa in iisdem primis ductibus ſtagnantia, ſed etiam penitiores alios humores, tum utiles tum alibiles, ſed degeneratos, exturbant & evacuant, & quoniam cum his, multum Lymphæ pariter educatur, emunctis fere glandulis univerſis, proinde ingens ſitis ad ejuſcemodi purgationem ſubſequitur, quam Hippocrates hoc loco, veluti ſignum completæ purgationis in toto corpore ſpecialiter conſideravit, ut proinde dixerit: qui in medicamentis, ſcilicet catharticis & univerſalibus purgati, id eſt, humoribus, ſive quantitate ſive qualitate peccantibus inaniti, non ſitiunt, non ceſſant purgari, priusquam humores ex glandulis & ex vaſis ſanguineis ac Lymphaticis, educti non fuerint; ut propterea ab horum evacuatione ſitire cogantur. Hinc ſitis ſubſequens à medicamento purgationem, non eſt generale indicium cujuscunque evacuationis à cathartico habitæ, ſed ejus duntaxat, quæ à vehementioribus inducitur, atque totius fere corporis eſt, cum Lymphæ & ſeri ſanguinis eductione. Quod ſi præterea Hypercatharſis ſubſequatur, proculdubio ſitis moleſtiſſima accidet, præter alia & graviora ſymptomata, immodicam & inconvenientem evacuationem comitantia de quibus Galenus *Comment. 36. & 37. 2. Lib. Aph. & alibi.* Quamquam autem videatur Hippocrates in hoc Aphoriſmo ex ſuperveniente ſiti, completam purgationem determinare, non tamen putandum, metam exinde præfigi, in quibusvis evacuationibus promovendis. ſitis enim ex medicamento purgante proveniens, deſignat ſolum maximam in humoribus & partibus ſo-

 lidis

lidis motionem, unde licet purgationi ſuperveniat non tamen illam ſiſtit, ſed attenuato & diſſoluto nimium ſanguine potius augere poteſt. Quare ſi fortaſſe purgati non eo devenerint, ut ſitiant, non idcirco ſunt ad ſitim ſubeundam, alio forte medicamento purgante cogendi, ne utiles humores diſſolvantur, ſanguis fundatur & Hypercatharſis ſubſequatur omnino perniciosa: quoniam ex eodem Hippocrate, evacuationes non ſunt multitudine æſtimandæ, ſed ſi talia dejiciantur, qualia conveniunt, & ægri facile tolerant, *1. Aph. 23.* Prætetquam quod infidele ſignum eſt, in purgationibus ſitire, cum interdum ſitiant à medicamento ægrotantes, nec tamen bene ſint purgati, & aliquando ſitiant, ex peculiari ventriculi conſtitutione, quandoque etiam à conditione medicamenti, ab æſtu aeris, à morbo, & aliis innumeris cauſis.

Notabile vero eſt, quod monet Cardanus hoc loco, multum conferre motum ad juvandam purgationem, cum catharticum ſitim non inducit, ne ſcilicet aut penitus non purget, aut parum & imperfecte, deducto argumento ex præcedenti *Aphoriſmo 15. cum volueris ducere Helleborum, move corpus.* Etenim aſſumpta medicamenta, quæ non purgant, plerumque nocua ſunt & mortifera, niſi ejiciantur, ut contigit adoleſcenti Eubæo *5. Epidem.* Verumenim vero pluries expertum in praxi, magnopere promoveri purgationes, Catharticorum epoto juſculo diluto, vel ſero lactis depurato imo in Italia uſitatum, epota aqua frigida, quin imo uſitatiſſimum eſt Medicis Romanis, largiſſimas aquæ gelidæ potiones commendare iis, qui catharticum aſſumpſerunt, ut ſubinde abundantius egerant, & absque ſiti, laxatis nimirum & humectatis ductibus, atque lubriciori aluo reddita, quæ non raro conſtipatur & contrahitur, à medicamento ſibras inteſtinorum exirritamento corrugante & convellente.

Dices Autopſia docet, quod homines optime purgati, minime ſitiant, ergo falſum eſt bonam purgationem ſequi ſitim 8. Non ſemper opus eſſe, ut diximus, ſitim ſequi: Nam ſicut in febribus ardentibus, nulla adeſt ſitis, In his enim & aliis caſibus adeſt aliud ſtomachum irrigans, humectans, ſitim impediens.

Apho-

Aphoriſmus XX.

Febribus expertibus, ſi tormina adſint, & genuum gravitas, & dolor lumborum, inferna purgatione opus eſſe ſignificant.

Contentum ſeu Intentio.
De Notis Purgationis per alvum.

C*onnexio*. Adeo cum decimo ſeptimo Aphoriſmo, præſens cohæret Aphoriſmus, ut revera pars illius eſſe videatur: Ibi enim tradidit Hippocrates, ſigna purgandorum humorum per ſuperiora. Hic nunc indicia profert, quibus internoſſe liceat; purgationem eſſe faciendam per inferiora. Et ſicut ibidem de non febricitantibus ſententiam protulit, Ita hic etiam febricitantes excipit, dicitque Tormina ſeu Cruciatus, circa umbilicum, gravitatem genuum & lumborum dolorem citra febrem, indicare purgationem per inferiora molliendam; Unde oportebat hunc Aphoriſmum anterius ſcribi, ut connexa oratione notarentur ſigna utriusque evacuationis per ſuperna & infera promovendæ.

Hic Aphoriſmus ſimplex eſt & diviſionem nullam patitur. Recenſet itaque Hippocrates in hoc Aphoriſmo tria ſigna demonſtrantia, purgationem faciendam per inferiora. Tormina nimirum ſeu Cruciatus circa umbilicum. Genuum gravitatem & lumborum dolorem, quæ ſane denuntiant humorem, inferna partes occupantem, ut etiam ſuperius oſtenſum eſt. At vero ſpeciatim hæc tria memoravit, non quod alia idipſum indicent, ſed quod per hæc neceſſario purgandum ſit, ne humores, in iiſdem partibus affectis firmati, graviora mala afferant, vel ſaltem irreſolubiles deinceps fiant, quamobrem non immerito adjectum eſt *opus eſſe*. Excipiuntur autem febricitantes quoniam in his ejusmodi ſigna, non ſemper indicant materiam humoralem, vel omnino purgatione educendam; ſiquidem non raro in febribus, decubitus humorum ad eas partes denuntiant criticas motiones, vel abſceſſus ad articulos,

Sſſ 3 unde

unde à purgante medicamento, eſſet abſtinendum, ne motus criticus naturæ impediretur, aut alio diſtraheretur, non ſine febrientis nocumento. Cæterum ſemper ac ejusmodi accidentia, ab humoribus contingunt, qui in inferiores partes tendant, purgatio non poterit non eſſe ſalutaris, cum & loci promptitudinem, & humoris gravis vergentiam, & facilem à purgante medicamento evacuationem illa denuntient.

Verum tamen animadvertere oportebit, an non fauſtus ac ſalutaris eventus ejuscemodi evacuationem ſubinde ſubſequatur. Quippe niſi ſtatim profecerit, verendum ne à majori commotione humorum, & tumultuaria viſcerum naturalium concuſſione, futurus ſit gravior affectus, in imo ventre, cujusmodi ſiccus hydrops ab Hippocrate *Aphoriſmo 11. hujus libri* præſagitur. Quare vitanda erunt ea, quæ in purgationibus nimium exagitant, & flatus excitant, ſed potius, in uſum ducenda ſunt, quæ gratiora viſceribus, ſine ulla perturbatione, vitioſos humores blande ſubducant, & amicabiliter alliciant.

Aliam rationem adhuc affert Galenus, cur febricitantes excipiat Hippocrates, ut nempe & Paroxiſmorum & Criſium habeatur ratio, in usque caveatur purgatio, quæ motum naturæ impedit, præterquam quod medicamenta calida, febrium augeant calores, Deinde ſi eſſent cum febre, non tantum purgationem ſed etiam, imo potius venæſectionem requirerent, quia tales dolores, plerumque denotant inflammationem, niſi ſint a flatibus, qui tamen in febribus ſunt rariores, ſiquidem generati, à calore febrili diſcutiuntur, vel eorum generatio impeditur.

Dices 1. Quando ejusmodi ſymptomata, ut tormina, genuum gravitas &c. adſunt in febribus, quandoque etiam indicant purgationem, ergo febres excipi non debebant. ℞. Si materia turgeat concedo, ſed hic Aphoriſmus non eſt intelligendus de materia turgente.

Inſtabis Nec cruda materia, nec in principiis morborum eſt purgandum, niſi materia turgeat, ergo in torminibus, genuum gravitate &c. erit purgandum. ℞. Nondum eſſe hic principium morbi, niſi principium latius ſumatur, pro ejus imminentia, quando nimirum

causæ

cauſæ morbi paulatim diſpoſitiones faciunt, ad morbum generandum, hoc autem tempore purgare licet, ad prophylaxim, præparata tamen prius materia.

Quæres 1. Utrum dolori renum à calculo, etiam debeatur purgatio? ℞. Affirmative, ſuo tamen tempore, ſic enim materia antecedens calculi ex ſtomacho, inteſtinis &c. expurgatur.

Quæres 2. Cur in dolore renum à calculo, æger non purgetur per ſuperiora, cum, ut experientia conſtat, plurimum vomituriat, *& quo natura vergit eo ducenda eſt*? ℞. In dolore renum à calculo, homines quidem vomiturire, nempe ob Sympathiam renum, ureterum & ventriculi, mediante peritoneo & nervis; ſed id non fit per loca conferentia, quod requiritur.

Aphoriſmus XXI.

Excrementa alui nigra, ſanguini atro ſimilia, ſponte euntia, ſive cum febre, ſive citra febrem, peſſima: Et, quanto ipſorum colores pravi, fuerint plures, eo deterius, à medicamento autem, talia exigi, ſeu egeri *melius eſt, idque quanto ipſorum plures fuerint colores, non malum.*

Contentum ſeu Intentio.

De ſedibus nigris & variegatis in genere.

CONNEXIO: Cum de inferna alui purgatione, multa hactenus Hippocrates dixiſſet. In hoc Aphoriſmo, de alui excrementis ſermonem inſtituit, quæ magni ſunt ponderis & conſiderationis, ſive ſponte veniant, ſive ope medicamenti educantur.

Hic Aphoriſmus duas habet partes; *Prima* docet excrementa alui nigra, ſanguine atro ſimilia, ſponte exeuntia peſſima eſſe: *Secunda*

cunda vero ſtatuit, minus mala eſſe excrementa, ſi à medicamento educantur.

Quares Quænam autem ſint iſtæ dejectiones nigræ, ſanguini atro ſimiles? ℞. Certe eas hic Hippocratem non intelligere quæ atrabilariæ dicuntur, de quibus infra.

℞. 2 Neque eas quæ concretum & nigrum ſanguinem referunt aut proprie ſanguineæ ſunt, quippe non dixiſſet, *ſanguini atro ſimiles*, ubi ſimilitudinem tantummodo non ſubſtantiam, vel qualitatem in excretionibus notavit.

℞. 3. Neque præterea eas eſſe humorem illum quem melancholicum appellant, ut in *Comment.* Galenus interpretatur. Etenim dixiſſet, dejectiones nigræ bilis, quemadmodum veteres melancholiam nuncupare conſueverunt, ſed & neque ejuſmodi melancholicus humor uſpiam reperitur, cum ſatis ſuperque à recentioribus oſtenſum ſit, quaternarium humorum numerum fictitium eſſe, & qui in liene fingitur, potius acore quam craſſitudine aut nigredine talis appellatur; & ſi fortaſſe in alvum decumberet, non quidem per venas, ſed per arterias illuc mearet, adeoque ſimul cum ſanguine effundi deberet, quemadmodum in Hæmorrhoidibus, cum tamen nullius harum evacuationum meminerit hic Hippocrates.

℞. 4 Pari modo, reliquæ egeſtiones nigræ, ab aduſta bile vel pituita, perperam a veteribus excogitatæ, veluti omnino commentitiæ, rejiciendæ aut melius explicandæ ſunt, quæ & huc neque aptari poſſent, ubi iſtiuſmodi nigræ dejectiones, etiam ſine febre peſſimæ referuntur, cum cæteroquin aduſta pituita & bilis, non niſi cum acutis febribus, jungi poſſe perhibeantur.

℞. 5. Veriſimilius itaque putandum cohærenter Anatomiæ, *dejectiones nigras* in hoc Aphoriſmo ab Hippocrate memoratas fieri vitio ſucci Pancreatici acido auſterioris redditi, & præter naturam fermentantis, tum bilem è ductu cholidocho defluentem, ſed craſſam & inertem ſeu effœtam, tum partem cibi depravatam & corruptam efficit: ea enim eſt conditio iſtiuſmodi acidi humoris, cum auſterior fit, ut compingat ſimul & in atrum commutet, quidquid craſſiuſculum adjicitur, eo fere modo, quo fieri experimur ex acido vitrioli cum alkali gallarum in atramento ſcriptorio, & potiſſimum compactiori,

cum

cum enim Pancreaticus hic humor, à naturali ſtatu receſſerit, & ponticam auſteritatem acquiſierit, ſic felleum humorem imbibit, craſſa præſertim pituita ſeu lympha conjunctum, quibus ejus acor prævalet, ut in Hypochondriacis, ſcorbuticis, lienoſis, & aliis ſolent ejuſcemodi atræ egeſtiones comparere, quæ vulgo melancholicæ appellantur. Quod ſi acidum illud etiam in liene exorbitet unde ſanguis e ramo ſplenico, in meſentericum derivatus, transmittatur in arterias, indeque etiam in venas, quæ turgidæ & varicoſæ hæmorrhoidales cæcæ nuncupantur, procul dubio egeſtionem quoque promovere poterit conſimilis atri coloris, & non raro etiam concreti ſanguinis, ſi diuturniorem moram ibidem contraxerit, ut ſæpe ſæpius obſervatum. Et quamvis in Aphoriſmo videatur ſimilitudo potius notata, ut propterea non ſanguis niger, ſed alius humor nigro ſanguini ſimilis deſignetur, ſi tamen ex græco codice, verba textus examinentur non videtur concretus & nigricans ſanguis, ab ejuſmodi dejectionibus excluſus, unde Fuchſius exponit, *veluti ſanguis niger*, & Heurnius *cujuſmodi eſt ſanguis niger*, id eſt ab acido auſteriori concretus & ater redditus.

Dejectiones præterea iſtæ peſſimæ cenſendæ ſunt, cum ſponte proceſſerint, *Sponte* quidem, quoniam ſignificant talem ac tantam eſſe humoris virulentiam, ut ſponte ſua, nullo adigente medicamento, viam faciat, & exitum ſibi paret. *Procedentes* vero, id eſt, non ſemel excuntes ſed iteratis vicibus, & per univerſam fere morbi latitudinem perſeverantes, etiam inter initia. Siquidem ſymptomaticæ evacuationes, ſolum a principio comparent & continenter perſeverant: at vero criticæ ſtatim abſolvuntur & non niſi circa declinationem accidunt. Unde ſi dejectiones iſtæ nigræ ſemel tantum appareant, non erunt æque malæ, ac ſi integra morbi duratione perſeverent.

Neque vero eſt neceſſe illas cum febre conjungi, ut malæ ſint, quoniam haudquaquam à febris ſocietate, malitiam ſuſcipiunt, ſed ab humoris excuntis conditione, ac pravitate, & à viſcerum dyſcraſia. Quare perinde erit, ſi febris adſit vel abſit. Eſt tamen verum, quod longe pejores cenſendæ erunt, ſi febrim comitem habeant: nam præter morborum & ſymptomatum pluralitatem, arguunt quoque ſanguinis vitium, & indebitam inductam in illo fermentationem, & cordis, aliorumque

 viſce-

viſcerum læſionem; idque ſive febris ſymptomatica, ſive eſſentialis dicta putetur.

Cæterum *peſſimas* dixit Hippocrates non *exitiales*, ſicut de atra bile pronuntiavit, & cum ad morbos acutos, vel diuturnos cum extenuatione, ac languore conſequuntur: Etenim iſtæ medelam non admittunt, ut inferius oſtendemus, at vero, quæ hic memorantur, poterunt artis induſtria, temperari & corrigi, ſi potiſſimum diu non perduraverint, & vires aliunde conſtiterint, in ætate non admodum provecta. quod ſane præſtari poterit, uſu roborantium medicamentorum & acidum ſuperabundans corrigentium, qualia præſertim ſunt ex chalybe compoſita, & alkalina appellata.

Verumenim vero, pravitas & pluralitas *colorum* apparentium in excretis augent malitiam & periculum affectorum. an quia ex humorum heterogeneitate, varia quoque viſcerum dyſcraſia ſignificatur, quæ propterea non tam facile queat artis auxilio emendari: an quia extremam denuntiant corruptelam, variı pluresque humores degenerati in virides & porraceos, æruginoſos, lividos & atros. Unde idem Hippocrates 2. *Aph.* 24. dicebat *In profluviis alvi, mutationes excrementorum juvant, niſi ad mala mutatio fiat.* Pluralitas autem colorum in excretis, hoc loco intelligitur eorum qui omnino præter naturam ſunt, ſecus vero ſi ſecundum naturam forent: quamobrem recte in textu dicitur & quanto colores *pravi* fuerint plures. Pravi autem colores a naturalibus, & conſuetis penitus declinant, cujusmodi eſſe ſolent vitellini dicti, porracei, æruginoſi, lividi &c. Atque hinc facile occurri poterit difficultati, ex præcitato Aphoriſmo Lib 2. Aph. 24. ubi mutationes excrementorum utiles referuntur, cum hic dicantur pernicioſæ: Ibi enim mutatio fieri intelligitur in coloribus naturæ conſuetis, & a malis in bonos hic vero in morbolis & de malis in pejores ac peſſimos.

Sed cur a Medicamento procedentes, nigræ dejectiones meliores reputandæ ſint? ℞. Et quidem nigras non ſolum, ſed & flavas, virentes & alias dejectiones vi Medicamentorum habitas nemo amplius reformidat, cum unicuique compertum ſit, eas potiſſimum conſequi conditionem & tincturam medicamentorum. Rhabarbarum enim ad flavum, Senna & Caſſia ad nigrum, Agaricus ad album,

excre-

excretos humores colorant, quin pro varia eorundem excrementorum vi & miſcela, multi quoque & varii colores in excrementis comparere ſolent, & non raro abſque ullo viſcerum vitio, aut morborum conſtitutionis veſtigio. Sed etſi morbificam cauſam conſequantur, adhuc decedentes, exaſſumpto medicamento, humores pravi, validam arguunt naturam, & ſe ipſos non adeo rebelles, ut eidem evacuanti obſiſtant, vel non ſtatim obſequantur. Non tamen hinc quis exiſtimet omnino periculo vacare, quæ à medicamento prava & atra ſeu livida procedunt: Etenim Hippocrates non ſimpliciter, nigras dejectiones, ope medicamenti habitas, bonas dixit, ſed meliores, comparate nimirum ad eas, quæ ſponte naturæ contingunt; nam nigræ dejectiones, ex pravis humoribus, ſemper malæ exiſtimandæ ſunt, eo quod denuntient, pravas ineſſe corpori diſpoſitiones, unde nigræ illæ prodeant, adeo à naturali ſtatu recedentes.

Poſtremo advertit Hippocrates, quo plures colores in excretis, à medicamento comparuerint, eo minus malos eſſe, quoniam universam humorum colluviem, omnemque malum corporis apparatum inde evacuari ſignificatur, adeoque naturam medicamento adjutam, potuiſſe modico temporis intervallo, vitioſos humores deponere & expurgare, abſque partium ſolidarum noxa ſenſibili. Colores autem plures & non pravi, ſi omnino ſecundum naturam ſint, certe non tantum meliorem ſed etiam optimam indicabunt egeſtionem ut antea ex Aph. 24. Lib. 2. eſt memoratum: ſi vero præter naturæ morem accidant, denuntiant quidem profuturam evacuationem, in genere cauſæ, cum pravi humores excernantur: at vero in genere ſigni, malam ſaltem arguunt viſcerum diſpoſitionem, unde tam prava colorum varietas exoriatur.

- *Dices* Lienoſi juxta Hippocratem inteſtinorum difficultate, rejectis nigris excrementis liberantur, ergo non ſunt tam malæ, ut dicit Aphoriſmus, ℞. Lienoſi inteſtinorum difficultate liberantur in principio, nego, in declinatione & facta humorum concoctione concedo: Aphoriſmus autem intelligitur de iis quæ in principiis morborum rejiciuntur. Sic etiam in alio loco Hippocrates excretiones nigras in declinatione febrium, quæ fiunt, cum euphoria & materia jam concocta bonas denuntiat, non vero in principio morbi, materia adhuc exiſtente cruda & cum dejectione virium.

Inſtabis Hippocrates in hoc Aphoriſmo dicit in febribus & extra febres, ergo non intelligendus in declinatione, maxime extra febres. ℞. Hic declinationem ſemper dici quando materia jam concocta eſt, adeoque poteſt etiam eſſe extra febres.

Vrgebis: Humor lividus & æruginoſus, non ſuſcipit concoctionem, ſed perniciem, ergo nunquam poteſt eſſe ſalutaris ejus excretio. ℞. Non ſuſcipit concoctionem ſtricte dictam, ut reddatur naturæ aptus, concedo, late dicta, ita ut ſeparetur ab aliis humoribus & corrigatur nego.

Quæres Utrum dejectiones nigræ cum febre pejores ſint quam ſine febre? ℞. affirmative quia duplex eſt lucta naturæ, cum febre & humore.

Dices Hippocrates alio loco dicit dejectiones nigras ſine febre eſſe peſſimas cum febre pejores. ℞. poſſe dari peſtem ſine febre, & in hac dejectiones nigras eſſe peſſimas.

Aphoriſmus XXII.

Morbis quibusvis incipientibus, ſi atra bilis ſupra, infrave exierit lethale.

Contentum ſeu Intentio.

De alvi fluxibus & vomitibus atrabilariis in morbi principio.

Connexio. In præcedenti Aphoriſmo egit de ſolis dejectionibus per alvum, hic de utriſque, nempe ſupra & infra. Præterea in præcedenti Aphoriſmo egit de excrementis nigris, in genere, & illa ſimpliciter vituperavit. Nunc autem in ſpecie quæ atræ bilis conditionem referunt, omnino exitiales & lethales aſſerit, de quibus dicit Galenus, ſe nem nem unquam vidiſſe qui evaſerit.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem & brevitatem non admittit diviſionem.

Dicit Ergo Hippocrates, excretiones atræ bilis ἄνω κὶ κατὼ eſſe lethales, & quidem incipientibus morbis, ſolummodo atræ bilis evacuationem exitialem eſſe docet, quandoquidem, *nil tunc excernitur*

nitur (inquit in Comment. Galenus) *naturæ ratione, ſed omnia ſunt ſymptomata earum, quæ præter naturam ſunt in corpore diſpoſitionum; unde cum adeſt cruditas humorum, aliquid utiliter evacuari eſt impoſſibile, ſiquidem oportet coctionem praire, ſubſequi vero diſcretionem, & poſtea evacuationem, ut bona ſit criſis.* Hinc communi voto damnantur à Medicis evacuationes habitæ in principiis morborum, cum vel multitudinem vel pravitatem ſignificent: at vero iiſdem declinantibus, & poſt humorum coctionem, quælibet excretio ſalutaris eſt, velut procedens à victrice natura, corpus a ſuis impuritatibus repurgante.

At quamvis cujuslibet humoris evacuatio, inter initia morborum mala ſit, longe tamen periculoſior erit, ſi atram bilem redoleat. Dicitur autem à Medicis *atra bilis*, humor ille, qui colore nigricat, ſed non concreſcit, ut ſanguis, imo in terram decidens fermenteſcit, & bullas excitat, velut acetum & vinum, lumini objectum ſplendet, & acrimoniam & mordacitatem ſapit, quamobrem viſcera, per quæ tranſit, erodit & ulcerat, inſtar aquæ ſtygiæ. Hinc inter humores omnes, qui ſtatum corporis morboſum conſequuntur, peſſimus hic omnino reputatur & venenoſus, veluti extremam nactus corruptionem, vitæ penitus inimicam.

Verum quo pacto, ejusmodi deleterius humor atrabilarius, in humano corpore generetur, non inutiliter quæri poteſt. Hactenus eſt creditum, bilem duplicem, in humano corpore reperiri, naturalem unam & alibilem in venis una cum ſanguine contentam; alteram non naturalem & excrementoſam in Cyſti fellea collectam, ac continenter in tenuia inteſtina confluentem; fieri autem ut eodem ægrotante, vi atque pernicie morborum, viſcera & præſertim jecur intemperetur, atque ejusmodi bilioſi humores putredine & exuſtione degenerent, in vitellinos, croceos, mox etiam in æruginoſos, porraceos, ac denique in atrabilarios, extremum corruptionis terminum deſignantes, qui propterea veluti ſumme recedentes, á conſueto naturæ ſtatu, ubicunque comparuerint, lethum prænuntient.

Sed jam ſatis ſuperque ab accuratioribus Medicis & Anatomicis, de bile in venis contenta, excogitata & vana ac futilis opinio detecta eſt, ut de illa ulterius verba facere vix non pudeat: Solum bilem in cyſti fellea contentam, & per cholidochum in inteſtinum jejunum tranſmiſſam, gravem & nocuam mutationem ſubire poſſe conſtat ex Anatome ſiniturum, indebita fermentatione cum aliis humoribus, & præſertim Pancreatico, illuc confluentibus, præter morem invertitur, & non tantum colore, ſed etiam acredine & malitia, commutetur, in naturam ferme deleterium. Unde appoſite quidem Galenus *6 de loc. affect. cap. 5.* animadvertit, generari non raro poſſe in humano corpore humores veneno ſimiles, qui ſcilicet id ipſum agant, quod a venenis aſſumptis, vel inflictis fieri experimur.

Et quidem, ſi felleus iſte humor, acer & oleoſus redditus, cum acido Pancreatis, vel alio commiſceatur, in inteſtinis tenuibus, ita ingenti fermentatione exacuitur, ut erodendi vim adipiſcatur, neque ſolum in inteſtinis, ſed & in ventriculo, ex depravato ejuſdem fermento, & corruptis cibis, pariterque ex lympha acriori, cum fermento glandularum vitiato. Nec diſſimilem pati ſolet ſerum urinarum depravationem, ſi acrius ſit & ſale acidiore inſpergatur: Ita quoque ſi menſtruus ſanguis, atque alia uteri recrementa, fermentis hyſtericis conquinentur & ſubſiſtant. Quamobrem ubique ex mala atque indebita mixtura fermentorum poterunt pravi & deleteri humores progigni, & è diverſis egeri emiſſariis, venenorum naturam redolentes, unde eroſiones, puſtulæ, ulcera, gangrænæ, aliaque hujus generis pernicioſiſſima mala.

Quoties itaque ex inconvenienti miſtura ac fermentatione ſuccorum alii, & quidem præter naturam exorti, præſertim acres, atri, & venenoſi per alvum aut per os egeruntur multis ex rationibus, mortem prænuntiant; quippe ſignificant viſcera, non bene ſuos humores ſecernere & repurgare, ſed potius ex vitiata textura & craſi illos inficere, unde fermentationes, diſſolutiones, & diſtributiones alimentorum, peſſimæ fiunt, in prægrande virium diſpendium. Sed & humores ipſi depravati, acritudine veluti arſenicali, & acore ferme vitriolico, partes quas pervadunt, pungunt, erodunt, ulcerant, & gangrænam aut ſphacelum inferunt, Imo ſanguinem ipſum, aut coagulando aut exſolvendo ineptum circulationi reddunt: Infecto

vita-

autèm ſanguine, & vel concreto vel exoluto motus cordis deſinit & vita. Cæterum egeſtiones iſtiusmodi, aut ſupra aut infra habitæ, ſunt nobis tantum indicia, quibus malum viſcerum & fermentorum conſtitutionem conjiciamus jamjam lethum comminantem, nam non ex eo, quod nigra prodeant, ſed quod intus genita vitæ fomitem inficiant & corrumpant, mors imminet.

Dices 1. Quo magis natura levatur à ſuo onere, eo melius ſeſe ſemper habet, ſed in principio morbi levatur à ſuo onere natura, ergo ℞. Nego minorem, quia non eſt motus criticus à natura vincente, ſed ſymptomaticus à morbo & cauſa morbi factus.

Dices 2. Febris quartana fit ab humore acido putreſcente ergo ab atrabile, ſed febris quartana, non eſt tam lethalis ergo morbi ab atrabile, non ſunt tam lethales ℞. Si ſit vehemens putredo acidi humoris, poteſt fieri pernicioſa, ſive jam atrabilis aut quocunque nomine vocitetur talis autem vehemens putredo, non eſt qua quartanam generat, interim tamen quandoque eſſe poteſt, cum paſſim ſit non raro quartanarios mori.

Aphoriſmus XXIII.

Quibus per morbos acutos aut diuturnos, aut vulnera, aut alium modum extenuatis, atrabilis, aut velut ſanguis niger ſubierit, poſtridie moriuntur.

Contentum ſeu Intentio.

De excretis nigris, in extenuatis à morbo.

C*onnexio:* Videtur hic Aphoriſmus multum cum 21. hujus libri congruere: Verum cum in duobus præcedentibus Aphoriſmis dejectiones nigras, univerſim ſupra quam infra vituperaſſet Hippocrates; Nunc in hoc præſenti Aphoriſmo ſpecialius, exitiales eas aſſerit in extenuatis; Decernit enim, nigram bilem aliumque nigrum humorem, per inferiora excretum, in valde extenuatis, poſtridie ſeu altera die mortem portendere.

Hic

Hic Aphoriſmus non dividitur, cum in ſolo prognoſtico conſiſtat. Cum igitur indefinite aſſerat, paulo poſt ſucceſſuram mortem iis, qui extreme extenuati ſunt, ſi nigra dejecerint, inutilis procul dubio, cenſenda eſt quorundam interpretum controverſia, qua ambigunt, num de atrabile proprie dicta, an vero de melancholia ſermonem habuerit. Nam quæ adjecta ſunt, *aut veluti ſanguis niger*: manifeſte declarant, omnem cujuſcunque humoris nigri dejectionem voluiſſe Hippocratem comprehendere, ut proinde parum aut nihil interſit, num bilis atra, an melancholia, vel alius niger humor, egeratur, modo corpus, vi morbi ſit extenuatum; etenim imminentis mortis cauſa proprie ad languorem, & corporis extenuationem refertur, unde hujus Aphoriſmi rationem afferens *in Comment.* Galenus, ſubdit *eſt enim in talibus* (id eſt extreme extenuatis) *Natura imbecillis, adeo ut non poſſit concoquere, neque diſcernere, neque excernere, quæ ita prava exiſtunt.* Quin Heurnius, hiſtoriam cujuſdam Ducis militum refert, qui cum diu quartana febre laboraſſet, indeque macruiſſet, tandem a concreti ſanguinis per alvum excretione, poſtridie obiit. Porro in hoc, nec atra bilis, nec melancholicus humor prodit.

Quamvis autem hoc loco, nigræ ſolum dejectionis, ſive atræ bilis ſive melancholiæ, aut fœculenti ſanguinis Hippocrates meminerit, veluti omnino exitialis in extreme emaciatis; non tamen hinc erunt eximendi aliorum humorum, imo etiam ipſius ſanguinis & chyli egreſſus inconvenientes. Etenim *Lib. 5. Aphoriſmorum & alibi plurimis in locis*, rabidos etiam brevi morituros ait, ſi alvus immodice ſoluatur, ſed, ſi dejectio nigra, lethalis eſt emaciatis ſeu extenuatis, ob extremam maciem & virium languorem, ſane longe periculoſior erit dejectio ſanguinis, aut chyli, quod arguat ſummam naturæ labefactionem, quæ difficillime in extenuatis remittitur. Quare in his quælibet evacuatio magni facienda eſt, ſed ejus potiſſimum humoris, qui tuendæ vitæ magis conferat, cujusmodi eſt ſanguis & chylus.

Sed

Sed quod de dejectione Hippocrates adnotavit, an exponi quoque poſſit de *Vomitu*, non irrationabiliter ambigitur, cum atram bilem, infetne vel ſuperne exeuntem mortiferam præcedenti Aphoriſmo pronuntiaverit. Et quidem ſi cauſa, inſtantis mortis provenit ex extrema macie, & ſummo virium languore, nulli dubium eſt, quod etiam vomitus niger, valde extenuatis lethalis ſit. Raro autem labefactis & languidis vomitus accidit, quibus præ ſumma virium jactura, vomendi conatus nullus eſſe poteſt, unde factum puto, hanc evacuationis ſpeciem Hippocratem reticuiſſe.

De cæteris evacuationibus, veluti per urinam, ſputum; itemque furfures, ſudamina, tubercula, adhuc dubitari poteſt, an non citam mortem portendant, ſi nigra compareant, in extenuatis: Et dicendum ſa lethalia plerumque indicia eſſe, ſed non ad tam breve tempus, ut poſtridie mortem afferant; imo dubiam aliquando fieri conjecturam, cum ob morborum, ſive acutorum, ſive chronicorum, eorumque temporum varietatem, diverſimode ſit prognoſticandum, atque aliter in viris, ac in fœminis, & aliter adhuc in Epidemiis conſtitutionibus: de qua re legendus idem Hippocrates *in Epidemiis* & prognoſticis.

Quoniam vero hic ſolum nigri cujuscunque humoris lethalem exitum in extenuatis adnotavit, videndum cujus generis extenuatos intelligere voluerit. Interpretes communiter eos exponunt, quibus non tantum ſpiritus & humores conſumpti ſunt, ſed etiam ſolidæ partes exhauſtæ, tum acutie & pravitate, tum morbi longitudine, cum evacuatione conjuncta: Etenim extenuatio talis ac tanta eſſe debet, quæ vitarum diſſolutionem & Naturæ languorem inferat, ut proinde vitioſi humores ſponte ſua effluant. Niſi enim penitus extenuati forent ægrotantes, profecto non tam citam mortem ſubirent, ut in Aphoriſmo dicitur, quandoquidem plurimi ab eodem Hippocrate referuntur, *in Libris Epidemiorum*, quæ nigra dejecerint, & minime obierint, vel ſaltem in longius tempus vitam protraxerint: Sic Herophon ægrotus tertius *in Epidemiis* quinta die nigra dejecit, & decima ſeptima judicatus eſt: Et æger tertius *3. Epidem. Sect. 1.* qui decumbebat in Dealcis horto, quinta, ſexta & octava die, ac denuo decima quinta & decima ſeptima, & per univerſum fere morbi decurſum nigra egeſſit, & graveolentia, quadrageſima tamen perfecte convaluit.

De tempore tandem Jure etiam dubitari poteſt, num in principio ſolum, an ſolum in augmento, & ſtatu, aut in declinatione, comparentes nigræ dejectiones exitiales ſint, an vero quocunque tempore indiſcriminatim. Et ſane, cum de extenuatis ſermo ſit, nequit intelligi de morbi principio, quando omnia ſimptomata debilia & levia ſunt, nec tantus marcor eſſe poteſt, quantus videtur exactus, ad carnium diſſolutionem & virium languorem; quin & Hippocrates ipſe *per morbos acutos* dixit, vel *diuturnos*: modo diuturni morbi dicuntur, qui quadrageſimam diem tranſilierunt. Ad declinationem vero deducti, nunquam morbi lethales eſſe conſueverunt, etiam ex documento Galeni 3 *de Criſibus cap 5 dicentis*: *Nemo unquam vi morbi, in ejuſdem declinatione mortuus eſt, niſi ſolum ex accidenti, aut ex aliquo errore commiſſo, vel à Medico vel ab ægroto.* Igitur vel in augmento & ſtatu morborum, id evenire fatendum; in augmento quidem, ſi morbus fuerit acutus, quippe tunc extenuatio provenit ex virulentia, quemadmodum in Peſtilentiis. In ſtatu vero, ſi fuerit chronicus, cum ex ipſa morbi diuturnitate, corpus langueſcat, & contabeſcat.

Dices I. Vulnerati non extenuantur, neque atris abundant humoribus ergo tales humores ante mortem, non rejiciunt ante mortem juxta Aphoriſmum &c. negando antecedens, nam poſt ingentes hæmorrhagias etiam extenuantur vulnerati, & accedente febre, humores aduruntur, præcipue ſanguis, ſi ſit extra vaſa tus, qui poſtea nigri, ante & poſt mortem rejiciuntur.

Dices II. Evacuantur in tali caſu talia, qualia oportet, nempe humor niger, qui eſt toto genere præter naturam, Ergo bene. &c. Etſi talia evacuentur qualia oportet, tamen quia id fit, in corpore extenuato, & ſine Euphoria ſed cum ſpirituum & virium diſſipatione & debilitate.

Aphoriſmus XXIV.

Dyſenteria, ſi ab atra bile incipiat, lethalis eſt.

Con-

Contentum ſeu Intentio.
De Dyſenteria ab atra Bile.

CONNEXIO: Cum in Antecedentibus, de atræ bilis dejectionibus dixiſſet Hippocrates, eas vituperans, & non niſi cum ægri exitio provenire poſſe: In hoc præſenti Aphoriſmo, particulariter & in ſpecie de Dyſenteria ſeu difficultate inteſtinorum incipiente loquitur, quæ ex atra bile originem ducit, eamque lethalem pronuntiat.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem & ſimplicem concluſionem, diviſionem non patitur.

Igitur inter plurima damna, quæ atra bilis deorſum excreta, afferre poteſt, memorat hoc loco Hippocrates Dyſenteriam veluti frequentius ex illa procedentem, cum infernas partes petierit, in alvum delata. Eſt enim Dyſenteria græce, latine difficultas inteſtinorum, frequens, cruenta & doloroſa dejectio; quamquam nomine Dyſenteriæ, quicunque alvi fluxus, cum dolore junctus, non raro intelligatur, ut propterea Diarrhæam quoque comprehendat; quemadmodum deducitur ex Galeno *3. de Symptomat. cauſis Cap. 8.* Plerumque illa fieri dicitur, ab humoribus acribus, qui vellicando inteſtina & dolorem afferant cum torminibus, & ſæpius compellant ægros excernere. Nonnunquam etiam à mucoſis & ſalſis humoribus, qui tenacitate aſſiduo torqueant, ſalſedine vero erodant, & ulcus inferant.

Et quidem ab his inducta Dyſenteria, non tam facile ſanatur, imo omnino lethalis dicitur, ſi ab atra bile inceperit, quoniam ab illa non ſolum inteſtina ulcerantur, ſed exeduntur & mortificantur, ob virulentam ejusdem conditionem. Atque hinc monendi ſunt, quicunque rem medicam ſunt facturi, ut non tam glutinantibus remediis Dyſenteriæ opitulentur, quam corrigentibus, & acidos ac acres humores temperantibus: quo pacto, non ſemel vidimus Dyſentericos veluti repente ſanatos, hujusce generis medicamentis tormentilla, biſtorta, plantagine, centinodio, verbaſco, baccis ſambuci, croco martis, colchotare vitrioli, hæmatite, ſanguine leporino, & ſimilibus. Hac quippe ratione, non ſolum affectis inteſtinis conſulitur, ſed ſpecialius humori ulceranti & corrumpenti, unde affectio ortum ducit, quemad-

modum ex antea traditis facile eſt deducere, & ex Praxi magis eluceſcit.

Dices I. Hippocrates dixit mox ſupra Aphoriſmo 22 morbis quibusvis incipientibus, ſi atra bilis ſupra vel infra exierit malum, Ergo fruſtra hunc repetit. ℞. Sub hoc Aphoriſmo præſentis, mortem adhuc certiorem indicari.

Inſtabis: Curantur Dyſenteriæ ab atra bile provenientes Ergo. ℞. Curantur ſi criticæ ſunt concedo, ſymptomaticæ & incipientes nego. Sic etiam dicit *in Aphoriſmo 6.* quod lienolis ſuperveniens difficultas inteſtinorum bona ſit, Critica nempe, non ſymptomatica.

Vrgebis Dejectio atræ bilis, extenuatis eſt lethalis juxta *Aphoriſmum 23* Ergo euſarchis bona erit: ℞. negando conſequentiam: Lex enim contrariorum huc trahi non poteſt nec debet, quia multa concurrunt, nempe humorum cruditas, & materiæ funeſta conditio.

Aphoriſmus XXV.

Sanguinem ſuperne quidem efferri, qualiscunque ſit, malum: Inferne vero niger, ſi dejiciatur, bonum.

Contentum ſeu Intentio.

De ſanguine ἄνω κὰ κάτω excreto.

C*onnexio:* Apprime hic Aphoriſmus dependet à prioribus: cum enim lethales dixiſſet excretiones atræ bilis aut humoris liquidi ſanguini ſimilis modo, in hoc Aphoriſmo, ſpecialius ſermonem convertit, ad ſanguinis excretiones, & tam per ſuperiora, quam per inferiora, & cum ſupra fertur malum dicitur, cum infra bonum, ſi niger dejiciatur Unde: Hic Aphoriſmus juxta duas allatas concluſiones, in duas partes dividitur. quarum *prima* docet, malum eſſe ſanguinem per ſuperiora excerni; *ſecunda* vero nigrum ſanguinem dejici, bonum fore.

Præ-

Prænotandum autem eſt, quod ſanguis *ſupra* efferri poſſit, per os, nares, aures, rurſus per os cum exit, vel ex ipſo ore manat, vel ex Capite, vel ex pulmone, vel Thorace, vel ventriculo, vel hepate, vel liene: *Infra* vero progrediens, vel per alvum, vel urinas, vel uterum educitur: rurſus ſi per alvum, vel ab inteſtinis, vel ab aliis partibus: ab inteſtinis, vel cum ulcere in Dyſenteria, vel ſine eo, ab hæmorrhoidibus.

De evacuatione igitur ſanguinis per os habita, manifeſte intelligendus eſt Hippocrates, ut interpretatur Galenus, excepta illa, quæ per nares fit: Siquidem è naribus ſanguinem fundi, & ſæpiſſime ſalubriter & cum Euphoria, innumeris fere conſtat experimentis, cum & febres tertianæ, & continuæ, & ardentes, non raro etiam malignæ & peſtilentes, aliique morbi, criticè terminentur, ut extant exempla, tum apud Hippocratem & Galenum, tum etiam apud reliquos rei Medicæ Profeſſores: Sic clarius habetur textus Hippocratis *6 Aph 10 qui capite dolent & vehementer laborant, ſi pus vel aqua, vel ſanguis per nares, aut os, aut aures effluat bonum.*

Proinde non vituperatur critica per aures vel nares ſanguinis evacuatio, ſed tantum ſtillæ ejusdem è naribus (idem eſt de aliis) erumpentes, veluti ſignum, ingentem pravitatem denuntians: Sicut pariter immoderata hæmorrhagia, quæ non facile ſiſtitur. Cæterum in reliquis ut mox diximus, conferre conſuevit, unde paſſim experientia conſtat, pleroſque, qui à periodica, per eas partes ſanguinis eruptione, non tantum à graviſſimis capitis doloribus evaſerunt, ſed etiam ab aliis peſſimis morbis præſervati diutiſſime vixerunt.

* Sanguis igitur per os excretus, hoc loco vituperatur, & quidem, tum ratione ſui, qui de genere earum rerum eſt, quæ nunquam egeri debent, tum ratione viſcerum & vaſorum, in quibus aſſervatur, quoniam ea reſerata, aut eroſa credendum, cum prodit: Et quidem ſive è capite, ſive ex ventriculo ſive demum ex thorace, ut dictum, proſiliat, ſemper ſui & principalis alicujus viſceris noxam arguit, & non levem vitæ languorem, quippe quæ ſuo fomite depauperetur.

Neque vero ab his ſolum egrediens cruor malus eſt, ſed, quod majus, quia alicubi ſtagnans, ut facile fit, illico concreſcit, acorem contrahit & corrumpitur, ac tandem in pus vertitur: Ex pure autem innu-

Google

mera propemodum detrimenta oriuntur, febres potiſſimum, *ulcera, marcores:* unde idem Hippocrates 2. *Aph.* 47. *dum pus conficitur, dolores ac febres accidunt:* & 6. *Aph.* 26. *Si in ventrem ſanguis præter naturam effunditur, neceſſe eſt ſuppurari:* & 7. *Aph.* 15. *à ſanguinis ſputo, puris ſputum, à puris ſputo tabes*, a tabe mors.

Quamvis autem ſanguis per os excretus, ſemper aliquid mali referat, & ſive ſpumoſus ſit & floridus, ſive nigricans & concretus, quemadmodum colligitur ex adiecta voce *Qualiscunque ſit*, nihilominus levius malum portendit in fœminis in quibus ſanguinis excreationes, utiles eſſe conſueverunt, etiam per tuſſim, modo à ſuppreſſis menſtruis purgationibus procedant: quamobrem idem Hippocrates 5. *Aph.* 32 *Mulieri, inquit, ſanguinem evomenti, menſtruis erumpentibus ſolutio ſit*, reſeratis nimirum uteri ductibus, atque exeunte ſanguine per loca convenientiora. Et 5 *Aph.* 33. *Menſtruis deficientibus, ſanguis ex naribus fluens, bonum.*

At quod fœminis ſalubriter accidit, ex menſtruorum ſuppreſſione, non raro etiam contingit viris ex pleuritide ſi nimirum ſputum ſanguineum compareant, ut dicitur 5 *Aph.* 12 Quare generale hoc Hippocratis effatum, in aliquibus excipietur, verum tamen oportebit diligenter advertere, num ſanguis ipſe immediate è ſuis vaſis prodeat, & ſequatur alicujus principalis viſceris eroſionem; an vero ex tumore jam dirupto, vel ſuppurato excernatur; etenim ſicuti in priori caſu ſemper malum, ita in poſteriori ſæpiſſime bonum; quinimo (ut 5 *Aph.* 8) *morbo laterali laborantes, ſi intra quatuordecim diebus non repurgantur, ad ſuppurationem vertuntur.* Et 5. *Aph.* 15. *Suppurati vero niſi in quadraginta diebus purgentur, à die, qua ruptio facta fuerit, in tabem tranſeunt.*

Quodſi ſanguis è glandulis faucium exſudet, & ſputo excernatur, non ſolum nihil mali portendere ſolet, ſed ſæpe numero etiam prodeſt: Compertum enim ſæpe eſt, vehementi capitis dolore vexatos, veluti momento convaluiſſe, excreto ex prædictis locis faucium ſanguine. Quo ſenſu exponendus idem Hippocrates 7. *Aph.* 37. ubi ſibi ipſi contradicere viſus, inquit: *quicunque evomunt ſanguinem, ſi ſine febre quidem ſalutare; ſi vero cum febre malum.* Adeoque non omnem ſanguinis per os evacuationem malam pronuntiat, imo ſaluta-

lutarem vocat, ſi ſine febre ſit. Plane is intelligendus de ſanguinis exitu haud quaquam à ventriculo, cujus vomitus peculiaris actio eſt, ſed à glandulis faucium, & gulæ è quibus proſiliens ſanguis evomitur. Quamquam & ibsque ulla ventriculi læſione, ex viſcerum naturalium obſtructione, aut tumore, poſſit ſanguis uberrim evomi, aut excreari, pari modo ac ex utero male affecto contingit, ut ante dictum eſt.

Sicuti *ſupra* ejectus ſanguis, quicunque ſit, malum dicitur, ita deorſum excretus, bonum, ſi tamen niger egeratur. at qua ratione, non bene conſtar, præſertim ſi ad memoriam revocentur, quæ præcedentibus Aphoriſmis ſunt recenſita, in quibus dejectiones nigras, peſſimas, Hippocrates promulgavit.

Quare, cum in præſenti, nigrum ſaguinem, per inferiora excretum, bonum proferat, videtur ſibi ipſi manifeſtiſſime contradicere. Verum quamvis hæc apud cæteros expoſitores, non ſint facilia ſolutu, ſi tamen a nobis explicantur, ut quemadmodum Hippocrates, ſuperioribus Aphoriſmis, nigras damnaverit dejectiones, ortas ex mala & indebita mixtura, ac fermentatione ſuccorum fellei & pancreatici (antiquitus attabilarii) in inteſtina tenuia confluentium. Ita hic laudabiliorem exiſtimet, nigram dejectionem, procedentem à ſanguine è venis hæmorrhoidalibus concreſcente. manifeſte enim hoc loco, opponit ſanguinem per os excretum, ſanguini deorſum exeunti, ubi antea non ſanguinem, ſed dejectiones nigras, ſanguini atro ſimiles retulit, easque ab interioribus & male affectis viſceribus promanantes. Sed & multum quoque intereſt, num ſanguis in ipſis viſceribus degeneratus concreverit, an ſolum in venis ſedis ſua craſſitie ſubſederit, aut tanquam impurus à reliquo ſepoſitus ſponte ſua prodierit: quamobrem Jure addit Hippocrates, *cum niger dejicitur*, nam ſi fortaſſe purus & floridus egeratur, profecto malum erit, & quidem præter corporis languorem, & decolorationem, pulſuum imbecillitatem, viſcerum labefactationem, minabitur Tabem vel Hydropem.

At vero ſi niger dejiciatur, & per intervalla, longiori periodo, plurimum proderit, præſertim melancholicis & nephriticis ut dicitur *6. Aph 11* Imo ſolet a graviſſimis morbis præcavere *6. Epidem Sect. 3.* ubi, qui hæmorrhoides habent, neque pleuritide, neque peripnevmonia,

nia, neque phagadæna, neque furunculis, neque tuberculis therebinthi figuram habentibus, neque lepra, neque vitiliginibus correpti referuntur: iis vero ſuppreſſis Hydrops aut Tabes ſubſequitur ex eodem 6. Aphor. 12. Unde nec ſupra modum fluere, nec omnino ſupprimi ſalubre erit.

Dices I. Si ſanguis excernatur per urinam malum eſt, Ergo excretio per inferiora, non eſt bona ℞. Hippocratem per excretionem per inferiora, maxime ut diximus, intelligendum, de excretione per menſtrua vel hæmorrhoides: Imo excretio ſanguinis per urinas tam periculoſa non eſt quam per pulmones, teſte Autopſia.

Inſtabis: Multi ex hæmorrhoidum fluxu moriuntur, Ergo nec hæc excretio eſt bona ℞. moriuntur ex fluxu exceſſivo concedo, modico & critico nego.

Vrgebis: Fluxus hæmorrhoidum eſt præter naturam, Ergo nullo modo eſt bonus ℞. quandoque eſt præter naturam, concedo ſemper nego, dum nempe critice vel conſueto modo procedit, plurimosque magnis morbis liberat.

Inſtabis denuo: Natura bene ſeſe habens, non excernit ſanguinem per inferiora, Ergo nulla eſt bona ℞. niſi adſit plethora concedo, ea præſente & urgente nego: hoc enim modo ſe á plenitudine liberat.

Vrgebis denuo: Si ſanguinis evacuatio per ſuperiora ſemper eſt mala Ergo per inferiora ſemper erit bona, quod falſum eſſe demonſtrat dyſenteria. ℞. Generaliter loquendo, omnem evacuationem ſanguinis per inferiora eſſe meliorem quam per ſuperiora, quia ex multis cauſis eſt periculoſior ut jam abunde diximus.

Aphoriſmus XXVI.

Si Dyſenteria laboranti, veluti carunculæ dejiciantur, lethale.

Con-

Contentum ſeu Intentio.
De Dyſenteriæ Carnoſa.

Connexio: Cum in præcedenti Aphoriſmo egiſſet, de ſymptomatica excretione, ſeu ſanguinis rejectione per ſuperiora: In hoc jam agit de dejectione per inferiora, & quidem de Dyſenteria ſeu rejectione caruncularum in Dyſenteria, eamque lethalem eſſe pronuntiat.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem non dividitur.

Agit ergo iterum de Dyſenteria hoc loco Hippocrates quam terminum lethalem ſortiri inquit, ſi nempe in egeſtionibus carunculæ dejiciantur. Neque vero incipientem intelligit, velut in *Aphoriſmo 24. hujus Libri*, ſed aliquantulum protractam, ut oſtendunt verba illa *Si Dyſenteria laborantis*, quæ ſane ægrotantem diutius ea affectione detentum ſignificant.

Sed enim neque carunculæ & ſtrigmenta inteſtinorum ſtatim inter initia comparere poſſunt, quippe primo humores varii & acres, mox vero mucoſa quædam, deinde cruenta, poſtremo ſtrigmentoſa veluti carunculæ egeruntur: His autem apparentibus lethale ſignum eſt, *quod neque caro concreſcere, neque cicatrix obduci in his poſſit*, ut ſubdit in Comment Galenus.

Adnotat autem non inepte Cardanus, *lethale* hoc loco intelligendum, quod plerumque mortem affert, & Natura ſua, non autem neceſſario, nec ſemper, niſi adjungatur, virium imbecillitas, materiæ pravitas, vel fragmenti inteſtini excretio, quo caſu æger omnino morietur.

Quamobrem in Dyſenteriis conſideranda ſunt, quæcunque in ulceribus perpenduntur, conditio videlicet ipſius ulceris, pars ulcerata, & cauſa vel efficiens vel fovens ulcus. Ex his enim oritur, unde ulcera lethalia fiant: *Ab ulceris* namque *conditione* præſagire ſolemus lethalem eventum, ſi magnum, profundum, malignum, putridum excedens, cum inflammatione aut Gangræna conjunctum illud ſit: *à parte affecta*, ſi principem partem occupet, *à cauſis* demum, ſi ab acribus, erodentibus & veneноſis humoribus foveatur. Id ipſum quoque obſervandum in Dyſenteria, ſiquidem cum inteſtina tenuia & gracilia ſunt affecta, a pravis & deleteriis humoribus, unde fætida, nigra, livida ege-

egerantur, cum tamentis inteſtinorum, ingenti dolore, cibi faſtidio, febre, virium jactura, certe mors præſto erit. Porro cum iſta deſint in Tenеſmo, etſi non raro carunculæ egerantur, mors non ideo neceſſario ſubſequitur. Sub carunculis autem comprehenduntur, non tantum glandulæ, internam inteſtinorum tunicam occupantes, ſed etiam fibræ illæ carneæ, quibus interiorem eorundem ſubſtantiam communiri, Anatomicorum nupera diligentia detectum eſt, ad motum periſtalticum perpetuandum. Si ergo ulcus eo pervenerit, ut exeſa interna tunica duriori, fibras iſtiusmodi erodat, & exteriorem pervadat, longe molliorem irreparabile profecto exitium portendetur, & eocitius, quo priora inteſtina, & tenuia fuerint magis affecta, cum iſta diſcuſſa non coaleſcant, ex eodem Hippocrate *6. Aphor. 18 & 24.*

Dices I. In inteſtinis utpote membranoſis non ſunt carunculæ, Ergo falſus eſt Aphoriſmus ℞. Cum Cardano Hippocratem in Aphoriſmo addere, *veluti*, adeoque non aſſerere eſſe vere carunculas, quamvis ut diximus in textu duplicem adeſſe tunicam duriorem, carnoſiorem ſeu internam, exteriorem vero membranoſam, in illa ſunt carunculæ in hac vero non.

Inſtabis Dyſenteriæ fortiſſimæ curant epilepſiam & alios plenitudinis affectus, Ergo non omnes ſunt lethales ℞. In noſtro Aphoriſmo ſupponimus adeſſe penes ſummam virium debilitatem &c. ut in textu diximus, quæ non ſemper, etiam in fortiſſima dyſenteria adſunt.

Urgebis: Galenus dicit multos fuiſſe ſervatos, quibus interior inteſtinorum tunica fuerat conſumpta, Ergo talis dejectio non eſt lethalis. ℞. Galenum per tunicam interiorem intellexiſſe Epidermidem, vel illam mucoſam & adipoſam ſubſtantiam ut in textu diximus.

Urgebis denuo Inteſtina gladio perforata ſanantur, Ergo etiam carunculárum rejectio. ℞. Negando conſequentiam, ſiquidem in priori caſu, cauſa deſit, in poſteriori cauſa conjuncta, nempe humor corroſivus permanet.

Apho-

Aphoriſmus XXVII.

Quibus per febres, ſanguinis undecunque eruperit copia, iis, cum reficiuntur, ventres (ſeu alvi) humectantur.

Contentum ſeu Intentio.

De humiditate exuperante, hæmorrhagiæ largioris pediſſequa.

Connexio: Hic Aphoriſmus manifeſtam habet connexionem cum ſuperioribus Aphoriſmis, cum, ſicut in illis, ita & hic de ſanguinis evacuatione agit.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non patitur diviſionem.

Proponit in hoc Aphoriſmo Hippocrates prognoſim, ſuccedentis alvi humectationis, in febricitantibus, ex fluxu ſanguinis præcedente, undecunque prodierit: Rem revera, tam raro viſam, ut perpauci ſint, qui illam obſervaverint; unde factum quoque eſt, ut expoſitores, de ejusdem veritate, plurimum etiam dubitaverint: proinde non mirum, ſi quod Fuchſius non ſolum in febribus, verum etiam in aliis morbis fieri dixit, alii ex adverſo ad febres duntaxat contraxerint, & quam ſententiam Cardanus, univerſaliter veram faſſus eſt, probabilem ſolum neque neceſſariam ſtatuerit Argenterius. Nunc nos videamus, quomodo illam, congruis argumentis aptemus.

Sanguinem immodice fluentem, jam antea nocuum adnotavimus, cum inde vita humana, ſenſim fatiſcat, ac tandem deſinat, ſi forraſſe ad eam pertingat quantitatem, ut motum cordis intercipiat. Si ergo febrientibus accidat, larga ſanguinis profuſione debilitari, etſi extincta febre evaſerint, a reſumptis viribus, facile oriri putandum, non levem alvi humiditatem ſeu laxitatem tum quia, ubi antea excrementa cujusvis generis detinebantur, mox ſtatim vigorata Natura, deponuntur, & alvus fit lubrica, idque potiſſimum, ſi à languente ventriculo, cibi

ci, nec bene digeſti, nec bene ſint diſtributi; tum quia lympha, cauſa ſeroſa, tenuior reddita, ac detenta, propter immoderatum ſanguinis exitum incipit deinde, cum corpus reficitur, ad alvum deponi, ideoque excrementa ſolvere, atque inteſtina reddere lubriciora: tum demum quia refectis partibus, omnia illarum recrementa, partimodo detrimenti ad alvum, quia prius vi morbi detenta fuerant: quod ſcilicet pluries experimur, declinantibus febribus, cunctas promoveri evacuationes, tum ſenſibiles per alvum, urinam, ſputum, ſudorem, tum etiam inſenſibiles, per poros cutis perſpiratione. Porro ab immodica ſanguinis evacuatione, fieri plerumque ſolet, ut multo ſero in vaſa inanita intruſo, per febrem ſcateat, & deinceps revaleſcens in alvum, aut veſicam deponat. Accedit quod in iis magnam ſanguinis evacuationem patientibus appetitus tam magnus ſuccedat, atque convaleſcentes, ſuapte Natura plus appetant, quam queant digerere, unde ob nimiam ingeſtionem pedes intumeſcunt & non raro fiunt cachectici; non quidem quod morbus, per illas partes terminetur, ut vulgo creditur, ſed quod alterius morbi adſit promptitudo ac principium.

Speciatim autem notavit Hippocrates, id febricitantibus accidere, quoniam per febrem plerumque corpora exareſcunt, unde ſeroſa excrementa, non tam facile per id tempus egeruntur; at vero deſinente febre, cum gravamini illa deinde ſint toti corpori, ſolent a Natura in priſtinum ſtatum reſtituta, per proprios & patentiores ductus evacuari. Hinc merito adjecit, id duntaxat accidere, cum corpora reficiuntur. Atqui non parum itidem confert fellens humor, qui per febrilium acceſſionum tempora depravatus, ineptus evaſerat fæcum expurgationi, mox in ſalubrem ſtatum revocatus, conſueto uſui ſecretionis & excretionis inteſtinalium excrementorum, reficitur.

Verum alvum humectari ſolummodo animadvertendum, cum memorata excrementa feruntur ad inteſtina, at ſi fortaſſe in vias urinarias ducerentur, copioſior urina potius, quam lubricior alvus fieret, ut deducitur *ex 3 Prorhetic 40*. Sic pariter, ſi ad convaleſcentis corporis refectionem, ciborum frugalitas ſervetur unde multa excrementa nequeant cumulari, nec profecto alvus humidior evadet. Sequitur enim lubricitas alvi, immodicam excrementorum collectionem quæ non niſi largiorem ciborum uſum conſequi ſolet, cohærenter his, quæ idem Hippocrates docuerat, *2. Aph. 7. & 17.* ubi cibum

præter

præter Naturam plus ingeſtum morbum facere dicitur, idque patere ſanatione, hoc eſt, collectorum excrementorum expurgatione, ut ſubdit in *Comment* Galenus.

Quod hoc in Aphoriſmo, de copioſa eruptione ſanguinis fieri atque accidere dicitur, non raro quoque per frequentes atque immodicas Phlebotomias incurritur, proinde caute & non niſi grano ſalis inſtituendæ.

Dices I. Conſumpta humiditate venter exſiccatur, ſed per magnam ſanguinis evacuationem conſumitur ventris humiditas, Ergo alvus ſicca & non lubrica redderur. ℞ Humiditatem ventris non conſiſtere in ſolo ſanguine, ſed in aliis humoribus potiſſimum in lympha, ut in textu diximus, quæ ex cauſis allatis alvum humectat.

Dices II. Ad magnam effuſionem ſanguinis, fieri multos ructus dicit Hippocrates in Prorhetic ut in textu adnotavimus, atqui multi ructus ſunt ſicci, Ergo ſiccitas, non humiditas fiet. ℞ Hippocratem loqui de ructibus acidis, adeoque humidis, qui ſunt humiditatis ac cruditatis ſoboles.

Dices III. Eruptio ſanguinis in febribus plurimos ſervat, Ergo non nocet ℞. ſi critica ſit concedo: immoderata nego.

Aphoriſmus XXVIII.

Quibus dejectiones ſunt biliosæ, ſuperveniente ſurditate, ceſſant: & quibus ſurditas adeſt, biliosorum dejectione finitur.

Contentum ſeu Intentio.

De Conſenſu aurium cum Alvo.

Connexio: Cum hactenus Hippocrates egerit de variis exeretionibus ſympromaticis, nimirum atræ bilis & ſanguinis ſeu ſupra ſeu infra: In hoc Aphoriſmo, de dejectionibus bilis ſermonem inſtituit.

Hic Aphoriſmus duas habet partes: in *Prima* docet, ad ſurditatem ceſſare biliosas dejectiones. In *Secunda* ad biliosas dejectiones, ceſſare ſurditatem.

 Patulum

Patulum ſane, ac in confeſſo eſt apud omnes, à translatione humorum, de una in aliam corporis partem, varios ac diverſos accidere morbos, cum illi pro varietate partium, in quas feruntur, varias quoque excitent operationum læſiones, adeoque morbos omnino differentes, unde humor, qui ſtomachum vellicando cardialgiam affert, ſi fortaſſe in cerebrum, vel meninges deducatur, phrenitidem, vel alium morbum pariet. Et qui ſuo acore alvum ſtipticam facit, in renes delatus calculos procreat, in liene reſtagnans ſcirrhum, in pleura pleuritidem, atque alibi alias promovet affectiones. Hinc perpendens Hippocrates, in febribus potiſſimum ejusmodi humorum in caput & aures decubitum ſeu metaſtaſim, vel ex his in alvum depoſitionem, adnotat ſurditatem oriri vel deſinere.

Probilioſis autem dejectionibus eas intelligit, quæ tenuium & labilium ſunt humorum, qui ſponte ſua mobiles, facile ex una in aliam partem deducuntur. Hæ vero tam ſunt frequentes in febricitantibus, ut vix unum ex millenis invenias, qui ejusmodi humorum egeſtiones per alvum non patiatur; cum enim in febribus ſanguis indebite fermenteſcens, ſecundum aliquas ſui partes ſaltem, acrior evadat, fit propterea, ut ejuscemodi acrium ſuccorum, in cyſti fellea copioſior ſecretio, ac repurgatio habeatur, unde fæces urinæ, imo etiam ſudores & cæteri cutanea ſpiramenta conſimilem referant conditionem & non raro cutis ipſa pari formiter inficiatur. Igitur ſi fortaſſe per conſueta corporis emiſſaria recrementa iſta minime repurgentur, ſed in ſanguine detenta, ferantur in caput & aures, procul dubio ſurditatem afferent, oppletis nimirum ductibus, auditioni conferentibus, cum etiam in ſtatu ſano, ejusdem generis recrementa, in primam auditus ſemitam deponantur, unde cerumen exoritur, flavum ſimul & ſalſum. At vero ſi ab his ad alvum deferantur, flavæ dejectiones comparebunt, & quidem affluentiores, deſinente interea ſurditate.

Verum & recte advertit Galenus, non de ea hic ſurditate Hippocratem locutum, quæ inveterata & ex habitu difficulter ſolvitur & proprie ſurditas appellatur, ſed quæ repente in febribus, vel aliter fieri ſolet, & ſubauditio ſeu gravis auditus dicitur, illa quippe vitium organi ſequitur, vel ſaltem à tenaci & hærente humore dependet: hæc vero qua febricitantibus accidit, quoniam a fluente humore procedit, per-

ſeve-

ſeverans eſſe non ſolet; quamobrem qua facilitate evenit, eadem detruſo inferius humore breviſſime deſinit.

Cæterum hæc tum ſolum eventui prædicto reſpondebunt, cum ſurditas, ſeu ſubſurditas ex memoratis humoribus provenit: Nam ſi fortaſſe illa aliunde oriatur, ut accidit, Hermocrati *ægroto ſecundo 3. Epidem.* certe prognoſis fallet. Sed & poterit quoque humor in auribus collectus, alio diverti, & per ſudorem, aut urinam expurgari, & deſinet ſurditas abſque ulla per alvum evacuatione. Itaque debent iſta reciproce correſpondere, ut aphoriſtica hæc ſententia, ubique vera inveniatur. Non enim dixit Hippocrates *neceſſario* ſurditatem ſolvi per biliosam dejectionem. Sicuti nec ſurditas ſequitur neceſſario ad alvi ſuppreſſionem: ſed tum in caſibus ut diximus.

Unde autem hunc conſenſum aurium cum inteſtinis deducamus, ut his fluentibus, illæ laborantes, reaudiant, arduum ſane eſt ex Anatome explicare, niſi ſolum communes arteriarum vias recenſeamus, & mutuo inter ſe referentes ambarum partium glandulas, unde non ſemel vidimus brevi ſolitas parotides, ingenter tumefactas, egeſtionibus per alvum habitis. Attamen crediderim, iſtiuſmodi ſubſurditatem febricitantibus evenire, ab humoribus duntaxat circa ventriculum collectis, ſicut enim ſæpe numero experimur aures obſurdeſcere, & tinnitum & ſibilum pati, in vertiginoſis à ventriculo, imo & dolores & cæteras capitis affectiones, à ſtagnantibus ibidem humoribus excitari, ſic pariter credere licet in ſurditate, hic ab Hippocrate memorata ex ſuppreſſis egeſtionibus obtingere. Neque veroſimile videtur, tantam humorum colluviem, poſſe aures occupare, quanta ſolet per alvum deinde in febrientibus egeri. Satis enim eſt nervos, per eas partes excurrentes, præter naturam affici, vellicari, atque à pravorum ſuccorum præſentia gravari, aut extorqueri, ut mox cerebrum, ejuſque organa ſenſuum coafficiantur; fiet autem, ut potius aures in his lædantur, quam ſenſus alii, à conditione vitioſi humoris, acris & biliosi, quippe is ut antea dictum, nullum reſpondet cerumini, quod aurium recrementum eſt felleum & amarum.

Hoc pariter Praxis hactenus docuit ſi durante febre, poſt biliosas dejectiones, ægrotans derepente obſurdeſcat, non bonum ſed malum eſſe indicium, raptus nimirum biliosæ materiæ ad caput, unde phrenitides, deliria & convulſiones excitantur; prout paſſim quoque

ob-

obſervatur in pueris dentientibus, qui deſinentibus bilioſis evacuationibus convelluntur.

Dices I. Praxis docet, quod ſurditas in febribus continuis & malignis, ſignum bonum præbeat, facta nimirum metaſtaſi ab intra ad extra, utpote bona, eſt itu Hippocratis. ℞ Praxim non intelligere ſurditatem iſtam quæ fit, præcedente alvi fluxu bilioſo, ſed eam quæ immediate magnis delirus, & magnæ febri, ſine alvi fluxu ſuccedit.

Dices II. Surditas fit quandoque cerebri aut ſtomachi vitio Ergo non fit ceſſante bilioſo alvi fluxu. ℞ Concedo antecedens, nego conſequentiam, nam contrarium quotidiana docet experientia.

Inſtabis. Praxis rurſum docet, ſurditatem fieri à craſſo & viſcido humore Ergo non à bile. ℞ Bilem plerumque aliis eſſe commixtam humoribus, unde diſtinguo, non fit à bile ſincera tranſeat, mixta nego. Et licet ſincera foret, eſſicata tamen & viſcida aut alio modo vitiata, idem ac craſſus humor præſtare poterit.

Aphoriſmus XXIX.

Febricitantibus, ſi ſexto die rigores fiant, judicationem habent difficilem.

Contentum ſeu Intentio.

De Rigoribus ſexto die evenientibus.

Connexio: Sicut præcedens Aphoriſmus, ita & præſens quoque ad prognoſim pertinet, quo Hippocrates nos docet prævidere & prognoſticare, rigorem febricitantibus contingentem, ſexto die, difficilem judicationem præmonſtrare. Hic Aphoriſmus ob brevitatem diviſionem non patitur.

Rigor quidem adeo ſolet eſſe febricitantibus familiaris, ut unum ex peculiaribus ſymptomatibus, quæ febres comitantur, recenſeatur. Eſt autem rigor motus, cum concuſſione factus a cauſa aliqua præternaturam. Eſt autem, vel Periodicus, vel Criticus, vel Symptomaticus

Perio-

Periodicus, cum acceſſiones febrium intermittentium, potiſſimum tertianarum, initiat & renovat, & ſicut is, inſeparabile, & proprium ſignum earundem eſſe ſolet, ita quoque bonum exiſtimatur, de quo Hippocrates *hoc eodem Libro Aph 63 quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres ſolvuntur.*

Criticus eſt cum continuis vel continentibus febribus ſupervenit, præcedente coctione eo namque febres aut deſinunt, aut in intermittentes commutantur; unde Hippocrates *hoc Lib Aph 58 inquit: febre ardente laboranti, rigore ſuperveniente, ſolutio fit: Symptomaticus* denum febricitantibus accidit, ſed abſque ulla febris remiſſione, irritamentum & pravitatem humoris arguens, & ſi fortaſſe ægro jam debili accidat, lethale ſignum dicitur, hoc Libro Aph 46. *Si rigor* (inquit) incidat febre non deficiente, ægro jam debili, *lethale*: modo rigor hoc loco memoratus, nec periodicus, nec criticus eſſe poteſt, ſed omnino ſymptomaticus adeoque malus.

Neque vero ex uno tantum capite malus ille cenſendus eſt, nam ſexto die contingens, veluti inter initia febris, & vigente cruditate, malignitatis nota eſſe ſolet, ut ex Hippocrate, pluribus in locis Epidemiorum clariſſime deducitur, & quæcunque per hæc tempora contingunt, mala ſunt. unde & morbus regius & ſudores ſexto die incidentes, peſſimi ab eodem Hippocrate proclamantur: Quamobrem Galenus, ſextum diem Tyrannum appellavit, difficilem enim criſim, vel recidivam vel tranſitum in alium morbum, vel ipſam mortem ſexto die in febribus continuis contingens rigor importet, unde ſexta die agens Natura, raro aut nunquam à Medico imitanda, qui imitator tantum eſt Naturæ bene operantis.

Sed quam nocuus & moleſtus ſit rigor febricitantibus, ex ipſius Natura deducitur; eſt enim, ut diximus, univerſalis concuſſio corporis cum ſenſu frigoris, illata ab humore partes ejusdem ſenſu præditas irritante Ex hac autem concuſſione adeo totum corpus affligitur, ut velut à longo itinere defatigatum, ac verberibus cæſum conqueratur: Succedente vero intermiſſione, qua omnino febre vacet, quodammodo reficitur, & quiete compenſat, quod a febre rigorifica perpeſſum eſt at vero ſi febris intermiſſio nulla ſequatur, talem ex rigore moleſtam concuſſionem rependere cum non poſſit, magis & magis debilitatur, ut tandem ſuccumbat. Accedit, quod cauſa rigoris

 humor

humor eſt, omnibus partibus infenſus, itemque ſanguini, lymphæ & liquori nervorum, qua propter niſi deinde repurgetur, & per aliquam evacuationem egeratur, procul dubio mala minabitur periculoſiſſima.

Quamquam autem Hippocrates ſpeciatim notaverit rigorem, ſexto die malum, non ideo cætera accidentia, ſi forte eodem die, & alio non critico contingant, bona cenſenda erunt, cum & ſudores, & vomitus & dejectiones, & icterus, aliaque hujus generis, tum ſexto die, tum aliis diebus, nec criticis nec indicibus ante coctionem difficile judicium portendant: Nam quælibet evacuatio, ex præcedente coctione & ſecretione non contingens, pro ſymptomatica cenſenda eſt, velut ex pravitate, vel multitudine proveniens, nec tamen ejus humoris qui morbum facit. Hinc Phitini uxor *agr. 4. Epidem. 4.* cum octava die ſuperriguiſſet, vigeſima obiit: & uxor Dromeadæ, paſſa rigorem tertia & ſexta, paulo poſt periit. *Sic* & Hermocrates *3 Epidem* morbo Regio affectus ſexta die, periit vigeſima ſeptima: Contra vero Epicratis uxor, quæ ſuperriguit decima quarta, judicata eſt quadrageſima.

Quare ut rigor & alius Naturæ motus Criticus & ſalutaris cenſeatur, coctionem & ſecretionem, peccantis humoris conſequi debet, cum febris intermiſſione conjuncta, concurrentibus ſimul aliis bonæ judicationis indiciis.

Quale nam ſit ejusmodi judicium difficile, deduci poteſt, *ex 1 Epidem. Sect 2 Conſt 2.* ubi Hippocrates, *cruda & incocta, & in malos abceſſus converſa,* inquit, *aut judicationem non futuram aut dolores, aut diuturnitatem, autem mortem aut recidivam* (ut ſupra innuimus) *ſignificare*; quod & *in comment hujus Aphoriſmi*, rememorans Galenus ſubdit *eos, qui in hoc die,* (puta ſexto) *fiunt rigores, difficile habere judicium, hoc eſt malum afferre, ac ſi male judicantes dixiſſet, vel certe infirmum, ut qui facile recidivam facerent, vel in longum tempus protraherentur, ac ſi dixiſſet, difficulter ſolubiles.*

Dices I Rigor non ſemper futuram criſim indicat, Ergo falſum quod rigor ſexta die criſim malam præſagiat R. etſi rigor quandoque vel a calculo vel aliunde fiat ſemper tamen ſignificatur adeſſe, molimen alicujus excretionis, in febre autem continua eſt certiſſimum ſignum criſeos futuræ, modo non ſit in principio febris.

Inſtabit:

Inſtabis. Si rigores ſexta die, eſſent funeſti, ergo bona criſis in morbis bilioſis, non deberet fieri, paribus diebus, quod falſum eſt, quia tum fiunt criſes, quando fiunt paroxiſmi, ſed paribus diebus, in morbis bilioſis fiunt paroxiſmi Ergo & Criſes. ℞. Licet bonæ criſes v. g. fiant quarta die, qui putatur eſſe par, tamen par non eſt ratione ſeptimi, ſed tantum ratione primi ut patet ex inſtitutionibus, Ergo criſis non fit in quarto ratione paritatis, ſed ratione imparitatis, nempe ſeptimi, Ergo nulla debet fieri ad ſextum diem comparatio.

Inſtabis denuo. Hippocrates *in Epidem* ut in textu diximus, affert Philiſtida, Heraclitis uxor, quæ ſexta die ſuperriguit, minxit multum & ſeptima perfecte judicata eſt: Ergo rigor in ſexto tam funeſtus non eſt ℞. ibi naturam ob robur, circa finem ſextæ diei criſim incepiſſe, ſed non perfeciſſe uſque ad ſeptimum. Aphoriſmus autem intelligit de rigoribus, quæ immediate criſim præcedunt, idque in principio, non in fine ſexta diei.

Vrgebis Hippocrates dicit rigorem febri ardenti ſupervenientem, illam ſolvere Ergo non tam funeſtus eſt ℞. rigor ſuperveniens febri ardenti ſexto die ſolvit illam, nego, alio tempore apparentibus ſignis concoctionis & ſequente ſudore concedo. Neque hæc objectio eſt contra *Aphoriſmum 46. hujus Libri*, quia intelligitur de febre à cruda & non deficiente febre.

Inſtabis III. Poteſt fieri, coctio ſexto die, Ergo etiam poteſt fieri Criſis Prob Antecedens concoctio poteſt fieri quarto die, Ergo multo magis ſexto ℞. concoctio poteſt fieri die quarto Natura exiſtente forti, concedo, debili nego. Ergo poteſt eſſe ſexto, id eſt circa finem & initium ſeptimi in Natura forti concedo, à Natura debili & in principio ſexti nego.

Quæres. Quæ ergo ſit ratio, quod rigor in ſexto ſit malus cum aliis temporibus ſit Prodromus bonæ criſeos, præſertim ſi præceſſerint ſigna concoctionis? ℞. Licet nulla fundamentalis poſſit dari ratio, tamen id ſuadet autoritas & obſervatio ſeu frequens experientia. Poteſt tamen etiam dari ratio, quod pares dies ſint diſcriti, & criticorum rationem non habeat, inter quos ſextus præcipuus eſt: adde demum, quod non præceſſerint ſigna concoctionis, Ergo nec criſis bona eſſe poteſt.

Aphoriſmus XXX.

Quibus Paroxiſmi fiunt, quacunque hora febris dimiſerit, eadem ſi cras (ſeu poſtero die) repetat, judicatu difficile eſſe ſolet.

Contentum ſeu Intentio.

De Febrium longitudine ex conſtantia Paroxiſmi arguenda.

Connexio: Sicut præcedens Aphoriſmus fuit prognoſticus de difficili Judicio, ita & hic Aphoriſmus ad partem pertinet prognoſticam eventus febrium, & quidem ex repetentibus Paroxiſmis, eadem hora inconcuſſa, & invariata, eas ſolutu difficiles teſtatur. Exemplum, pro captu, affert Galenus, febris quæ ſemper eadem hora, puta tertia, redeat, & tum primo, tum ſecundo, tertio ac quarto die initium teſumat, & ſic deinceps, licet alia quavis hora intermittat & deſinat. Tales enim inquit, febres horam ſui Principii in acceſſionibus inconcuſſam & invariatam habentes, futuras longas, & difficulter ſolubiles, ſiqué ſive quotidie, ſive tertio, ſive quarto quoque die, illæ repetant.

Quod autem revera de quibusvis periodicis febribus ſermo hic ſit ab Hippocrate prolatus, colligi poſſe videtur ex adjectis verbis *quibus paroxiſmi ſeu acceſſiones fiunt*. Acceſſiones vero indefinite comprehendunt, quotidianas, tertianas & quartanas. Verum cum idem dicat: *Si eadem cras ſeu poſtero die repetat*: quotidianas potius expreſſas voluit, vel tertianas & quartanas duplices & triplices, ſingulis ſcilicet diebus affligentes. Quamquam probabile quoque ſit, voluiſſe id exempli loco notatum, quemadmodum alibi conſuevit, pari loquendi formula uſus, generalia medicinæ dogmata ſingularibus Exemplis tradere.

Sed, num voluerit ſub quacunque hora intermiſſionis, febris deſignare repetitionem & inceptionem ſequentis acceſſionis, ita ut finis unius ſit initium alterius, an vero principium ſingulorum paroxiſmorum,

rum, eadem ſemper hora contingat, licet finis & declinatio cum intermiſſione variet, ab expoſitoribus diſceptatur. Sub priori ſenſu interpretatur Heurnius, qui vult caſum ab Hippocrate fingi, ſi ſequenti die, invaleat febris eadem hora, quæ deſiit antecedenti. At vero ſub poſteriori exponit Galenus, qui ſervari quidem ſemper horam, in qua acceſſio ſuum faciat initium, non ſervari vero alias, in quibus finitur, ut antea notatum eſt, commentatur, parumque intereſſe, an quacunque hora, & citius & tardius febris deſinat, dummodo, eadem ſemper hora redeat & incipiat. Et quamvis utraque expoſitione ſenſus Aphoriſmi cohæreat experimento, ſuiſque rationibus fulciatur, longe tamen probabilior videtur, & menti Hippocratis congruentior interpretatio, ſi finem unius acceſſionis, alterius principium excipiat, ut cum exſpectatur intermiſſio præcedentis, & altera ſubſequentis febris acceſſio ſubingreditur. Etenim hic Aphoriſmus videtur ſcriptus de febribus continuis, licet periodicis; cum intermittentes *Aphoriſmo 43 hujus Libri*, dicantur periculo vacare, quæ propterea difficile judicium habere nequeunt. Cum igitur febres accidunt, quarum remiſſiones instantes, ſuccedentium acceſſiones excipiunt, ut quotidianæ, tertianæ aut quartanæ duplices, Hemitritæi, aliæque per *ſubintrantiam* ſeu *ſubintrantes* dictæ, tum profecto difficile judicium ſequitur, in his enim multi & mali ſolent eſſe humores ingeniti, foci febrium ſordidi, & fermenta viſcerum non parum depravata. Accidit præterea, ex ejusmodi febrium generibus, ingens in viribus jactura, cum neque coctiones ciborum, neque alimenti diſtributiones commode peragantur, & quod gravius, ob acceſſiones ſibi ſubito ſuccedentes Natura nequeat, ut in intermittentibus reſtaurari, ſed ſenſim hebeſcit, & elanguet. Secus autem accideret, ſi febris omnino intermitteret & deſineret, ut exiſtimat Galenus.

Quam præterea idem Galenus rationem difficilis Judicii (Judicium morbi Medicis ſignificat magnam mutationem, ſeu in melius, ſeu in pejus, unde judicari dixit Hippocrates, in morbis eſſe, cum augentur, aut in alterum transmutantur, aut finiuntur) quam, inquam, rationem difficilis judicii affert, deſumptam, ex fixa & firmata cauſa acceſſionum, quæ idcirco difficulter ſolubilis ſit, multis improbat Argenterius, ſed potiſſimum ex eo, quod erraticæ febres deberent eſſe facillime ſolubiles, ob vagam & inſtabilem cauſam, ex qua oriuntur, cum

tamen ex eodem Hippocrate habentur, difficillimæ ſolutionis eſſe, atque adeo longiſſimas evadere, quin & illæ, quæ fixam & ſtabilem cauſam recognoſcunt, ob id ipſum ſolvi facilius deberent, quippe quæ melius ſubjiciantur coctioni, & ſecretioni, quam ſi erraticam & vagantem conſequantur, unde concludit facilius concoqui biliosam materiam, alicubi ſtagnantem, quam fluentem & vagantem pituitam; itemque citius febres continuas, ex humore in venis concluſo, quam intermittentes procedentes ex humore, per habitum corporis diffuſo, ut idem et Galenus arbitratur. Sed enim experimur, tertianas & quartanas intermittentes, menſtruas & annuas evadere, cum Hyemem præſertim attigerint.

At quamvis hæc adverſus Galeni expoſitionem, ab Argenterio propoſita, non levis momenti videantur non tamen improbabilis illa penitus dicenda erit, ſi repetitiones febrilium acceſſionum ſtatis ſemper horis habita, invariatam temporis invaſionem ſervent. Siquidem reditus, acceſſionis febrilis, eadem ſemper hora immutabiliter arguit æquabilem & conſtantem, in vaſa ſanguinea fermenti febrilis intruſionem, atque in viſceribus, ſeu focis febrium, per uniformem & determinatam fermenteſcentis ſanguinis, in ſua emiſſaria depoſitionem. Verum quo pacto illa accidant, clarius infra explicabimus.

Quod quarundam febrium Paroxiſmi anticipent, quarundam poſtponant, ratio eſt, quod anticipantes materiæ ſubtilitatem, caliditatem & paucitatem; quæ vero poſtponunt, cruditatem, craſſitiem, frigiditatem & copiam præſeferant.

Dices: Anticipatio Paroxiſmi, ſignificat morbi augmentum, poſtpoſitio declinationem, æqualitas ſtatum, ſed ſtatum morbi ſignificare, non eſt ſignificare malum judicium Ergo. ℞. Anticipatio, ſignificat morbi augmentum, tantum nego, poteſt enim fieri à virium robore, & poſtpoſitio à debilitate, & tandem æqualitas paroxiſmi eſſe poteſt, toto morbi tempore.

Apho-

Aphoriſmus XXXI.

Qui per febres laſſitudinem ſentiunt, iis ad articulos, & juxta maxillas, potiſſimum abſceſſus fiunt.

Contentum ſeu Intentio.

De Abſceſſibus futuris in febribus.

C*onnexio*: Hactenus egit Hippocrates, de Judicio morborum, in hoc Aphoriſmo agit de Judicio, quod fit, per abſceſſum factum ad Articulos, maxillas & glandulas. Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur.

Jam alibi præſertim Lib. 2. Aph. 5. dixerat Hippocrates, ſpontaneas laſſitudines morbos prænuntiare, usque propterea uſus eſt, veluti ſignis, morbos præmonſtrantibus: Nunc autem in hoc Aphoriſmo easdem aſſumit, in ſigna prognoſtica futurorum abſceſſuum, in ante dictis partibus, ſi febricitantibus accidant, & absque ulla cauſa manifeſta.

Notavit autem ſpeciatim, febricitantes, quoniam licet abſceſſus quibuscunque ægrotantibus accidere poſſint, ex multa & tenui materia, cum vitium languore, vel ex tenaci & craſſa, expulſioni repugnante, frequentius tamen febricitantibus contingunt, eo quod humores febrim excitantes, per indebitam fermentationem, motui magis ſubjiciantur, & de loco in locum ferri poſſint.

Cum itaque febricitantes, citra quamcunque evidentem cauſam membra corporis defatigare valentem, laſſitudinem incurrunt, ut, vel ſi minimum & leviter moveantur, ſe impotentes percipiant abſceſſibus ſubjiciuntur, etenim exinde ſignificatur humores ad partes muſculoſas, itemque ad tendines & ligamenta articulorum decumbere. unde impedimentum motus, & impotentia regendi corporis pondus oxoriatur.

Quoniam vero laſſitudo triplex, memoratur à Galeno, Com-

Digitized by Google

Comment. ejusdem Aphor. 5. Lib. 2. *prima* quæ ulceris, *altera* quæ tenſionis, *tertia* quæ inflammationis ſenſum refert, dubitari hoc loco poteſt, quanam potius huc ſit adjicienda, quæ futuros abſceſſus, in loca articulorum prænuntiet. Et dicendum omnem, & quamcunque eſſe comprehenſam, cum unaquæque ab humoribus exoriatur, & ſolum inter ſe differat ſenſu, quem partibus inferunt; quamobrem non immerito Hippocrates, indiſcriminatim laſſitudines nominavit, porro, ad partes laſſitudine affectas, veluti debiliores facile quicunque humores appellunt & abſceſſus inferunt.

At vero non ex modica & momentanea corporis laſſitudine hi prorſus ſunt præſagiendi, ſed ex continuata, diuque perſeverante afflictione, ut propterea in Aphoriſmo notentur, qui *habent*, hoc eſt, qui perpetim patiuntur *laſſitudines*, non qui *habuerunt* vel paſſi ſunt. Inde enim arguitur imbecillitas artuum, qui faciliſſime ea propter excipere poſſint, decumbentes humores.

Sed & in articulis & circa maxillas potiſſimum memorantur abſceſſus fieri, quia humores a partibus nobilioribus ſepoſiti, non alibi promptius recipi & conſiſtere poſſunt. Sunt enim in articulis vacuitates, glandulæ vero veluti partes corporis ſpongioſæ, facile etiam excipiunt & detinent: Harum autem præcipue notavit, quæ circa maxillas, ut in buccis, juxta aures, itemque in collo, & in jugulo ad linguæ radicem, quippe in has ſæpiſſime vitioſos humores à cerebro aliisque internis viſceribus abſcedere experimur.

Quamquam autem articulos, & glandulas circa maxillas abſceſſus pati retulerit Hippocrates, non tamen reliquas, id ipſum ſubire poſſe negandum. Etenim ſectis cadaveribus, ſæpius abſceſſus inventi ſunt in glandulis meſenterii & pancreatis, itemque in glandulis lumborum & renum & aliis corporis partibus. Et ſane qua ratione pone aures & in collo glandulæ ſuſcipere poſſunt, vitioſos humores, eadem ratione & cæteræ, tum internæ, tum externæ abſceſſus pati poterunt; quin imo non ſemel expertum eſt multo citius quam exteriores glandulæ tumerent, interiores in meſenterio intumuiſſe; unde rationabiliter quidem diſſolventia & diaphoretica medicamenta, in ejusmodi temporibus a peritioribus medicis commendantur quæ ſcilicet impactos & hærentes humores incidant, attenuent & diſſolvant, & per patentiores ductus foras amandent, quemadmodum de urina multa

&c

& craſſa idem Hippocrates infra *Aphoriſmo 74. hujus Libri* fatetur, inquiens *Quibus ſperatur futurus abſceſſus ad Articulos, eos liberat ab abſceſſu, urina multa, craſſa & alba, qualis in laborioſis febribus, quarto die quibusdam incipit fieri* &c. de quibus inferius plura. Id ipſum quoque præſtat alvi fluxus, ſudores, vomitus, hæmorrhagia aut alia corporis evacuatio, abſceſſus præpediens.

Dices! Omnes febricitantes ſentiunt laſſitudinem, Ergo omnibus fient abſceſſus ℞. negando antecedens, in plurimis enim febribus, non obſervatur laſſitudo, imo tam fortes ſunt ſæpe ægri, ut durante ipſo febris vigore, & in delirus à pluribus viris fortibus vix teneri & coerceri poſſint.

Inſtabis: Laſſitudines ſunt affectus muſculorum, Ergo non ſunt articulorum ℞. per Articulos non intelligi juncturas tantum ſed partes circumjacentes etiam muſculoſas & tendinoſas.

Vrgebis. Futurum in maxillis abſceſſum, non videtur præcedere laſſitudo, quia maxillæ male factæ, nihil faciunt ad læſionem motus muſculorum ipſius corporis. ℞. Satis eſſe ſi pars mandans, nempe Caput afficiatur, quod eſt principium nervorum, unde laſſitudo, imo ſopor ante abſceſſum accedere ſolet.

Aphoriſmus XXXII.

Quibus ex morbo convaleſcentibus, pars aliqua laborat (ſeu dolet) eo (ſeu ibi) abſceſſus fiunt.

Contentum ſeu Intentio.

De Abſceſſibus Convaleſcentium.

Connexio: Connexio hujus Aphoriſmi cum antecedente clara & manifeſta eſt. quod enim de febricitantibus ex laſſitudine, præcedenti Aphoriſmo, pronuntiavit, nunc de convaleſcentibus, ex labore ſeu dolore, partem aliquam infeſtante id ipſum profert Hippocrates. Quare & hic Aphoriſmus, partim propter brevitatem partim

cum

Google

Aphoriſmus XXXIII.

Sed & , ſi ante morbum, pars quapiam laboraverit (ſeu doluerit) in eam ſe morbus obfirmat.

Contentum ſeu Intentio.

De Parte ad abſceſſus recipiendos apta.

Connexio. Cum duobus antecedentibus, manifeſtam connexionem habet hic Aphoriſmus: quemadmodum enim præcedentibus duobus Aphoriſmis, ex indiciis, concomitantibus, vel conſequentibus morbos, conjuncta videlicet laſſitudine, aut in ſequente dolore, prognoſim futuri abſceſſus deduxit Hippocrates: Ita hic ex præcedente morbum dolore, in aliqua parte corporis, conjicit futurum morbum ibidem conſiſtere & firmari: quamobrem inquit Galenus in *Comment. ſi quis velit connectere, duobus prioribus ſermonibus illum, qui nunc dicitur, ad unius Aphoriſmi integritatem, ſive ſeorſim unumquemque ſcribere, nihil refert, nam & communitas eorum oſtenſa eſt, & ſingulorum proprietas in ſermone propoſito*

Hic Aphoriſmus cum ſimpliciter Prognoſticus & brevis ſit, non patitur diviſionem.

Cum igitur antequam morbus invadat, pars aliqua corporis ad ægritudinem diſpoſita dolore afficitur, vel aliter moleſtatur aut languet, ibi futurus morbus firmabitur, ſumpta conjectura ex languore ejusdem partis affectæ. Nam ſicuti ſpontaneæ laſſitudines ante morbi invaſionem contingentes, corpus ob noxium morbis portendunt, ita labor, dolor, languor, cujusvis partis, prænuntiat futuram in eadem parte affectionem quippe pars dolens, aut aliter affecta, ſubjicitur recipiendis humoribus, præter naturam adauctis, & vitiatis, qui propterea ibidem conſiſtentes morbum excitabunt, inflammationis, tumoris, aut abſceſſus naturam referentem, niſi tamen evacuatione

per vias urinæ, vel inteſtinorum aut etiam per ſudorem, vel narium hæmorrhagiam, aliterve, vitioſus ac collectus humor egeratur, ut ex eodem Hippocrate deducitur *6 Epidem Sect 4. inter initia: Et 6. Epid. Sect 7. & infra hoc Libro Aph 79* ubi dicit: *Si pars inferius caleſcat aut frigeat, ibi morbi ſedes eſt futura* & alibi *ubi ſudor ibi morbus* Si ergo pars aliqua ſeu viſcus in corpore humano vel Natura, vel aſcititia debilitate in vel ante morbum contracta, labefactatum eſt, in hoc caſu, reliquiæ morbi abſceſſum cauſaturæ in hanc & non in aliam partem ferentur Cum hæc pars ad receptionem excrementorum ſit maxime habilis, ad expulſionem vero ineptiſſima. Eſt enim partis debilitatæ ſubſtantia, effæminata, mollis & laxa, quæ ideo fæces, cum ſanguinis torrente, eo allatas propter flacciditatem præter naturalem, veluti ſpongia, facile recipit, & propter deficientem ſiccitatem, ad tenſionem neceſſariam (in quo robur conſiſtit) difficulter expellit.

Dices I Plurimis ante morbum, ingens fuit capitis dolor, qui aliquando plurimis annis perduravit, deinde inciderunt, in gravem morbum, non capitis, ſed alterius partis, Ergo Aphoriſmus non verificatur. ℞. quemadmodum Hippocrates incepit ſermonem de articulis, ita per partem hic articulos intelligit. deinde falſum eſt, morbos & abſceſſus, in Capite debili non fieri ac in alia parte corporis.

Dices II Ubi ſudor ibi morbus, Ergo in æſtate v. g. poſt exercitium morbus erit in toto corpore, quod eſt falſum, nam ſudor etiam excitatur in corporibus ſaniſſimis ℞. Hippocratem hic intelligere ſudorem, qui fit durante morbo, non in corpore ſano, vel etiam à cauſa interna, non ab externa & violenta.

Inſtabis Sudor in morbis, ſignificat morbi ſolutionem, Ergo non ſignificat morbum ℞. ſudor criticus, qui fit die critico, & præcedente coctione, ſignificat morbi ſolutionem, concedo: Symptomaticus nego, & de hoc loquitur Aphoriſmus.

Urgebis Sudor ſyncopticus eſt ſudor ſymptomaticus, qui plerumque fit in fronte, cum tamen morbus ſit in Corde, nempe lypothimia, animi deliquium &c. Ergo neque ſudor ſymptomaticus eſt, ubi morbus eſt. ℞ In ſyncope eſt omnium virium lapſus, ergo non tantum affectus eſt in corde, ſed in toto corpore.

Apho-

Aphoriſmus XXXIV.

Si febre detento, ſuffocatio derepente ſupervenerit, nullo in faucibus apparente tumore, lethale.

Contentum ſeu Intentio.

De Angina tumore experte.

C*Onnexio*: Pergit Hippocrates, agere de abſceſſibus, ut paulo ante fecit, de iis quæ partibus nobilibus ad ignobiles fiebant, in hoc Aphoriſmo è contra agit, de abſceſſu, qui fit in parte nobili & pernicioſus eſt.

Hic Aphoriſmus proinde, cum rurſus prognoſticus ſit & ſimplex, diviſionem non patitur.

Pertinet autem quoque hic Aphoriſmus ad partem prognoſticam, quia co interitus præſagitur febricitanti, ſi repente ſuffocatione corripiatur, citra faucium tumorem.

Quandoquidem inquit: *febre detento (ſeu febrem habenti)* procul dubio, cui hæc accidunt, febre multo antea correptus exiſtimandus eſt. idque magis, quoniam ſuffocatio dicitur ſupervenire, quare eadem repente contingens erit ſymptoma ſuperveniens febricitanti.

De qua vero febre intelligat Hippocrates, dubitat in *Comment.* Galenus. Et quamvis de eo, cui magna inſit febris, videatur interpretari; contingit tamen, ſubdit etiam ſine magna febre, ſtrangulatione repente ſuperveniente, hominem interire, inevitabilior autem & citior eſt mors, ut ne ſperari quidem poſſit illius ſalus, cum vehemens febris detinet ægrotantem, ob majorem reſpirationis indigentiam.

Sive igitur acuta & gravi febre, ſive etiam leviori æger afficiatur, ſi nullo tumore fauces occupante, videatur repente ſuffocatione corripi, is prædicitur interiturus. Cum enim citra cauſam evidentem ſuffocatio ſupervenit, vel in pulmone, vel in aſpera arteria vitium aderit, & quidem ejus conditionis, ut non tam mole, quam venefica & convulliva qualitate & pravitate, reſpirandi organa inficiat, vel etiam à ſpinæ vertebris luxatis, atq; introrſum inflexis, partes reſpirationi dicatæ

 com-

comprimuntur: quorum utrumque lethale eſt, medelam nulla quaquam admittens. *Suffocatio namque non aliud eſt* inquit Galenus, *niſi interitus ſubitus propter defectum inſpirationis, qui fit ex anguſtia alicujus inſtrumenti ex iis quæ obſerviunt reſpirationi.* Quoniam vero dixit *nullo tumore in faucibus exiſtente*, implicite proinde intelligendum voluit tumorem guttur occupare: quæ enim internam partem, aſperæ arteriæ infeſtant, vel externis circum obſiſtunt, nullatenus viſu ſpectari poſſunt, etiamſi os undequaque amplificetur. Inflammato autem gutture, ejusque muſculis, impeditur reſpiratio & exſpiratio, vel per compreſſionem, ſi forte externus inflammatione gravetur, vel per obſtructionem, ſi interius conſtipetur.

Sed quid ſi tumor in faucibus appareat, an non lethale ſignum exiſtimandum ſit. Et quidem ſine vitæ periculo ejusmodi in faucibus tumor non erit, cum non minus periclitentur ægrotantes, ex impedita reſpiratione, quam ex impedita ciborum deglutitione. At vero longe periculoſior erit læſio reſpirationis, quam deglutitionis, cum ſine reſpiratione & aere, diu vivere nequeamus, absque deglutitione vero & ſine cibo ad plures dies vivere poſſimus. Accedit, quod tumor apparens in faucibus, multis & variis medicamentorum generibus tractari poteſt, & non raro ad maturationem, vel reſolutionem perductus, ægrum incolumem relinquit, ſecus vero qui guttur & aſperam arteriam occupat, & ſi fortaſſe maturitatem ſubeat, delabente in pulmonem & thoracem, purulenta materia necem quoque affert.

Dubitari præterea ſolet, quinam tumor hic ab Hippòcrate memoretur, cum apud Medicos tres ſpecies tumorum (excepto eryſipelate) communiter recenſeantur, phlegmonis ſcirrhi, & œdematis. In codice græco, ſcribitur *œdema* id eſt tumor mollis factus a phlegmate, unde is videtur ſpeciatim in Aphoriſmo notatus, eoque magis, quia citra dolorem eſt, cujus ne quidem verbum facit Hippocrates in textu.

Verum crediderim potius, inflammationem ſeu phlegmonem intelligendum eſſe, cum febricitanti ſuperveniat, ubi humoris acrimonem & tenuitatem ſortiuntur. Præterquam quod humores œdematoſi, veluti à lentis humoribus inducti, ſenſim & per paulatinam congeſtionem fiunt, nec facile gutturi, aut aſperæ arteriæ adnaſcuntur, in Aphoriſmo autem dicitur, repente ſuffocationem fieri opportere, &

minime

minime apparentem Quamquam ſi fortaſſe œdema exoriatur, adhuc vitæ periculum minetur, ob interclusam reſpirationis ſemitam. Uſus eſt autem nomine œdematis Hippocrates, quod omnem tumorem ſeu inflationem ſignificat, ut etiam in *Comment.* Galenus advertit.

Non eſt autem prætereundum periclitari aliquando ægros & ſuffocatos interire, absque ullo tumore aut inflammatione gutturis, vel faucium, ob malignam ſolum, & venenatam inſpirati aëris conditionem, ut ſæpe in morbis epidemiis obſervavimus. Compertum quoque eſt ſuffocari homines, & cætera animalia, peculiaribus halitibus è quibusdam cavernis ac fodinis erumpentibus. Ex denſiori etiam, aut plus juſto tenuiori aëre, id ipſum ſæpius viſum, quemadmodum in cellis vinariis, ex fermenteſcente muſto, locis occluſis, ſpecubus ſubterraneis, thermis, hypocauſtis, & aliis. Poteſt tandem id ipſum provenire ſuffocationis periculum, à vaporibus tetris ab utero aſcendentibus, vel interceptione circulationis ſanguinis, uti in hyſterica paſſione, vel apoplexia. Verum tamen ſuffocatio, in hoc Aphoriſmo memorata, non niſi grave pulmonis vitium, vomica abſceſſus, atque ab interna, non autem externa cauſa illatum, & quidem cum febre, & non ſine febre (ut in hyſterica apoplexia atque recenſitis caſibus fit) prout ante dictum eſt.

Dices I. Talis ſuffocatio poteſt tolli larga venæſectione, Ergo non eſt adeo lethalis ℞. ſi ſit a ſola plethora concedo. ſi vero à debilitate, reſolutione, convulſione, poteſt tolli venæſectione, nego.

Dices II. Homo poteſt pilis, vel re tenui deglutita ſuffocari, ut teſtatur experientia, Ergo non opus eſt tam violentis cauſis ℞. hominem pilo poſſe ſuffocari eſt revera Problema medicum. Si tamen contingat, id non præciſe à pilo, ſed potius à convulſione & concuſſione gutturis, pilum violente expellere conantis provenire.

Aphoriſmus XXXV.

Si febre detento, repente collum intorqueatur, ac vix deglutire queat, nullo exiſtênte tumore lethale.

Con-

Digitized by Google

Contentum ſeu Intentio.
De Angina Convulſiva.

Connexio. Nexus hujus Aphoriſmi, cum antecedentis eſt clariſſimus. Præſens enim non minus, quam præcedens, agit de ſtrangulatione repente facta in febribus. differt tamen ab illo, quod in præcedenti Aphoriſmo lethale ſignum, ex ſubita ſuffocatione, febricitanti ſupervenientе, à læſo gutture vel pulmone deſumpſit: nunc ab impedita deglutitione idem Judicium ſumatur, ob vitium faucium & gulæ: Equidem ſicut reſpiratio pertinet ad aſperam arteriam, ejusque ductus, ita ad fauces & œſophagum deglutitio

Hic Aphoriſmus æque ac præcedens, cum ſimplex in concluſione ſit, diviſionem non patitur.

Utrumque ergo ſymptoma conſiderat Hippocrates in febricitantibus, quibus ſemper gravius ac periculoſius eſt, ejusmodi extraordinariis accidentibus moleſtari, cum per febrem magis labefactentur, vitæ uſus, & operationum vitalium commoda ſenſibilius afficiantur, quæ plane diutius læſa eſſe non poſſunt, erit in cæteris morbis facilius ſufferantur.

Quoties ergo præter incommoda febris & ſymptomatum illam frequentius concomitantium, accidit, febricitantes rarioribus & inſuetis aliis vexari, longe majus periculum imminet. Et quidem de vita eſt magnopere ambigendum, ſi repente illis collum pervertatur & contorqueatur, ut vix ac ne vix quidem poſſit deglutire. Significatur enim talem ac tantam læſionem, in muſculis moventibus, flectentibus & circumvolventibus collum inductam eſſe, ut etiam nervi & vertebræ ſpinalis medullæ coaſſiciantur, unde etiam gula, quæ per fibras & muſculos ſpinæ adhæret, ſuo munere deglutiendi defungatur. Atqui hæc, non ſine luxatione, inflammatione, paralyſi aut convulſione contingunt, quæ febricitantibus mortiferæ eſſe ſolent: Sed, & impedimentum deglutitionis non leviter quoque incommodat, cum corpus alimento, & debita virium reſtauratione privet. Quod autem ab inflammatione, ex luxatis vertebris, & alia ſimili affectione ſpinæ id evoriatur, clarius expreſſit idem Hippocrates *2 Epidem. Sect. 2* & Galenus *4. de Loc. affect. 3.* Quamobrem quomodocunque ſpinæ vertebræ offendantur, ſive contuſione, contorſione, vulnere &c. valde de exitu lethali timendum erit.

Dies

Dices I. Hippocrates 6 *Epidem* 7. ait: illi gravius affligebantur, quibus cum febre cervix intus vergebat, illis vero, qui ſolum deglutire non poterant, valde mites erant Anginæ, Ergo ex deglutitione in febre læſa, tantum non reſultat periculum. ℞. Hos fuiſſe absque ſuffocatione, adeoque in tanto non fuiſſe periculo. Vel ℞. Hippocratem loco citato egiſſe tantum de ſimplici angina, in hoc autem Aphoriſmo, de contorſione ipſius colli.

Dices II. Convulſio ſuperveniens febri, ſæpe non eſt lethalis, ut docet praxis, Ergo contorſio illa colli à convulſione, non erit tam exitialis. ℞. Etſi rarum ſit, aliquem à febre convulſum evadere, nihilominus pejor eſt, colli convulſio & contorſio, quam alia quæcunque, ut apparet, in Emproſtotano, Opiſtotano, & Tetano, à quibus vel rariſſime vel nemo evadit.

Aphoriſmus XXXVI.

Sudores febricitantibus boni, qui manare cœperint, die tertio, quinto, ſeptimo, nono, undecimo, decimo quarto, decimo ſeptimo, vigeſimo primo, vigeſimo ſeptimo, trigeſimo primo, trigeſimo quarto; ii enim ſudores, morbos judicant; qui vero ſecus evenerint, laborem, & morbi longitudinem, & recidivam ſignificant.

Contentum ſeu Intentio.

De Sudoribus Criticis & minus talibus.

C*Onnexio*: Hactenus noſter Hippocrates, varia attulit de criſi per abſceſſus facta. In hoc præſente Aphoriſmo, agit de Criſi, quæ per excretiones fit, & pro Exemplo ſudores aſſumit.

Hic Aphoriſmus duas habet partes. in *Prima* laudat dies, qui bonos ſudores efficiunt, in *Secunda* vero qui malos procreant.

Pergit ergo Hippocrates in hoc Aphoriſmo, examinare ſudores, in febribus evenientes, per quos hæ ſæpiſſime judicantur, eos autem

inquit ſi inceperint, diebus imparibus, potiſſimum indicibus, & Decretoriis, bonos & ſalutares eſſe, ſecus in aliis: Quare conſiderat hic ſolummodo tempus apparitionis ſudoris, nam de ſubſtantia, qualitate, loco, & modo, infra dicetur.

Quamquam autem, fere omnes interpretes, unanimi conſenſu, generalem hanc Hippocratis ſententiam exponant, indeque rationem dierum judicatoriorũ tueantur, ſi nihilominus acuratius perpendantur, quæ hic eorundem ſerie is complexus eſt, procul dubio plures, & quidem non levis momenti difficultates occurrunt excutiendæ.

Primo autem ſe offert examinandum, cur ad ſeriem criticorum & indicum, *quartum diem* in hoc Aphoriſmo non retulerit, recenſuerit vero, tertium & quintum; itemque cur vigeſimum primum, non *vigeſimum*, qui tamen ab eodem inter potiores Criticos alibi refertur, & cur vigeſimum ſeptimum, non *vigeſimum octavum*, veluti per ſeptenos, computatum ad vigeſimum primum.

Nec deinde difficultate caret, quare tempus ſudoris incipientis in febribus ſit hic per dies impares, veluti criſimos recenſitum, cum tamen idem Autor *1 Epidem.* judicatorios dies diviſerit in impares, & pares, eo ſane diſcrimine, ut ſi morbi per dies impares exacerbentur, imparibus quoque judicentur, & per pares, diebus paribus.

Verum licet per dies impares, ingraveſcentes morbos, ſpeciatim voluerit hoc Aphoriſmo deſignare, unde poſtmodum non decimum tertium, ſed decimum quartum recenſuit, & trigeſimum quartum, non trigeſimum tertium, vel trigeſimum quintum, in quibus acceſſiones repetunt ſenſibiliores, & gravius affligentes, cum febres periodum ſervant tertianarum.

Unde præterea, tantam fidem hoc loco, judicatoriis diebus præſtitit Hippocrates, qui *in Libris Epid.* quamlibet diem, tum imparem, tum parem, decretoriam norat. Equidem Lariſſæam virginem, ſexta die judicatam refert, ut & filiam Euranachis. Pythion æger primus *1 Epidem.* decima die ſudavit, & judicatus eſt, aliique plures pari modo judicati memorantur, ut ſupra late oſtendimus. Quamobrem Celſus diligentiſſimus cæteroqui præceptorum Hippocratis obſervator, nullam dierum criticorum, rationem habendam voluit, ſed tantum acceſſiones repetentium febrium conſiderandas, cum ex illis morbi judicium ſumant. Animadverſione pariter dignum videtur, cur omiſerit

rit quadrageſimum diem, ultimum criticum acutorum morborum, in quo multi a graviſſimis morbis vindicati memorantur, ut prætercam reliquos dies in Chronicis conſiderabiles, ſexageſimum, octuageſimum, centeſimum, & centeſimum vigeſimum. Hinc traditam Criticorum dierum rationem ſuſpectam plerique habuere, neque ſolum ex recentioribus, ſed apud vetuſtiores quoque teſtis eſt ipſe Galenus, qui *in Comment. hujus Aphoriſmi* hæc habet: *Non parva eſt de diebus ſcriptis in Aphoriſmo diſcordia, cum alii alios pro arbitrio ſcribant.*

Adhuc inſuper inquirendum foret, quomodo poſſit ſudor die tertio vel quinto Criticus & ſalutaris eſſe, tunc morbus in principio ſit, quo tempore nunquam ſalubriter Natura movet, quæ tam brevi concoquere, & malos humores ſecernere nequit. Contra vero quomodo fieri poteſt, ut ſudor poſt vigeſimum ſeptimum, vel trigeſimum primum erumpens, tam malus ſit, ut longitudinem morbi, laborem, vel recidivam portendat, ſi aliter ſuccedat, cum jam ſat diu is perduraverit, ejusque cauſa morbifica, magna ex parte, domita putetur, cum ſignis coctionis & criſeos, præſertim quia ſudores ab humoribus tenuibus proficiſcuntur, & hic ab Hippocrate conſiderantur, veluti acutis morbis finem imponentes, qui propterea ultra quadrageſimum producti non referuntur.

At vero quamvis hæc plurimi f[illegible]enda ſint, ut alias quoque meminimus, attamen Aphoriſticam hanc Hippocratis ſententiam non incommodant, quippe is ſudores hic memorat, qui frequentius febricitantes alleviant, & potius iterato febres ſenſim ſolvunt, quam ſemel per abſolutam & exactam criſim judicant, quemadmodum Galenus *3 de criſibus* adnotavit, raro nimirum febres, præſertim productas unica & perfecta criſi terminari, ſed ſæpius repetitis evacuationibus deſinere, quas idem ſolutiones appellavit, cohærenter his quæ Hippocrates ipſe *Aphoriſmo 63 hujus Libri*, ex rigoribus quotidie recurrentibus, febres quotidie pariter ſolvi animadvertit, potiſſimum per ſudores. Quoniam vero iſtæ per dies plerumque impares invadunt, nec quadrageſimum tranſcendunt, ideo factum, ut impares præcipue notaverit, & omiſerit quadrageſimum. Quod autem de ſudoribus non ſemel apparentibus, & judicantibus febrem, ſed incipientibus apparere, & ſæpius redeuntibus agere conſtituerit, patet manifeſte ex contextu, ejusdem Aphoriſmi, nam inquit: *Sudores febricitanti ſi caperint*: Si

 ergo

ergo enarratis diebus inceperint, ac deinceps progrediantur, utiles eſſe ſtatuendi erunt. Cum imparibus autem connumeravit decimum quartum, & trigeſimum quartum, an quod voluerit ſequi priſcorum morem, qui ex Pythagoreis, hos dies magis commendabiles fecerunt; an vero quia ſub his adiacentes comprehenſos voluit, quos ideo non retulit, an demum quia quæ ſæpius obſervavit, ſcripſit. Atqui anticipantes, aut ſerius redeuntes febres, non raro in cauſa ſunt, ut criſes, quæ cæteroquin die impari evenirent, pari accidant, etenim fieri poteſt, ut tam diu iteratis acceſſionibus præveniant, aut remorentur, ut tandem dies permutent. Cæterum quartæ diei Hippocrates non meminit quia ſudores hic conſideravit in declinationibus febrium comparentes, quæ enim per dies impares ponantur exacerbari, propterea illi, non nisi in diebus imparibus quoque prodibunt. Sed & raro criſes obſervatas teſtatur Galenus in quarto die, qui ſe ſemel tantum, & Archigenem bis in tota vita vidiſſe fatetur.

Quod poſtremo ſudores aliis diebus contingentes, quam in his, qui notantur in Aphoriſmo, laborem portendant, morbi longitudinem vel recidivam intelligendum, cum abſque ſignis coctionis accidunt, neque à natura poſt ſecretionem expellentis, tum enim humorum multitudinem aut pravitatem conſequuntur, adeoque morbum futurum longum, moleſtum, redeuntem, ancipitem, & non raro etiam capitalem, ſi præterim alia pravitatis indicia ſimul copulentur.

Quid autem ſudor ſit, & quæ ſudorum differentia & cauſæ aliaque obſervatu ac ſcitu digna, abunde tradita ſunt in inſtitutionibus, nec hujus loci eſt crambem repetere.

Dices I. Dies quartus eſt Criticus juxta Hippocratem *Lib. de Vict. rat. in acut. & Epidem.* Ergo tamen in hoc Aphoriſmo poni debuiſſet. ℞. 1. rationem, cur omiſſus fuerit, quartus dies in hoc Aphoriſmo, jam in contextu fuiſſe datam. ℞. 2. dies quartus eſt Criticus, ratione primi ſolius nego, ratione primi & ſeptimi (ut ſupra diximus) quorum medius eſt concedo.

Inſtabis. Sæpius in febribus bilioſis obſervantur criſes, quarto die, quia eſt index ſeptimi, Ergo etiam Judicatorius, Indices enim etiam ſunt Judicatorii. ℞. 1. fieri criſes in febribus die quarto, non autem ratione ſui, ſed ex præparatione tertiæ diei, licet excretio primo abſoluta ſit quarto die, talis ergo criſis, non propria eſt quartæ ſed ter-

tiæ

tie diei teſte Galeno qui *in comment* dicit: *morbum, dum feſtinat imparibus diebus* (qualis eſt tertius) *judicari, ubi vero tardat, & poſtponit, ad dies pares* (qualis eſt quartus) *acceſſiones transferri.* ℞. 2 Dies Indices eſſe judicatorios, non ratione ſui, ſed ratione præcedentium dierum, quibus facta eſt coctio, ita quartus eſt judicatorius, reſpectu tertii, vel quinti, ubi morbi ſunt ante vel poſt ponentes.

Aphoriſmus XXXVII.

Frigidi ſudores, cum febre quidem acuta, mortem: cum mitiore vero, morbi longitudinem ſignificant.

Contentum ſeu Intentio.

De Sudoribus frigidis.

C*onnexio*: Cum in antecedenti Aphoriſmo, de ſudoribus bonis aut malis, juxta dies pares aut impares evenientes, tractaſſet. In hoc præſenti Aphoriſmo, qualitatem ſudoris, in febricitantibus conſiderat Hippocrates, & præſertim eam, quæ ad tactum pertinet, velut ſenſibiliorem & frequentiorem, frigoris videlicet aut caloris. Inquit autem frigidos ſudores ſemper malos eſſe, ſed tamen cum acuta febre junctos mortem, cum mitiori vero morbi ſolum longitudinem præſignare. Unde duas partes habet hic Aphoriſmus, juxta jamjam datas duas concluſiones.

Sudores autem in febribus calidos præſentiri oportere, vulgo notum eſt, tum quia a partibus viventibus, calore præditis emanant; tum quia ſanguinis, vitæ fomitis, feroſitates redolent, & ſalium mixturas, unde ſenſationem tactui inferunt caloriſicam. Quo ſcilicet pacto, calor è corporibus percipitur, media actione ſenſui tactus illata: quamobrem quæ acrius tactum afficiunt, & patentius cutis poros divellunt & diſcerpunt, ea quoque calorem excitant recentiorem. Contra vero, quæ coarctando conſtipant, vel obtundunt, atque tenuiores partes hebetant ac figunt, ita ſenſum frigoris inducunt, & non raro etiam ſtupefaciunt, ſi fortaſſe modum excedant. Hæc autem ab uno & ſolo ſanguine, vel in motum celeriorem adacto, vel è contra præpedito contingunt: Siquidem quoad usque ſanguis mediocriter fluidus, per

Digitized by Google

venas & arterias excurrit, atque portione ſui florida, & vivifica cunctas corporis partes irrigat, & quaqua verſum inſcitur calor, quem vitalem appellamus, in iiſdem perſentitur, quæque inde prodeunt, etiam excrementa, caloris quoque ſenſum exhibent. At vero ubi præter naturam, is aſſicitur, & vel exoluta portione volatili, vel etiam coagulata, vel aliter irretita, circuitum æque bene perſolvere nequit, imo effœtus & vapidus, nec arteriolarum externarum partium ſubit, nec eutum convenienter fovet, cumque ab acido potiſſimum ſeroſiores & lymphaticæ portiones, ex eodem male affecto, preſſius & infenſius exprimantur, & per glandulas ſubtercutaneas, in exteriorem corporis ambitum protruſæ, ab ambiente aere figantur, ſudor proinde frigidus exoritur.

Atque hinc ſudores frigidi, cum acuta & continua febre conjuncti mortem prænuntiant, quippe qui ſignificent, eam in ſanguine, & cæteris liquoribus corporis diſcraſiam, & depravatam affectionem inductam eſſe, ut jamjam cruorem, & floridam ejus portionem figendo, aut exolvendo, circuitum remoretur, & pulſationes in corde & in arteriis intercipiat, cum magno vitæ diſcrimine. Frigidis ſudoribus quibus legimus periiſſe, Philiſcum, Silenum, & uxorem Dromeadæ *1 Epid.* Quodſi febris acuta & continua non ſit, ſed levis & puſilla, ut ex adjunctis ſymptomatibus, ab humore potius, in glandulis ſubcutaneis concreto, atque ſenſim per febrem extenuato, ejusmodi ſudor exorietur, quare longitudinem ſolummodo præſignabit.

Eſt tamen verum quod multum differt ſudor frigidus, cum febre acuta copulatus, ab eo, qui mitem febrem comitem habet. qui enim febri acutæ & continuæ jungitur, veluti ab exoluto ſanguine procedens, præter ſenſum frigoris, inſtar glutinis adhæret, unde liquatæ ſubſtantiæ alibilis, portionem exhibet; qui vero febri minori ſociatur, cum non niſi lympham craſſiorem, in glandulis hærentem, & ſenſim contabeſcentem, pro materia recognoſcat, procul dubio ſeroſiorem conditionem participabit, adeoque minus malus erit, quoniam nil aliud mali arguit, quam multam, craſſam, & crudam materiam, quæ tandem diuturnitate temporis diſſolvetur & ſuperabitur.

Debent autem mites ejuscemodi febres, tales revera eſſe ex ſui Natura, modicum ſcilicet, levemque receſſum à conſueto, & ſano ſtatu corporis, inducentes: Nam ſi fortaſſe mites & puſillæ forent, ex maligna

maligna & venenata conditione quemadmodum Galenus animadvertit, puſillas febres, inquiens, quandoque valde malignas eſſe, certe majus, & celerius periculum minantur, an quod internam alicujus viſceris inflammationem conſequuntur, an etiam, quia corruptionem & gangrænam. Quoniam vero indiſcriminatim dixit Hippocrates, frigidos ſudores, malos eſſe in febricitantibus, merito dubitari poteſt, an de ſudore quocunque morbi tempore erumpente intelligere voluerit; an vero de ſudore, ſolum in diebus criticis. Et quidem cum ſuperiori Aphoriſmo, ſudoris meminerit, certis ſolum diebus prodeuntis, videtur notaſſe, duntaxat eum, qui, quo die criſis exſpectatur, erumpat, ut exiſtimat Heurnius. Verum non eſt, ut Aphoriſmum, ad hos tantummodo ſudores contrahamus, cum & reliqui etiam inter initia febrium comparentes, ſi frigidi ſint, idipſum præſagiant. Imo fatetur Mercurialis, rariſſime contingere, quod ægri in principiis morborum, multum ſudantes, aut non periclitentur aut longo morbo non corripiantur: quin & calidi ſudores lethales eſſe conſueverunt, ſi ægrum non allevent & vires diſſolvant. Quamobrem non ideo quia ſudores Hippocrates, frigidos vituperavit, calidos perpetuo utiles putandum, cum & hi niſi modum & quantitatem ſervent a viribus tolerabilem, atque univerſales ſint, e toto nimirum corpore manantes, in febrium declinationibus quæ propterea ſubinde intermittant, peſſime quoque cenſendi ſint. Attamen non ſemel vidimus, ejuscemodi frigidos & exitiales ſudores, compeſcuiſſe Diaphoretica alexipharmaca, veluti antimonium Diaphoreticum rite præparatum & convenienti doſi Electuario Diaſcordii Fracaſtorii mixtum. Itemque bezoarticum minerale aut martiale, ſal volatile viperarum, ſpiritum ſalis armoniaci aromatizatum &c. Fotis interea partibus externis ſpiritu vini vel ſimplici vel camphorato. quod quidem pleriſque Paradoxum, ſed ab effectu hiſtoriam & experimentum teſtatur.

Objectiones quæ ſuper hoc Aphoriſmo moveri poſſent, jam in ipſo contextu enucleatæ ſunt.

Aphoriſmus XXXVIII.

Qua corporis parte ſudor eſt, ibi morbum eſſe ſignificat.

Con-

Contentum ſeu Intentio.

De Sudore Loci affecti indice.

Connexio Cum in duobus antecedentibus Aphoriſmis Hippocrates egiſſet, de ſudore, quoad tempus & qualitatem. In hoc præſente Aphoriſmo, agit de ſudore, quoad locum, ſeu partem corporis quam occupat. Hic Aphoriſmus ob brevitatem & ſimplicem concluſionem, non patitur diviſionem.

Sudores in febribus, ut ſalutares ſint, non tantum calidi, ſed è toto corpore ſtillantes eſſe debent, cum inter evacuationes univerſales à Medicis referantur. Quandocunque igitur particulares ſunt ex una, vel altera corporis parte manantes, mali putantur ex *2 Progneſt 26.*

Damnat itaque illos hic Hippocrates, non tantum ut cauſas morboſas, verum etiam ut ſigna, oſtendentia illam partem, unde effluunt, ſpeciatim affectam eſſe. Non tamen hæc cutanea ſolum intelligenda, quaſi vero ſudor, ex poris cutis emergens, eandem cutim laborantem deſignet, ſed potius viſcera interius recondita; quamobrem e capite profluens cerebrum, ejusque meninges, laborare deſignabit, è pectore vero Pulmonem & Cor. Neque inſuper ex illo ſemel erumpente, id ipſum conjecturandum erit, ſed ex iteratis & recurrentibus ſudoribus; unde experimur eos, qui cerebro deſtillationibus obnoxio laborant, in ſomno, circa frontem, & cervicem ſudore perfundi & nares humidiores pati; qua ratione dicebat Hippocrates *6. Aph. 2* quibus nares Natura humidiores, & genitura humidior, ii minus integra ſanitate fruuntur, quoniam cerebrum ſeroſitatibus abundat. Oportet autem ſudorem, in his ſponte prodire, nulla cauſa externa impellente, puta æſtu aeris, exercitus, hypocauſtis &c quippe à ſuperabundanti humore neceſſe eſt, ut is ſolummodo erumpat; quamobrem, ſicuti egeſtiones, per alvum, aut per vias urinæ, ſponte habitæ, & plusquam Natura poſtulat, excedentes, multitudinem humorum oſtendunt, eorum præſertim, quæ imum ventrem occupant: Ita pariter exſudationes particulares adauctæ, atque alicubi collectæ, ſeroſitatis indicia ſunt. At vero plerumque in glandulis quæ innumerabiles per habitum corporis, diſperſæ detectæ ſunt, ſeroſiſti humores colliguntur, ut præ cæteris prodidit Warthonus *in ſua Adenographia* hæ autem cum vel à frigore ambiente exprimuntur, vel cum ab ejusdem æſtu attenuantur & rareſcunt

vel

vel cum adeo turgidæ, ulterioris lymphæ incapaces evadunt, ſolent ſponte ſua illam in ſudorem adigere. Atq; hinc obeſiora corpora veluti ſucci plena, facile ex quacunq; levi cauſa copioſo ſudore perfunduntur.

Neq; vero ſudor, qua parte erumpit, male affectam illam ſolum indicat, ſed eam quoque unde provenit. Expertum enim eſt, caput aliquando ſudare, ab affecto ventriculo, aut utero, ut in vertigine ſympathica & hyſterica affectione. In his enim non tantum morbus in capite & cerebro deſignatur, ubi ſudor comparet, ſed potiſſimum in ventriculo, in utero, unde affectum cerebrum turbat. Sic pariter ſudat cervix, & frons ex ſyncope, inopino timore, cordis anxietate, & aliis vehementioribus animi pathematibus, neutiquam morbo cerebrum afficiente, ſed cor, quoniam ex corde vehementer perturbato, ſanguis tumultuarie commovetur, & in ſeroſitates exſtillat, caput & faciem potiſſimum perfundentes, ob imaginatricis conturbatæ vim, & moleſtam impreſſionem, à triſti & injucundo objecto ſuſceptam.

Poſtremo, ejusmodi ſudores, plerumque noctu & inter dormiendum contingere ſolent. Compertum enim habemus, eos, qui pectore laborant, vel laxiori & imbecilliori capite ſunt prædìti, per noctem ſudare, circa partes easdem, in quibus ſe læſos, experiuntur, ſenſim ſcilicet ſe exonerante Natura, quibus ſuperfluitatibus opprimitur. Vigilantes quoq; nonnulli conſueverunt, circa ſtomachum & ventriculum ſudare, cum præſertim multo cibo, & immoderato potu infarciuntur. Qui præterea doloribus articulorum obnoxii ſunt, ſolent ſæpius ex nullo, vel levi motu, in plantis pedum, & volis manuum, craſſiori humore interdum madeſcere. Quare pars ſudans, ſignificabit morbum in ſe ipſa latentem, à ſuſceptis ex imbecillitate humoribus, vel aliunde transmiſſis, vel ibidem congeſtis, & ingenitis. Hinc medicamenta ejusmodi humores abſcindentia, dirigi debebunt, tum ad partem ipſam quæ ſudat, tum ad eam, quæ ſudoris materiam procreat & ſuppeditat.

Dices I. Poteſt eſſe ſudor in aliqua parte, ſine morbo, ergo falſus eſt Aphor. ℞. ſine morbo tranſeat, ſine cauſa morbi nego, & hoc ſufficit.

Inſtabis: Sæpe aliqua pars ſudat, absque cauſa morbi: v. g. ex violento exercitio, Ergo nulla ſolutio. ℞. ut dictum in contextu de hoc ſudore ex tali cauſa, non loquitur Hippoc. non enim eſt morboſus.

Vrgebis. Si hic Aph. verus eſſet, ergo quotiescunq; cutis ſudaret, eſſet morbus in cute, & non in parte illi ſubjecta, quod falſum eſt. ℞. cutem

tantum eſſe viam per quam ſudor tranſit, unde dum illa ſudat, non ſequitur ergo in illa morbus eſt.

Aphoriſmus XXXIX.

Et, qua parte corporis, ineſt calor aut frigus, ibi morbus.

Contentum ſeu Intentio.

De Calore & frigore, loci affecti indice.

Connexio. Hic Aphoriſmus eſt continuatio prioris morbi ſedem inveſtigans, per qualitates caloris vel frigoris. Hic Aphoriſmus pariter ac præcedens, ob brevitatem diviſionem non admittit.

Non tantum ergo a ſudore, particulatim erumpente, latentis ibidem morbi indicia ſumere poſſumus, verum etiam ex aliis accidentibus, quæ eidem inſueta contingunt, unde ex mutato cutis colore, alopecia, aſperitate, duritie & aliis, id ipſum conjicere ſolemus. Notat autem ſpeciatim in hoc Aphoriſmo Hippocrates ſenſum caloris, aut frigoris, qui ſi fortaſſe, in aliqua parte diutius perſeveret, nec facile cedat, eam morbo laborantem deſignabit.

Et quidem calor aut frigus, partem affectam indicabunt, ſi modum & temperaturam exceſſerint, cum receſſum arguant à conſueto & naturali. Calor enim alicubi exuperans, ſicut & frigus, deſignant humorem ibidem collectum hærere, qui aut indebitam fermentationem excitet, aut circulantem ſanguinem retardet, aut conſuetam perſpirationem impediat, aut alibilem ſuccum depravet, vel aliud præter naturæ morem, agat, quod ſenſum acuat vel obtundat, quemadmodum à ſanguine reſtagnante, plerumque accidit ut in tumoribus. Sed & aliquando fit, ut partem exolutam vel emortuam denuntiet, adeoq; præſentem vel imminentem gangrænam. In his etiam, qui quartanas vel tertianas febres patiuntur, frigus moleſtiſſimum, inſtar glaciei inter initia paroxiſmorum, circa lumbos perſentiunt, deſignans ad eaſdem partes, harum febrium focos pertinere, prout noviſſime demonſtravit, Franciſcus de le Boe Sylvius. Neceſſe autem eſt, caloris aut frigoris exceſſum, ita partibus accidere, ut diutius perſeveret. Nam ſi fortaſſe illico diſpareret, cum non à firma & ſtabili cauſa procederet, certe vel nullum vel levem tantum partis morbum indicaret, ſed ſolam ejuſdem imbecillitatem, qua obnoxia illa denotaretur perturbationibus

bus ſubeundis præſertim ex halitibus, è quibus fugaces ejusmodi calores excitari ſolent.

Pari ratione, ſi fotibus calorificis, ſenſus frigoris deſineret, nec liceret latentem in parte morbum arguere. etenim non raro ab æſtu aeris immoderato, facies plurimum calere ſolet, quæ frigida ablutione, illico mitescit; & contra ſæpiſſime per hyemem, algent manus & pedes, nullo interius latente morbo, quia mox igne, vel alio corpore calorifico in naturalem & conſuetum calorem reſtituuntur. Quare ejusmodi excalefactiones & refrigerationes, ab internis cauſis induci debent, neq; ut levis momenti ſint, oportet, ut proinde obſiſtant, adhibitis extrinſecus medicamentis, ſecus latentem ſub cute morbum non indicabunt.

Morbus denique ex ejusmodi ſenſu frigoris vel caloris, in partibus affectis indicatus, materialis eſſe debet, nam quemadmodum dolor non fit, niſi a re ſolvente continuum, ita frigus & calor in partibus excitatus, non ſine aliquo ſenſu doloris, absque cauſa materiali nequit haberi, puta ab humore ſenſum frigoris vel caloris inferre valente. Porro omnes iſtiusmodi ſenſiones cum tactu ſunt: *Tangere autem vel tangi, niſi corpus, nulla poteſt res.* Unde bene dixit Fonſeca *in Comment. hujus Aphoriſmi*, *morbus*, inquit, *non eſt intemperies, ſed* quidpiam aliud intemperiem ſequens, ſeu ex illa reſultans, id eſt, indiſpoſitio corporis per calorem vel frigus inducta.

Dices I. Sæpe ſentitur in aliqua parte calor vel frigus, & tamen non adeſt morbus, Ergo non ſubſiſtit Aphoriſmus. ℞. ſi calor & frigus non ſint permanentia concedo, ſi ſint permanentia nego.

Inſtabis: Calor & frigus in aliqua parte, non ſignificat morbum in ſoluta unitate, non in mala conformatione, Ergo morbum intemperiei, ergo tamen frigus & calor erit morbus, contra dicta in contextu. ℞. negando antecedens, nam in morbo ſolutæ unitatis v. g. læſo nervo vel in mala conformatione v. g. ligatis vel obſtructis venis ſentitur calor vel frigus: Ergo calor & frigus eſt morbus intemperiei ℞. pro materiali ſeu intemperiei cum materia concedo, pro formali ſeu ſine materia nego.

Urgebis: Calor & frigus ſunt motus de gradu in gradum, ſed iſti motus lædunt immediate & per ſe actiones; ſub ſumo. atqui quod taliter lædit actiones eſt morbus, Ergo calor & frigus ſunt morbi pro formali ℞. Ejusmodi motus, non immediate lædere actiones, quia non

 ſunt

ſunt quid in facto eſſe, (quod eſt morbi) ſed tantum in fieri (quod eſt cauſæ) ẏ. 2. morbus eſt diſpoſitio, quæ eſt terminus ſecundarius iſtius motus, quaque primo & per ſe lædit actiones

Aphoriſmus XL.

Et, quando toto corpore, mutationes accidunt, ut ſi corpus refrigeretur, & viciſſim caleſiat, vel calor alius, ex alio oriatur, longitudinem morbi ſignificant.

Nota: *Hic Aphoriſmus repetitur iiſdem prorſus verbis* Lib 7. Aph 60. *Ubi toto corpore mutatur, & corpus refrigeratur, & viciſſim caleſit, aut colorem alium ex alio mutat, morbi ſignificatur longitudo.*

Contentum ſeu Intentio.

De Viciſſitudine caloris, frigoris & coloris.

Connexio: In priori Aphoriſmo egit de calore & frigore, in hoc præſenti Aphoriſmo, agit de mutatione, quæ fit in calore & frigore, & de ſucceſſione colorum. Hic Aphoriſmus, ſimplici conſtans concluſione, dividi non poteſt.

Sciendum ergo, etiam ex coloribus, in corpore apparentibus, mox vero diſparentibus, & cæteris mutationibus, repente ſubortis, atq; evaneſcentibus, de morbi conditione, judicium ferri poſſe decernit Hippocrates, & ubi præcedentibus Aphoriſmis, partem affectam, ex ſudore & ſenſu caloris aut frigoris dignoſcendam protulit, nunc ex mutationibus corpori contingentibus, futuri morbi chronici ſeu diuturni prognoſim exhibet. Mutationes ægris corporibus evenientes, quamvis plurimæ eſſe poſſint, ſenſibiliores tamen, & frequentiores referuntur, quæ viſu & tactu cunctis innoteſcunt, veluti excalefactiones, refrigerationes, & colorum mutationes, præſertim in facie. Hæ modo, cum ſubinde fiunt, & ſæpius variant male affectam corporis & ſanguinis, aliorumq; humorum conſtitutionem deſignant. Sicut enim colores, qui naturaliter corporibus accidunt, ex ſanguine, & cæteris ſuccis, cum ſanguine commixtis exoriuntur, unde vulgo fertur: *qualis color in cute ſeu facie talis humor ſeu ſanguis abundat in corpore.* Ita in ſtatu morboſo, colores varii in cute apparentes, varietatem, confluentium in ſanguinem humorum conſequuntur, atq; adeo depravatam ejusdem ſanguinis

guinis habitudinem. Item, ſicut calor moderatus, conformis & conſentaneus vitæ, à ſanguine conveniente eſt, ita ab eodem male affecto, & vitiato, variæ & differentes colorum mutationes proficiſcuntur.

Non tamen hic intelligendas vult Hippocrates, eas corporis mutationes, quæ ſenſim & progreſſu temporis, ægris eveniunt, vel certa ſolum periodo, & ſtatuto ordine redeuntes, ſed ſubitaneas, repentinas inordinatas violentas, quemadmodum colligitur *Lib. de Judiciis*, unde hic Aph. videtur deſumptus. Et ſane, ſiquidem mutationes periodum ſervantes, & per intervalla redeuntes, ejusmodi in febribus intermittentibus, in quarum initio cutis friget & pallet, calet vero & rubet in augmento, non ſemper morbi longitudinem portendunt. Quare tum erunt potius obſervabiles, cum repente accidunt, & evaneſcunt, ut cum facies v. g. mox rubet, mox pallet, modo liveſcit, modo flaveſcit, calet & friget, quodque uni parti accidit, contingat quoque reliquis, ac toti corpori, & quidem, vel ſimul juncta partium omnium externarum, vel unius poſt aliam, continuata mutatione.

Sed cur hæ repentinæ mutationes, morbi longitudinem prænuntient, difficilioris eſt inquiſitionis. Et crediderim, id ex mala & varia ſanguinis affectione veriſimilius evenire. Cum enim partes acres, acidas, ſeroſas, craſſas, exolventes, coagulantes, & alias in ſe ille ſuſcipit, varias affectiones partibus, quas permeat, imprimit, unde acredine calorem & ruborem, acore pallorem & frigus, ſeroſitate molliriem alborem & madorem craſſitie, nigrorem, tumorem & hebetudinem, & ſi fortaſſe ſalſuginem contrahat, pruritum, aſperitatem & eroſionem partibus inferet. Hinc Hipp. *Lib. de oſſibus in fine* ſcribit: *Laxatis venis* (ſeu potius arteriis) *ex corde fiunt calores rubicundi ac lucidi, adſtrictis vero virides cum pallore, aut etiam lividi.* Laxantur autem aut conſtringuntur arteriæ & venæ, prout ſanguis aerior & floridior, vel contra acidior & conſiſtentior evaſerit. Quando ſanguis, cum varias contrahit affectiones, atq; diverſorum ſuccorum mixturas certe longius tempus exigit, ut percolatione & ſecretione in emiſſariis habita in ſtatum naturalem redigatur. Accedit quod ex varia & multigena ſanguinis conſtitutione viſcera corporis diverſimode quoq; afficiuntur & illorum fermenta variantur, quo etiam ob differentem eorundem diſcraſiam, non tam facile poteſt ægritudo inde deducta removeri, ſed in longũ tempus neceſſario protrahitur, ſed & neque periculo vacabit, ſi præſertim alia

 copulentur,

tur, quæ illius pravitatem ac malitiam oſtendant, quippe non ſine vitæ diſcrimine fit ſæpenumero morbi longitudo. Neq, hic Hipp. longum morbum atteſtatus, ſecurum illum & ſalutarem eſt auſus affirmare.

Verum hæc, non ex quacunque cauſa, profecta putandum, ſed ex infixa ac tenaciter hærente; ſecus morbi longitudinem minime portenderent, veluti ſi à vaporibus tantummodo provenirent, memoratæ colorum mutationes: hæ etenim in affectionibus hyſtericis, in morbillorum ac variolarum eruptionibus, in renum & inteſtinorum doloribus, ſæpiſſime accidunt, citra diuturnitatem.

Galenus his paucis complexus eſt hujus Aphoriſmi commentum: *Variæ, inquit, & diſcrepantes affectiones, ſemper diuturniores ſunt, quam quæ ſunt unius modi & formæ; quia ſcilicet natura parvo tempore mutas affectiones ſubigere nequit.*

Dices I. Hippocrates *in prognoſticis*, laudat mutationem caloris, ergo hic non debet illam damnare. ℞. ibi Hippocratem egiſſe de paulatina mutatione in melius: hic vero de repentina mutatione in pejus.

Inſtabis: Varietas arguit brevitatem, ut ſupra diximus, nam febres quæ paroxiſmos non mutant, & eadem hora redeunt longæ ſunt. ℞. Etſi febres eadem hora redeuntes, arguant febris longitudinem, non tamen ſequitur, quod varietas in toto corpore, arguat brevitatem præterea alia eſt diverſitas, quæ fit de hora in horam, frigoris aut caloris aut coloris, de qua in hoc Aphoriſmo: alia quæ fit in paroxiſmis recurrentibus, alternis vel ternis vel quaternis diebus, de qua ibi.

Vrgebis: In animi pathematibus, ut in ira, metu &c. fit illa caloris & frigoris, imo & coloris repentina viciſſitudo, abſque ullo morbo, Ergo non eſt tam funeſta. ℞. Hippocratem loqui, de iſtis mutationibus, quæ fiunt in morbis, non extra morbos.

Inſtabis denuo. Inſtante criſi in morbis, ejusmodi fiunt mutationes & tamen plerumque ſine periculo. ℞. Etiam tunc temporis ſignificari cauſarum diverſitatem, contrarietatem & difficilem coctionem adeoque etiam ſuo modo, mali ominis eſſe.

Vrgebis: In principio paroxiſmorum febrilium, una eademq; hora adeſt illa mutatio, caloris frigoris & coloris, ergo omnes febres erunt, vel lethales vel longæ, quod eſt falſum. ℞. viciſſitudinem illam in febribus non eſſe talem, ſiquidem frigori quidem ſuccedit calor, ſed à calore iterum non reditur ad frigus, una eademq; hora, ut vult Aphoriſmus.

Apho-

Aphoriſmus XLI.

Sudor multus per ſomnum, citra cauſam manifeſtam factus, copioſiore cibo corpus uti, ſignificat, quod ſi cibum, non aſſumenti hoc accidat, evacuatione indigere ſignificat.

Nota: *Idem quaſi Hippocrates repetit infra Lib. 7. Aph. 61.*

Contentum ſeu Intentio.

De Sudoribus nocturnis.

Connexio: Cum antea dixiſſet de ſudore, qui partis morbum indicat, unde effluit: In hoc Aphoriſmo agit de ſudore, qui in ſanis fieri ſolet. Hic Aphoriſmus in duas partes dividitur. In *Prima* docet, ſudoris multitudinem per ſomnum indicare nimiam cibi, potusque copiam ſeu plusquam Natura ferat: in *Secunda* vero dicit, purgationem denotare, ſi moderate comedatur.

Perutili ſane documento, admonet hoc Aphoriſmo Hippocrates. quid ex multo ſudore conjectandum, quidque agendum ſit, tradita cauſa immoderatæ hujusmodi ſudationis. Unde ad diagnoſim ille pertinet, qua curatio congruenter inſtitui poſſit. Verum ſunt hic plura diſtinctim animadvertenda.

Primo ſudor multus refertur ſeu copioſus, quandoquidem ſalutaris ut ille ſit, non parcus & imperfectus eſſe debet, ſed qui univerſam cauſam morbificam, extra corpus educat. Juremento ergo adnotatur multus, ut exinde ambigere non liceat, ab ejus parcitate catharſim judicari neceſſitatiam, quæ compleat, quod a ſudore forſan perfici non potuit.

Secundo. Inductus ex ſomno: nam ut ſupra diximus, ſudor ſalutaris debet eſſe calidus, univerſalis, & in ſomno factus: ſi modo is calidus, univerſalis & copioſus, in ſomno contingens non proſit, illius malitia aliunde petenda erit, cum iterato profluat & non allevet.

Tertio: Adjicitur ſine cauſa manifeſta, id eſt, quod prodeat, non ex æſtu ambientis aeris, aut hypocauſti, nec ab aſſumpto medicamento ſudorem propellente, nec aliquam aliam cauſam, quæ ipſum promovere valeat, ſed ſolum internam, & reconditam conſequatur.

Cum

Cum igitur hæc ſimul junguntur, ſudor autem non ſemel accidat, ſed ſæpius repetat, corpore interea nihil proficiente, ſuſpicari primum licebit, eum a ciborum & potuum copia provenire, unde tanta ejusdem materiæ ſuggeratur. ſolent quippe partes corporis, præſertim extenuatæ, aut etiam viribus exolutæ, ſtatim ab aſſumpto cibo, dilutiores ejus particulas, in ſuis poris excipere, quibus deinde gravatæ, cum nequeant omnes, in ſui nutricatam transmutare, coguntur in adjacentes glandulas deponere & mox per ſudorem excernere, qui ſane deſinet, aſſumpto cibo & potu frugaliori, quantus ſcilicet ſatis ſit viribus reficiendis, absq; ullo partium gravamine. Si autem ſudor multus, ciborum & potuum copiam non ſequatur, plane deſignabit ingentem, aquei & ſeroſi humoris collectionem, qua omnino evacuatione egebit. Verum tamen ſudor ſi modicus foret, languorem potius Naturæ, vel rariorem cutis texturam argueret, cum fortaſſe diutius repeteret.

At quo genere evacuationis, impurum ejusmodi corpus repurgari debeat in Aphor. Hipp. non explicatur: quare licet preſſius intelligi poſſit, qua per cathartica peragitur, quibus compactiores & craſſiores ſucci, a ſudationibus relicti, efficacius educuntur; nihilominus etiam, quæ per vias urinæ fieri ſolet, admitti poterit, ſi præſertim ad eas vergere videantur, qui excernendi ſunt. Nam qua ratione craſſi humores, ad articulos deponendi, ſolent non raro, per vias urinæ expurgari, poterunt & eadem, qui per cutim omnino excerni nequeunt, in renum ductus transmitti & evacuari. Sæpe etiam expertum eſt, ex ſtipticiori alvo, laxatis urinæ meatibus, uberius illam profluxiſſe, craſſam & turbidam ac multo ſedimento ſaturam. Verum tutius ſemper erit, catharticis uti, ſi non ſemel & vehementioribus, ſaltem blandioribus & per intervalla, prout res ipſa & vires tulerint. Ea autem ejus potiſſimum ſint generis, ut ſimul incidant & attenuent, referantque conditionem hydroticam aut phlegmagogam. Neq; vero hic reticendum, quod jam pridem iterato uſu compertum, contumaces morbos, atq; reconditas morborum cauſas, inpenitioribus corporis partibus hærentes, tuto & ſalubriter fugari & quod admirabilius, absq; ulla ſæpius evidenti evacuatione expulvere antimonii & nitri, ſeu arcano duplicato, ad plures dies adhibito, doſi tamen varia, pro corporũ & ætatum diverſitate, mira cum præſtabit.

Dices I. Idem videtur dixiſſe Hipp. Lib. 2 Aph. 8. ubi dixit *Si a morbo cibum accipiens, non reficiatur, copioſiore alimento corpus onerari ſignificat:*

cat: ſi vero modice epulans, id accidat, purgatione eget. Ergo hic male repetit ℞ Hipp. ibi loqui tantum de convaleſcentibus, hic vero de ſanis.

Dices II. Si ſudor nocturnus fieret ob copiam alimenti, Ergo etiam diurnus fieri deberet, de quo nulla ſit mentio. ℞ Nego conſequentiam, quia calor de nocte magis redit ad partes internas, & ſic concentratus potentius agit.

Inſtabis. Pori ob motum de die magis patent, Ergo magis ſudare deberet homo de die ℞ etſi pori magis pateant, non tamen major debet eſſe ſudor, ſed potius major inſenſibilis tranſpiratio, prætetea corpus & calor de die magis diſtrahitur, de nocte autem concentratur.

Aphoriſmus XLII.

Sudor multus frigidus calidusve ſemper fluens; frigidus majorem, calidus minorem morbum ſignificat.

Nota: *Hic Aphoriſmus fere coincidit cum Aphor. 37 hujus Libri ſupra explicato.*

Contentum ſeu Intentio.

De Sudore frigido vel calido continuante.

C*onnexio*: Iterum Hippocrates ſicut in antecedentibus agit de ſudore, & quidem ſymptomatico, ſecundum quantitatem ſeu multitudinem, qualitatem ſeu frigidam ſeu calidam & tempus.

Hic Aphoriſmus duas habet partes. In *prima* docet continuum ſudorem eſſe malum. In *ſecunda* frigidum pejorem calido.

Sudorem proinde hic multum ſeu copioſum ſemperque fluentem conſiderat, illumq; ait, omnino morbum indicare. Equidem modicus ſudor, ut pote levis momenti, ab Hippoc. parvipenditur, veluti levem quoq; cauſam deſignans; at vero abundans & perpetuo profluens, non ſemel ſcilicet, aut unico die, præſertim critico, ſed tota morbi duratione contingens, multitudinem ſimul, ac malitiam arguit, quæ ſaltem diuturniori tempore emendari poterit. Pravitatem autem ſignificabit majorem vel minorem, prout frigidus vel calidus ille fuerit, nam calidus tenues & mobiles humores deſignabit, qui facilius exolvi & expurgari poſſiunt; frigidus vero craſſos & conſiſtentes coctionis longe difficilioris. quamobrem non *magis & minus* legendum exiſtimant Fuchſius

Cccc &

& Heurnius, ut Leonicenus vertit, ſed *majorem* ſeu longiorem morbum & *minorem* ſeu breviorem.

Conſideratur præterea hic ſudor è toto corpore manans, non vero ex aliqua tantum parte. Ita enim melius nectitur præcedenti Aphoriſmo, in quo de ſudoribus particularibus antea verba fecerat; quanquam nihil repugnat, ut etiam aptari poſſit ſudoribus ab una vel altera parte erumpentibus; equidem ſicut ſe habet ſudor univerſalis ad totum corpus, ita ſudor particularis, ad ſpeciales corporis partes, ideoq; ſudor multus, ſive frigidus ſive calidus ſemper fluens, morbum omnino magnum indicabit, vel dignitate partis affectæ, vel ſymptomatum magnitudine, ac ſævitia aut curandi difficultate. Hinc omnis ſudor calidus bonus eſt, niſi alia conjungantur, quæ ſudoris bonitatem atteſtentur, ut præſertim ſit in declinatione morbi fiat, præcedentem coctionem ſubſequatur, feratq; deinceps ægri levamen, ac morbi cauſæ morbificæ & ſymptomatum abolitionem. Frigidus autem ſudor contrarium tenet, vita enim in calido, mors in frigido conſiſtit, ſic pariter frigidus ſudor plerumque interitum cauſat.

Dices I. Morbi ex materia calida ſunt magis periculoſi, quam ex frigida, Ergo frigidi ſudores erunt minus periculoſi quam calidi. ℞ ſudores frigidos non tantum fieri a cauſa frigida, ſed etiam calida, quia hi calamitoſum morbū indicant, quando externa frigent, interna uruntur.

Dices II. Nunquam datur ſudor ſemper fluens, ergo in Aphor. falſe allegatur. ℞ per ſemper fluens, intelligi ſuperfluens ſeu ſuperfluus.

Dices III. Sudor in principio febrium, cruda exiſtente materia nunquam eſt bonus, Ergo nunquam debet provocari. ℞. 1. ſi ſudores ſint ſymptomatici vires naturæ diſſolventes, debent provocari etiam ut paſſim fit ipſa theriaca &c. ℞. 2. negando antecedens, quod ſudor ſimpliciter crudus provocetur ſed ſudor ille, qui in principio morbi provocatur, eſt humorum pars jam cocta, cujus onere levata natura, facile reliquum ſuperat.

Inſtabis: In principio morborum nihil movendum eſt, niſi materia turgeat, Ergo nec ſudores provocandi. ℞ hic Aphoriſmus intelligendus eſt maxime de purgatione & venæſectione, non de ſudoribus præſertim ſymptomaticis.

Apho-

Aphoriſmus XLIII.

Febres, quæ tertio quoque die affligentes, non intermittunt; periculoſiores: quoque autem modo intermiſerint, periculum abeſſe ſignificant.

Nota: *Hic Aphoriſmus iisdem prorſus verbis repetitur Lib. 7. Aph. 62.*

Contentum ſeu Intentio.

De prognoſi febrium continuarum & intermittentium.

CONNEXIO: Poſtquam hactenus varia prognoſtica à ſudoribus, in & extra febres deſumpſiſſet in ſuperioribus Aphor. Hippocrates In hoc præſenti Aphoriſmo, judicioſe incipit agere, de prognoſticis ab ipſis febribus & à febrium paroxiſmis deſumendis, quod per reliquos Sectionis hujus Aphoriſmos continuaturus eſt.

Hic Aphoriſmus duas habet partes: In *Prima* docet, febres, quæ tertio quoq; die affligentes, non intermittunt, eſſe periculoſas. In *Secunda* vero, quoquo autem modo intermiſerint, vacare periculo aſſerit.

Ordiatur ergo nunc Hippocrates, accidentia febrium, quidquid boni vel mali, ex illarum acceſſionibus, ac progreſſibus præſagiri poſſit, pluribus Aphoriſmis edocet.

Primum autem, illarum continuitatem, atq; intermiſſionem memorat, & dicit intermittentes periculo vacare, continuas vero, & tertio præſertim quoque die ingraveſcentes, periculoſas magis magisque fieri, quo graviores & validiores fuerint.

Omnes itaq; febres complectitur, cum dicat, *quacunque*. quo nimirum nullam excipit, modo non intermittat dicuntur autem non intermittere, cum ægrotum, nunquam febre vacantem deſerunt, licet magis vel minus exercicient, prout magis & minus ad augmentum acceſſerint, in quo omnia ſymptomata vehementiora fiunt. Has febrium ſpecies Græci conſueverunt *Synochas* appellare, id eſt, continenter affligentes, non quod ſuis quoque temporibus particularibus careant, ſed quia ægrum nunquam immunem relinquunt, quamvis pro varia materiæ morbificæ motione, modo incipiant, modo augeantur, aut ſtent, modo denique in declinationem vergant, quam nondum abſolutam, alia acceſſio febrilis excipiat, cum iisdem omnino moleſtiis, ut prius, ſed & non raro tertio quoq; die, vehementius adoriuntur & affligunt.

At quænam ſint ejuſmodi febres continuæ, tertio quoque die vehementius affligentes, controvertitur apud interpretes. Fuchſius, ſemitertianas interpretatur, græce *Hæmitritæos*, de quibus Hipp. *1. Epid. conſtit. 1* hæc habet: *Febres horridæ, continuæ, acutæ, omnino non intermittentes, forma autem erat ſemitertiana uno die leviores, altero vero gravius invadentes, & in ſumma acutiores evadentes.* Hinc duas ſtatuunt exigi conditiones, in febre ſemitertiana, ut nimirum continua & acuta ſit, itemq; horrifica, & alternis diebus gravius affligens. quas ut Galenus eidem applicaret, ſemitertianam febrem facit compoſitam, ex tertiana intermittente, & quotidiana continua: hac enim ratione inquit, ſimul horrificam fieri, tertiis quibusvis diebus ingraveſcentem, continuam atque acutam.

At crediderim, voluiſſe hic Hippocratem eas febres memorare, quæ græce *Tritæophyes* appellantur, tertianarum naturam referentes: harum quoq; meminit Galenus *2. de differ. feb. Cap. 2.* vocatque tertianas extenſas, quæ ſcilicet de uno in alterum diem, adeo protrahuntur, ut antequam prior acceſſio deſinat, nova per triduum ſubingrediatur. *Tritæophyes* ergo iſtæ febres, præterquam quod ſua Natura moleſtiſſimæ, cum continuæ ſint, & de tertio, in tertium, novis ſemper acceſſionibus recurrentes, ſolent etiam graviſſimis ſymptomatibus ſtipari, quæ procedentibus paroxiſmis, magis magisq; increbeſcunt; quamobrem prælanguidi redditi ægrotantes faciliime ſuccumbunt, Jure merito igitur in Aphoriſmo periculoſiores referuntur.

Verum quomodocunque intermittentes periculo vacare, qua ratione adjectum ſit, non omnino bene conſtat, cum apud graviſſimos pleroſq; Autores habeatur, ab intermittentibus febribus ægrotos periiſſe, & non ſine nota malignitatis; quamvis a Galeno proditum ſit *in Comment. hujus Aphoriſmi. Solæ illa, quæ in quietem febre vacantem deſinunt, periculo carent, etiamſi vehementiſſimam, & valde longam habuerint acceſſionem. Non abſq; ratione autem eas, quæ in quietem febre vacantem deſinunt eſſe abſq; periculo*, inquit, *ut quæ non ex inflammatione aliqua, neque ex maligna humorum putredine, occaſionem habeant. Neutra enim harum, ad quietem pervenit febre vacantem.*

Attamen non deſunt, qui vel omnino falſum, vel non perpetuo ſed ut plurimum, verum, hunc Aph. aſſerant, præſertim quia citra inflammationem, & abſq; humorum maligna putredine continuæ, & periculoſæ febres obſervatæ ſint, imo exitiales, & malignæ ſæpe ſæpius videantur

antur cum intermiſſione, ut de Hemocrate ſcribit Hippocrates, *3 Epid. agro 2.* qui licet ſæpius à febre liber viſus fuerit, nihilominus vigeſima ſeptima die mortuus eſt.

At eſto, hæc a quibusdam opponantur, non tamen rationabiliter evinci poterit, febres revera intermittentes, periculoſas eſſe, niſi prius ſucceſſu temporis in continuas permutentur. Per id enim quod vere intermittunt, periculo vacant, unde ut periculum inferantur, continuæ fieri debent. In quacunque cujuslibet acceſſionis, intermittentium febrium declinatione, febrile fermentum, veluti ſanguini extraneum, repurgatur & expellitur, vel per ſudorem, vel dejectionem, aut vomitum, vel per urinam, vel ſaltem inſenſibiliter media tranſpiratione: cumque mors contingere nequeat, abſque proxima & continuata ſanguinis & cordis læſione, qua utriusque motus interrumpatur, fit proinde, ut cum febris intermiſſione, illa haberi nequeat.

Quæ vero febres intermittentes referuntur mortem attuliſſe, revera intermittentes non fuerunt, vel continuæ mox evaſerunt. Et quidem ſunt, quæ remiſſionem & declinationem ſubeunt, non tamen omnino deſinunt ſive ad quietem febre vacantem perveniunt, unde apparenter ſolum videntur intermittere, prout Hemocrati accidit, qui viſus eſt à febre immunis, ſed revera febricitabat, idque ex eo potiſſimum, quia nunquam a ſymptomatibus fuit vacuus, ut bene etiam obſervat Mercurialis *hoc loco*, unde non legitima, & vera intermiſſione ſuſpicari jure poſſumus. quin & ſæpe ſæpius, abſque ulla evacuatione, vel manifeſta cauſa, perfecte declinaſſe, non licet credere.

Sunt præterea, quæ primum intermittentes, deinde tranſeunt in continuas, ut cum fermentum febrile antea extraneum ſanguini, deinde intraneum evadit, aut ex mala ſanguinis habitudine, aut ex viſcerum dyſcraſia, unde ſanguis perpetuo inficiatur & contrahat ſimile vitium, quod aliunde ſuggerebatur. ſic aliquando acidum ex Pancreate ſuggeſtum, ita illum ſuccedentibus Paroxiſmis vitiat, ut non tantum acorem imprimat, difficulter ſecernibilem, verum etiam eundem reddat concreſcentem, unde febres ſimul continuæ & malignæ. Sed dubitari poteſt, an Hippocrates, hunc Aph. voluerit intelligendum, de omnibus febribus intermittentibus, ut nimirum illæ, vi ſolum intermiſſionis periculo vacent, an vero ſolas tertianas expreſſerit, cum earum duntaxat, quæ tertio die fortiores ſiunt, in prima Aphoriſmi parte meminerit.

Equidem probabile videtur, excipere vo[l]uiſſe ſolū tertianas febres,

quocunq; modo intermittentes, etenim hac ratione, exceptio memorata, in II parte Aph. responderet ad amuſſim generali aſſertioni primæ. Verum quia febres iſtiuſmodi periculo vacare dicuntur, uti intermittentes, procul dubio parum intererit, an tertianæ, quotidianæ, vel quartanæ ſint, dummodo intermittant, & ægrum febre vacantem deſerant. Febres ſiquidem omnes à periodis deſumptæ poſſunt ab uno, eodemque humore, diverſimode tamen affecto exoriri, ut alias abunde eſt oſtenſum. Quare eas periculo vacare putandum, non a conditione peccantis humoris, qui idem in omnibus eſſe poteſt, ſed ab intermiſſione, quamvis tertianæ cæteris, ſemper ſecuriores, hoc Aphoriſmo notentur, cum intermiſerint, forte quia cæteris breviores. Cæterum dicuntur intermittentes febres, periculo vacare, ſecluſo quocunque alio morbo, cum quo illæ copulari poſſunt: quippe quartanæ febres, cæteroqui tutiſſimæ, ubi intermiſerint, at ſi cum obſtructione & ſcirrho lienis conjungantur, lethales eſſe conſueverunt: ſicut pariter tertianæ cum ictero, ac hepatis tumore, & quotidianæ cum ventriculi languore, & fluxu cœliaco. Id ipſum de cæteris ætate decrepita, virium dejectione, erroribus in victu ſi in febribus adſint, dicendum. Porro, quo tempus intermiſſionis longius fuerit, eo febris ſecurior fiet: habet enim Natura, quo melius ſeipſam reficere valeat.

Dices: Febres tertianæ intermittentes, à quibusdam dicuntur acutæ, ergo ſunt periculoſæ. R. ſunt acutæ reſpectu paroxiſmi particularis aliquando concedo, reſpectu paroxiſmi univerſalis & ſemper nego.

Reliquæ objectiones & difficultates in contextu ſunt reſolutæ.

Aphoriſmus XLIV.

Quos febres longæ exercent, iis tubercula ad articulos, vel dolores fiunt.

Nota. *Hic Aphoriſmus iisdem prorſus verbis repetitur infra L. 7. Aph. 63.*

Contentum ſeu Intentio.

De conſequentibus febres, tuberculis vel doloribus.

Connexio. Jam ſupra Aphoriſmo decimo tertio hujus Libri Hippocrates detexerat, abſceſſum fore ex laſſitudine: In hoc Aphoriſmo autem à febris longitudine, abſceſſus & dolores fore prognoſticat. Hic Aphoriſmus ob brevem & ſimplicem concluſionem non patitur diviſionem.

Præ-

Præſuppoſita diſtinctione febrium quarumcunq; in *acutas* & *chronicas*, quemadmodum acutæ ſæpiſſime ſolent, per ſenſibiles evacuationes terminari, potiſſimum vero per ſudores, urinam, ac dejectionem, quia excitantur ab humoribus fluxilioribus, & facile mobilibus. Ita Chronicæ potius per abſceſſus deſinunt, quod craſſi & tenaces humores difficilius, extra corpus, per conſueta emiſſaria queant expurgari. Hinc Hippocrates eos hoc Aphoriſmo prædicit, qui longis ac diuturnis febribus laborant, in tumores & articulorum dolores incidere, quo tempore declinationem attigerint. Humores enim in his febribus, tum ex craſſitie & ineptitudine admotum, tum ex imbecillitate Naturæ, quæ tanta diuturnitate, debilis evaſit, nequeunt niſi in articulos decumbere, unde poſtmodum labores & dolores accidunt. Tubercula licet in articulis pariter non raro oboriantur, nihil tamen prohibet, quin etiam in reliquis partibus, præſertim adenoſis ſeu glanduloſis, erumpant, ubi facile ejusmodi humores adhærent, & in tumores attolluntur. Hinc tubercula, non ad articulos referenda putat Cardanus, & Fuchſius Aphoriſmum legendum eſſe arbitratur, cum particula disjunctiva *vel*, ita ut tubercula ad totum corpus, labores vero ſeu dolores ad articulos pertineant. Verum, qua de cauſa, longis febribus hæc accidant, docet Hippocrates mox ſequenti Aphoriſmo.

Dices I. Fiunt etiam abſceſſus in febribus acutis & brevibus v. g. parotides, bubones, carbunculi &c. Ergo non tantum in longis & chronicis. ℞. Nos non negare febribus acutis abſceſſus; ſed in his fiunt repente & magis inſperati.

Dices II. Chronicæ febres, etiam terminantur hæmorrhagiis & urinæ profluvio, Ergo non tantum per abſceſſus. ℞. Concedo totum, hic autem Hippocrates ſolum loquitur de abſceſſibus & doloribus.

Dices III. Ubi eſt abſceſſus, ibi eſt dolor, & ubi eſt dolor, ibi eſt abſceſſus, quia dolor fit cum ſolutione continui, quæ vere eſt abſceſſus, Ergo ſuperfluum eſt iſta duo disjunctive ponere. ℞. 1. Solutionem jam eſſe datam in contextu, dolores nimirum pertinere ad articulos, abſceſſus vero ad totum corpus. ℞. 2. Negando antecedens, fiunt enim abſceſſus quandoque ſine dolore; deinde licet dolor fiat à ſolutione continui, hæc tamen non eſt proprie abſceſſus, qui proprie ſumitur hoc Aphoriſmo pro tumore.

Quæres. Quid per labores intelligatur? ℞. jam ſupra diximus per labores intelligi dolorem, imbecillitatem, moleſtiam, quæ ſentitur.

Apho-

Aphoriſmus XLV.

Quibus tubercula ad articulos, vel dolores poſt febres diuturnas fiunt, ii pluribus cibariis utuntur.

Nota. *Hic Aph. iisdem propemodum verbis recenſetur, infra L.7. Aph.64.*

Contentum ſeu Intentio.

De occaſione tuberculorum & dolorum in febribus longis.

Connexio: Cum in antecedenti Aphoriſmo de abſceſſu locutus fuiſſet Hippocrates, qui ſequitur cauſam internam, in hoc præſenti Aphoriſmo de illo abſceſſu agit, qui cauſam ſequitur externam, ſcilicet cibi copiam. Hic Aphoriſmus ob brevitatem non dividitur.

Explicat ergo Hippocrates hoc Aphoriſmo, quibus tubercula, vel in articulis dolores ex febribus accidunt, eos nimirum, qui pleniori utuntur cibo à febribus liberati. Quare de convaleſcentibus, poſt febres diuturnas, dictum exponunt cum Galeno Fuchſius & Cardanus nec absq; ratione, ſiquidem remanent, ab his febricitantes, multum languidi, & extenuati, ac proinde partes diu alimento depauperatæ, mox uberius paſtæ, facile, ob debilem concoquendi facultatem, pravis atq; indigeſtis ſuccis opplentur, qui deinde, ad glandulas corporis, vel ad articulos depoſiti, abſceſſus, tubercula, & dolores articulorum excitant. Hac eadem ratione experimur, a diuturnis morbis ſanatos, plurimum fameſcentes, nec tamen bene cibos conficientes excrementorum pluralitate, obſtructiones incurrere, aliaq; hujus generis mala. Neque vero poterunt aliunde hæc accidere, etenim qui ex febribus convaleſcunt, poſt evictam & expulſam cauſam, vindicatos eſſe oportet, ſi ergo non ab humoribus, qui febrem excitaverant, nec à reliquiis eorundem tubercula & labores articulorum pendere poſſunt, quippe eos expulſos credendum eſt, ſi febris deſiit, procul dubio à copia ciborum, & ab excrementorum inde emergentium ſuperfluitate, tubercula & articulorum dolores exoriri putandum. At vero pro varia excrementorum, ſive ad cutim, ſive ad articulos motione & depoſitione, modo articulari dolores, modo tubercula excitabuntur, ut ſupra jam diximus.

Dices I. Abſceſſus ad articulos eſt criſis quædam ſed hæc non fit extra morbos, Ergo abſceſſus non fiet ab alimentis. ℞. omnis abſceſſus

eſt

eſt criſis propriè dicta in morbis, concedo, extra morbos, nego. Eſt enim metaſtaſis ſeu translatio materiæ, quam Natura non potuit domare, criſis impropriè dicta.

Inſtabis. Etiam abſceſſus fiunt à nimio alimento extra febres, Ergo non tantum poſt diuturnas febres. ℞. Utrumque hic, ſaltem implicite intelligit Hippocrates, magis tamen in hoc Aph. abſceſſus poſt febres.

Dices II. Hippocrates 1. Aph. 8. dixit, eos qui à morbo non reficiuntur, pluri cibo uti &c. atqui hoc ipſum hic dicit, ergo idem dicit. ℞. Hippocratem ibi locutum fuiſſe de morbis acutis & brevibus, hic vero de diuturnis & chronicis.

Aphoriſmus XLVI.

Si Rigor, febre non intermittente, ægrum jam debilem, frequenter (inciderit ſeu) invadat, mortiferum eſt.

Contentum ſeu Intentio.
De Rigore mortifero.

Connexio. Cum ſupra de rigore, ſexta die adveniente dixiſſet Hippocrates, eumque vituperaſſet. In hoc Aphoriſmo eundem rigorem in conſiderationem ducit, ad vires comparando. Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem indiviſibilis eſt.

Rigor (ſeu horror ſeu frigus, hæc enim tantum ſecundum magis & minus differunt) ut in febribus ſit ſalutaris, ſequentem, opus eſt, ut habeat intermiſſionem, ſeu quietem, omnino febre vacantem. Si enim eadem febris non intermittat, nec ægrum deſerat, certe mali morbi teſtimonium erit, & ingentis pravitatis indicium, ut latius à nobis mox citato *Aph. 29. hujus Libri* eſt oſtenſum. Si præterea ægrum debilem invadat, lethale ſignum omnino erit, ut hic ab Hippocrate indicatur.

Advertit autem & recte Galenus, aliud quid referre verbum, *inciderit ac invadat*. *Inciderit*, enim, *unum ſignificat rigoris inſultum. Invadat ſeu incidat vero plures inſultus*. Unde rigor hoc loco notatus, non erit, qui ſemel contigerit, ſed qui ſæpius repererit. Plurimum namque affligitur æger a rigore, ob vehementem totius corporis concuſſionem, per quam vires infringuntur, & univerſa membra delaxantur, quæ ſane incommoda, niſi febris intermiſſione, reſtauratis ſcilicet viribus, compenſentur, graviſſima exiſtimanda ſunt. *Quod ſi præterea*,

inquit Galenus, *aliqua evacuatio, rigorem ſubſequatur, quæ nullam facit intermiſſionem, propter utrumq; diſſolvi hominem par eſt, tum quia vis imbecillis, ferre non poteſt, rigoris agitationem, tum quia ab evacuatione diſſolvitur. Si vero ſolus accedat rigor, nulla evacuatione ſubſequente, utroq; modo caſus caret bonitate nam tamquam cauſa mala, vires hominis tentat, & malum ſignum erit, illius indicans imbecillitatem, quæ ſolita erat noxios humores, in rigoribus evacuare, nunc vero hoc non poteſt efficere* Hactenus Galenus.

Inſuper animadverſione dignum eſt, quod verbum *invadat* (ſeu ut alii) *incidat*, non ſignificat rigoris repetitionem, a principio habitam, ſed vel in augmento, vel in ſtatu contingentem, cum antea febris absq; rigore invaſerit, unde *invadat ſeu incidat* perinde eſt ac *ſuperveniat*, ſive caſu, & ſine ulla cauſa rationabili contingat. Porro ita ſit, ut ab humore maligno & irritante, non vero à Natura, quæ cauſam morbi adoriatur, rigor excitetur, unde merito Galenus illum vituperat, & veluti cauſam malam, vim & facultatem corporis lædentem, & uti ſignum malum ejusdem indicans imbecillitatem, idque potiſſimum quia febris non intermittit.

Quoniam vero Hippocrates inquit, in ægro debili, ejusmodi rigorem lethale ſignum eſſe, videndum quam imbecillitatem intelligat, partis ſcilicet, naturalis, vitalis, an animalis. Et quamvis de omnibus exponi poſſit, cum unaquæque in ægrotantibus, mala ſit, & á ſingulis bene conſtantibus, ſalutis ſpes affulgeat, juxta illud quod Hippocrates ſcripſit 2. Aph. *mente conſtare, & bene ſe habere ad ea, quæ offeruntur, bonum, contra vero malum* Nihilominus ſpecialius vires vitales attenduntur, quibus Natura pugnam cum morbo ſuſtinet: Parum autem refert, an debilitas absq; cauſa manifeſta contingat, an etiam aliquam evacuationem, aut extremam inediam conſequatur, ſive etiam per oppreſſionem, vel reſolutionem ſit, modo talis ſit, ut naturam ferendo impotentem effecerit. Cæterum de Rigore legi meretur idem Hippocrates Lib. 1. de morbis, & Cardanus in Comment. hujus Aphoriſmi.

Dices Rigor calorem potius interne confortat, quia concentrat, virtus autem unita fortior ergo non debilitatur æger ex rigore. R. non tam per rigorem debilitatur ægrum, quam per irritam actionem quam fruſtra in coquenda & expellenda materia inepta exercet.

Apho.

Aphoriſmus XLVII.

Excreationes, in febribus non intermittentibus, livida, cruenta, fœtida, biloſa, omnes malæ: commode tamen (ſeu proſpere) ſi prodeant, bonæ: Sed eadem quoque eſt, eorumque per alvum & urinas excernuntur, ratio: Si quid vero quod non juvet, per hæc loca excernatur, malum.

Nota. *Hic Aphoriſmus eudem prorſus verbis repetitur infra L. 7. Aph. 69.*

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi excretorum.

Connexio Cum in priori Aphoriſmo Hippocrates prognoſticum eruerit ex rigore, actione ſcilicet læſa ſeu depravata. In hoc Aphoriſmo, ad excreta, tum quæ fiunt per ſputum, tum alvum, tum per urinas, ſe convertit. Unde hic Aphoriſmus tres habet Partes: *Prima* aſſerit excreationes in febribus non intermittentibus, lividas cruentas &c. omnes malas. *Secunda* ponit bonas eſſe, ſi commode prodeant. *Tertia* autem id ipſum, de alvi & urinæ excrementis pronuntiat.

Statim in ipſo limine Commentarii incuſat Galenus Hippocratem prolixitatis, aſſerens, potuiſſe ſententiam hanc dici compendioſius. Sed non tantum Hippocrates à Cardano defenditur, verum inſcitiæ potius ipſemet Galenus inſimulatur. Etenim Hippocrates excreta in febribus trifariam hic conſiderat, examinata primo illorum natura, deinde excretionis modo, poſtremo ſucceſſu. Excreta, ſiquidem præter naturæ morem, ſemper re ipſa mala ſunt: quæ facile educuntur bona: difficulter vero mala: & denuum ſi exinde levetur æger, atq; in melius proficiat, bonum, contra malum. Propterea hanc Aphoriſticam ſententiam ita exponit Cardanus, ut excreationes in febribus non intermittentibus, qualitercunque pravæ fuerint, ſeu colore, ſeu odore ſeu ſubſtantia, ſeu permiſtione, ſeu alio modo, malum ſignificent, pariter ſi difficulter prodeant, & abſq; levamine; Secus bonæ erunt. His adjici quoque debet locus, per quem fiunt, quemadmodum ex textu deducitur; nam ſi per loca conſueta & conferentia habeantur, bonum, per aliena vero & inſueta, malum.

Quamvis inſuper Hippocrates retulerit, excreationes ſpeciales per alvum & vias urinæ, quæ debuiſſet generalioribus Aphoriſmum deſcribere, ut objicit Galenus, implicite tamen continentur ſub his quæcunque evacuationes. Mos enim Hippocratis eſt, ſub ſpeciali cujuspiam exemplo, generalem proponere doctrinam, Sed & voluit is quoque, univerſas evacuationes, cum particularibus comparare, pendentes ex affectionibus, ſimiliter univerſalibus ad particulares relatis: quia, ut bene Cardanus *Specialia ſigna in morbis univerſalibus, & univerſalia in morbis particularibus ſeu ſpecialibus non ſignificant, bonum, neque ſalutem: Unde excreationes in febre, non ſunt bonum ſignum Sicut nec urina, in morbo Laterali, ſed ſunt ſigna impertinentia* Hæc pro Hippocrate, adverſus Galeni calumnias ex Cardano nunc ſenſum Aphoriſmi aperiamus

Memorat Hippocrates excreationes, ſeu per os expurgationes, in febribus, veluti evacuationes particulares, nihilum facientes in febricitantibus, in quibus commendabiles ſolum ſunt univerſales Illæ etenim, velim pertinentes, nec facientes ad rem, & cauſam morbificam, malæ cenſenda ſunt, & præſertim ſi fuerint lividæ, cruentæ, fœtidæ & biliosæ, quippe quæ incongruentes ſimul & ineptæ, quoniam Lividæ, cruentæ, fœtidæ, biliosæ. Nam lividæ & fœtidæ, corruptelam, cruentæ ut biliosæ, ſanguinis vitium, & vaſorum laxitatem aut eroſionem arguunt. Hæc autem ſi continue febricitantibus accidant, peſſimam in ſanguine Diatheſim ſeu conſtitutionem, & in Viſceribus pectoris, aut Capitis, gravem indicant affectionem

Verum tamen, quæ ex propria ſubſtantia aut conditione excreationes malæ ſunt, poterunt aliquando bonitatem participare, ſi proſpere, commode & facile prodeant Neque vero hæ ſolum, ſed præterea, quæ per alvum & vias urinæ contingunt, bonæ erunt, ſi modum ſervaverint Naturæ convenientem, id eſt, abſque dolore aut anxietate & ſine ullo Virium diſpendio Etenim quamvis excrementa alvi, & Veſicæ, pravam referant conditionem, ſi tamen commode & abſque moleſtia egerantur, ſalutaria ſunt, expulſa nimirum cauſa morbifica Contra vero oberunt ſi Naturam potius laceſſant, & crucient, & Vires labefaciant, quod autem bene prodeant, argumento erit, *Coctio & bona tolerantia* inquit in *commentat* Galenus, *atq. cum hoc & morbi ſpecies & tempus anni, & Regio, & ætas, & Natura ægrotantis*

Concludit demum Hippocrates. *Si vero aliquid eorum quod non juvat per hæc loca excernatur, malum.* Quibus admonet malam & perni-

tio-

cioſam eſſe evacuationem, per has Vias eorum, quæ excerni non debent, veluti Chylus ſanguis, vel alius ab illo, qui morbum faciens, debet evacuari. Nam quemadmodum expellenda, ſi retineantur, nocent, ita retinenda, ſi egerantur, non proficiunt. Quod plane intelligendum, non tantum de ſubſtantia rei excretæ, ſed etiam de qualitate & tempore excretionis. Unde ſex univerſim ſemper ſunt, in quacunque evacuatione conſideranda, *Subſtantia* & Natura rei quæ excernitur, num ſanguis, chylus pus, Caro, Vermis, Lapis. *Qualitas* rei excretæ, num calida, frigida, bene vel male olens, mordax, ſalſa, acida, tenax aut fluida, alba vel nigra. *Quantitas*, num moderata, vel immoderata, ſervata præſertim proportione, cum morbo & cauſa morbi. *Tempus*, num cocta, vel cruda materia, inter initia, aut in declinatione morbi, *Locus*, an per loca conſentanea & conſueta Naturæ, an vero per diſſentanea, ut ſi fæces per os, non per alvum. *Modus* demum, num cum dolore, anxietate, vel ſine ulla moleſtia nulloque negotio. Hinc facile quiſpiam conjecturabit, num utilis, & ſalubris ſit, an pernicioſa evacuatio, undecunq; illa prodierit, quemadmodum hoc loco Hippocrates docere viſus eſt.

Dices I. Fœtida & livida excretio, per ſuperiora, nunquam poteſt eſſe bona, ergo numquam poſſunt commode procedere ut vult Aphoriſmus. ℞. Jam in textu eſt ſoluta hæc difficultas, nempe *ly commode* refertur ad univerſalem excretionem, non ad particularem.

Inſtabis. Tales dejectiones, nunquam poſſunt dijudicare morbum, ergo nunquam poſſunt eſſe bona. ℞. Iterum. Ex toto concedo, ex parte & in melius nego. Sed e contra:

Vrgebis. Empyema rejicitur per ſputum fœtidum cruentum, quod tamen eſt ſalutare, Ergo ſputa fœtida, non omnia ſunt mala. ℞. Empyema rejicitur per tuſſim, non per ſputum, deinde talis rejectio fit remittente febre, nam poſt Empyematis rejectionem, febris remittit.

Inſtabis denuo. Multi excreant Livida, ſine ulla noxa, Ergo Lividæ excretiones, non ſunt ſemper malæ. ℞. Extra febres concedo, in febribus nego; multi enim ſplenetici, nigra & Livida excreant abſque periculo. Sic paſſim obſervamus, poſt longas & continuas Lucubrationes ad Candelas, in hypocauſtis factas, ejuſmodi rejectiones fieri, abſque ullo penitus morbo.

Vrgebis denuo: Bonum ex integra cauſa, malum ex quocunq; defectu, Ergo cum iſtæ excretiones aliquid mali in ſe habeant, ſemper erunt malæ, contra Aphoriſmum. ℞. Sunt malæ ſecundum generationem,

nem, concedo; ſecundum excretionem nego. Si enim per alvum & urinas cum Euphoria & ſignis concoctionis excernantur, bonæ ſunt.

Aphoriſmus XLVIII.

In febribus, non intermittentibus, ſi partes externæ algeant, internæ urantur, & ſitiant, lethale eſt.

Nota *Hic Aphoriſmus iisdem prorſus verbis repetitur Lib. 7 Aph. 72.*

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi febrium inæqualium.

CONnexio: Superius dixit de rigore, ſuperveniente in continua febre, lethalem eſſe Aph. 46. cum ægrum debilem apprehendit, in hoc præſente Aph. de frigore, quod in eadem continua febre, apparere ſolet, cum pernicie. Hic Aph. ob ſimplicem conclusionem non dividitur.

In hoc ergo Aphoriſmo, interitus præſagitur his, qui febre non intermittente, ſeu continua laborantes frigent externis, & internis æſtuant, & ſitiunt. Et quamvis fere omnes interpretes, id accidere fateantur febribus ardentibus malignis veluti typhus, quarum proprium eſt ingenti ſiti ægrotantes cruciare, & æſtu immodico exercere, non tamen cæteris quoq; febribus id ipſum pariter evenire poſſe negandum, ſi internam inflammationem conſequantur. Verum neceſſe eſt, febres haſce continuo affligere, cum ejusmodi accidentia, nequeant in intermittentibus conjungi, ut prudenter ab Hipp. eſt animadverſum, fuitq; pariter à Gal. notatum *comment. 43 hujus Libri*; qui intermittentes febres, nec ab interna inflammatione, nec à maligna humorum putredine oriri poſſe docuit. Ut autem hæc interitum portendant, non ſans eſt ægrotantem internis uri, atq; ingenti ſiti cruciari, ſed etiam neceſſe eſt exteriora frigere: quippe viſcerum internorum æſtus, ab inflammatione procedens, ſanguini circumeunti impedimento eſt, imo ſignum eſt manifeſtiſſimum, remorantis ſanguinis, qui non niſi ab acido figente reſtagnat, adeoq; non ſolum frigus, extimis partibus incutit, verum etiam gangrænam internam inducit, ut ſectionibus cadaverum ſæpius innotuit.

Sed & Eryſipelas non raro interiores partes occupat, unde æſtus & ſitis ingens. Quemadmodum enim partes cutaneæ, Eryſipelate ſæpe ſæpius affici ſolent, & quandoq; etiam erratico; ita internæ præſertim pulmo,

pulmo, Diaphragma, Hepar, aliæq; pari modo Eryſipelate infeſtantur, ut propterea multos in praxi ejuſcemodi moleſtiis vexatos, cum inquietudine, anxietate, linguæ ſcabritie, hoc in ali genere ægrotantes ſuſpicari liceat; unde poſtmodum fit, cum non ſemper ſuppurationes conſequantur, cum deinceps iſti convaleſcunt, reſoluta inſenſibiliter materia, quemadmodum externo Eryſipelati contingit. Porro Eryſipelata interius progenita, non tantum admittit *in comment.* & alibi, ſed etiam Ætius, qui præterea *Lib 5 Cap 89* ex diverſis partibus Eryſipelate affectis, varias quoque febrium ardentium ſpecies diſtinguit, unde *Lypiriam* appellat, quæ fit ex Eryſipelate, in ventriculo, *Typhodem* quæ in Jecore, & *Crymodem* quæ in Pulmone. Hippocrates etiam 5. Aph 43. meminit, Eryſipelatis in utero, itemque Eryſipelatis in pulmone *2 de morbis*, unde ab exterioribus ad interiora idem verti, malum ſcripſit *6. Aph 25* ab interioribus autem, ad exteriora bonum.

Adjecit in textu Hippocrates ſitim, veluti ſymptoma omnino cum febre ardente conjunctum; ſiquidem duo referuntur ſigna illius pathognomonica *calor exurens & ingens ſitis* Verum crediderim, ſitim etiam futurum eventum, ex ſolo internorum viſcerum æſtu, atque externarum partium refrigeratione Sitis autem ſive adſit, ſive abſit, nihil perniciei detrahet, aut addet · Equidem ſi adſit, ardorem viſcerum confirmat; ſi vero deſit eorundem ſtuporem & gangrænam arguit: Atqui ſitim fortaſſe adjungit Hipp. veluti ſignum, quo internarum partium æſtus parentius poſſit internoſci, non tam ex ſenſu ipſo, quo ſæpe ejuſmodi febricitantes carent, quam ex linguæ ſcabritie, & ariditate, quæ in his nunquam abeſt.

Dices I. In vehementi Colica vel alio alicujus partis dolore v.g. ventriculi, vel in ſyncope &c partes externæ quandoq; frigent, internæ præ dolore quaſi uruntur, ergo non verus eſt Aphoriſmus ℞. Colica, cardialgia, ſyncope, extra febres, nullum invehunt periculum, a partium externarum refrigeratione petitum, concedo. in febre acuta & continua nego.

Dices II. Hic Aphoriſmus videtur plane idem cum Aphoriſmo I: Libri ſeptimi, in quo dicitur *In acutis frigus, extremarum partium malum*: Ergo male repetitur. ℞. Ibi non addere ſitim, neque etiam ardorem partium internarum, quod hic facit.

Dices III. Hippocrates *2 de morbis* affert curam lypiriæ, ergo non eſt tam lethalis, ut hic dicitur, ℞. Per lethale, hic non intelligitur, quod

nullus

nullus omnino evadat, ſed ut plurimum ſeu ſumme periculoſum, à quo quandoque, ubi vires ſunt fortes, ægri evadunt, reſoluto nempe habitu corporis in ſudores.

Dices IV. In febribus continuis, a materia craſſa & viſcida, obſtruuntur viæ ad habitum & fit refrigeratio, intercepto nempe calore, quibus ſolutis redit calor. Ergo refrigeratio non eſt tam periculoſa. ℞ Si abſit omnis inflammatio interna, ſitque iſta refrigeratio a ſola obſtructione concedo. Si adſit inflammatio, nego.

Dices V. Etiam in febribus intermittentibus, magnus adeſt circa præcordia ardor, & partium externarum refrigeratio, ergo idem de intermittentibus dicendum foret, quod dictum de continuis. ℞ In continuis eſſe quid continuum & ſemper durans, ſecus in intermittentibus.

Aphoriſmus XLIX.

In febre, non intermittente, ſi labrum, aut ſupercilium, ſeu palpebra, aut oculus, aut naſus pervertatur; ſi non videat, ſi non audiat, imbecillo jam corpore, quidquid horum acciderit, in propinquo mors eſt.

Nota. *Hic Aphoriſmus iisdem prorſus verbis repetitur infra L. 7. Aph. 73.*

Contentum ſeu Intentio.

De Signis, imminentis mortis, in febribus.

Connexio. Cum in priori Aphoriſmo Hippocrates, lethalia quædam ſigna, febribus non intermittentibus ſupervenientia adduxiſſet. In hoc præſenti Aphoriſmo, plura alia, propinquæ mortis ſigna lethalia recenſet, in textu ipſo enumerata. Hic Aphoriſmus, ob ſimplicem concluſionem non dividitur.

Tradit ergo in hoc Aphoriſmo Hippocrates, imminentis exitii ſigna, in febricitantibus, deſumpta, ex læſo ſenſu & motu animali, atque adeo ex hebetatis organis, in id concurrentibus, hisque potiſſimum, quæ cerebro ſunt proximiora, ac viſui & auditui ſunt deſtinata, atque ex contractis partibus ad labia & palpebras ſpectantibus.

Et quidem hæc febre non intermittente laborantibus ſi acciderint, inſtantis interitus (qui plerumque intra 24. horas plus minus accidit) indicia eſſe teſtantur; nam ſi fortaſſe inter initia, paroxiſmorum intermitten-

mittentium febrium eveniant, quo tempore per Rigorem & horrorem, universum corpus concutitur, nihil damni (ut in priori Aphoriſmo diximus) timendum foret, febre enim intermittente, iſta ſtatim deſineret; neque vero tam facile eſt, ejuſcemodi ſymptomata, intermittenter febribus, per rigorem aut horrorem evenire, & diutius perſeverare.

Animales autem operationes hic ſpeciatim læſas memorat, & tum quæ ad motum, tum quæ ad ſenſum pertinent, contorſionem nimirum, ſeu contractionem labii, palpebræ, ſupercilii, oculi vel naſi, atque hebetudinem Viſus & auditus. Contingunt enim ejuſmodi contractiones vitio cerebri, & nervorum, indeque derivantis liquoris, qui fibras nerveas irroraturus, acredine potius, atque infenſa conditione vellicat, & compungit, unde convulſionem manifeſtam parit, in partibus proximioribus & cerebro attiguis, ſolent enim non raro nervi, & cerebri meninges, phlogoſi aut eryſipelate corripi, ut propterea potius proximiores, quam remotiores partes contorqueantur. Idipſum quoque arguit, læſa videndi, atque audiendi facultas, cum perceptiones & ſenſiones quæcunque ut fiant, ad cerebrum per nervos referri debeat.

Verumtamen ægro jam debili, hæc accidere oportere animadvertit, quandoquidem perfractis viribus vitalibus, læſiones iſtæ partis animalis, omnino erunt inemendabiles, nequeunte ſcilicet Natura, per ſanguinem, operationum animalium vitia corrigere, atque in priſtinum vigorem reſtituere, Symptomata autem virium languorem comitantia, aut conſequentia, ſemper cæteris priora ſunt, & mortem mox futuram portendunt, ſuccumbente nimirum, violentiæ morbi, natura.

Nequis autem putaret, ſymptomata iſthæc, partem animalem læſam indicantia, junctim eſſe intelligenda, advertit poſtremo Hippocrates, unumquodque illorum ſatis eſſe ad exitum lethalem prænuntiandum, cum ad virium vitalium languorem, quæcunque animalis operatio læſa, ſi conſequatur, naturam omnino Labe factatam ac ſumme fatiſcentem deſignet. Itaque debilem ægrotantem, in operibus vitæ, præſertim pulſu, nullo negotio e medio tollunt, & è vita eripiunt quæcunque aliæ partium animalis læſiones, etiam in externis ſenſibus, ſi ab internis proficiſcantur. Cæterum de tempore, ne quidem verbum fecit Hippocrates, quia quandocunque prodierint, ſemper mala ſunt,

quamvis plerumque, in augmento, aut ſtatu febrium univerſali comparere ſoleant, & Lethum afferant.

Dices I. Hippocrates tantum hic ſymptomata adducit Facultatis animalis: ergo ex his non poteſt ſumma debilitas argui, quia ex ſumma trium facultatum, non unius, debilitate, eruitur ſumma virium debilitas. ℞. Hippocratem per ly *imbecillo jam corpore*, totius ſeu omnium facultatum imbecillitatem, ex adductis ſymptomatibus intellexiſſe.

Inſtabis. Etiam in perturbatione critica, labia & oculi pervertuntur, præſertim ante vomitum criticum, ſine periculo, Ergo non eſt prædicendum ex his tantum periculum. ℞. Hæc non fieri, corpore jam imbecillo, quod ſemper vult Hippocrates

Vrgebis. Etiam inſtante criſi, æger ſumme debilis eſt, Ergo nulla ſolutio. ℞. Eſt ſumme debilis per oppreſſionem, concedo, per reſolutionem, quæ in Aphoriſmo intelligitur, nego.

Inſtabis denuo. Ejuſmodi ſymptomata, etiam contingunt quandoque in non acutis, absque gravi periculo, Ergo non tantum in acutis, ut vult Aphoriſmus. ℞. Convulſionem quidem fieri in non acutis, ſed à plenitudine, non ab inanitione ut hic.

Vrgebis denuo: Si iſta ſymptomata fiant ab inanitione ſive ſiccitate, Ergo tabidis ſemper & maxime fient. ℞. Negative, nam in tabidis illa inanitio eſt paulatim introducta, & facta quaſi Naturæ familiaris, hæc autem de qua loquitur Aphoriſmus derepente a ſummo febris æſtu.

Aphoriſmus L.

Vbi in febre non intermittente, difficultas ſpirandi, & delirium acciderit, Lethale.

Contentum ſeu Intentio.

De Diſpnæa in febribus continuis Lethali.

Connexio: Præcedenti Aphoriſmo læſas in febricitantibus partis animalis operationes, tum ad motum tum ad ſenſum pertinentes potiſſimum adnotavit Hippocrates: In præſenti Aphoriſmo eas conſiderat, quæ organis ſpiritualibus debentur, nempe ſpirandi difficultatem cum delirio conjunctam, & hanc exitioſam quoque pernuntiat, ſi febrem non intermittentem conſequatur.

Diffi-

Difficultas autem reſpirandi hic ab Hippocrate memorata, non quæcunque & levis ſolum per intervalla recurrens, ſed gravis & continens intelligitur quippe illa fere ſemper febres acutas comitatur, etiam intermittentes, ſaltem inter initia, aut cum increverint, ſed citra periculum, quoniam his remittentibus deſinit. At vero quæ hic conſideranda proponitur, in febre non intermittente ſeu continua, perſeverans eſſe debet, quæq; non tantum ſtatis horis invadat, ſed quonſque febris duraverit, ægrotum continenter afficiat. Porro hæc accidit febricitantibus, non ex ſola febris conditione, quæ plerumq; reſpirationis uſum depravat, ob novi ſemper & recentis aeris indigentiam, ſed potiſſimum ob maximam in pulmonibus ſanguinis exagitationem, fermentationem & phlogoſim, quæ non raro etiam eryſipelatodem inflammationem arguit, pulmonibus ipſis & cordi ſummopere infenſam, a qua paucisſimi ſunt, qui mortem effugiant.

Reſpirationis difficultati, adjicit Hippocrates delirium, ut propterea hæc duo conjuncta voluerit. Ex ambibus enim, vitali ſcilicet & animali potentia læſis, mortem præmonſtrari animadvertit. Et quidem cum utrumq; in febribus non intermittentibus jungitur, internam indicat inflammationem, potiſſimum pulmonis, unde reſpirandi difficultas, veluti conſequens inflammationem, eſſet quodammodo cauſa delirii. Sed & inflammatio diaphragmatis idipſum afferre poteſt, cum illud artenoſum & nervoſum viſcus ſit, ac principale reſpirationis inſtrumentum, quamobrem ipſo inflammato, & reſpirandi & ratiocinandi vis atq; facultas, ſæpiſſime læditur; quin imo Antiquis ſemper putatum, delirium quodcunq; ſympathicum & interruptum ab una & ſola Diaphragmatis inflammatione proficiſci, quod tamen non omnino verum, ut late oſtenditur in Praxi, Capite de Phrenitide.

Verum cum plures difficilis reſpirationis differentias retulerit Hippocrates 6 *Epidem. Sect.* 2 ſub illis verbis: *Spiritus pravi, crebri, magni, rari, hic quidem tardus, ille vero velox*, jure merito dubitari poteſt, quam hic ſpecialius notatam ille voluerit, acute quidem Fuchſius, ſi hæc, inquit, duo ſymptomata, difficultas ſpirandi, & delirium conjungantur, neceſſe erit Hippocratem interpretari, de magna & rara reſpiratione, quod ſcilicet illa proprium ſit delirii ſymptoma, quemadmodum in prognoſticis diſerte iis verbis teſtatur: *magnus ſpiritus ex longis intervallis, delirium declarat*, & mox rationem aſſignans ſubdit. *quippe hæc, magnitudo ſcilicet & raritas ſpirationis, veluti oblitæ actionis pathemata*

 ſunt.

ſunt. Si vero ſenſim de difficultate ſpirandi loquimur, delirio amoto, tunc hæc ipſa propter mala quæ inſtrumentis ſpirationi inſervientibus accidunt, & quæ a Galeno *in comment.* recenſentur evenire ſolet, velox & crebra erit. At vero concludit, hæc duo ſymptomata in hoc Aphoriſmo conjungit Hippocrates, dicitq; eſſe lethalia, quod nimirum & cerebrum & inſtrumenta reſpirationis læſa eſſe ſignificent.

Sequitur autem Pulmonis aut Diaphragmatis inflammationem cerebri commotio, & delirium, non tam propter nervos, mutuo communicantes quam ob arterias, & medio ſanguine, qui ſita, per inflammationem contracta acredine, cerebrum vellicat, atq; ad depravate operandum laceſſit, ac diſponit, ut alibi demonſtratum eſt.

Cæterum hæc non niſi febres continuas comitantur, proinde ſcriptum, *ubi in febre non intermittente*: hæc enim delirium, proprie, inter ſua ſymptomata, non admittit.

Dices I. In principiis Paroxiſmorum & inſtanti criſi in febribus acutis ſæpius fit reſpirationis difficultas cum delirio, ex cauſis eo delatis & tamen plerumq; nullum eſt mortis periculum. Ergo minus lethale. ℞. Illam reſpirationem non eſſe diuturnam, nec perdurans delirium quali intelligit & vult Hippocrates in hoc Aphoriſmo.

Dices II. In pleuritide & peripneumonia eſt ſpirandi difficultas & quidem ſæpe cum delirio, & tamen plerumq; non eſt Lethalis. ℞. Hic non loqui de ſpirandi difficultate in principio, ſed in augmento vel ſtatu, ægro jam exiſtente debili.

Aphoriſmus LI.

In febribus abſceſſus, qui primis Judicationibus non ſolvuntur, longitudinem morbi ſignificant.

Contentum ſeu Intentio.

De Abſceſſibus febrium prognoſticis.

Connexio. Poſtquam jam aliquot Aphoriſmis Hippocrates egiſſet, de fatali morbi eventu, deſumpto à quibusdam funeſtis ſymptomatibus. In hoc præſenti Aphoriſmo, pergit tempore longo aut brevi, morbi facere prognoſticum, idq; deſumens in febribus ab abſceſſibus.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem non dividitur.

Quamvis autem Hippocrates, ſimpliciter dicat, *in febribus*, tacite tamen intelligendum, *productis & protractis*. Etenim ut ſuperius animadver-

verſum, iſtæ ſæpe ſæpius per abſceſſus judicantur. Cum autem ſupervenientes abſceſſus, illas non terminat, diuturniores futuras ſignificat, nondum ſcilicet univerſa febrium materia ad habitum corporis ſepoſita, ſed craſſiori, & compactiori adhuc interius hærente, quæ febrim in longius protrahit.

Quoniam vero abſceſſus morbi longitudinem ſignificare dicuntur, qui ad primas judicationes non ſolvunt, jure merito propterea dubitari ſolet, quid pro illis intelligere voluerit Hippocrates. Sed bene Fuchſius ex græco codice interpretatur, qui in primis diebus judicatoriis contingunt, at non prima aut ſecunda ſeptimana, cum febres iſtæ longæ ſint, nec tam cito poſſint, primis hebdomadibus judicari, ſed poſterioribus, unde non referenda prioritas hæc, ad dies ipſos criticos, ſed ad abſceſſus eruptionem, ita ut ſenſus fiat, futuras febres longas, cum non deſinunt, ſtatim ac abſceſſus apparuerit, argumento, quod adhuc cauſa perſiſtat, nec ſufficienter per abſceſſum ſit evicta, nec perfectè à ſanguine ſepoſita. Qui vero cum Braſſavolo Philotheum ſecuto, pro *non ſolvunt* ad febrem relato, paſſive vertunt, non *ſolvuntur*, id eſt abſceſſus, plurimum aberrant à veritate, & ab Hippocratis mente; cum impoſſibile videatur, abſceſſus, ſtatim ac apparuerint ſolvi, & evaneſcere, quippe qui fiunt, ab humoribus craſſis & conſiſtentibus, non niſi diuturniſſimo tempore ſolubilibus, ut bene etiã Fuchſius animadvertit. Quanquam & abſceſſus ipſi, ſi diutius perſiſtant, nec tam facile ſolvantur, aut maturentur, aliam diuturni morbi ſpeciem inferant, in adaucta magnitudine dictam. Per abſceſſum Hippocrates, non tantum hic, ſed alibi etiam in ſuis ſcriptis, non ſemper metaſtaſim ſeu depoſitionem materiæ de parte nobili ad ignobilem ſed etiam imperfectas evacuationes criticas intelligit. Objectiones quæ hic afferri poſſent, jam in contextu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus LII.

Quibus in febribus, aut aliis morbis, voluntarii illachrymant oculi, abſurdum non eſt; quibus vero præter voluntatem, abſurdius.

Contentum ſeu Intentio.

De Lachrymis Prognoſticis.

Connexio: Manifeſtam habet hic Aphor. cum ſuperioribus connexionem. Eſt enim pariter ad eventum morbi prædicendum, in febribus continuis, prout etiam plures alii ſubſequentes. Hic Aphor. duas habet partes. In *Prima* ponit lachrymas voluntarias, in febribus & aliis morbis bonas. In *Secunda* vero malas quando involuntariæ ſunt.

Signum autem hoc a lachrymarum apparitione deſumptum, pertinet etiam ad cerebri & partis animalis læſionem. Non voluntariæ vero illæ eſſe debent, quæ ſcilicet a ægrotantibus invitis & citra quamcunq; cauſam manifeſtam accidunt, & abſque illi oculorum, & palpebrarum ægritudine. de his quoq; meminit ſæpius idem Hippocrates, præſertim vero 1 *Progn.* 13. 4 & 6 *Epid. Sect.* 1 & 1 *Epid. conſt.* 3. Unde *Celſus Lib.* 2. *C.* 4. inter mala ſigna recenſet, *ſine voluntate lachrymare*, quippe profluunt lachrymæ iſtæ, ob languorem & laxitatem caruncularum ocularium, itemq; cerebri, & meatuum in oculos pertentium, unde ſeroſitates exſtillant, quæ plerumq; etiam in his acredinem ſapiunt, à conſimili lympha procedentes. Quod ſi voluntariæ profluunt lachrymæ, vel patentem aliquam ea in re morbum oculorum morbum conſequantur, nihil mali præſagiunt nec quod ad ipſas oculi ... Fer. is indicetur, quemadmodum ex lippitudine, inflammatione, dolore, quibus nihil terrificum accidit illachrymari. Sic pariter ſi ob mœrorem, commiſerationem, gaudium, itemq; fumum, ventum, pulverem, ſolare lumen, acris alicujus corporis v. g. caparum, naſturtii, piperis contrectationem, aliudve ſimile lachrymæ defluant. Cæterum in eo, quod culpatur Hippocrates, aut primus librarius, a Galeno, quod ſcripſerit in Aph. *abſurdius* (vel ut alii) *horribilius* comparative, cum antea nihil *abſurdum ſeu horribile* dixerit per negationem, ſcite defenditur à Cardano *in comment.* qui præterea non ſolum *malum*, ſed etiam *mortem* ex non voluntariis lachrymis præſagiri animadvertit, ut accidiſſe refert ſuæ propriæ uxori, cui ob diarrhæam pereunti, fluxere ubertim lachrymæ, per tres horas ante obitum. Verum tum crediderim eas minari mortem, cum cæteris & quidem gravioribus ſymptomatibus aſſociantur, ut accidit de aliis uxori ægra XV. 3 *Epid.* Porro ipſæ ſolæ, non omnino ſunt exitiales, ut ſæpe expertum eſt. De his lachrymis Poeta canit:

Si ratio eſt, Natura jubet duo lumina flere:
Si nulla eſt ratio, mors truculenta jubet.
Quæris cur oculos jubeat mors ſqualida flere?
Turpem ſponſam odio, triſte cadaver habet.

Dicent

Dices: Fiunt lachrymæ involuntariæ ſymptomaticæ, circa morborum principia v. g. à vomitione, quæ tamen formidabiles non ſunt. Re. Lachrymas in vomitione non fieri vi morbi, vel febris acutæ de quibus intelligendus Aphoriſmus, ſed vi motus illius violenti, quo cerebrum & caput potenter concutitur ac per conſequens etiam oculi, unde non modo lachrymæ, ſed & ſæpe ipſa cæcitas exoritur.

Aphoriſmus LIII.

Quibus per febres, circa dentes lentores obnaſcuntur, iis vehementiores fiunt febres.

Contentum ſeu Intentio.

De Lentoribus circa dentes prognoſticis.

C*onnexio*: Cum in præcedentibus Aphor. multa ad prognoſtica in febribus ſcripſiſſet, nunc in hoc Aphoriſmo, diagnoſim vehementiæ ſeu magnitudinis, ex lentore circa dentes proponit. Hic Aphoriſmus ob brevitatem non dividitur.

A lentore ergo circa dentes adnato, in febricitantibus præſagit hoc Aphoriſmo, febres futuras vehementiores. Sunt autem lentores tenaces quidam, & glutinoſi ſucci, faucibus ſæpe numero adhærentes. & non raro etiam linguæ, ac dentibus, cum uberius cumulantur, unde in oris hiatu, per diducta labia, in liquati glutinis modum extenduntur. Non tantum vero ex viſcoſis & craſſis humoribus ventriculi, & œſophagi tunicas & glandulas occupantibus, gignuntur, verum etiam ex lympha craſſiori è ductibus Stenonianis derivante per palatum in gingivas, & dentes, quæ deinde partim inſpirati, & exſpirati aeris miſcela, partim exhalitibus è ventriculo & pulmone elevatis, acorem præſeferentibus, partim denique ab æſtu febris adeo denſatur, ut glutinis tenacitatem referat.

Ab his igitur portenduntur febres acerbiores, tum quia aeris lympha & alius ſimilis ſuccus, febrilem fermentationem potentius promovet, & diutius conſervat, copia ſimul ac craſſitie, nam quia viſcoſi ejuſcemodi humores, oris hiatum liberiorem impedientes, ægros in reſpiratione anxios faciunt, præpeditis non leviter aeris ductibus, unde etiam ſitis & æſtus major. Sed & ſanguis, ejus generis lympha irretitus, minus quam ſubigi & commoveri debeat, ut ſe ipſum per febrem extricet. Opitulabimur vero ejuſmodi malis, nitro aqua diſſoluto, vino albo

albo veteri, ejusque ſpiritu, os ſæpius eluendo, item ſpiritu ſalis armoniaci dulcificato, vel aliis ad idem conferentibus.

Dices I Sæpe ſanis contingit, qui dormiunt ore aperto, ut mane multum ejusmodi lentoris circa dentes habeant, absque ullo periculo. ℞. Hoc eſſe extra febres, Aph. autem loquitur de tali lentore in febribus.

Dices II Ejusmodi lentor poteſt etiam eſſe in chronicis febribus ℞. Concedo totum, nam lentor non generat febrem, ſed eſt affectus febris, Ergo à quacunque febre diutius durante fieri poteſt.

Aphoriſmus LIV.

Quibus ſiccæ tuſſes, paulum irritantes, in febribus ardentibus diu durant, ii non admodum ſiticuloſi ſunt.

Contentum ſeu Intentio.

De Tuſſi ſitis antidoto.

Connexio Cum de febrium vehementia egiſſet in antecedenti, in præſenti jam cauſum ſeu ardentem febrem proponit, & noviſſimi accidentis illius, nempe ſitis, mentionem facit. Hic Aphoriſmus ob brevitatem diviſionem non patitur.

Memotat hoc Aphor Hippocrates, quam proſint ſiccæ tuſſes, leviter guttur irritantes febricitantibus, cum eas à moleſta ſiti eximunt. Febres namq; ardentes, duobus ſemper, tanquam pathognomonicis ſignis, ſociati ſolent, urente nimirum æſtu, & ſiti moleſtiſſima: modo hæc abeſſe ſolet, vel non plurimum urgere, cum ſiccæ tuſſis leviter fauces & guttur proritant, ſcilicet irroratis partibus, tum pulmonem, tum ventriculum, ſpectantibus, unde ſitis originem ſumit, ut alibi oſtendimus Siccas tuſſes intelligit eas, ex quibus nihil vel tenue admodum & ſeroſum exſpuitur ad differentiam tuſſis humidæ, per quam craſſum multumque ſputum educitur. Eas autem fieri credendum ſeroſa & aquea materia, ad partes faucium & gutturis pertingente, quam recentiores anatomici lympham exprimo ejus inventore Thoma Bartholino appellarunt. E cerebro & glandula pituitaria, putarunt veteres, in os extillare; at ſagaci induſtria Thomæ Warthoni, & Nicolai Stenonis, detectum eſt, per peculiares ductus, à poſtica capitis parte, & ex glandulis circa aures ſitis, in radicem linguæ, & in muſculos buccinatores depluere, quamobrem madidum os, in ſtatu ſano perpetuo experimur.

Ab

Ab his igitur madeſcit guttur, & ſitis infringitur, cum in febribus fortaſſe liquatur, ut diluitur plus æquo lymphaticus ejuſmodi humor, ut etiam exinde tuſſicula excitetur.

At qua de cauſa, per tuſſim hanc ſitis præcipue remittatur in febricitantibus? antea meminimus, ex doctrina ejuſdem Hippocratis & Platonis, ſitim vigere in gutture, & pulmone, ut propterea illa facilius, & promptius ſedetur, collutionibus, & gargariſmis, quibus partes iſtæ irrorentur, & madeſcant, defluentibus non nihil per latera aſperæ arteriæ ſenſim ac pedetentim in pulmones. Cum itaq; vi febris lymphaticus hic humor tenuatur, & confluens in laryngem titillando tuſſim promovet, abſq; ſcreatu, non multum contingit ſiti febrientes infeſtari qui cæteroqui cauſone affecti, vehementer ſitirent. Debent autem ejuſcemodi tuſſiculæ leviter irritari, ſic enim arguunt tenuem & ſeroſum humorem in eas partes illabi, nam ſi fortaſſe copioſior vel craſſior humor tuſſes pareret moleſtiores, tale emolumentum nullatenus afferrent, imo pectus, & pulmonem, moleſte admodum concutiendo, febrem potius exaſperarent, & ſitim ad augerent. At vero levis irritatio, neque moleſtam tuſſim infert, neque partes ſpiritales concutit, ſed blando ſolum madore, illas lenit & irrigat.

Quia vero tuſſes dixit Hippocrates, leviter irritantes, ſane non ſemel ſed iterato repetentes ac perſeverantes intellexit: hac enim ratione, poterunt illæ ſitim lenire, ſi nimirum ſæpius fauces & guttur humeſciant, quamobrem non immerito adjectum eſt adverbium *plurimum*, quo ſignificetur, multoties per tuſſim eas partes irrigari oportere.

Tandem dicitur, non multum ſiti febricitantes infeſtari, non quod omnino ſiti careant, ſed quod mitius afficiantur, adeoq; illa, quæ per febrem ardentem moleſta nimis eſſet & inextinguibilis ſitis, per ejuſcemodi gutturis & aſperæ arteriæ irrorationem, plurimum remittatur & ſedetur, ut proinde magna ex parte tolerabilis evadat.

Dices I Eſt ſicca tuſſis, Ergo non adeſt præfata illa humiditas. ℞. Et ſi dicatur ſicca tuſſis, non tamen eſt talis, ut penitus nihil adſit de humiditate, ſed dicitur ſicca reſpective ad tuſſim humidam.

Dices II In febre hectica adeſt diuturna tuſſis ſicca, & tamen etiam adeſt ſitis, Ergo tuſſis ſicca, non tollit ſitim. ℞. Nos hic loqui de febribus ardentibus; præterea ſi in febre hectica diu duret tuſſis, fit etiam humida.

Apho-

Aphoriſmus LV.

Ex Bubonibus febres omnes malæ, præter Ephemeras (ſeu Diarias)

Contentum ſeu Intentio.

De Febribus culpa glandularum ortis.

C*onnexio*: Cum ſupra de abſceſſibus, qui in febribus fiunt, multa dixiſſet Hippocrates. In hoc Aphoriſmo agit de Bubone, qui abſceſſus quidam eſt. Hic Aphoriſmus dividitur in duas partes: In *Prima* agit de malis in *Secunda* de bonis tumoribus.

Loca tumorum, nempe inguina, quæ Leonicenus adjecit in ſua verſione, alii expoſitores detraxerunt, & fecerunt ſententiam univerſaliorem, comprehendentem quemcunq; tumorem glandularum. Etenim ut advertit præ cæteris Fuchſius, Bubones græce Hippocrati in Aphor. notat ſignificanti tumores, omnes adenum ſeu glandularum, ex Galeno *2. ad Glauconem Cap. I.* Unde male Leonicenus hanc vocem ad inguinum tantum adenas ſeu glandulas tumefactas contraxit, cum omnium adenum tumores ſignificet. Occaſionem autem (ſubdit idem Fuchſius) errori huic dedit vox ambigua *Bubon*, quæ ut teſtis eſt Phavorinus & locum corporis & malum denotat, inguina nimirū & tumorem adenum.

Itaque non ſolum ex inguinum tumoribus, ſed ex aliis quibuscunq; tumefactis glandulis, in inguine, axillis, collo, retro aures &c febres obortæ malæ cenſendæ ſunt, exceptis diariis. Etenim diariæ febres, cum ſua natura breviſſimæ ſint, & vix ſpatium unius diei tranſcendant, certe non poterunt aliunde pendere, quam à materia facile difflabili, vel ad ſummum a confluxu & ſupputatione humorum in adenibus collectorum, citra ſanguinis & aliorum liquorum, vel viſcerum infectionem, quare levis omnino momenti erunt. At vero cum terminum diariarum tranſegerint, & diutius protrahuntur, ab alia plane materia, praeterquam ab halitibus originem trahent, adeoq; vel grave vitium glandularum, vel internarum partium infectionem arguunt difficulter reſolubilem, præſertim quia glandulæ, in humano corpore, talem ac tantam interſe ineunt ſocietatem, ut etiam vitia protinus communicent. Obſervatum namq; eſt, ſæpius in cadaverum diſſectionibus ad colli, mammarum, & aliarum externarum partium, glandulas tumefactas, præ-

ceſſiſſe

ceſſiſſe male affectas eas, quæ interius reconduntur, in meſenterio, pancreate, lumbis & cæteris viſceribus, ut alibi jam notavimus.

Quamvis autem videatur loqui Hippocrates de Bubonibus ſponte ſubortis, ſi tamen ex venerea lue proveniunt, Judicium longe diverſum faciendum erit. Ex ea enim, cum præter materiæ diſpoſitionem, vitium in ſanguine, & cæteris liquoribus, imo in partibus ſolidis præſignetur, etiam absq; febre, periculo illi non vacant, nam & dolores articulorum, exoſteſes, ulcera, tabes, & alia graviſſima ſymptomata, conſequi ſolent, ut paſſim experimur.

Solent quoq; bubones malignam & peſtilentem febrem oſtendere, quæ absq; dubio peſſima eſt & lethalis, quin & non raro ab illis mox apparentibus, febre necdum conſpicua, ægri veluti repente pereunt. Salubriter autem ejusmodi malis occurrere expediet ope remediorum in Praxi recenſitorum, quo Lectorem remittimus.

Dub. In Carbunculo & Bubone peſtilenti ægri moriuntur cum Ephemera, quia prima ſtatim die pereunt. Ergo etiam Ephemera cum bubone eſt mala. ℞. In peſte non eſſe Ephemeram veram ſed putridam, quæ diutius duraſſet, niſi Natura in primo ſtatim inſultu, vi morbi ſuccubuiſſet.

Aphoriſmus LVI.

Febricitanti ſudor ſuperveniens, febre non deficiente, malum: prorogatur enim morbus, & multam ſignificat humiditatem.

Contentum ſeu Intentio.

De inani Sudore febrium.

C*onnexio.* Cum Hippocrates ſupra Aphoriſmo 42. hujus ſectionis ex multo ſudore morbum majorem vel minorem colligeret: Nunc ex copioſo ſudore abſolute colligit, morbi longitudinem.

In duas Partes dividitur hic Aphoriſmus: In *Prima* docet & concludit ſudores qui febrem non tollunt, vel magna ex parte levant, eſſe bonos qui vero hæc non faciunt malos. In *Secunda* cauſam & rationem reddit, quia ſive perpetuo fluat, ſive per intervalla, & tamen non juvet, morbi longitudinem, & materiæ copiam oſtendit.

Sudor ergo, ut febricitantibus proſit, debet febrem vel adimere vel

remittere: cum autem neutrum affert, profecto malus erit. Et quidem ſi eum aliis ſignis, pravam febris naturam denotantibus copuletur, etiam mortis periculum minabitur, at vero ſi his deſtituatur, morbum fore longum, tantummodo præmonſtrabit, quippe qui ab humorum copia proficiſcatur, ut hic memorat Hippocrates.

Advertit autem Fuchſius ſudorem crebro, & aſſidue repetentem eſſe oportere, ut multam materiam & productum morbum prænunciet. Et quidem ſi ſemel accideret, non mirum ſi febris non eſſet deſitura, conſiderabilis autem fit, cum repetit, & febrem non interrumpit. Eo enim ex univerſo corpore fluente, fieri nequit, quin vires langueant & a perſeverante febre magis & magis debilitentur. Sed & idem accidere poterit ſi ſudor ſemel contingens copioſus fuerit, atque univerſalis, nec tamen febrem ſedet, æq; enim vires infringuntur, iterato ſudore, ac uno & copioſo. Malus quoq; iſtiusmodi ſudor erit, quia licet calidus, univerſalis & conſentaneus febribus, morbum tamen non ſolvit; decretoria enim non decernentia mala, aut difficilis Judicii.

Cum ergo febrim ſudor ſuper veniens, non interrumpit, profecto morbum longum oſtendit, quippe quicunque is ſit, qui per ſudorem veluti per evacuationem convenientem, nec deſinat, nec intermittat, idque nonniſi à copia & multitudine ſeroſæ ſubſtantiæ quæ plane longius tempus exigit, ut ſecernatur, ac repurgetur. Præſtabit ergo ad morbum hunc breviandum, paulatim imminuere tantam ſeroſæ materiæ ſuperfluitatem, & quidem non ſolum dejectoriis, præſertim hydragogis, verum etiam diureticis convenientionbus, quæ ſane hac in re plurimum prodeſſe poterunt.

Objectiones quæ hic afferri poſſent, jam in contextu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus LVII.

Spaſmo aut Tetano vexato, febris ſi acceſſerit, morbum ſolvit.

Nota *Hic Aphoriſmus fere ejusdem ſenſus eſt, cum Aph. 26. l. 2. aliis tantummodo verbis deductus.*

Contentum ſeu Intentio.

De febri Spaſmi ſeu Convulſionis remedio.

Connexio Cum hactenus Hippocrates, varie de febribus, & earum accidentibus egiſſet. In hoc Aphoriſmo docet, quatenus febris convulſioni ſuccedens, eam tollat. Hic

Hic Aphoriſmus, ob brevitatem diviſionem non admittit.

Febrim non adeo malam eſſe, & plerisque perſuaſum, ſed plerumque juvamento exiſtere, atque plurimis morbis ſuffragari, jam alibi ex pluribus ejusdem Hippocratis teſtimoniis demonſtravimus; ſed tamen vel ex hoc præcipue Aphoriſmo palam fieri poteſt, quo Author confitetur Spaſmum ac Tetanum, ea ſuperveniente ſanari. Sunt enim iſti morbi, nervorum & muſculorum, inducti ab humoribus fibras eorumdem rigidas, contractas & obturatas reddentibus, ut propterea motui, & flexioni incommodent, unde deſcribuntur a Medicis, contractiones nervorum, ac muſculorum ad propria capita. quam autem febris his attenuandis & diſſolvendis opportuna ſit, cuiq; notum Neq; vero ſolum in ejusmodi capitis affectionibus, ſed in cæteris quibuscunque, in quibus digerere, diluere ſecernere, ac repurgare opus ſit. Hic quemadmodum convulſiones & diſtenſiones nervorum ac ſimiles alii morbi, febre ſuperveniente deſinunt, quippe quæ diſſolvendo, & repurgando vitioſos humores, remedio eſt, Ita ex adverſo, ſi illæ febri accidant, omnino exitioſæ ſunt, ut idem Hippocrates meminit *in Coacis prænot* inquiens *Cum febre acuta, convulſiones pernicioſa* Sed de hac re alias. Inutiliter autem videntur allaborare, qui nimis anxie exponere ſtudent, quid per convulſionem, quidq; per diſtenſionem nervorum, ſit hic intelligendum, cum ex græco codice habeatur memoratus in Aphoriſmo *Spaſmus & Tetanus*, qui non niſi nominibus differunt, altero generalior, ſpeciali ori altero, Cæterum tum parte affecta, tum cauſis conveniunt, iisdemque fere remediis tractari ſolent.

Quanquam autem à convulſione & diſtenſione nervorum habita, febris ſuperveniens ſalutaris ſit, illa tamen, neque lenta nimis eſſe debet, neq; multo poſt tempore à convulſione & diſtenſione; compertum enim non ſemel eſt, febres modum quendam non ſervantes, convulſis ejuscemodi, nulla ratione profuiſſe, ſed potius mortem prænuntiaſſe, velutique ab interim ſanguinis & liquoris nervei labe illata, exſolutam vitæ compagem arguat. Et lenta admodum, tenaces ſuccos, nervos infarcientur nequeat digerere. Debent itaq; febres convulſis ſupervenientes, neq; mites omnino eſſe, neq; admodum vehementes, & moleſtæ, ſed Dianam naturam quodammodo ſapere, ut nimirum convenienti calore ac moderata humorum commotione hærentes, in fibris nervorum, ſuccos diſſolvant, & per convenientiora corporis emiſſaria deponant, Unde idem Hippocrates *in Coacis præ-*

Google

not. inquit: *Convulſionem ſolvit febris ſuperveniens acuta, quæ prius non fuit, ſi vero fuit prius, jam exacerbata*; Sed & paulo poſt, quam convulſio acciderit, expedit ſupervenire febrem, impactos ſiquidem humores hebetatas partes, contractas, & obturatas nervorum, ac muſculorum fibras, non tam facile febris concoquere, atque ad priſtinum ſtatum revocare poterit, præſertim quia hujus generis humores acidi, & auſteri eſſe ſolent, & cum diuturnitate temporis concreverint, inemendabiles fiunt; quamobrem Hippocrates in *Coac. prænot ſect. 3. verſ. 55* ait: *Syderationes repente exolutorio modo fientes, temporis progreſſu, febre accedente, pernicioſæ ſunt.* Hac eadem ratione contingit, membra jam pridem Paraly ſi reſoluta, difficillime ſanari, etſi magna & efficacia medicamenta adhibeantur, quæ proxime ad febrem inferendam accedant; Procedente enim tempore, adeo illa ab humoris impacti vitio hebeſcunt, ut tandem veluti emortua videantur.

Sed an liceat febrem cum fortaſſe fortuna non ſupervenit, medicamentis ad id facientibus, excitare, quæri hic non abs re poteſt. Equidem videtur Hippocrates ſuadere *2. Epidem* ſect. 5. ubi, *ſi Puerperæ*, inquit, *convulſio fiat febrem excitato*. Verum neq; tam facile eſt id agere, neq; tutum, & nec ex voto ſortitum, pro libitu deinde arcere, ſemel enim inducta febris, ſat diu hærebit, aut etiam exaſperabitur, ex mala humorum ac viſcerum habitudine. Licebit autem ſolummodo iis remediis uti, quibus paſſim experimur, tenaces humores attenuari, hærentes diſſolvi, atq; per ſudorem, vel urinam & paulatim deduci. Idque fortaſſe crediderim voluiſſe Hippocratem ſub nomine febris ſignificare, cum ejuſmodi medicamenta, ſudorem potiſſimum prolicientia, *potentia* præſtent, quod a febre, *natura* fieri conſuevit, de qua re vide meam Praxim.

Dices I. Febrilis calor non coquit ſed potius concoctionem impedit, ergo nec convulſionis materiam concoquere poterit. ℞. Febrilis calor non concoquit *Pepſi* ſeu pro nutritione corporis, ſeu modificatione humorum, concedo non concoquit Pepaſmo ſeu præparatione ſeu coctione ad expulſionem nego. Nam febrilis calor, ſi non coquat, ſaltem conſumit, diſſipat, & ad excretionem movet.

Inſtabis: Quidquid eſt contra Naturam, id non poteſt eſſe pro Natura, atqui calor febrilis eſt contra naturam, ergo. ℞. Diſtinguo, per ſe concedo, per accidens nego. ℞. 2. Calorem febrilem utpote calori naturali junctum hæc facere, non autem ſolum per ſe, cum ſolus naturalis ſit coquere.

Urgebis

Urgebis Hippocrates convulſionem ſeu tetanum curat, affuſa aqua frigida, Ergo nec per calorem quemcunq; curatur. ℞. Id fieri per accidens, concentrato nempe ex affuſione aquæ frigidæ, calore & auctiore reddito, virtus enim unita fortior.

Dices II. Tetanus non videtur eſſe ſpecies convulſionis quia in hoc membra non moventur. ℞. Membra non moventur, motu locali, concedo, motu tonico nego. Ergo non moventur, nego conſequentiam.

Dices III. Febris non poteſt ſolvere convulſionem ab inanitione, imo auget, Ergo Aphoriſmus non ſubſiſtit. ℞. Nulla regula datur ſine exceptione, Aph. enim tantum loquitur de convulſione a repletione.

Aphoriſmus LVIII.

Si febre ardente laboranti, rigor ſuperveniat, ſolutio fit.

Nota: *Cum hoc Aph. multum coincidunt, Aph. 29. & 46. hujus Libri.*

Contentum ſeu Intentio.

De Rigore Critico.

Connexio. Cum in antecedente Aphoriſmo, de febre ſuperveniente convulſioni egiſſet. In hoc præſenti Aphoriſmo, agit de rigore febri ardenti ſuperveniente. Et ſicut febris morbum ſolvit in ſuperiori, ita in hoc ſolvit febrem rigor. Hic Aph. ob brevitatem non dividitur.

Rigor febricitantibus, undequaq; moleſtiſſimus, tum ex ſenſu frigoris, etiam penitiores partes cruciante, tum ex univerſi corporis, ingentiaq; inæquali concuſſione, qua vires plurimum infringuntur, ſolet aliquando criticus, & ſalutaris fieri, cum ſubſequentem febrem, vel interrumpit, vel terminat. Et quidem cum poſt præcedentem, vitioſæ materiæ coctionem & ſecretionem ejusdem extra corpus propulſionem, vel per ſudorem, quod frequentius, vel per dejectionem aut urinam, quod rarius conſequentem retrahit.

Meminit autem hic ſpeciatim Hippocrates, febris ardentis, quippe quæ continens ſua Natura eſt, nec unquam ægrum immunem deſerit, quin non raro, ut idem Hippoc. Autor eſt, ſeptima die perimit: Neque vero quam notam & ſpuriam vocant, ſed legitimam & exquiſitam notaſſe, credendum eſt, cum ſine ulla adjectione, illam protulerit, & cui rigor accidere poſſit. Conſtat autem hunc, non niſi exquiſitæ poſſe ſupervenire.

At unde poſſit rigor continenter febricitantem arripere? Hippocrates

crates 1 de morbis id ita definit: *Frigeſcente ſanguine, neceſſe eſt & reliquum totum corpus perfrigerari, & ubi hujuſmodi aliquid factum fuerit, rigor appellatur vehementior etiam fiet tremor, nam tum contrahuntur venæ ſanguine coacto & congelato, corpus etiam contrahunt, & tremere faciunt, ſi vero minus aliquanto ſanguinis coactio fiat, hic rigor appellatur, horror autem dicitur debiliſſimus rigor*, hæc Hippocrates.

Verum ardens febris, vel ab eo quod in ſanguine, vitioſum eſt, per indebitam commotionem, & fermentationem excitatur, vel etiam ex eo quod aliunde ſuggeritur, & cum ſanguine commiſcetur. Per Rigorem autem & univerſalem corporis concuſſionem, ſæpe numero utrumq; repugari ſolet, ac per ſudorem, aliamq; evacuationem a ſanguine ſecedere & extra mitti, unde poſtmodum febris, vel omnino deſinit, vel ſaltem intermittit, quam ob rem idem Hippocrates animadvertit: *Aph 63 hujus Libri: quibus in febribus quotidie Rigores fiunt, quotidie febres ſolvuntur.* Hinc rigor in his eſt indicium, futuræ ſolutionis, per aliquam evacuationem, quam natura moxmox tentans perficiet aliquando, cum & nonnunquam ipſa eadem acceſſione rigoris, interdum etiam ſuccedentibus diebus fiat. Sic mulier, quæ decumbebat in Littore *ægra XIII. I.Epidem.* trimeſtri fœtu gravida, non niſi cum ſim paſſa eſt per Vomitum, & ſudorem, in decima quarta die, licet riguerit in undecima. Qui vero in ſutrina decumbebat, judicatus eſt cum ipſo rigore in ſeptima, *4. Epidem* Sed & neq; rigore ſolum, verum etiam horrore idem contingit, ut de Nicodemo in Abderis, & de Virgine Lariſſæa, aliisq; meminit idem Hippocrates *3 Epidem ſect 3 ægra X. & XII* neq; tantum febres ardentes & continentes, ſed alias quoq; exinde judicatas teſtatur *I Epidem. ægro VI. & alibi.*

Sed quid ſi à rigore & horrore, febris nec deſinat nec intermittat ut diximus ſupra hoc libro Aph 29. & 46. Profecto mali Judicii imo lethalitatis ut ibidem meminimus, ſignum erit, arguit enim naturam tentare, ſui exonerationem, ſed ex defectu ſecretionis & coctionis non poſſe, atque adeo imbecilliorem fieri per rigorem, ſine ſpe ſuccedentis criticæ evacuationis, hinc mortua decima quarta die refertur *3. Epid. Sect. 2 ægro XII* quæ mulier decumbebat in mendacium foro, cum in quarta riguiſſet, & bis in ſeptima atque ſemel iterum in decima tertia. Verendum etiam plurimum in aliusmodi iteratis rigoribus, abſq; criſi, ne cerebrum, diaphragma, aliæq; acr[illegible]oſæ partes, metaſtaſim patiantur ab irruente humore ſeroſo & acri, unde poſtmodum internæ inflam-

mat-

mationes, Eryſipelata, delitia, atque hujus generis alia, ut ſæpius in Praxi experimur.

Dices I. Hippocrates *in Epid.* ſæpius febrium à rigore incipientium meminit, qui tamen eas non ſolvit, Ergo falſus eſt Aphoriſmus ℞ Hic ſudori febrium, non febri ſudorem ſuperveniſſe & ſic ſubſiſtit Aphor.

Dices II. Diarrhæa vel ſudoribus &c. ſupervenientibus fit ſolutio, ergo non rigore ſuperveniente ℞ Hippocratem hic uti antecedente pro conſequentibus, ut ſæpe ſolet, nec male ſatis enim eſt, ſi id mediate fiat.

Aphoriſmus LIX.

Tertiana exquiſita ſeptenis ad ſummum circuitibus judicatur.

Contentum ſeu Intentio.

De Termino tertianæ exquiſitæ.

Connexio. Cum in præcedente Aph. egiſſet de febre ardente contraria, in hoc præſenti agit de duratione tertianæ intermittentis exquiſitæ. Hic Aphoriſmus propter brevitatem non dividitur.

Cum ergo mox de rigore meminiſſet Hippocrates, veluti futuræ judicationis indicio, isq; tertianas exquiſitas ſpeciatim comitetur, harum terminum nunc proponit, ut inde conjiciamus, quo tempore cæteris febribus continentibus, ille ſuperveniens poſſit criticam referre evacuationem, & ſalubriter easdem deſituras indicare. Eſt autem tertiana exquiſita intermittens hic per Antonomaſiam intelligenda, quæ humorum alternis diebus invadit, in ſingulis acceſſionibus ſpatium duodecim horarum, ut plurimum non tranſcendit, rigore incipit, ſudore, vomitu, vel dejectione terminatur, præter ea quibus ad illam dignoſcendam adnotavit Galen. *2 de differ. feb cap. 3 & 1. ad Glauconem cap. 5.* Septenis vero circuitibus deſinere omnino dicitur, quia cauſam tenuem, & facile ſubigibilem recognoſcit, quæ ſponte ſua ſecernitur, & à reliquis humoribus repurgatur ut oſtendimus in Praxi. Cumq; circuitus alternatim repetant, tertio quoq; die, proinde fit, ut ad ſummum, non ut pleriq; putant, decimo quarto ſed potius decimo tertio die, quo ſeptima acceſſio recurrit, penitus terminetur, niſi tamen error aliquis contingat, aut ex parte Medici, importune medicamenta præcipientis, vel ex parte ægri, qui fors in ſex rerum non naturalium uſu deliquerit.

Sed *ad ſummum*, inquit, *judicatur*; nam fieri poteſt, ut etiam ante hoc tempus deſinat, puta quarto, quinto, aut ſexto circuitu, ſeu ſeptima nona vel undecima die, pro corporum affectorum varietate, & humoris febrem foventis, fortaſſe parcioris ac benignioris, faciliori reſolutione, quamobrem recte dixit, extremum illius terminum eſſe, ſeptimum acceſſionis reditum, cum ſcilicet nullo artis auxilio interrupta, ſponte ſua, ut conſuevit, procedit, ſi enim ope anti ſebrilium medicamentorum, quemadmodum noſtra ætate fit, uſu corticis peruviani, vulgo china chinæ dicti, ejus impetus infringatur, & periodicum fermentum hebetetur, profecto citius eſſet abitura, ſicut jam piſſim experimur.

Verum quod hic ſeptimo circuitu, ut tardiſſime tertianam febrim deſituram, inquit, *in Coacis prænot.* ad nonum protulit; ibi enim: *Tertiana exquiſita in quinq, aut ſeptem circuitibus aut ad ſummum in novem judicatur*, fortaſſe ex mala habitudine corporis patientis, ex abundantiori & conſiſtentiori humore, ex inclementi tempeſtatum conſtitutione, vel alia de cauſa, quæ illius ſolutionem retardare queat. Hinc crediderim, finem tertianarum, hic ab Hippocrate recenſitum, *plerumque* intelligendum, cum pro rerum & cauſarum, in id concurrentium varietate, & ocius & ſerius, & facilius & difficilius, deſinere poſſint; quemadmodum eaſdem experimur, modo ſimplicibus & levioribus, modo plurimis & gravioribus ſymptomatibus ſtipari.

Dices: Dejectio ſyncera (ut alibi dictum) habetur peſſima, Ergo etiam peſſima habetur febris exquiſita, quia fit ab humore ſyncero, Ergo non tam facile juxta Aphoriſmum judicabitur. ℞. Bilem, febris tertianæ cauſam, non proprie ſeu pure eſſe ſynceram, ſed vel altera tam vel aliis utique commixtam.

Objectiones reliquæ in contextu ſunt adductæ & ſolutæ.

Aphoriſmus LX.

Quibus per febres aures obſurduerint, iis ſanguis è naribus profluens, aut perturbata alvus, ſolvit morbum.

Contentum ſeu Intentio.

De Obſurdeſcentiæ in febribus ſolutione.

C*onnexio*: Etſi ſupra Aphor. 28. hujus Libri Hippocrates ſcripſerit, ſurditatem deſinere, ſupervenientibus biloſis dejectionibus. In hoc

hoc tamen Aphoriſmo, non per dejectionem ſolum, ſed & è naribus hæmorrhagiam, ſi febricitantibus accidat, eandem, neq; jam diu genitam, & ſtabilem, ſed ipſo febris decurſu inductam à metaſtaſi peccantis humoris ſolutum iri docet. Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur.

Hoc ipſum, quod meminit, in præſenti Aphoriſmo, expreſſius retuliſſe fertur Hippocrates, *Libro de Judicationibus*, inquiens, *quibus in febribus aures obſurduerunt, his, non ſoluta febre, inſanire neceſſe eſt: Solvit autem ſanguis è naribus erumpens, aut alvus bilioſa egerens, aut dyſenteria accedens, aut coxarum aut genuum dolor.* Hinc autem colligere eſt, oportere febrem deſinere, vel ſaltem multum miteſcere, cum ſubinde aures obſurduerint, translatione nimirum humoris, in organa aurium, & præſertim in eam auditionis ſemitam, quæ Tympano attigua eſt, atque in glandulas auribus circumjacentes, unde poſtmodum in alvum is ferri poſſit, ſi vero febris exinde non ſolvatur, delirium accidit, perturbato potius per metaſtaſim humoris cerebro, adigente, & commovente non leviter febre ſuperſtite, quam ſane ſubſurditas, veluti novum ſymptoma ſequetur, non vero ut criticus abſceſſus judicabit, delirium autem, ſi non vocis, ſaltem mentis erit.

Porro id cum ſurditate ſolverit, aut erumpente affluenter è naribus ſanguine, aut diarrhæa, vel dyſenteria ſuperveniente, aut translato in coxas vel genua humore, aures occupante, unde poſtmodum in his dolor, & fortaſſis etiam tumor ſenſibilis, ut in cæteris judicatoriis abſceſſibus fieri ſolet. Quod autem fluens e naribus ſanguis, cerebri ſenſoria gravata, & male affecta levet, atq; alvus ſoluta, ſurditatem adimat, jam cunctis notum, eſtq; à nobis latius antea demonſtratum in expoſitione ſupra citati *Aph 28.* Advertere hinc modo eſt, non dixiſſe Hipp. ſolum ex ejusmodi evacuationibus febres ipſas, ſed morbum, cum ſcilicet, qui ex metaſtaſi aures in ſurditatem, & cerebrum in inſaniam deduxerat.

Dices: Idem prorſus eſt hic Aphor. cum Aph. 28. Ergo Hippocrates commiſit Tautologiam. ℞. Transeat antecedens nego conſequentiam, quia in 28. loquitur magis de inveterata quam recenti ut hic: ibi generalius, hic particularius locutus ſit: ibi de viciſſitudine ſurditatis & alvi fluxus, hic de curatione.

Dices II, Poteſt dari ſurditas cum diarrhæa, quæ tamen eſt incurabilis Ergo falſa ſunt dicta. ℞. Hippocratem loqui de diarrhæa & ſurditate critica non ſymptomatica quæ objicitur. Præterea, ſi ſurditas ſit a vitio

organi hæreditaria, aut inveterata nimis, nunc diarrhæa nec dyſenteria juvat; ſecus ſi ab obſtructionibus & fermentationibus inordinatis dependet. Plures objectiones vide ſupra *Aph. 28.*

Aphoriſmus LXI.

Febricitantem, niſi diebus imparibus, febris reliquerit ſolet reverti.

Nota. *Hic loco revidendus & recolligendus eſt Aphor. 36. hujus Libri.*

Contentum ſeu Intentio.

De Criſi febrium infida.

Connexio Cum ſupra Aph. 29. docuiſſet Hippocrates, rigores ſextæ diei, judicationem habere difficilem in hoc Aphoriſmo, univerſalem de omnibus diebus criticis tam paribus quam imparibus agit. Hic Aphoriſmus utpote breviſſimus non dividitur.

Dubitat *in comment.* Galenus, an revera hic Aph. ſit Hippocratis an à quopiam alio interſertus, *ſiquidem is* inquit, *non modo die quarto decimo, multos vidit judicatos, ſed etiam in vigeſimo, & quadrageſimo & ſexogeſimo & octuageſimo; ipſi vero judicant, & vigeſima quarta, & trigeſima quarta, & ab initio protinus quarta.* Sed cum alibi id ipſum omnino ſcriptum ſit ab Hippocrate, præſertim vero *2. Epid. Si in die impari febris dimittat, reverti neceſſe eſt.* Et in *Coac. præn. Quibuscunq; deſinunt febres, non in diebus judicatoriis, his recidivæ ſiunt.* Profecto, ad alium quam ad Hippocratem, ſententiam hanc referre, nefas foret. Sed tamen quæ commentatus eſt Cardanus, ut eandem generalem faceret, in febribus quibuscunq; non tanti ſunt, ut mereantur aſſenſum, cum in plurimis is ab Argenterio redarguitur, quippe qui in decretoriis diebus colligendis, & reducendis ad ſeptenarios, ſophiſtam ſapiat. Quamobrem præſtabit in aliorum interpretum ſententiam concedere, qui cum Galeno, pro imparibus, judicatorios ſubſtituunt, vel cum Philotheo, ad acutas tantum febres, mentem Hippocratis contrahunt.

Juxta veteres e diebus quidam credebantur vere *pares*, quidam vere *impares* quidam vero *medii*. *Pares* dies abſolute erant 2. 6. 8. 10. 18. 22. *impares* abſolute erant 3. 5. 7. 9. 11. 17. 21. *Medii* abſolute erant, qui ſunt crediti eſſe utriusq; naturæ, eratq; 4. 14. 20. 40. 60. 80. 120. qui dies medii, ſi numerentur, quantitate materiea, vere pares ſunt, at ratione

ſepti-

ſeptimanæ, impares dicuntur, quare (inquiunt) fit, ut Hippocrates hic pares intelligat ſolum abſolute tales, non autem hos qui ſub imparibus continentur. Hæc veteres qui dies criticos omnes impares voluerunt. Verum cum à nobis ſæpius, ex eodem Hippocrate ſit oſtenſum, quemlibet diem ſive imparem ſive parem, criticum eſſe poſſe, ſi cum ſignis coctionis conjungatur, & cauſæ morbificæ motionem, & evacuationem conitetur, plane hunc Aph. referre licebit ad eas tantum febres, quæ diebus imparibus, ſuos paroxiſmos proferunt, aut in iiſdem exacerbantur, cujuſmodi ſunt tertianam periodum iterantes, ſive ſimplices ſive duplices, ſed enim ſcribitur *1. Epid. Sect. 3. quæ paribus diebus exacerbantur, paribus judicantur*, unde credere decet, voluiſſe hic ſolum eas febres memorare, quæ circuitum ſubeant, per dies impares, cæteroquin inter acutas frequentiores. Porro conſtat apud omnes, iis diebus febres omnes judicari, in quibus acceſſiones incurrunt, nam quibus criſis imminet, nox præcedens moleſta eſſe ſolet, nec unquam viſa eſt criſis, in die a febre vacuo, aut abſq; magna colluctatione naturæ cum morbo & cauſa morbifica, & licet decima quarta dies, in acutis dicatur critica, revera tamen criſis accidit, in fine acceſſionis, decimæ tertiæ diei, quæ cum ſoleat ex impetu paroxiſmi, ob maximam morbificæ cauſæ commotionem, moleſtior fieri, atque ex conatu naturæ criſim promoventis, in longius tempus produci, fit propterea, ut beneficium criſeos reluceat in decima quarta die, cum victrix natura morbi cauſa depulſa, immunis a febre remanet. Atqui acceſſiones febrium conſiderando, ſæpiſſime quoq; experimur, in ſeptima acceſſione febrem finiri, quamvis illa ad decimam quartam diem extendatur, ex motu nimirum ejuſdem febris, in ſuis repetitionibus, quodammodo variantis, & paroxiſmos poſtponentis; etenim ut alibi diximus, oportet non dies, ſed acceſſiones intueri.

Cum igitur febres deſinunt, in iis diebus in quibus acceſſio, vel nulla fit, vel levis & admodum remiſſa, de illarum reditu verendum, quippe quæ deſinant abſq; criſi, ſive morbificæ cauſæ evacuatione, hæc autem ut dictum, nunquam accidit, ſine vi atque impetu ejuſdem, ſeſe vehementius commoventis & naturæ propellentis ad conſueta corporis emiſſaria, idcirco cum adhuc intus remaneat, procul dubio febrem denuo excitabit; *nam quæ in morbis relinquuntur, recidivas facere conſueverunt*.

Verum dixit Hippocrates, *ſolet reverti ſeu recidere*, non enim eſt

Digitized by Google

omnino neceſſe, ut febricitans recidat, cum a febre evaſerit, in die non critico, aut impari & abſq; criſi? Expertum enim ſæpius eſt, deſiiſſe febres, citra quamcunq; evacuationem, & abſq; vehementi naturæ commotione: an quia iteratis egeſtionibus, per ſingulos præcedentes paroxiſmos, ſolutionem ſenſim paſſæ ſunt? an quia modicus & exiguus humor, illas fovebat, qui inſenſibiliter difflatur? an etiam quia ante febrilium medicamentorum uſu, pedetentim extenuatus & edomitus eſt; niſi vero alio tranſlatus, & è primigenia conditione mutatus, aliam morbi ſpeciem excitet ut in abſceſſibus.

Dubi. I. Hippocrates *3. Epid. ægroto XII.* dicit Lariſſæam virginem ſexto die bene fuiſſe judicatam, per largam hæmorrhagiam narium, ergo pari die bona fit judicatio. ℞. Hanc difficultatem ſupra ſolvimus, hic ſolum addimus, illam ſanatam fuiſſe ob menſium eruptionem ſecutam: Vel dici poſſet, criſim illam ſub finem diei ſextæ inchoaſſe & finitam die ſeptima.

Dubi. II. Morbi ſeu febres acutæ, quæ tertio quoque die exacerbantur periculoſiores ſunt juxta Aph. 43. hujus Libri, cum tamen exacerbationis die fiant criſes, & tertius dies ſit criticus, ut patet ex Aph. 36 hujus libri, Ergo noſter Aphor. non erit verus. ℞. Non tantum primum tertium diem hic intelligi, ſed etiam ſecundum nempe ſextum, & duodecimum, hi enim quoque habent rationem tertiæ diei.

Aphoriſmus LXII.

Quibus in febribus, morbus regius (ſeu icterus) ſupervenerit, ante diem ſeptimum malum.

Contentum ſeu Intentio.

De Ictero febribus ſuperveniente.

C*onnexio*: Cum in antecedenti egiſſet de diebus criticis; in hoc præſente Aphoriſmo continuat de criſi agere, aſſerendo malum eſſe, ſi icterus ante diem ſeptimum accidat in febribus. Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem indiviſus manet.

Mirum ſane eſt, quam ſit Hippocrates ex hoc Aphor. reprehenſus, quod in eo ſententiam protulit, vel erroneam, vel ſaltem non ubique veram. Plinius enim Lib. 16. C 12. illum falſitatis arguit, cum ſe ſcire fateatur, *vixiſſe aliquos ab hac deſperatione*: Averrhoes etiam Lib. 4. collect.

collect. Cap. 43. in ſuis regionibus id ipſum experientia reprobatum conteſtatur. Sed & Galen. quoq; *in Comment. 81 ſuper. 4. de ratione victus in acutis*, conſimilem fere ſententiam interpretatus, quodammodo etiam Hippocratem ſugillat. Quem textum exponens Proſper Martianus, ut veritati iſtius Aphoriſmi pariter conſuleret, voluit hic adjiciendum eſſe, *ſine rigore*, nam ſi fortaſſe cum rigore icterus accidat, ante ſeptimum ſalutarem putat.

Verum meminiſſe juvat eorum, quæ in Praxi de Ictero dicta ſunt, ſæpiſſime illum fieri, præſertim in acute febrientibus, à ſanguinis vitio, ex corrumpente veneno, & à lympha vitiata, hujus conditionem adepta ut quemadmodum a vipera demorſis accidit, momento fere temporis flaveſcere, ſerpente nimirum breviſſime per totum corpus veneno, atque univerſum ſanguinem corrumpente: Ita febris pravitate à conſimili humore ſanguinis diatheſim, invertente, veriſimile admodum eſt icterum morbum in ægrotis proficiſci. Neque vero credere fas eſt, voluiſſe hic Hippocratem, regium morbum nominare, qui ex jecoris inflammatione, ſcirrho, obſtructione ac duritie fieri creditur. Nam præterquam, quod ejuſmodi morbi ſæpe ſæpius viſi ſunt, nullum plane icterum attuliſſe? & contra icterus viſus eſt ſæpius ab omni jecoris vitio alienus, de quo ſejuncte tradit Hippocrates brevi poſt *Aph. 64. hujus Libri, & Aph. 42 Libri ſexti:* ubi ab affecto hepate icterum memorat. Hic autem ejus ſolum meminiſſe videtur, qui citra viſcerum læſionem à ſolo ſanguine per febrem commoto procedit, cumque is critice prodire nequeat, in tam brevi temporis ſpatio, quo ſecretio fermenti febrilis nondum facta eſt, merito calamitoſus ab Hippocrate exiſtimatur. Atque hinc plane fit, cur febrem ſolvere ipſe dicat *Cap. 4. de rat. victus in acut.* ſi cum rigore conjungatur, abſq; rigore vero exitialem eſſe, ſi præſertim accedat intempeſtive, quoniam per rigorem, motus naturæ criticus deſignatur, qui febrile fermentum à ſanguine repurgat, atq; ad corporis habitum deponit, at vero abſq; rigore, is omnino ſymptomaticus habebitur, corrumpentis veneni malitiam arguens.

Quamquam autem plerumq; accidat, male cedere febrientibus icterum ante ſeptimum, fieri tamen poteſt, ut prævalente natura, etiam ante ſeptimum illa repurgatio, quæ in ſanguine, a fermento maligno deſideratur, commode & ſalubriter habeatur, ut in ſuis regionibus calidioribus fatetur Averrhoes. multum enim variant morbi, pro climatum varietate, & qui alicubi longiores obſervantur, fiunt alibi breviores,

res, beneficio aëris, ciborum & potuum natura meliori, aliisq; de cauſis. Quamobrem cum icterus, acredinem & tenuitatem humorum conſequatur, & hi promptius ſecernantur, ac diffluentur, ſub cælo æſtuoſiori, quam frigidiori ſicut facilius æſtate, quam hyeme, id circo fit, ut in regionibus calidis citius atq; ante ſeptimum, in frigidis ſerius ille febrem judicet. Porro Hippocrates (ut diximus) ea poſteris tradidit, quæ obſervavit, & frequentius accidiſſe vidit. Neque vero in hoc Aph. dixit, eviualem eſſe morbum regium ante ſeptimum, ſed tantummodo malum, quippe negari non poteſt, quod lateat in ſanguine, tanti motus ac fermentationis incitamentum, ut illum & cæteros liquores tumultuarie perturbet. Quodſi præterea jecoris phlogoſim aut phlegmonem eryſipelatodem conſequatur, non tantum malus & calamitoſus, ſed plane exitialis dicendus erit, non quod omnino perimat, ſed quod plerumq; perimere conſueverit. Nam ex eodem Hippocrate *Epidem. conſt. 3.* habetur: *Quibusdam morbus regius accidit ſexta die. Verum his purgatio per veſicam aut alvus exturbata profuit, aut larga ſanguinis eruptio, veluti Heraclides, qui decumbebat apud Ariſtocydam qui vigeſima die judicatus eſt; non velut Phanagoræ ſervus cui nihil tale factum eſt & mortuus eſt &c.*

Cæterum recte quidem advertit Galenus *in Comment.* morbum regium ante ſeptimum malum eſſe, ſed non tamen poſt ſeptimum periculo vacare, ſi præſertim cum delirio conjungatur, ut propterea jure ſcriptum ſit ab Hippocrate Aph. 64. hujus Libri, *quibus in febribus morbus regius, ſeptimo vel nono vel undecimo vel decimo quarto ſupervenerit, bonum, niſi dextrum hypochondrium obduruerit, ſi vero non malum eſt.* Cum enim ex inflammatione jecoris, vel cyſtis felleæ oritur, quocunq; tempore accidat, ſemper malus. Atque hinc patet, de ictero hic meminiſſe Hippocratem, qui febribus accidit, ex ſolo ſanguinis vitio, citra cujuſvis viſceris obſtructionem, aut tumorem, in Aph. 64. vero mox ſequente, de eo etiam, qui ex male affecto hepate procedit. Verum ſi dextrum hypochondrium non obduruerit, & a ſola febre icterus proficiſcatur, niſi criſis conditionem referat, & ſanguinis repurgationem conſequatur, adhuc malus erit, cum evacuationes quæcunque non tempora aut dies morborum, ſed criticum naturæ ſecernentis motum, ut ſalutares ſint, conſequi debeant.

Dices I. Galenus *in Comment.* bis dicit, impoſſibile eſſe, ut ante ſeptimum diem Ictericus factus evadat, ergo ℞. Nos quidem hanc & plures

alias

alias difficultates iam ſolviſſe: ℞. tamen 2. ſi febres ſint ſpuriæ à materia viſcida & craſſa concedo in legitimis ardentibus, à materia tenui nego: Hæ enim breves, illæ longæ eſſe conſueverunt.

Aphoriſmus LXIII.

Quibus in febribus, quotidie rigores repetunt, quotidie febres ſolvuntur.

Contentum ſeu Intentio.

De Typo febrium intermittentium.

C*onnexio*: Cum ſupra Aph 29. 46. & 58. rigorem febres continuas ſolvere pronuntiaſſet Hippocrates: In hoc præſenti Aphoriſmo, eundem rigorem ſolvere febrem intermittentem, affirmat. Hic, utpote breviſſimus Aphoriſmus, non dividitur.

Rigorem ergo in febribus periodicis, ſuccedentis intermiſſionis indicium eſſe, docet hoc Aphoriſmo Hippocrates, ut qui ſemel vel non unquam incidens in febre continenti, poſt ſigna coctionis, illam omnino judicet; ſi in cæteris quotidie recurrat, illarum ſaltem ſingulares paroxiſmos terminet, atque ab aliis ſuccedentibus interrumpat, quemadmodum in tertianis febribus, ſive ſimplicibus, ſive duplicatis, paſſim experimur. Quamvis autem acriter pleriq; diſceptent, an rigor proprie cauſa dici debeat ejuſcemodi intermiſſionis in febribus, an vero potius indicium? Revera mihi videntur de re leviſſima movere altercationem, nam utrumq; vel alterutrum ſi dicatur, parum ad medicinam faciendam intererit. Et quidem eſto, ſit cauſa, per univerſalem corporis concuſſionem, qua noxis humor febrem excitans à ſanguine repurgetur ut vult Galenus, vel ut indicium, denotans acceſſionem illam jamjam iri terminatum, ut pleriq; alii arbitrantur, profecto non tanti erit, ut peculiaris de illo ratio habenda ſit, quin ſimul febrim ipſam, cujus ſymptoma præcipuum eſt, non æqualiter reſpiciat. Verum tamen quia in iſtiuſmodi febribus intermittentibus, quas rigor anteit, fermentum febrile ſanguinem in motum fermentationis, indebitum adigens, extraneum eſt, atq; à viſceribus naturalibus accedit, rationabilius videtur illum indicem, non opificem intermiſſionis appellare. Cum enim ſanguis indebite fermenteſcit, à diſſentaneo humore, aliunde ſuggeſto, unde frigora, & rigores, ineunte paroxiſmo, argumento

eſt, iterata circulatione ſeipſum ſenſim repurgaturum, atq; in propria ſecernicula, imo in patentiora emiſſaria, quod alienum, & vitioſum eſt, depoſiturum, ut alibi demonſtravimus. Hinc rigor præcurſor eſt intermittentium febrium, & cum continuis, aut continentibus ſupervenit, illas pariter intertumpit, ſin ſecus malignitatis nota eſt periculi plena, ut antea dictum

Non eſt igitur ut ſe tantopere torqueant hic commentatores in divinando, num Hippocrates propriè rigores, an potius frigora voluerit intelligenda, comprehendendi ergo, cæteras quoq; febres quotidianas, ſemitertianas, duplices tertianas, & duplices quartanas

Nam indefinite eas memorat, quæ rigoribus arripiunt, quemadmodum *Lib de Judicat* inquit, *quibus febribus rigor accedit febris ſolvitur*, id eſt, ſingularis illa acceſſio, quæ rigorem prodromum ſortitur ut propterea, ſicuti continuis ſuperveniens rigor, paroxiſmum illum interrumpit, ita intermittentibus quotidie recurrens, quotidianas acceſſiones infringit & terminat. Quia vero non omnes quotidianæ febres, id eſt, quotidie repetentes, rigoribus ſociantur, ideo ſit ut non omnes ad *ἀπυρεξίαν* ſeu quietem febre vacantem tempori perveniant, cum adhuc febres illæ quotidianæ, fieri putatæ ab humoribus phlegmaticis, acceſſiones tam longas ſortiantur, ut vix ægrum à febre immunem deſerant, veluti Galen ipſe teſtatur. Verum quid de his veriſimilius liceat ſentire, jam enucleate deduximus titulo de febribus in praxi: Cum & ipſe Hippocrates, omnes quaſi febres ex bile oriri crediderit, quaſi vero ab uno, eodemq; humore, diverſimode tamen affecto, aut cum aliis ſuccis commixto, variæ cauſari poſſint febres, atq; pro ejus collectione & ad fermenteſcendum promptitudine, tardiori vel citiori, nunc quotidie, nunc alternis diebus & ultra repetentes effici. Sed tamen advertere decet, Hippocratem ſpeciatim voluiſſe admonere, quam utilitatem ſint febricitantes ex rigoribus ſuscepturi, ut etiamſi quotidie febribus divexentur, algeant, & vehementer concutiantur, per rigorem tamen quietem febre vacantem & *ἀπυρεξίαν* naneiſcantur, qua omni periculo ſe exemptos credant Hinc de rigoris beneficio monitos voluit Medicos & ægrotantes, nihilum interea reliquarum febrium, aut ſymptomatum, illas comitantium ſollicitus, ſive intermittant ſive non, & ſive periodo quotidiana, tertiana, aut quartana redeunt.

Cæterum usus eſt vocis *ſolutionis* non *judicationis* nam revera febris ipſa integre non finitur (alias minime rediret) ſed ſolum acceſſiones

illas

iſtæ ſeu paroxiſmi, ſingulatim deſinunt, & humores fermentationem indebitam in ſanguine excitantes, in ſingulis paroxiſmis ſolvuntur, tametſi ab aliorum ſuggeſtu, novi & novi ingruant at vero non plures in una eademq; die, ut in febribus ſubintrantibus dictis evenit, etenim *quotidie* inquit, i. e. ſemel in die, ſed iterato in ſuccedentibus diebus, ne forte inter initia febris ſolum rigor invadat, nec deinceps repetat, velut in continuis malimoris Quamquam duplex tertiana, intra unumquemque diem, bis affligens, rigore ſi inchoet etiam aliquamdiu intermittat.

Quod de rigoribus hic tradidit Hippocrates, licebit pari ratione, ad *horrores* extendere. Siquidem duplices, aut triplices quartanæ, horrore prodromo invadentes, ad ἀπυρεξίαν ſeu quietem quoq; deveniunt, & in ſingulis paroxiſmis ſolvuntur, ut propterea non ſemel datum ſit, illas iterato uſu corticis peruviani ſeu chinachinæ, aliove ſimili medicamento, pro re nata, ſigillatim ſalubriter fugaſſe, quemadmodum ad tertianas fieri conſuevit. Quomodo autem iſtæ, ſicut pariter rigores & horrores, inter ſeſe differant diximus in titulo de febribus.

Dices I. Sæpe videmus, febres non ſolvi in die rigoris, ſed poſtero, Ergo falſus eſt Aphoriſmus ℞. Id fit per accidens, nempe propter complicationem ut fit in hæmitritæo, qui habet rigores & tamen febriũ paroxiſmi non ſolvuntur, quia eſt complicata ex quotidiana continua & tertiana intermittente, vel materiæ improportionem, craſſitiem, viſciditatem, vel errorem externum, Ergo verus manet Aphoriſmus

Inſtabis: Etiamſi ſolvatur paroxiſmus, ſemper tamen manet febris, ergo non ſolvitur ℞. Manet febris ſecundum paroxiſmum univerſalem concedo, ſecundum particularem nego. ut diximus in contextu.

Aphoriſmus LXIV.

Quibus per febres, morbus regius, die ſeptimo aut nono, aut undecimo, aut decimo quarto ſupervenerit, bonum, niſi dextrum hypochondrium durum ſit: alioqui minime bonum.

Contentum ſeu Intentio.

De Ictero febribus ſuperveniente.

C*onnexio*: Cum Hippocrates Aph 62. dixiſſet morbum regium reprobandum eſſe, cum ante diem ſeptimum advenit. In hoc vero

Aph. docet quando laudandus ſit, idem morbus ſuperveniens. Hic Aph. pariter ob ſimplicem concluſionem & prognoſim non dividitur.

Verum recte advertit Galen. *in Comment.* melius hunc præſentem Aphoriſmum, Aph. 62. fuiſſe conjunctum: nempe hoc modo: *Quibus in febribus, morbus regius, ante diem ſeptimum accidit, malum.* Ut totus ſenſus talis ſiat: *Ante ſeptimum quidem diem morbum accidere regium, malum omnino: poſt ſeptimum vero bonum, niſi dextrum hypochondrium obduruerit.* nam abſq; ordine videtur hic interjectus. Verum hoc non multum refert: Id vero magis intererit, morbum regium hic recenſitum, pertinere potius ad jecoris affectionem, ut proinde ſenſus ſit, illum a ſeptimo, deinceps febrientibus ſupervenientem, meliorem eſſe, utpote qui probabilius ſanguinis repurgationem conſequatur, nec corrumpentis veneni malitiam arguat, ſed ſecernentis naturæ vim & efficaciam. Conferendus autem huic eſt alius Aph. ex *Coac. prænot.* (unde hic plane deſumptus eſt) ſententiam procul dubio clariorem reddens: ibi enim deſcribitur: *Morbus regius ante ſeptimum diem accidens, malum: Septimo vero ac nono & undecimo ac decimo quarto judicatorius eſt, ſi non præcordia indures, ſin minus ambigua res eſt.* Nam ſi fortaſſe ex naturæ repugnantis motu, ſelleus humor in cyſtim quoque, plus quam deceat, irrumpat, & tumorem & inflammationem pariat, profecto ex iſtius malitia, peſſimi morbi indicium erit. Quamobrem inquit: *ſi non præcordia indures,* quaſi vero is cauſa ſit ejuſcemodi tumoris & inflammationis. Quod ſi icterus, veluti ſymptoma dextri hypochondrii, inflammationem potius conſequatur, plane peſſimus exiſtimandus erit, tanquam pejoris mali ſeu morbi teſtimonium, nec abſque veneni corrumpentis malitia, per quam habitus corporis univerſus, colore ad croceum, cum virore commixtum, inficitur. Verum cum Hippoc. adnoraverit, hanc coloris ad cutim translationem, à ſeptimo per dies indices, aut judices, ſuſpicandi anſam præbet, futurum in hiſi icterum, veluti a febre, non ab hepatis inflammatione, oriundum, & propterea vocc uſus ſit generaliori, durities, ſeu duri tumoris in hypochondrio dextro. Durities autem non tantum inflammationi, ſed etiam obſtructioni & ſcirrho convenit. Sed hæc non tanti ſunt, ut ſententiam Aphoriſticam invertant: nam ut antea dictum, quilibet hepatis morbus, quocunque demum modo contingens per ſe perpetuo malus eſt, ſecluſo morbo regio.

Si vero, ſubdit, non in his, ſed malus à ſeptimo, diebus, intra decimum

mum quartum icterus accidat, non bonum; nam revera malum adeo non eſt, ut de diebus ante ſeptimum antea dixerat, nec ex altera parte bonum, quia fit in diebus, in quibus natura movere per criſim non ſolet, cum non niſi per dies acceſſionum, cujusmodi in his generibus febrium ſunt impares, in morbum & cauſam morbi, impetat: Quamobrem phraſi elatiori ſcripſit in *coacis prænot ſin minus, ambigua res eſt*: ut nimirum ſignificaret, ancipitem inde futurum eventum, ſaltem morbi diuturnioris, aut in deteriorem, puta hydropem, permutati. Ultra decimum quartum diem, non meminit, forte quia de ictero, in acutis febribus ſermonem habendum voluit: at non ideo, ſi ultra hoc tempus febrientibus contingat, omnino bonus, ſi a naturæ expellentis motu, poſt coctionem & ſecretionem non oriatur, quamvis deinceps maliciam ſemper diminuat; attamen raro accidit icterum ſupervenire febribus in longum productis, modo alios morbos non acceſſint, vel in deteriores commutentur. Cæterum etiam absque febre, *morbo regio laborantibus, hepar durum ſi fiat, malum eſt 6 Aph 42* Tunc enim durities jecoris, ſequitur icterum, & periculum non ex ictero naſcitur, ſed ex jecinoris duritie ac tumore, qui ſemper malus. ſiquidem ſcirrhum, cachexiam, hydropem ſive humidum ſive ſiccum, alioſq; graves morbos, minatur. Spes autem ſalutis aderit, ſi ſubinde ſponte ſua, per alvum aut vias urinæ, vel etiam per hæmorrhagiam, vitioſus humor egeratur, ut accidit Heraclidi *1 Epid.*

Objectiones quæ hic moveri poſſent, omnes in contextu ſolutæ ſunt.

Aphoriſmus LXV.

In febribus, circa ventriculum, vehemens æſtus, & ſtomachi morſus, malum.

Contentum ſeu Intentio.

De æſtuatione ventriculi & cardialgia febrili.

Connexio Poſtquam in præcedenti Aphoriſmo de morbo regio locutus eſſet Hippocrates, qui ipſius jecoris eſt affectus, in hoc præſenti Aphoriſmo, de ventriculi affectione loquitur in febribus. Hic Aphoriſmus ob ſummam brevitatem non dividitur.

Videntur autem hæc duo, hic ab Hippocrate, memorata ſymptomata cum acutis, & continuis febribus, conjuncta, inflammationem

præmonſtrare imminentem, in iis præſertim partibus, quæ ventriculum, ejuſque orificium ſuperius circumdant. Illa vero eryſipelatis potius conditionem referet, unde major, credo, morſus & vehemens æſtus oritur. Anatomia enim ſæpius compertum, ejuſcemodi malorum cauſam extitiſſe, exortas circa ſtomachum, aut pylorum inflammationes, itemq; in hepatis loco, qui ventriculo ſuper incumbit, in omento, in pancreate, imo etiam in exteriori ventriculi membrana, ut proinde ægrotantes brevi vita defuncti ſint. Sed & non raro etiam contigit, hæſiſſe in his partibus acres quoſdam, & virulentos humores, qui non tam mole aut copia, quam pravitate nocerent, & nervos, qui plurimi per eaſdem partes ſparguntur, acriter compungerent, & lacellerent. At hæc profecto non niſi in acutis febribus fieri poſſunt: quas plerique non irrationabiliter exiſtimarunt, nunquam ab internis inflammationibus, vel ab hærentibus humoribus, in apicibus arteriarum, eſſe ſejunctas. Cum autem in febribus illa copulantur, palam eſt, fieri non poſſe, ægrotantes non periclitaturos. Sive ergo καρδίαν ventriculum, ſive inferiorem ventrem interpretemur, (cum utriuſq; dolores, magni faciat Hippocrates *in coacis prænot.*) idem omnino tenendum erit, quamquam cordis morſus in græco codice καρδιωγμὸς ſi pro ſtomachi dolore exponatur, minus periculum arguit, quam ſi cordis motus, palpitationis nomine intelligitur; quippe hæc longe deterior putanda eſt, veluti proximior cordis affectio, atq; eo magis, quo acutis, & continuis febribus ſociatur, velut diſparis omnino conditionis. Atqui *malum*, inquit, non *lethale*. Siquidem, etſi iſta periculum vitæ minentur, non tamen ſpem ſalutis adimunt, ut de malignis febribus, quibus hæc plerunque accidunt, ſcripſit alibi Galenus. Verum tamen ſi partium extimarum frigus accedat, omnino exitioſum, ut antea dictum.

Dices I. In febribus intermittentibus, vel etiam vermibus extra febres fiunt ejuſmodi morſus ventriculi, qui tamen non ſunt periculoſi, Ergo Aphoriſmus non eſt univerſaliter verus. ℞. Hippocratem hic loqui de febribus continuis. Si autem ejuſmodi ventriculi morbus fiat extra febres, a materia bilioſa indicatur, vomitorium eſſe adhibendum, ut præcepit Hippocrates 17. Aph. hujus Libri.

Inſtabis. Etiam in febribus continuis, ejuſmodi ventriculi & cordis morſus fiunt inſtante criſi, qui tamen mali non ſunt, Ergo adhuc non verificatur Aphoriſmus. ℞. Fit ejuſmodi morſus in febribus continuis, præcedentibus coctionis ſignis, & qui non diu durat, nec eſt malus, concedo: è contra qui diu durat, non eſt malus nego.

Ve-

Vrgebis: Semper cordis & ventriculi morſus eſt malus, ergo non debent excipi febres intermittentes vermes. ℞. Omnis ventriculi vel cordis morſus eſt malus, prout malus idem eſt quod lethalis nego: prout eſt moleſtus concedo.

Aphoriſmus LXVI.

In acutis febribus, convulſiones, & circa viſcera vehementes dolores, malum.

Contentum ſeu Intentio.

De Convulſionibus & doloribus viſcerum convulſivis in febribus.

Connexio: Cum in antecedenti Aphoriſmo, duo gravia ſymptomata, nempe æſtum ventriculi & cordis morſum, aſſumpſiſſet, ad prædictionem in febribus. In hoc Aphoriſmo, alia duo nimirum convulſiones & viſcerum dolores, ſimiliter ad prognoſim aſſumit. Hic Aphoriſmus, utpote breviſſimus, non patitur diviſionem.

Convulſionem febri ſupervenientem, pejorem aſſeruit Hippocrates 2. Aphor 26. in hoc Aphoriſmo vero, ſimpliciter malam dicit: forte, quia hic iteratas & ſæpius invadentes intelligit, neque unius tantum partis, ſed totius, jam antea febre acuta correpti, etiamſi etiam circa viſcera dolores vehementes accidant.

Sed gravius & difficilius profecto eſt quod ſcribit, *in fine Libri de Iudicationibus*. Ubi: *Si à febri detentum, convulſio corripuerit, ſedatur febris eadem die, aut poſtridie, aut tertia die.* Et *Lib. Coac prænot. Convulſio in febre fiens, ſedat febrem eadem die aut poſtera aut tertia.* Unde non videtur tam mala convulſio acutis febribus (de quibus hic loquitur Hippocrates) contingens, quemadmodum in hoc Aph. memoratur. Verum ſi perpendantur, quæ ibidem Hippocrates adnotavit, nullo negotio hæc diluentur & eruentur. Ille enim paulo ante inquit *Convulſio in febre fiens, & eadem die deſinens, bona eſt* & mox *ſi vero tempus, in quo incepit transgrediatur, & non deſinat, malum eſt*. Quare tunc convulſio febri ſuperveniens bona eſt, cum eadem deſinit, cum tempus illud transgreditur, omnino mala. Si præterea repetat, & aliis morbis ſocietur, velut in hoc loco referuntur vehementes circa viſcera dolores, procul dubio, non tantum mala, ſed exitialis æſtimanda erit.

Et quidem vehementes viſcerum dolores fieri nequeunt, niſi ab humo-

ribus

ribus acribus, acidis, aculeatis, partes præſertim membranoſas, & nervos lancinantibus, qui per febrem acutam, impenſius irritati, convulſiones propriis moleſtiſſimas excitant, quamobrem non immerito eas, cum viſcerum doloribus junxit in hoc Aph Hippocrates, ut vel ex hoc conjiceremus, ab his, eaſdem profecturas: & quamvis per ſe non malæ putandæ iſtæ ſint, pejores tamen longe erunt, ſi ad febres acutas conſequantur, quippe quæ non tantum viſcerum, ſed & totius ſanguinis diatheſim vitiatam deſignent, quam etiam per convulſiones iteratas, nervorum liquor, non diſſimiliter comitabitur. Verum tamen *malum* ſolummodo dixit, non *lethale*, quandoquidem poſſint quoque febrientes, ab utriſque tuto evadere, ſi nimirum vitioſi humores ferantur in alvum, aut veſicam, & critice, ut moris eſt, egerantur: quo ſine modo Lactentes vidimus ſæpius liberatos qui cum a lacte, in inteſtinis concreto, acerbe ſimul ventre dolerent, febricitarent, & convulſionibus corriperentur, ſoluta poſthac alvo, in priſtinum ſalutis ſtatum fuerunt reſtituti.

[illegible] Convulſiones in febribus acutis, ſæpe fiunt à repletione, & tamen facile curantur, evacuatione ut dictum per alvum, Ergo Aphoriſmus non eſt verus. ℞. Si febres acutæ ſint ſymptomaticæ & in principio, concedo, ſi eſſentiales & confirmatæ nego, tum enim convulſiones fiunt tantum ab inanitione.

Inſtabis Convulſiones tam à repletione, quam ab inanitione in febribus, tam per Eſſentiam, quam per conſenſum ſunt malæ ut patet ex Aph 3 Lib 5. *à copioſo ſanguinis fluxu, ſingultus aut convulſio, malum.* Ergo nulla ſolutio. ℞. Sunt æqualiter malæ, nego, abſolute malæ, concedo.

Aphoriſmus LXVII.

In febribus, per ſomnos pavores, aut convulſiones, malum portendunt.

Contentum ſeu Intentio.

De Convulſionibus febrium in ſomno.

C*onnexio*: Pergit Hippocrates in hoc Aphoriſmo, duo febrium ſymptomata taxare, ſicut in prioribus, nempe pavorem & convulſionem ex ſomno. Hic Aphoriſmus ob ſummam brevitatem, indiviſibilis eſt.

Menu-

Meminimus alias, ſomnum animantibus conceſſum, ad levamen & quietem corporis & animi: ubi autem potius laborem & laſſitudinem afferi, lethalem eventum portendere, ex Hippocrate conſtat: hic autem ſi pavoribus interrumpatur, malum dicitur, in acute febricitantibus. Accidit enim ſæpenumero, illos abſque ulla externa cauſa, inter dormiendum, frequenter exterreri, imo nec ex phantaſmatibus horribus, aut ſomnis tumultuoſis, è genere terriculamentorum, expaveſcere, idq toties, quoties ſopore atripi contigerit. Subitos autem iſtos, & repentinos, à ſomno, timores, quamvis pleriq, ad cerebri læſionem retulerint, quaſi vero vaporibus melancholicis, aut atrabilatis ſuffundatur, qui tamen quæſiti, de his terriculamentis, ægrotantes, nihil ſe viſum paſſos conqueruntur, cum cæteroqui nec ſomno, re ipſa, in quo in ſomnia capiantur, putaverim ego illos oriri ab irritamento potius, pravorum humorum circa præcordia reſtagnantium, quibus nerveæ illorum partes laceſſitæ quodammodo convellantur, & cerebrum excitent cum terrore, ob concuſſionem, & exagitationem fibrarum nervearum & liquoris eaſdem irrigantis. Equidem ejuſcemodi pavoribus, ſæpiſſime puellos affici experimur, cum a lacte coagulato & acido febricitanti, quod cum ventriculo, & inteſtinis infenſum fiat, nec prompte egeri poſſit, partes iſtas, in illis exquiſito ſenſu præditas vellicat & laceſſit, adeoque repentinas expergefactiones & pavores inducit. Id ipſum à vermibus etiam pati ſolent, unde eſt, ut huic malo indiſcriminatim noſtrates fæminæ occurrere ſatagant, remediis lumbricos enecare creditis. Modo quis unquam in his cerebrum ferientes humores aut vapores melancholicos effinget? niſi melancholicos cum acidis confundat. Atqui contingunt plerumque ex ſomno (ſi tamen verus ſomnus is ſit) punctiones iſtæ, quoniam per id tempus, laxatæ quodammodo nervorum fibræ, magisq, hiantes poruli, facilius admittunt, qui ex acidis, & pravis ſuccis fermenteſcentibus, halitus & vapores inſenſi quaquaverſum diffunduntur. Hinc ad convulſiones, non irrationabiliter, ejusmodi repentinos, ex ſomno pavores referrem inductas tamen, non ex affecto nervorum principio, ſed ex horum apicibus & fibris proritatis. Qua ratione forſan Hippocrates, cum his junxit in Aph convulſiones, nimirum ut eas febricitantibus malas pronuntiaret, quæ veræ convulſiones ſunt à cerebri vitio proximo, & quæ a ſola, & interrupta irritatione fibrarum nervearum in partes deſinentium oriuntur. Porro in veris convulſionibus proxime cerebrum, & princi-

 pium

pium nervorum afficitur, à vitiato illorum liquore in acidum pariter degenerato, unde & hæc, & graviora mala proficiſci facile eſt. Sive ergo illæ oriantur ab acido liquore, nervorum principium afficiente, ſive ab humoribus, circa præcordia reſtagnantibus, & partes ſenſu præditas vellicantibus, ſemper malum, deſignata nimirum malitia, tum à pravis humoribus, tum a partibus affectis. Quod ſi ſomnus, majori ex parte, vel ſuavis, vel moleſtus provenit, ex bene vel male affecto ventriculo & vicinis viſceribus, ut Helmontio non ſine ratione viſum eſt, plane, cum in his partibus pravi ſucci hærent, fieri nequit, quin turbulenti ſomni fiant, & pavoribus interrupti.

Dices: Hippocrates 2 Aph. 1 dixit, quibus ſomnus laborem facit lethale, Ergo convulſio magis erit lethalis, Ergo non tantum malum. ℞. cum Cardano, ibi Hippocratem loqui de morbi declinatione vel ſtatu, hic vero de principio, quo tempore tam lethalis non eſt convulſio quam in principio morbi.

Aphoriſmus LXVIII.

In febribus ſpiritus offendens, malus eſt; convulſionem enim ſignificat.

Contentum ſeu Intentio.

De Dyſpnoea febrili.

Connexio: Manifeſta eſt hujus Aph. connexio, cum præcedentibus Aphoriſmis, ſiquidem de convulſione & ſpirandi difficultate loquitur ſicut in præcedentibus, ad prognoſim in febribus faciendam. Hic Aph duas habet partes. I. docet ſpiritum offendentem eſſe malum. II. cauſam affert, quod convulſio, offendentem ſpiritum ſequatur.

Hic autem ſpiritus offendens, ſive ſpiritus in faucibus eliſus, (ut vertit Celſus) idem ſignificat, ac reſpiratio ſubſiſtens & interrupta, quemadmodum ex eodem Hippocrate deducitur *2 Epid Sect. 3, & 6 Epidem. Sect. 2* & quidem, tum in inſpiratione, tum in exſpiratione, ut adnotat Galenus *in Comment.* Id autem paſſim accidit pueris ejulantibus, & ſuſpirioſis, plerumque ex anguſtia ſpiritalium organorum.

Hanc autem interruptam reſpirationem, in febricitantibus, inſtantem convulſionem arguere, monet hic Hippocrates, veluti quæ fiat à languente vi muſculorum thoracem & diaphragma attollentium, ac de-

depimentium pro reſpiratione; illi vero, cum motus ſuos peragant, opꝰ nervorum, quandocunq; deficiant, hos quoq; fatiſcere deſignant: & quidem in febribus à vitiato & exſoluto liquore, qui non tantum illos, haud quaquam convenienter irrigat, & confirmat, ſed potius inficit, & perturbat. Unde etiam non raro anxietas, angor & cordis tremor, cum pulſu inæquali: Semper autem ac ſanguinis vitio ex febribus indicato, per indebitam ejusdem ab extraneo humore fermentationem, accedit quoq; liquoris nervei malitia, procul dubio non ſolum dubius eventus, ſed omnino pernicioſus, pertimeſcendus eſt, quandoquidem partes cunctæ corporis, ab his proximius robur adipiſcuntur, & ſuas exerunt operationes, quin imo cor & vita ipſa ſuſtinetur. Quamobrem ipſis a conſueta, & naturali conſtitutione permutatis, & depravatis, neceſſe eſt reliqua omnia, non diſſimiliter titubare.

Dices I. In pleuritide eſt febris continua, & ſpiritus offendens, illa tamen curatur, Ergo ſpiritus offendens, non eſt tam malus. ℞. Non eſt in pleuritide, ſpiritus ille offendens perpetuus, ſed tantum interpolatus, quando nempe homo tuſſit, in aliis autem eſt perpetuus.

Inſtabis. In febre catharrali, eſt difficilis reſpiratio, quæ tamen mala non eſt, quia ceſſante catharro ceſſat. ℞. Nego, quod reſpiratio difficilis non ſit mala in febribus catharralibus, niſi enim præcaveatur, ſuffocationem minatur.

Vrgebis: Si ſpiritus offendens ſignificaret convulſionem in febribus, Ergo omnes ii convellerentur, qui febre lenta ſymptomatica a ſcirrho hepatis, vel lienis laborant, quia hi difficulter reſpirant, ob compreſſionem. ℞. Hippocratem hic loqui de febribus acutis & eſſentialibus, non de longis & ſymptomaticis. imo & in his ſæpe tandem ſuffocantur.

Aphoriſmus LXIX.

Quibus non ſine febre, urinæ ſunt craſſæ, grumoſæ & paucæ, ſi ab his tenues & copioſæ mejantur, proſunt. Maxime vero tales redduntur, quibus ſtatim ab initio, vel non ita multo poſt, ſedimentum meſt.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi Urinæ Craſſæ.

Connexio Cum in antecedentibus Hippocrates, multa declaraſſet in febribus & febrium ſymptomatibus, ad prognoſin facientia, à variis ſignis deſumpta. In hoc præſente Aphoriſmo ad urinas tranſit, & ex illis ſimiliter multa, ſcitu digna, & ad artem valde utilia ac neceſſaria, quam doctrinam de urinis continuat, uſq; ad finem hujus Libri. Hic Aph. in duas partes dividitur. In *Prima* dicit quod in febribus ex urinis paucis, grumoſis & craſſis, ſi tenues & copioſæ minganiur, proſit: In *II* proponit, in quibus caſibus & quando talis mutatio ſperari debeat.

Urinas ergo in hoc præſenti Aphoriſmo, & in omnibus ſubſequentibus uſq; ad finem, conſiderat Hippocrates, cum excretorum in illis varietate ut exinde, quoad fieri poteſt, conjiciamus, quænam in febricitantibus meliores aut pejores dici queant, cum febrilium fermentorum mutationem conſequuntur; quippe non ſemper è liquoribus, cum ſanguine commixtis procedunt, neq; perpetuo ſerum illud referunt, quod cum ſanguine circumfluit, atq; ejuſdem vaſa, & cunctas partes corporis pervadit, ſed ſæpe numero a cibo & potu prius aſſumpto, à ſucco lacteo, & ductibus chyliferis, à glandulis meſenterii, & vaſis lymphaticis, atq; è viſceribus hypochondriorum, per compendioſiores vias recta in renes & veſicam fertur, unde dubias profecto & infideles notas ex illa elicere cogimur, idq; potiſſimum in iis, qui peculiari quadam conſtitutione, varias per æuum, & differentes urinas proferunt, & quandoq; a conſueto hominum alienas. Cum ergo à ſanguinis ſero, prodeunt urinæ, atque à fermentis partium vitiatis ſecernuntur, obſervandas veriſimile eſt hic Hippoc. voluiſſe, præſertim in febribus, quandoquidem in his, per indebitam ſanguinis fermentationem, plerumque ſolent, cum ſeroſis ejuſdem portionibus, aliæ impuritates per vias urinarias repurgari, ideoque quæ penitius latent, quodammodo denuntiare.

Quibus itaque non ſine febre, inquit, urinæ ſunt craſſæ & grumoſæ, ſed paucæ, ſi contingat tenues deinde fieri, & copioſius profluere proderit. Pro craſſis & grumoſis intelligit, quæ commixtam, & compactam ſimul referunt ſeroſam ſubſtantiam, cum recrementis à ſanguine ſemotis, ut grumos quodammodo, plurimi corporum inia collectorum exhibeant; velut communiter dicitur, ſubſtantiæ ſimul aqueoſæ, & hypoſtaſis concretæ. hæc enim cum debeat, ut ſalutaris ſit, in urinis innatare, ſi forte ſit ſparſim concreta, & cum illis commixta, ex nondum peracta ſecretione & concoctione, urinam procul dubio reddet craſſam,

ſam, & grumoſam, quam idem Autor *Lib. 1. de morbis* à pituita progenitam exiſtimat. Orm autem ejuſmodi craſſitiem grumoſam hoc loco memoratam, à concretione, & mixtione ſumma hypoſtaſis cum ſero urinario deduci poteſt, ex appendice ejuſdem Aphoriſmi, ubi adjicitur: *Tales quidem prodire, quibus ab initio aut non multo poſt ſedimentum in urina adſuit*, cum ſcilicet primum urinæ viſæ ſunt, cum ſuo ſedimine innatante, mox vero ita cum illo commixtæ & concretæ, ut grumum referant: at poſtmodum per fermentationem febrilem, diſſolutæ, ac ſecretæ, & tenues redditæ, craſſitiem in copiam commutant, & conferunt; tum quia compingentia ſalia, cum ſero commixta, diluta egerunt, tum quia coctionem & ſecretionem fermenti febrilis jam peractam indicant. Tenues autem urinæ hic memoratæ, non ſimpliciter aqueæ & pellucidæ intelligendæ ſunt, ſed ut à craſſis & grumoſis contra diſtinctæ, ſicut enim nimium craſſæ & in grumos compactæ, malæ hic referuntur, ob coctionem & ſecretionem deficientem, ita ex adverſo bonæ æſtimandæ ſunt, quæ tenues deinde fiunt ac diſſolutæ, id eſt, non amplius grumoſæ, & habent ſedimentum omnino ſecretum, diſſolutum & innatans. Hinc recte Actuarius *Lib. 2. de judiciis urinarum Cap. 11.* ſcripſit: *Nonnunquam in morborum fine, copiam profluere urinæ albioris, & tenuioris, atque mediocrem continentis ſubſidentiam, præſertim, cum præceſſerit urina craſſior & grumoſior.*

Judicium autem ab eodem Hippocrate prolatum, *Lib. de judicat.* huic plane nullatenus contradicit. Ibi enim inconſtantes omnino urinas, in febribus vituperat, ac de craſſis in tenues, iterumq; de tenuibus incraſſas viciſſim permutatur. Inquit enim: *In febribus ſi mutationes habeat urina, diuturnitatem temporis ſignificat & neceſſe eſt ægrotum mutari & ad deteriora & ad alteram partem. Et ſi urina ab initio, non ſibi ſimiles fuerint ſed ex tenuibus craſſæ fiant, iterumq; penitus tenues tales ægre judicant, ac inconſtantes ſunt.* In hoc autem Aphoriſmo non ſolum conſtantes, ſed & craſſas, immoderate tenues, permutatas recenſet, easque ſolito affluentiores.

Dices: Urinæ craſſæ per concoctionem magis incraſſantur. Ergo non attenuantur ut vult Aphoriſmus. ℞. Diſtinguendo, urinæ craſſæ jam coctæ magis incraſſantur per concoctionem, transeat: crudæ, nego.

Aphoriſmus LXX.

Quibus per febres, urinæ turbatæ, quales jumentorum, iis dolor capitis vel adeſt, vel aderit.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi Urinæ turbatæ.

Connexio Continuat Hippocrates ſermonem de urinis, etiam in hoc Aphor. Unde cum hic Aphor. brevis ſit, non patitur diviſionem.

Cum recrementa ſanguinis, aliq; humores, per renum tubulos repurgati, & cum ſero urinario commixti, ſua quippe non petunt loca, ſed ſurſum & deorſum tumultuarie feruntur, urinas reddunt confuſas & perturbatas, has ergo conſiderat in hoc Aph. Hippocrates, utq; eas à turbidis, ſed mox poſtea ſubſidentibus diſtinguat, adjicit *quales jumentorum*, ſiquidem in his, non tantum paulo poſt, quam fuerint excretæ, ſed deinceps adhuc, & perpetuo turbulentiam, & confuſionem ſervant, ſed neq; a frigore ambientis aeris concreverint, neq; diu ſepoſitæ, in corruptionem abierint, aut renum & veſicæ morbos conſequantur, quamobrem non immerito advertit, & eas in febricitantibus hic notari, & quæ non ſemel turbatæ comparent, ſed quæ turbatæ ſunt & minguntur atque tales perſeverant, prout *jumentorum* ſunt; jumenta enim, in ſtatu naturali, urinas omnino perturbatas & craſſas mingunt: de quibus Poeta:

Urinas Aſini Medico tranſmiſerat æger:
  Doctum decipiens, hac ratione virum.
Te miſerum Doctorem, exclamat callidus æger,
  Qui neſcis, quid ſit beſtia, quid ſit homo.
Error, ait Medicus, non eſt, mihi credito, magnus:
  Nam latet in te aſinus: quippe aſininus homo es.

Equidem in febribus duntaxat fieri poteſt (quidquid in contrarium opinetur Cardanus) ut urinæ omnino perturbatæ ſint & perſeverent quales jumentorum, quandoquidem in aliis morbis, citra febrem, quod turbulentum in iis excernitur, mox ſubſiſtit, vel evolat, quemadmodum in renum affectionibus, catharris & aliis, ſicut etiam ab eſu ciborum, diureſim promoventium. Oportet autem urinas ejuſcemodi turbatas, ab intimiori cauſa, ſerum urinarium, confundente, exagitari, quæ profecto in ſanguine, & cæteris liquoribus hærebit, ut talem in ipſis ſer-

fermentationem excitet, & tumultuariam commotionem pariat, quæ ſanguinis ſerum recrementa partium, & ſalia fermentorum turbet & implicet; veluti ſæpius expertum in febribus malignis & peſtilentibus, à fermento ſanguini immixto omnia depravante & confundente. Hinc brevi vita defuncti referuntur uxores Dromeadæ & Philini, Polyphantus & Evalcidæ famula ab Hippocrate *1. & 7 Epid. Nam* (ut idem ſubdit) *urina denſa & conturbata, certum ſignum ſunt doloris capitis, convulſionis & mortis*; procul dubio a veneno diſſipante & corrumpente. Sed & nequeunt deinceps contenta urinarum perturbata, adhuc a liquoribus corporis ſepoſita ſubſidere, quia per internam fermentationem acorem nacta, ita ſimul compinguntur, & cum ſero urinario commiſcentur, ut ab invicem disjungi non poſſint, quemadmodum experimur in vino, quod per æſtum dierum canicularium, aut a tonitru & ventis auſtralibus impetuoſioribus, in debita fermentatione efferveſcit, confunditur & perturbatur, ut tandem in perturbationem deſinat.

Hinc palam modo fit, qua de cauſa, dolor capitis exinde ſubſequatur aut immineat, quia ex ea acredine & virulentia in ſanguine inducta, nerveæ partes capitis ab illius tranſitu & percolatione vehementer vellicantur & compunguntur. Neque vero hinc dolent ſolum, ſed etiam non raro inflammantur, unde phrenitides, lethargi, convulſiones, ut memoratis ex Hippocrate ægris accidit, quamobrem ſub nomine cephalalgiæ comprehenſas crediderim, reliquas omnes capitis morbos dolori analogas & affines.

Quod ſi turbidæ ejuſcemodi urinæ, pedetentim progreſſu temporis ſubſideant, procul dubio meliores fient, atq; ab enarratis affectibus capitis præcavebunt: quippe portendent ſenſim quoq; internam ſanguinis commotionem ſedari, & fermentantes humores, ab utilibus ſecerni, ac repurgari. Unde idem Hippocrates *6 Epid. Sect. 6.* commonefacit, *urinas, multam ſubſidentiam habentes, à mentis motione liberare*, quemadmodum in Dexippo.

Non eſt igitur, ut tam facile credamus perſeveranter turbidas excerni urinas a flatibus, ut plerique ſunt arbitrati, adeoque illos excutere oportere, ſed potius diaphoreticis ſæpe memoratis, compagem fermenti febrilis diſſolvere, alexipharmacis ejus malitiam oppugnare, & evictam & ſecretam, per eaſdem vias urinarias expellere.

Dices I. Jumenta abſque capitis dolore, ejuſmodi craſſas urinas excernunt, Ergo idem hominibus fieri poterit. ℞. Jumenta iſtas urinas excer-

excernere, eo quod crudo utantur victu, Ergo idem poterit fieri hominibus utentibus crudo alimento, extra febres, vel ob renum & veſicæ vitia, concedo in febribus nego

Inſtabis: Ex ſententia Argenterii extra febres non eſt calor, qui urinas confundat & fermentationem excitet ergo in homine non dantur tales urinæ. ℞. Non eſt calor febrilis concedo; non eſt alius abſolute, nego.

Aphoriſmus LXXI.

Quibus die ſeptimo futura criſis eſt, iis urina rubram die quarto nubeculam habet, cæteraq; pro ratione.

Contentum ſeu Intentio.

De Enaoremate coctionis in urina Indice.

Connexio Pergit adhuc in hoc Aph. Hippocrates, qualitates urinæ recenſere, quæ nobis ſigna coctionis, ſecretionis & futuram criſim die ſeptimo prænuntiant. Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur,

Alibi dixerat Hippocrates, ſeptenorum, quartum eſſe indicem, nunc in hoc Aphoriſmo, ſumpto exemplo a febribus, *quarum criſis incidit die ſeptima*, inquit, *nubeculam rubeam in quarta præcedere in urinis* Verum hoc non ubiq; verum experimur, ſed in quibusdam ſolum febrium generibus, quæ nimirum commotionem, & fermentationem in ſanguine conſequuntur, a vitio ejusdem interno, quales veteribus *Synocha* dicebantur, ex non bene repurgato ejusdem ſanguinis ſero, cujus cauſâ in fervorem & indebitum motum adigitur, ut ſe ipſum ab illo extricet, potiſſimum quia ob remoram in vaſis ſanguineis contractam, nimia infectus acredine, cunctis viſceribus moleſtiæ eſt Sed neq; nubecula hæc, revera rubra eſt, ſed vel pallidâ, vel flava, vel ad ſummum ſubrubra comparet, ſi criſis ad bonum futura ſit: Quamobrem 2 *Prognoſt* dixit: *Nubeculæ quæ feruntur in urinis, albæ quidem bonæ ſunt, nigræ vero malæ* Unde recte Heurnius, non rubram, ſed ſubrubram vertit. Meminit autem duntaxat criſis ſeptimæ diei, nam in cæteris non plane conſtant ejuscemodi, indicum & judicum dierum proportiones, quippe ſæpiſſime criſes præmonſtratæ, in undecima, evenere poſtmodum non decima quarta, ſed decima ſeptima, vel vigeſima ac ultra, pro ratione peccantium humorum, & viarum laxitate, imo pro diverſitate morborum, cauſa-

cauſarum &affectarũ partium, iſta non minimum variabunt ſubſtantia colore, ſitu, tempore. Hinc appoſite addidit *cæteraq́; præratione* potiſſimum ſi cætera concurrant ad bonam, & ſalutarem criſim, eo die perficiendam, ut propterea ſignificare voluerit, morbum ſalubriter judicandum die 7 præferre ſigna coctionis, ac ſecretionis in 4. reliquorad alios dies differendos, non diſſimiliter ſui a indicii ſ pexmonſtrari, eoque non unico evacuationis genere, ſed pro ipſorum varietate, puta ſudoribus, ſputis, dejectionibus, atq; etiam uberiori urinæ profuſione, prout natura in unam vel aliam partem inclinaverit. Cæterum quod idem Hipp. protulit, citato Lib. prognoſt. de urina ſubrubra, & ſedimento ſimili, indicantem morbum diuturnitatem, licet ſalutarem intelligendum, eum tota urina, ejusq; ſerum, ſanguineum ruborem refert, non vero cum in ſero urinario convenienter colorato, nubecula ſolum ſubrubra innatat, ut hic, veluti inchoatæ coctionis indicium, aliud enim eſt urinas eſſe rubeas, & aliud nubeculas eſſe rubeas, cum palam conſtet, poſſe eſſe urinas rubras ſine nubeculis.

Objectiones contra hunc Aphoriſmum, in contextu ſunt relatæ & ſolutæ.

Aphoriſmus LXXII.

Quibus pellucida & alba ſunt urina, mala: præcipue vero in phreneticis ſi appareant.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi urinæ tenuis.

C*Onnexio* Cum antea de craſſis urinis ſermonem habuiſſet: In hoc Aphoriſmo, de tenuibus verba facit: & ſicut ex illis prognoſticum ſumpſit, ita & ea his

Duas partes habet hic Aphoriſmus: quarum *prima* proponit, urinas albas & pellucidas, malas eſſe abſolute: *ſecunda* vero id de phrenitide aſſirmat.

Cum urinæ albæ & perſpicuæ ſeu aquoſæ, uti interpretatur Galen. multis ex cauſis excerni poſſint, & pluribus in morbis comparere ſoleant, potiſſimum vero renum, atque veſicæ, atq; non raro indicent criſim futuram per alvum, aut per abſceſſum, præterea, quæ in ſtatu ſano quibusdam accidunt, vel ex conſuetudine, vel ex largiori potu aquarum præſertim diureſim moventium, viſum eſt ita hunc Aph. vertere, aliter ac Leonicenus qui malas ejuscemodi urinas, indefinite videtur interpretari, comparere autem ſolere in delirantibus: Quaſi vero exemplum duntaxat apparitionis iſtarum voluiſſet Hipp. hoc loco referre, cum tamẽ in phreneticis, maxime ſint perniciosæ, quemadmodum & Celſus, hoc idem Hipp. documentum ſecutus exponit, *L. 2. C. 4.* inquiens: *Diluta quoq; atq; alba urina vitioſa eſt, ſed in phreneticis maxime.* Et Philoreus: *Sed in phreneticis magis male.* Quamobrem Fuchſius Aphor. hunc ita tradidit: *Quibus urina perſpicuæ & alba ſunt male: maxime vero ubi in phreneticis apparuerint.* Recte autem admonet *phreneticos*, non *delirantes*, hic Hipp. adnotaſſe quippe phrenetici a delirantibus differunt, etenim non omnes delirantes, phrenetici ſunt.

Urinæ itaque albæ, & pellucidæ, quamvis plerumq; à conſueto naturæ declinent, non tamen omnino malæ illico ſunt exiſtimandæ, quaſi vero ſemper morboſam re ipſa corporis conſtitutionem atteſtentur, cum non deſint, qui à natura fere illas aſſiduo proferant, & bene valeant; quinimo pleroſq; novi, qui ſe tunc morboſos exi-

ſtimarint, cum urinas bene coloratas egererent. Malæ ergo ſolum dicuntur, quia non omnibus communes, & quodammodo à conſuetis, remotiores. At vero ſi in phreneticis obſerventur, omnino malæ, atq; ex Gal. pernicioſæ, quippe qui teſtetur, *ſemel tantum vidiſſe phreneticum ſalvatum, in quo tales urina comparuiſſe*. Verum tamen non ſunt hæ adeo cum phreneſi conjunctæ, ut illam perpetuo comitentur, aut conſequantur, ſiquidem ſæpiſſime etiam fit, ut in ea compareant nimium coloratæ, multoque ſulphure ſaturæ; ſed ſi fortaſſe cum illa ſocientur, omnino malæ ſint, niſi vero ſemel tantum appareant, quippe tunc pernicioſas penitus illas credere licebit, cum diu perduraverint, & quocunq; tempore, hujusmodi aquoſa prodierint. Hac enim ratione ſignificant, partes ſanguinis muriaticas & ſulphureas, acredine ingenti præditas per febrilem fermentationem, cum ſero urinario non repurgari, ſed interius detineri, adeoq; per cerebrum, ejusq; meninges, ac ductus cum ſanguine remeantes, continentes illius plexus, & glandulas vellicare, unde etiam liquor nervorum, & universa hegemonicarum (id eſt principalium ſeu animalium) operationum œconomia coaſſiciatur, ſiquidem ros ille è ſanguine, per cerebri corticem exudans, quo universa animalis regio irrotatur & vivificatur; ex vitiata autem ejusq; diathesi, omnia perturbat, depravat, atq; adigit in furorem. Cum itaque eo deventum eſt, ut partes vitæ, & rationi deſtinatæ, perpetim laborent, à mutata tum ſanguinis, tum nervei liquoris conſtitutione, procul dubio brevi futurum eſt, ut æger concidat. Spes autem erit reconvaleſcendi, ſi ejusmodi ſanguinis, & liquoris nervorum impuritates, per conſuetas viarias depellantur, potiſſimum vero, per urinas quæ primum flaveſcentes & craſſæ, mox etiam copioſiores, & ſequeſtratæ repurgentur: quod optime præſtatur antimonio nitrato rite præparato, vel aliis bezoarticis. Sed & advertendum eſt, quod memorat Hippoc. 1. *Epid. conſt.* 3. accidiſſe Bioni apud Silenum decumbenti, Cratiæ apud Xenophanem, & Aretonis filiæ uxori Mneſiſtrati, ab urinis aquoſis, multis puris & tenuibus, poſt judicationem, eos ſcilicet bene fuiſſe judicatos per dyſenteriam; quaſi vero, iſtiusmodi urinæ poſt coctionem apparentes, criſim portendant, per alvum futuram. Poſſunt quoque hæmorrhagiam è naribus præſignare, præſertim in juvenibus, ſi poſtquam diu probæ viſæ, repente attenuentur, & incrudeſcant, morbo ad declinationem perducto.

Quæres I. Quinam color urinæ hominis, in ſtatu naturali conſtituti, ſit optimus. ℞. Juxta omnes prope *color citrinus*; & merito quidem, docet enim experientia, in rebus chymicis, quod omnes ſolutiones ſulphureæ, præcipitatis particulis heterogeneis, menſtruum citrinum relinquant: hinc Poëta:

Inter tincturas varias, color aureus, ille,
Optimus in lotiis, optimus in loculis.
Hic color in lotiis, purgando noxia deplet,
Hic color in loculis, accumulando replet.

Quæres II. Utrum ex inſpectione urinæ poſſit agnoſci, mulierem eſſe gravidam? ℞. Vulgus firmiter credit, Medicos ex matula, veluti ex ſpeculo, mulierem gravidam poſſe agnoſcere: hinc ruſticus ille, fracto in via vitro, & effuſa uxoris urina, ampullam urina aſinæ, cui ipſius inſidebat, impleverat, & Medico obtulit; de quo Poëta:

Ruſti-

Ruſticus obtulerat lotium, mingentis aſellæ
Num gravida eſt mulier, dic mihi, Doctor, ait,
Uxor, ait, Doctor, juvenem tua portat aſellum,
Fœtus hic (ipſe ſcies) an tibi ſit ſimilis.

℞. 2. Negative, & dico indicia ex matula, in hoc caſu ſumme eſſe falſa & fallibilia. Si enim menſium ſuppreſſio, eo usque viſcera, & ſanguinem læſerit, ut cachectica totius corporis conſtitutio inducatur, urinæ ſemper ſiunt tenuiores, minus tinctæ, copioſiores & crudiores: ſive ſuppreſſio illa ſit, naturalis, i. e. ex ingravidatione, ſive præternaturalis, i. e. ex cauſa aliqua morbifica: adeoq; temerarius foret, qui ex hoc ſolo ſigno, de ingravidatione mulieris, minus fundatum ferret judicium. Non ergo in hoc caſu, Autoribus empyricis, Arabes ſequentibus, aut edentulis vetulis, conſilia ſæpe plus dæmonis aut ſaltem ignorantiæ ſat craſſæ imitantibus, tanquam contritæ ſententiæ Patronis & Marronis, ſubſcribendum. Nam recte Ariſtotele: *multitudo errantium, non parit errori Patrocinium*. Sunt enim Autores empyrici, quaſi ignes fatui, quos ſequentes ſe, neſcio in quæ præcipitia deducunt.

Dices. Valleſius dicit, urinam albam & pellucidam, minus eſſe periculoſam, ergo Aph. non ſubſiſtit. ℞. Urina alba & perſpicua, quæ ut diximus, ob interruptam materiam, ibis excernitur, concedo, quæ diu retinetur, nego.

Inſtabis Talis urina optime in criſi & cum ſalute ægri excernitur, Ergo nulla ſolutio. ℞. Hipp. hic potius loqui de ſymptomaticis, quam criticis evacuationibus; ſi autem criticæ fuerint evacuationes, colligi ex eo poterit, quod id derepente, & quod die critico &c. fiat.

Aphoriſmus LXXIII.

Quibus ſublata (ſeu ſuſpenſa) hypochondria murmurant, lumborum ſuperveniente dolore, iis alvus humectantur, niſi flatus inferne erumpant, aut urinæ multitudo prodeat atque hæc in febribus.

Contentum ſeu Intentio.

De Signis Criſeos per alvum futura

COnnexio. Varia fecit hactenus prognoſtica ex urinis Hipp. In hoc Aph continuat, ſigna futuri fluxus alvi, vel urinarum in febribus. Hic Aphor. tres habet partes: I. proponit hypochondriorum ſuſpenſorum murmura, & ſupervenientem lumborum dolorem II. prognoſticat exinde criſim, vel per alvum, vel per urinas (quamvis has evacuationes excipiat ſi poſt ventris borborigmos aut murmura, ſuccedant flatus) III. determinat *id vero in febribus*, i. e. ut plurimum ſeu frequentius, non autem definite, quod ſimilia extra febres etiam contingere poſſint.

De veritate hujus Aph. valde dubitat *Argenterius*, quippe qui non tam facile exiſtimet, quomodo tria hæc genera evacuationum, accidere poſſint, in febribus ex hypochondriis inflatis & dolore lumborum. Verum ſi in memoriam revocentur, quæ aliàs hoc ipſo Lib. præſertim Aph. 12 à nobis recenſita, bene poterunt, quæ hic ab Hipp. referuntur rationi, atq; experientiæ congruere. Inſlantur ſiquidem, & tumeant hypochondria à flatibus, ſeu halitibus elevatis, ab humoribus craſſis ſimul, te-

nacibus, & acidis, qui non raro loca, utriusq; hypochondrii occupant, præſertim vero glandulas meſenterii, pancreatis & omenti, cumq; per febrem ſenſim attenuentur, & diſſolvantur, per arterias pedetentim in inteſtina feruntur, vel etiam per vaſa lymphatica, aliosque ductus inconſpicuos deducuntur in renes, adeoque vel alvi fluxu, vel urina copioſiori, critice evacuantur.

De his ergo ſermonem facit hoc loco Hipp. & ait, quibus in febribus (ſi eque potiſſimum, quas Fernelius omnium primus recenſuit, ex hypochondriis infarctis, oriundas, adeoq; ab Autore febres Fernelianas dictas) hypochondria tument, ac inflantur, ut ſuſpenſa & elata fiant, & lumbo, um dolor ſuperveniat, plane fieri, ut laxata alvus congeſtam ſuccorum colluviem deponat, niſi aliunde in flatus exolvatur, aut per renes deducta urinam efficiat copioſiorem. A tumidis porro, & inflatis hypochondriis conjectemus craſſorum, & conſiſtentium ſuccorum copiam, fermentatione febrili, & acida conditione, inflatus evaporantē, adeoq; epigaſtrium utrinq; attollentem. A murmure, & lumborum dolore, conjectabimus humores ipſos jam attenuatos, & diſſolutos, vergere per meſenterium, in inteſtina: Murmur etenim a motu eorundem periſtaltico provenit, lumborum vero dolor, à pondere meſenterii, quod cum lumbis alligetur, juxta ac peritonæum, ubi flatulentis humoribus turgeat, gravat ſimul illos, & extorquet. Quod vero hæc citra jecoris lienis, aliorumq; adjacentium viſcerum inflammationem evenire ſcripſerit Hipp. colligere clare eſt, ex 2 prognoſt. ibi: *Præcordiorum dolores, ac tumores, ſi fuerint recentes, & non cum inflammatione, ſolvit murmur in præcordio obortum, & maxime quidem, ſi pertranſierit cum ſtercore & urina, ac flatu, ſin minus, etiam ipſum per ſe, ſi tranſierit, prodeſt.* Dixerat autem *Lib. 1 ejuſdem operis*, tumores omnes in hypochondriis subortos, inter initia quidem, mortem brevi ad futuram ſignificare; poſt dies 20 vero, febre non deſinente, ad ſuppurationem converti. Ea autem, quæ in hoc Aph. memoramus, his profecto non conſonant, cum & nos compertum habeamus, ſæpius feliciter ſucceſſiſſe, exurgidis hypochondriis, febres enatas, alvo, quæ prius adſtricta erat, laxata, aut copioſiori urina ſolutas. Verum ut id promptius, & felicius contingat, medicamentis inſiſtendum, quæ amarore, acorem corrigant, & incidendi & attenuandi vi craſſos humores ad exitum diſponent.

Dices. Multis ſuſpenſa ſunt in febribus hypochondria, cum murmure, quibus tamen nec ſuccedit alvi fluxus, nec flatus nec urinæ, Ergo non ſubſiſtit Aph. R. Si flatus paulatim colligantur, concedo: ſi repente, nego, opus autem eſt, ut non fiat iſta ſuſpenſio, per longam diatheſim, vel per diuturnam accumulationem, ſcirrhum, aut inflammationem, ſed derepente.

Aphoriſmus LXXIV.

Quibus ſpes eſt ad articulos, abſceſſum futurum, abſceſſu liberat urina multa, craſſa, & alba reddita; qualis in febribus laborioſis (ſeu cum laſsitudinis ſenſu) quarto die, quibuſdam excre incipit. Quod ſi ex naribus etiam ſanguis profluxerit, brevis admodum ſolutio fit.

Contentum ſeu Intentio.

De Revulſariis articulorum præſidiis.

Comment. Tum ratione abſceſſus in febribus, cum Aph. 31. & 51. tum ratione urinæ cum Aph. præcedente, tum etiam ratione hæmorrhagiæ cum Aph. 60 hujus Libri, connectitur præſens Aph. Duas habet partes hic Aph. *Prima* demonſtrat, qua ratione potiſſimum futurus abſceſſus in febribus removeatur: *Secunda*, quibus præcipue evacuationibus, per urinam ſcilicet & hæmorrhagiam. In hoc ergo Aph. memoratur, unde fit, quod febris quæ deſitura per abſceſſum viſa eſt, & indicia ejusdem exhibuit, abſceſſu deinde non judicetur, idq; propterea fieri, à craſſa & alba urina affluenter profuſa. Equidem ubi humores in artus ferendi, vias urinarias petunt, forte tenuiores, & fluxiores redditi procul dubio vindicabunt ab abſceſſu. Verum tamen oportet craſſam ſimul albam & copioſam excerni urinam. Etenim hac ratione certi erimus, illos eosdem humores, qui febrim fovebant, & ad artus abſcedere præmonſtrabant, ſalubriter per renes, in veſicam fuiſſe translatos. Quia vero à lympha, plerumq; conſiſtentiori ejusmodi febres accidunt, unde Rheumatiſmi, cum laſſitudinibus, & doloribus articulorum, proinde adjectum, *qualis in laborioſis febribus*, cujusmodi ſunt, quæ cum ſenſu laboris, doloris, & laſſitudinis, in toto corpore contingunt: quippe vaſa lymphatica plurima per articulos repunt, & non raro in eosdem exonerantur. In laborioſis autem febribus, cum Rheumatiſmo ſociatis, ſæpiſſime accidit, à quarta die, in ſuccedentes, conſimilis conditionis, urinam affluenter expurgari, exoluta nimirum per febrim lympha, atque ſimul cum ſero ſanguinis ſecreta, & deducta in renes, & veſicam, quemadmodum paſſim experimur in praxi. Atque hinc plane dictum puto, non tantum abundantem, ſed etiam albam, & craſſam urinam eſſe oportere, cujusmodi lympha eſt.

Quod præterea additur: *Quod ſi ex naribus etiam fluxerit ſanguis, brevi admodum ſolutus ſit*: in dubium revocat Fuchſius, an ſimul cum urinæ profluvio, an vero ſeorſim proficere ſit intelligendum. Et quamvis utrumq; rationi atq; experientiæ congruere viſum ſit, & alterutra evacuatione, febricitantes ab abſceſſibus evaſiſſe, nihilominus ſi mentem Hipp. attendamus, veriſimilius aſſerere cogemur, junctim utramque evacuationem eſſe comprehenſam: Nam inquit, *ſi vero etiam ex naribus fluxerit ſanguis* vel ut alii vertunt, *quod ſi narium quoq; accedat profluvium, multo celerius liberantur* Idq; clarius Cap. 6 *Epid. Sect. 4. Si vero ultra hoc, adhuc ſanguis è naribus, large eruperit, valde* Etiam, ſeu *prorſus levat*. Quæ verba utramq; omnino evacuationem referunt, ſimul junctam. Cæterum ſanguis è naribus profluens maxime quoque his confert, excreto inde ejusdẽ ſero, orgaſmum in humoribus excitante. quo fortaſſe reſpiciens Hipp. junctim urinam & ſanguinem profluentem, citius ægrotantẽ liberare inquit, ut è naribus tenuior, è renibꝰ craſſior humor ſimul educatur, hinc Poeta:

Qui me vexabat mucus velut aggere rupto,
Per nares, renes, qua data porta, fluit.
Quo fueram muci fauo ſplendore politus,
Nunc minus illuſtris, ſed mage, mundus ero.

Cui enim commodo eſſet, narium hæmorrhagia, ſi ſanguinis à lympha, & ſero, repurgationi minime opitulatetur? Illum autem egredi natura ſinit, ut ſimul acres & tenues ſeroſas ejusdem partes depellat, niſi vero ex accidenti deſerat, acredine ſibi exitum ſero parante,

 Ac

At vero eam ex his evacuationibus promovere ſtagemus, quæ tutior ſane eſt, per vias urinæ. Hac enim & craſſior & tenuior humor commode poteſt educi; quin ſi tantum craſſior expurgetur, is ſatis erit, ut ab abſceſſu iuvatur cum tenuior facile poſſit adhuc inſenſibiliter diſſlari. Conferent ea propter in hanc rem, quæ attenuando, & incidendo diureſim movent, adjuncta his quoq; congrua victus ratione attenuante, ut naturam huic operi intentam adjuvemus, vel diutius cunctantē excitemus.

Dices In laborioſis febribus, urinæ videntur tenues, ob motum & fermentationem prætecitam, quæ humores attenuavit, ergo non erunt craſſæ. R. Erunt tenues ratione materiæ jam coctæ, concedo, ratione crudæ, cujus pars ſemper excernitur v. g. quarto die, nego.

Aphoriſmus LXXV.

Si quis ſanguinem, aut pus mejat, renum aut veſicæ exulcerationem ſignificat

Contentum ſeu Intentio.

De Mictu cruento & purulento.

CONNEXIO. Pergit Divus ſenex in hunc Aphor. particularem ſermonem facere, de urinis & earum ſubſtantia, tanquam ſumme neceſſariis, ad diagnoſim partium affectarum, per quas tranſeunt, nempe renum & veſicæ faciendam. Hic Aphor. autem propter ſummam brevitatem non dividitur.

Sive hic Aph. ſcribatur per particulam *aut* disjunctivam ſive per *&* conjunctivam, magnam ſemper patitur difficultatem, quippe ſanguis ſolus excretus per urinam, non ſemper indicat renum, aut veſicæ ulcerationem, cum multis aliis de cauſis egeri, & à plerisque aliis partibus prodire poſſit. Si vero ſimul cum pure excernitur, quamvis ulcerationi indicium certo ſit, non proinde ex ſanguine, ſed ex pure certitudinem nanciſcitur. Sed & præterea fieri poteſt, ut ab eroſa renum arteria, aut vena, ſanguis ad tempus ſolus prodeat, deinceps tranſiturus in pus, adeoq; inchoatæ ulcerationis ſymptoma ſit, ſejunctim à pure: Ita Celſus *Lib.* 2. *C.* 7. *Gal.* 6 *de Loc. affect.* 3. *Hipp. Lib. de natura humana; quibus cruenta urina fuit, his vena laborant.*

Præſtaret itaque pro utraq; particula *deinde* vel, *mox* ſubſtituere, ut ſenſus fiat: *Si quis ſanguinem, deinde vel mox pus mingat &c.* Sic enim Aph. veritati perpetuo conſonabit. At vero nec ſemel, nec ad breve duntaxat tempus, ſanguinis & puris mictio renum aut veſicæ ulcerationem deſignabit, nam ſæpius expertum ex diſrupto apoſtemate partium ſuperiorum, & à renibus remotiſſimarum, pus cum urina prodiſſe, imo etiam ex pulmonis vomica, atque ex empyemate per eaſdem vias repurgatos Gal. 6 *de Loc. affect.* 4. Quamobrem neceſſe eſt, ut diutius mictio iſta perduret, & contineatur purulentus ſanguis, cum urina egeratur, ut a renibus, vel veſica manans, dici queat. Gal. *in Comm.* Atqui etiam præter ejusmodi egeſtionis diuturnitatem, à renib' aut veſica ulceratis, pus prodire conjiciemus, ſi in urinis ſubſidear, vix ac ne vix quidem cum illis commixtum: quoties enim cum iiſdem omnino commiſcetur & confunditur, ex altiori profecto loco deſcendere credendum, ut multis oſtendit Gal. *Lib.* 6. *de Loc. affect.* C. 4. Contra vero ſi ſejunctim ab urina pus egeratur, procul dubio è meatu urinario, aut ex glandulis paraſtatis, gallica contagione infectis, ſponte ſua

defluere, ut in virulentis gonorrhæis paſſim experimur. Hinc tum ſolum purulenta mictio, renes aut veſicam indicabit exulceratos, cum continua fuerit, cum nunquam a lotiinis ſejuncta, cum ſubſederit, & cum ſanguinis exitum conſequatur. Denique prognoſim mictus ſanguinis, ac puris retulit Hipp. *Lib. 2. prædict.* inquiens: *Sanguinem mingere, raro quidem, & ſine febre, ac dolore, nihil male ſignificat, ſed laſſitudinum ſolutio fit. Si vero ſæpius mingat, & aliquid ex his acceſſerit, malum eſt. Verum prædicere oportet, ſi cum dolore mingatur, ſive cum febre, fore ut inſuper pus mingat, atq; ita dolorosæ affectiones quieſcant.* Verum conferet in his plurimum partem affectam internoſſe, & num pus, ex aliis partibus procedens, in tranſitu per renes, ureteres, & veſicam, ſua acrimonia aut virulenta conditione, illas exulceret, atque adeo diverſarum partium affectarum complexio, nequeat iam bene diſtingui, unde pus prodeat cum ex pluribus confluens manat. Non multis ab hinc menſibus, curandos adeo veni, qui ex mictu ſanguinis, in urinam purulentam inciderat, cum noxa gallica gonorrhæa detinerentur, adeoq; & ex meatu urinario, & ex renibus pus effunderet, nimirum quandoq; ſimul cum urina, & aliquando ſeorſim. Mirum autem, quomodo his profuerat uſus paſtillorum ex cinnabari, itemq; cerussæ ſtibii Angeli Sale, cum gummi hederacei, balſamo ligni guajaci & Peruviano extracto hyperici & camphora.

Objectiones in hoc Aph. occurrentes, jam in contexto ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus LXXVI.

Quibus cum urina craſſa, exigua caruncula, aut veluti pili, una exeunt, his à renibus excernuntur.

Contentum ſeu Intentio.

De Contentis urinæ carunculaformibus & pilaribus.

CONNEXIO. Quemadmodum præcedens Aphor. erat de excretis, ita & præſens: Uterq; autem & hic & ille, unum fere videntur habere ſcopum, nempe ut renum vitia ab excretis, vel urinarum contentis demonſtret. *Hic Aphoriſmus ſicut præcedens ob brevitatem non dividitur.

Quod hic disjunctim ſcribitur de carunculis parvis, aut veluti capillis, cum urina craſſa excretis, Celſus *Lib. 2. Cap. 7.* Junctim vertit, inquiens: *Si urina craſſa, carunculas quaſdam exiguas, quaſi capillos habet, may; in renibus vitium eſt*: Sed & idem Hipp. *Lib. de Natura humana prope finem*, unde hic Aph. videtur eſſe deſumptus, in hanc eandem ſententiam, concedit dum inquit: *Quibuscunq; in urina, craſſa exiſtente, caruncula parva capilli formes ſimul prodeunt, eas a renibus prodire, noſſe oportet, & ob arthriticos.* Hinc Martianus pluribus contendit legendum eſſe hunc Aphor. abſque particula *aut*, imo eo modo, quo ſcriptus invenitur. *Citat. Lib. de Natura humana.*

Sed quamvis ita veriſimiliter liceat ex mente Hippoc. opinari non tamen falſa erit, ut hic traditur, ejuſdem ſententia: quin ipſe Galen. *in Comment.* omnino exiſtimat, alterum de carunculis, alterum de capillis ſermonem hic factum; nam nullo modo, inquit, carunculas parvas aſſimilari poſſe capillis, ut propterea cum dictione *aut* Aph. legendum velit. Expertum enim aliquando eſt, ab croſis & ulceratis renibus, carunculas ſeu fruſtilla carnium ducisſima, cum urina prodiiſſe. Et quamvis à ſphynctere veſicæ muſculo, ſimiles ſubſtantiæ excerni poſſint, cum tamen dolor, febris, & alia affecti renis indicia concurrunt, non eſt cur veſicæ muſculum, eorum exiſtimemus, qui nec alias tam duræ ſubſtantiæ eſt, nec, ſi ſemel ulceretur, urinæ exitum poterit impedire, aut aliquantulum remorari, vel ſaltem ſine ingenti dolore eſſe.

Mictum

Aphoriſmus LXXVII.

Quibus cum urina craſſa furfurea quadam ſimul minguntur, his veſica ſcabie laborat.

Contentum ſeu Intentio.

De Vrina furfuracea.

Connexio. Cum in præcedenti Aph. Hippoc. docuiſſet, per excreta cognoſcere renum affectiones: In hoc præſente Aph. per eadem excreta, morbum veſicæ oſtendit; nempe ſcabiem veſicæ ex craſſa & furfuracea urina. Hic Aph. ob ſimplicem concluſionem, ejuſque brevitatem non dividitur.

Ne vero hæc quoq; excretorum in urinis vitia, ad ſanguinem, & vaſa ſanguifero referrentur, cum urina craſſa, non tenui, nec aquoſa, excernenda inquit. Si enim cum hac efferreotur, degenerati ſanguinis, & ſucci atribilis, exardenti & prava febre, indicia forent, ut etiam admonet *in Comment.* Galenus. Si ergo Aph. hunc Hippocr. voluit intelligendum, ut ubi abſque febre, reliqua omnia bene ſe habeant, ſi urina moderate craſſa furfurea proferat, veſicam ſcabie laborantem denuntiet. Accidit autem veſicæ ſcabies, pari modo, ac externæ cuti pruritus, ab acredine illius liquoris, qui in nutrimentum ejuſdem cedere deberet, atq; ex mixtura talium cum urina denſatur in furfures, & ima petens furfureum ſedimentum exhibet, eo quod referat exteriorem tritici corticem, non bene molitum.

Ejus autem meminit ſpeciatim Hipp. 5. *Epid. in Hiſtoria filii Theophorbi*, qui id potiſſimum ex veſicæ ſcabie patiebatur, ut dum mingere inciperet, ac deſineret, pudendum confricaret ex pruritu nimirum ingenti, ejus partis, ad veſicam pertinentis.

Solet etiam ſæpiſſime ſcabies iſta in ulcuſcula commigrare & ſaniem proferre, ut dicetur *Aph. 81. hujus Libri*, ut propterea quibuſdam occaſio fuerit, utramque veſicæ affectionem confundere, non quod revera eadem ſit, ſed quod altera in alteram facillime commutetur, præſertim cum ea, quæ urinis commiſcentur, acria & erodentia ſint, ut mox infra.

Dub. Furfuracea in febribus ardentibus ſæpe minguntur, & tamen veſica ſcabie non laborat, Ergo non ſemper verificatur Aphoriſmus. R. Hipp. hic loqui de ſcabie veſicæ ſine febre, non cum febre ardente, ibi enim eſt colliquationis ſignum.

Aphoriſmus LXXVIII.

Qui ſponte ſanguinem mingunt, iis à renibus venulam ruptam eſſe ſignificatur.

Contentum ſeu Intentio.

De Mictu cruento.

Connexio. In præcedenti Aph. egit Hippocrates de mictione furfuraceorum; in hoc præſenti Aphoriſmo, agit de mictu ſanguinis. Hic Aph. ob brevitatem diviſionem non requirit.

Notandum. Pro eo, quod Leonicenus legit *ſponte* viſum eſt aliis *repente* ſubſtituere, quaſi vero ſatis non ſit ſanguinem è renibus abſq; ulla cauſa manifeſta prodire, niſi etiam *repente* egeat. At Hipp. uſus eſt *ἀπὸ ταὐτομάτου*, quæ dictio utrumq; ſignificat. Et quidem nullam cauſam evidentem, ex iis præceſſiſſe neceſſe eſt, quæ valeant venas adaperire, & dilacerare; ſed & opus præterea eſt, ut repente mictus ſanguinis ſuboriatur, ne fortaſſe ſenſim erumpens & guttatim, a veſica eroſa emanare credatur, quæ cum non multo ſanguine ſcateat profecto multum ſanguinis effundere non poteſt. Ab ejuſdem vero muſculo janitore ſeu ſphinctere dicto, ſi fortaſſe ulceretur, manabit quidem ſanguis, ſed ab urina ſejunctus, ut propterea fieri non poſſit, quin repente, & ſine cauſa manifeſta, ſyncerus prodiens ſanguis cum urina, à renum venulis adapertis, vel eroſis non proficiſcatur. An vero à venis proprie, an potius, ab arteriis prodeat, jure merito dubitari poteſt. Etenim poſt detectam ſanguinis circulationem, cunctis notum eſt, ſanguinem in partes per arterias ire, redire vero per venas, quæ cum ſuis interſepiantur valvulis, nihil profecto poterunt effundere, quod ſemel in ſuis conceptaculis fuerit exceptum. Verum cum nomine *venarum* tam venas proprie dictas, quam arterias conſueverit Hipp. indiſcriminatim ſumere, non erit hic, ut diutius mentem ejuſdem exagitemus, dummodo conſtet de parte, quam ille potiſſimum hic conſiderandam voluit affectam cui ſit remediis ſuccurrendum.

At a quibus cauſis ſanguifera renum vaſa, interius dirumpantur, tacuit Hippoc. quippe illæ innumeræ eſſe poſſunt. Attamen hic commode ad tres generaliores revocabimus: ad ea ſcilicet quæ ipſius ſanguinis ſunt, ad vaſa illum continentia, & ad ea, quæ renes tranſeunt, vel è renum tubulis tranſcolantur.

Quæ in ſanguine ſunt, & cum eo continuo commiſcentur, ſerum, lympha, chylus, ſi acredinem, aut muriaticam conditionem, præſertim a viſceribus hypochondriorum nanciſcantur, plane poterunt exilia renum vaſa, ut ejuſdem generis alia, cum illuc appulerint, erodere, aut relaxare, unde is ſponte deinde exeat. Sic aliquos novimus, diuturno ſanguinis mictu, ab ejuſmodi cauſa, detentos, qui à corrigentibus ea medicamentis poſtmodum convaluerunt. *Vaſa ipſa ſanguifera* per renum ſubſtantiam perreptantia, ſi fortaſſe propter exilitatem, naturalem quodammodo conſtitutionem ſortiantur, debilem, laxam, tenuem, vel etiam procedente tempore flacceſcant, & extenuentur, facile poterunt habenas quoq; dare ſanguini præterfluenti.

Quæ denique per renes, renumq; tubulos tranſeunt, ſerum urinarium & cum eo, diverſi generis humores, ſalſa, & multa e ſuperioribus viſceribus, in eas partes depoſita recrementa, pus, ſanies, ichor, viſcoſi, acidi, & concreſcentes ſucci, unde poſtmodum arenulæ, calculi, ſabulum, & id genus alia, quam facillime poterunt erodendo, lacerando, diſtendendo, gravando, aut aliter afficiendo, ſanguinis exitum repente provocare. Sed & quædam caſu deglutita, dura, aſpera, acuta, ſingulosa, cum renum alveolos ſubirent, mictum ſanguinis, non raro excitarunt, ut ſileamus nunc ea, quæ naturam veneni referunt, & id ipſum afferre ſolent, ut de cantharidibus memoratur, veſicæ ſpeciatim infenſis, cum ex his ſanguis, nec ſponte, nec citra cauſam manifeſtam egerатur. Quod vero de mutilatis fertur, per certa intervalla confuens ſan-

guinem

guinem mingere, vel per alios ductus evacuare, nihil penitus evincit, quin etiam ſanguis cum urinæ prodiens, venulam aut arteriolam, ab impetu ſanguinis diruptam ſignificet.

Ad ſiſtendum autem ejuſmodi ſanguinis mictum, varie procedendum erit, pro cauſarum illum excitantium varietate, de quibus plane, præter ea, quæ hic breviter ſunt memorata, ſuſcagitur in praxi: Verumtamen ſpecialiora hic in uſum ducenda erunt, quæ glutinandis vaſis, & ſanguini corrigendo, videntur magis accommoda, cujuſmodi præſertim ſunt, ex vitriolo & marte parata.

Objectiones quæ moveri poſſent, in contextu jam ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus LXXIX.

Quibus in urina ſubſident ſabuloſa ſeu arenoſa, iis veſica calculo laborat.

Contentum ſeu Intentio.

De Arenulis, calculi ſignis.

Connexio. Cum de his quæ minguntur, jam ſæpius ſermonem feciſſet Hippocrates: In hoc præſenti Aphoriſmo, eundem ſermonem proſequitur & aſſumit arenulas ſeu ſabuloſa corpuſcula, quæ per urinas excerni non raro ſolent. Hic Aphoriſmus, utpote breviſſimus, non ſuſtinet diviſionem.

Cunctis expoſitoribus, magnarum ſemper extitit difficultatum, hic præſens Aph: quippe qui adverſam rem habeat experientiam, qua plurimos conſtitit, toto fere vitæ ſpatio arenulas minxiſſe, citra ullam calculi veſicæ ſuſpicionem.

Hinc autem factum, ut nonnulli interpretes, veſicæ vitio renes quoque adjunxerint, quaſi vero Hipp. brevitatis gratia illos omiſerit, qui tamen, cum veſica compatientes, forent hic omnino cumulandi, ut vel hæc, vel illi, ex arenoſo ſedimento laborare intelligerentur. Sed nec defuere, qui in alia divagati, ne verbum quidem moverint, de ſenſu iſtius Aphoriſmi, rati fortaſſe, quomodo poſſent illum in rationabilem ſententiam accommodare. Eum alii Hippocratis nomine indignum exiſtimarunt, adeoque expungendum a ſerie reliquorum Aphoriſmorum.

At melius muſa, ſagaci plane ſolertia, invertendum illum voluit, ut potius ex veſicæ calculo arenoſa in urinis ſubſiſtere deduceremur. Sed tamen nec mutata ſententiæ phraſi, nec ordine verborum inverſo, adhuc in commodum ſenſum illum revocabimus, ſi urina arenoſa contineat, craſſa, mucoſa, neque ſemel, ſed aſſiduo rejecta, & quocunque dici tempore. Equidem comparent ſæpe numero arenulæ, in quorundam urinis, citra calculi ſuſpicionem, ſed illæ ſubſident omnino, ab his cæteroqui bene coloratis ſeparatæ, atque matutino ſolum tempore excretæ, vel certis ſolummodo diebus, at vero quæ ex calculo veſicæ proveniunt, perpetuæ ſunt, imo cum multo & craſſo ſabulo commixtæ, & quacunque fere mictione, urina interim lixivium æmulante. Atque hinc Hippocrates, in *urina* dixit *arenoſa* ſeu potius ſabuloſa, non vero ſim-

plicitér arenulæ *ſubſiſtunt*, id eſt craſſæ, & compactæ reſident, ut ſcilicet prædictas conditiones, breviter ſimul complecteretur.

Eſt præterea quod adjiciam, noluiſſe Hippoc. ad præſens tempus tantummodo, hanc ſententiam aphoriſticam coarctare, ſed eam extendere quoque putavit ad futurum, ut ſenſus eſſet, eos, quibus urinæ cum arenoſo ſedimento contingunt, vel jam tunc laborare, vel impoſterum veſicæ calculo laboraturos; etenim ejusmodi ſabulæ, in urinis indicio ſunt, multam craſſorum & mucoſorum excrementorum in veſicæ cavo congeriem coadunari, ut exinde calculus jam ſit compactus, vel facile deinceps ſit compingendus. Porro alias eſt à nobis demonſtratum, lapidei ex hiſce recrementis viſcoſis ſimul & ſalino acidis exoriri, atque pluribus veluti lamellis paulatim incruſtari & increſcere. At vero ex hoc edocemur, non ſolum quid nobis ſit conjiciendum, ex ejusmodi arenoſo ſedimento, ſed quibus præſidiis, occurrere poſſimus calculo imminenti, potiſſimum de eorum genere, quæ tantam ſaburram corrigere & educere, alioque avertere valeant, meliori victus ratione ſervata, ut alibi fuſius eſt à nobis memoratum.

Objectiones quæ hic moveri ſolent in contextu ſunt explanatæ.

Aphoriſmus LXXX.

Si quis ſanguinem, aut grumos mejat, aut urinam guttatim emittat, & dolor ad imum ventrem, ac interfamineum incidat, ea quæ circa veſicam ſunt laborant.

Nota: *Cum hic Aph. correſpondet Aph. 39. Lib. 7. qui ejusdem prorſus eſt ſenſus.*

Contentum ſeu Intentio.

De Signis affectæ veſicæ.

C*Onnexio* Cum de veſicæ calculo in antecedenti Aph. egiſſet; in hoc Aph. de aliis veſicæ & partium urinarum affectibus agit. Hic Aphoriſmus, ob ſimplicem concluſionem, non eget diviſione.

Laborantis ergo veſicæ, & partium adjacentium indicia ſpecialius tradit in hoc Aph. Hippocrates deſumpta ex ſitu ex excretis præter naturam operationibus læſis, ac dolore, ut propterea illa junctim non ſeparatim ſint ſumenda, ſi non eodem ſimul temporis momento, ſaltem eadem morbi duratione, cum fieri poſſit, ut ex his modo unum, modo aliud magis in ſingulos dies vigeat, fiunt autem grumi, quoties ſanguis è ſuis vaſis exiliens, in veſicæ cavo colligitur, ibique non tantum propter glutinoſam ſubſtantiam, ſed etiam à ſale urinario in ejusmodi affectibus acidiori reddito, facile concreſcit, & coagulatur. Eadem de cauſa, urinæ ſtillicidium accidit & dolor, potiſſimum è vacredine ingenti, ejusdem muſculum janitorem, & veſicæ collum vellicante, cumque hæc ad pubem ſita ſit, & fundo interfamineum occupet, ſeu perinæum, ſpatium ſcilicet illud, quod anum & ſcrotum interjacet, idcirco utrumque locum, dolor infeſtat, imo ab his, qui veſicæ calculo laborant, gravior ſemper noxa perci-

percipitur in perinæo, ut nec equitare, nec ſedere, citra gravem ejus partis dolorem, valeant. Ab his ergo inquit, ad veſicam eſſe laborem. Sive autem is revera lapis ſit, ſive tophus, ſive tumor, aut concreti & compacti ſabuli congeſtus, craſſus & mucoſus ſuccus, vel aliud ſimile, non expreſſit, forte quia hæc omnia modo acorem referant, & compungant, id ipſum poſſint excitare, neque ſolum in ipſa veſica, ſed etiam in circum ſitis partibus ut experientia ſæpius conſtitit. Sic enim etiam à renibus procedentes grumi in veſicam delati, eam per conſenſum laborare faciunt.

Objectiones in contextu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus LXXXI.

Siquis ſanguinem aut pus, aut ſquamulas mejat, & gravis odor adſit, veſicæ exulceratio ſignificatur.

Contentum ſeu Intentio.

De Signis veſicæ exulceratæ.

C*onnexio*. Egit priori Aphoriſmo, de veſicæ & partium vicinarum affectionibus; in hoc Aphoriſmo de veſicæ morbis, ſed particularius agit, nempe de ejuſdem exulceratione. Hic Aphoriſmus ob brevitatem non dividitur.

Etſi autem ſanguinis & puris mictio, non ſemper ulceratæ veſicæ indicium ſit, cum etiam è renibus egeri poſſit, ut alibi diximus, ſi tamen præterea pus male olens, cum ſquamulis mingatur, non niſi a veſica prodibit. Malus enim odor, quamvis pur, undecunq; proceſſerit, conſequatur nihilominus cum è renibus, aliisq; ſuperioribus partibus emanat, magna ex parte, in longo itinere remittitur; at vero proxime derivans ex veſica, longe gravius fœtet, præſertim ex urinæ mixtura. Squamulæ vero id ipſum fortius atteſtantur, cum exeſæ veſicæ certiora indicia ſint. Hinc iſta junctim ſumenda, ut omne dubium adimatur, aliarum quam veſicæ partium affectarum. Meminit autem primo *ſanguinis* Hippocrates, deinde *puris*, tum *ſquamularum*, & deniq; *gravis odoris*, ſervato nimirum ordine, quo iſta prodire ſolent ex illius ulcere, ſiquidem ſeriatim accidere, neceſſe eſt, quamvis unum abſq; altero, ſatis non ſit, ad oſtendendam veſicæ exulcerationem. Quare non niſi ex diuturniori tempore, hæc omnia evenire credendum eſt, cum veriſimile non ſit, ſtatim ipſa prodire, vel modico poſt tempore, ſibi invicem ſuccedere. Non immerito proinde uſus eſt Hipp. verbo *minxerit* ſanguinem & pus, quo nimirum deſignaret, multo antea urinam ſic infinctam & fœdatam prodiiſſe, mox vero adjecit, *gravis odor adſit cum ſquamulis*, qui ex præcedentibus excretionibus conſequatur & perſeveret. Verum tamen & plus, & minus, & gravius, & levius ac inoffenſius iſthæc veſicæ accidere poſſunt, pro varia ejuſdem exulceratione, majori, vel minori, magis, minusque fœda. Hunc fœtorem omnibus abominabilem, Medici non abhorrent, cauſam dat Poeta.

Qui fluit e matula fœtor ſpirante Mephitem,
Cur nares Medici, non odor iſte ferit?

Inficiat totos quamvis fætore penates,
Dum ſpirat lucrum, Dudime, gratus odor?
Objectiones quæ hic occurrere poterant, in contextu ſunt explanatæ.

Aphoriſmus LXXXII.

Quibus in meatu urinario, naſcitur tuberculum, ſuppurato eo & rupto, ſolutio.

Nota: *Hic Aphoriſmus repetitur iiſdem prorſus verbis Lib. 7. Aph. 57.*

Contentum ſeu Intentio.

De Caruncula urethræ.

C*Onnexio*: Cum hactenus de renum & veſicæ affectibus dixiſſet: In hoc Aphor. de affectione ipſius penis ſeu meatus urinarii, qui eſt à veſicæ collo ad glandem uſque agit. Hic Aph. ob ſummam brevitatem non dividitur.

Mictionis mala, non tantum à partibus ſupra veſicam poſitis, ſed etiam infra ipſam, atq; ab illius meatu provenire poſſunt potiſſimum cum urinæ exitus impeditur a re quapiam ibidem hærente. Hic autem non ea, quæ ſimul cum urina loco moveri & egeri poſſunt, ſed quæ infixa & ſtabilia ſunt, conſiderans Hippocrates, meminit ſpeciatim tuberculi, quod plerumq; in ipſa urinaria fiſtula innaſcitur, & mictui impedimento eſt, adeoq; ſtranguriam vel iſchuriam parit. Quia vero tuberculorum meminit quæ ad ſuppurationem perduci poſſint, videtur propterea ejus duntaxat generis illa comprehendere quæ ex ſanguine & carne excreſcente proficiſcuntur; multa enim in meatu urinario præter naturam gigni ſolent, quæ raro admodum, imo ſæpenumero difficillime ſuppurationi ſubjiciuntur, quin & ex lue venerea ſunt, qui carunculas in iis partibus patiuntur, tam difficulter ſanabiles ut plerumq; ad extremū uſque ſenium, maximo cum dolore, & mejendi difficultate immedicabiliter deducantur. At vero de iis ſolum videtur locutus Hippocrates, quæ tubercula ſunt, nil quidpiam pravitatis, ac virulentæ conditionis participantia, ſed ex ſimplici affluxu, aut congeſtione benignioris humoris progignuntur. Niſi etiam dicere velimus, non omnino, ſed ſub conditione ſolum, ſi maturuerint, tubercula hic ſuppurabilia, voluiſſe illum adnotare. Et quamvis in meatu urinario progenita memorare viſus ſit, veriſimilius tamen, ad veſicæ collum, & ubi ſphincter muſculus jacet, iſtiuſmodi tubercula naſci putandum eſt: Scribitur enim in *Coacis prænot. Quibus tuberculum eſt circa veſicam, quod mingendi difficultatem facit.* Ubi de veſicæ ductu, ejusque orificio ſermo eſt. Et lane ſphincter muſculus, cum ex corta ue, facillime excreſcentem carnem & tuberculum contrahit. Si ergo contingat illud ſuppurari, plane erumpente pure, & deterſa parte tumefacta & ſuppurata, fieri neceſſe eſt, ut ſolvatur morbus, qui ex enato tuberculo ægrum divexaverat: id enim eſt ſuppurationis beneficium, in tumoribus, ut quod mole exceſſerat, & dolorem inferebat adimatur, & inde ſymptomata conſequentia deſinant, cujusmodi eſſet ſtranguria, vel iſchuria in caſu noſtro

Apho-

Aphoriſmi. Dixit autem Hipp. fieri ſolutionem, duntaxat morbi præcedentis: an autem alterius ex ſuppuratione conſequentis mentionem factam ſignificare voluerit valde ambigo, nam plerumque ſuppurationes iſtiuſmodi partium, perpetuo excrementis madentium difficillime curantur, nec tam prompte ad conſolidationem deducuntur: qua ratione deſinere ſolet pleuritis per ſuppurationem, ſupervenientetamen empyemate. Hujus autem nullam rationem habendam cenſuit Hipp. in Aph. in quo ſolum, unde urina ſupprimi poſſet, & non aliarum partium ſuperiorum, aut ipſiuſmet veſicæ affectus, educere conſtituit, ſiquidem urinarum vitia, atq; mejendi difficultates, & impedimenta prohiberi poſſunt, affecta non tantum veſica, verum etiam partibus, tum ſupra, tum infra ipſam ſitis, id quod in his Aph. monitum voluit.

Objectiones in ipſo contextu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus LXXXIII.

Mictus noctu plurimus, parvam dejectionem ſignificat.

Contentum ſeu Intentio.

De Proportione urinæ & alvi fæcum redditarum.

CONNEXIO. Cum Hipp. hactenus de urina multa & ſcitu digna ſcripſiſſet, in antecedentibus; in hoc Aph. ultimo, de urina mentionem facit quo ad quantitatem, & exinde docet exiguam alvi dejectionem ſubſecuturam. Hic Aphor. ob ſummam brevitatem non dividitur.

Quam inter ſeſe conveniant alvi ſolutio, & urinæ excretio, advectit in hoc Aphor. Hippocrates, ut propterea unius evacuationis copia, alterius paucitatem deſignet, quod non tantum experientia, & uſu quotidiano, comprobatum paſſim teſtantur Autores, verum etiam manifeſte conſtat Autoſomia. At vero quamvis una alteram minuere poſſit, non tamen inde univerſaliter deducere licet, perpetuo verum eſſe, alterutram fieri copioſiorem, cum non raro contingat utramque ſupprimi, vel ſaltem magna ea parte diminui: præſertim in febricitantibus, in Colico nephriticis, aſciticis, & aliis. Solet etiam non raro ſudor, cum ubertim effluit, utramq; egeſtionem parcam admodum reddere, abſumptis nimirum humoribus per eum, qui forte in vias urinæ, vel in alvum decubuiſſent. Itaq; non videtur omnino verum, ut mictio noctu plurima facta, modicam ſignificet dejectionem. Verum tamen credere licet voluiſſe hic duntaxat Hipp. iſtiuſmodi evacuationes, inter ſeſe comparare, cum vel ex criticis egeſtionibus partium inferiorum, futura morbi ſolutio ſperatur, vel cum abſq; ulla alia cauſa, alterutra illa eum diminuitur, quæ præcedenti tempore ſponte & convenienter fluebant: vel cum in affectibus renum aut veſicæ ſine ulla ope medica, aut medicamenti diuretici beneficio, urina multiplicatur, & abundantior mingitur; ſi enim, ut tum ſi illa affluentius profiliat, deficiat alvi exoneratio, ideoque nullus ſit admirationi locus, quamobrem urina ſine evidenti cauſa copioſior habeatur. Equidem adhuc bene degentibus, id ſæpiſſime contingit ut quam ex aſſumpto cibo & potu opperiuntur (ſeu exſpectant) evacuationem, illa altera congruenter ſuppleate,

plene, deficiat; atqui hyeme potiſſimum, abundantius mingere ſolemus, alvo interea ſtrictiori, ut ex ſuppreſſo ſudore ſæpiſſime quoque evenit.

Adjecit non abs re *noctu*: quandoquidem ex ambiente aere craſſiori, pori cutis conſtipantur, & quidquid exinde perſpirare interdiu conſuevit, quodammodo retardatur, aut detinetur, indeq; fertur in vias urinæ, quæ propterea copioſior redditur. qua etiam ratione fit, ut ſeroſi humores, per noctem corpus aggravent, & glandulas præſertim oppleant, unde vulgo perhibetur, per idem tempus catharros promoveri. Sed præterea, cum alimenti coctiones noctu, & quiete melius peragantur, diſtributiones vero & ſecretiones citius interdiu, fit proinde, ut ubi ſeroſæ illius partes, motu ac vigilia, per diem prompte admodum è vaſis chiliferis aut ſucco lacteo, per compendioſiores ductus in renes & veſicam ducuntur, noctu diutius detentæ, adeoq; cum chylo commixtæ, poſſint per vaſa thoracica in cor meare, indeque cum ſanguine, in arterias emulgentes iterato ſaltem deduci, & mox per fibrillas, & glandulas urinarias in renum pelvim, atque deinde in ureteres, & veſicam tranſcolari.

Unde ſi major pars humoris, à cibo potuque reliciti, adhuc noctu feratur in renes, procul dubio fæces in inteſtinis relictæ exſuccæ admodum & nimium compactæ, & obduratæ remanebunt; quamobrem dejectio & alvi exoneratio, vel nulla vel modica, & tardaceis coque magis ſi peculiaris urgeat cauſa, ob quam ſeroſæ alimenti portiones, memoratum exitum haud quaquam perficient, ſed etiam recta in vias urinarias deducantur. Non immerito igitur inquit: *Noctu* equidem ſi per id tempus, quo urina diutius detineri ſolet, crebrius adhuc, & affluentius egeratur. fæcum evacuatio, non tantum ex copioſiori ejusdem egreſſione. parcior fiet, ſed etiam in longius tempus protogabitur.

Quoniam vero indefinite inquit Hippocrates, plurimam mictionem noctu habitam, paucam ſignificare dejectionem; iſta ſane poterit urinam ſubſequi, vel præcedere copioſiorē; etenim cum cauſa mictionis uberioris ex ſero, aut ſanguinis aut cibi & potus aſſumpti, in renes corrivante adveniat, unde fæces exhauſtæ & nimium conſtipatæ remanerent, profecto non minus mictio copioſa futura mox alvo dejectionem modicam ſignificabit, quam hanc eandem, nimis adhuc parcam præceſſiſſe. Modo cætera quæ cum his concurrere poſſunt paria ſint, nihilque aliud intermiſceatur, quod iſtiusmodi permutationem & viciſſitudinem perturbet: cum id quæ ſponte naturæ fiunt, potiſſimum conſequi ſoleat. Hinc poſtremo admonemur, utramque evacuationem fortaſſe imodicam, poſſe alterutrius beneficio, prout neceſſitas expoſtulaverit, diminui, aut ſedari, promota nimirum, uſu medicamentorum, irruentis humoris derivatione, aut in inteſtina, ſi urina affluentior mingatur, aut in renes, ſi forte alvus lubricior ſit, prout periti priores practici, in harum partium affectibus agere conſueverunt, & quidem cum ægrotantium emolumento: quamvis fluxuros potius. quam fluxos humores avertere, tutius ſemper & facilius ſit.

Dices I. Non eſt eadem materia excretorum alvi & urinæ, Ergo unum alterum non ſubtrahit. ℞ Non eſt eadem materia totaliter concedo, ex parte nego.

Hoc tamen pro coronide concedimus, ut tandem, hujus vaſti Libri ſit:

F I N I S.

LIBER QUINTUS
SEU
SECTIO QUINTA
DE
MORBIS CONVULSIVIS, PECTORIS, MULIERUM, LACTE, TUMORIBUS, &c.

Aphoriſmus I.

Convulſio ex Elleboro Lethalis.

Nota: *Ejusdem tenoris propemodum eſt Aphoriſmus Sectionis 7. Aphor. 25. Ex medicamenti potione convulſio, Lethalis eſt. Idem dic de Aphor. 16. Sect. 4.*

Contentum ſeu Intentio.

De Convulſione ex Elleboro.

C*onnexio Libri & Aphoriſmorum:* Cùm in præcedenti libro Aphoriſmo decimo ſexto ſcripſiſſet Hippocrates, *Carnes ſanas habentibus Elleborus periculoſus, facit enim convulſiones.* In præſenti vero aphoriſmo docet convulſionem ex Elleboro inductam eſſe Lethalem. Hic Aphoriſmus ob brevitatem & unicam concluſionem non patitur diviſionem.

Quæritur mox in limine Aphoriſmi an Hippocrates aut de Elleboro albo vel de nigro ſermonem ſuum intelligat, id quod multos dubitare fecit. Verum ſi in memoriam revocentur ea, quæ à divo Sene, pluribus aphoriſmis ſcripta ſunt libro quarto, ſane aſſerere non dubitabimus de albo Elleboro eſſe intelligendum, quemadmodum fatetur *Galenus in Commentario*, tum quia ejus uſus, præ cæteris apud Veteres erat frequentiſſimus, tum quia de eo expreſſe meminit citato libro quarto Aphoriſmor. textu 13. 14. 15. & 16. ubi de Elleboro ad vomitum inferendum verba fecit, non niſi album intellexit, quippe albus ſurſum, movet, deorſum niger: tum etiam quia convulſio, quæ hic ab uſu Ellebori notatur, facilius ex albo, difficilius ex nigro contingere ſolet, Interim certum & experientia probatum eſt ex Elleboro nigro dato, æque convulſiones excitatas eſſe. Sed

Quæritur denuo ? cur Elleborus detur melancholicis, cum tamen humor melancholicus vulgo, ſeu Acidus Neotericorum minime tendat ſurſum ſed deorſum, Reſp. Si mentem veterum obſervare animus ſit dicere quis poterit (quamvis minus fundate) tranſitum a liene ad Ventriculum per *Vas breve* habere, unde ſine dubio Elleborus facile trahet humorem melancholicum, ſed crediderim ego, ſatis eſſe, cum Elleborus electivam ſeu Catharticam habeat virtutem, ſic etiam non tantum a liene ſed etiam capite & à toto trahet.

Aſſert autem convulſionem Elleborus albus non tam *Evacuatione* per vomitum excitata, quam *Irritatione & punctione* nervis per Stomachum præcipue ejus os ſuperius, diſperſis inducta, ob illius acredinem nervorum fibris infenſiſſimam: at ſi præterea hypercatharſim promoveat, quia tunc præter Evacuationem humorum, in Ventriculi cavum derivantium, etiam exolutionem roridæ ſubſtantiæ, & liquoris nervorum, non ſine eorundem moleſtia inferet convulſionem longe facilius ſuccedentem excitabit.

Sed an revera convulſio, quæ retractio eſt nervorum & muſculorum ad propria capita, an potius motus convulſivus, ex Elleboro immoderatam evacuationem promoventem ſubſequatur, adhuc ſubdubitare licet: & licet fere communiter

ter ab Expoſitoribus, de convulſione proprie dicta Aphoriſmus exponatur, cum in græco Codice *σπασμὸς* ſcriptus ſit: videtur tamen dicendum, incipere primum motum convulſivum, ſeu convulſionis Prodromum, ſubſequi vero convulſionem. Vix enim videtur poſſe tam ſubito convulſionem exoriri ex vomitionibus ab uſu Ellebori, cum non ſtatim Nervi & Muſculi contrahantur, & contracti remaneant, niſi poſtquam iteratis motibus convulſivis fuerint irritati, concuſſi, ac tandem obrigeſacti.

Ea propter crediderim ab uſu Ellebori motus convulſivos ſeu inæquales, atque irregulares contractiones primum inferri, mox vero niſi opportunis remediis occurratur, aut compunctio nervorum ſedetur, exoriri convulſionem, quemadmodum memini me obſervaſſe, ab hypercatharſi cujusdam medicamenti purgantis & alius ab importuno uſu Algotethici ſeu *Mercurii Vitæ* dicti, ex quibus primum motus convulſivi, poſtmodum te ipſa convulſiones ſubortæ ſunt.

Id ipſum etiam expertum non ſemel eſt in his, qui venenum aſſumpſerunt, præſertim Mercurium ſublimatum aut Arſenicum, nam cum præ irritamento Vomitus foret excitatus, motus convulſivi, non vera convulſio inducta eſt. Hoc idem obſervare eſt in ſingultu, qui ad motus quoque convulſivos refertur. quin & Singultus ſæpe ſæpius fit, à re ſtomachum vellicante, unde non convulſio ſed motus convulſivus inſequitur Verum tamen cum diutius iſti perduraverint, in veram denique convulſionem deſinere ſolent, quemadmodum in Epilepſia, quæ non raro tranſit in apoplexiam, vel commutatur in convulſionem, unde tandem Exitum.

Sic enim tam *poſitive* vellicatis magis nervis, quam *privative* largius evacuatis humoribus inferuntur à purgantibus acrioribus, primum motus convulſivi, mox convulſiones, tandem mors, atque hoc ipſum præſtare poteſt Elleborus minus rite in uſum tractus.

Sed quod Hippocrates de Elleboro ſcribit, an dici

quoque poſſit de ceteris catharticis, tum per ſuperiora tum per inferiora *ἄνω & κάτω* plus juſto moventibus, in controverſiam revocari poteſt & dicendum judico, Hippocratem *Ellebori* loco Exempli meminiſſe, adeoque id ipſum referri quoque poſſe ad cætera pharmaca, ſi modum exceſſerint, & Hypercatharſin promoverint. Nam quæcunque poſſunt roridam Nervorum ſubſtantiam extenuare, & eorundem fibras laceſſere, irritare & extorquere, poterunt quoque motus convulſivos & convulſiones ipſas parere; quin & humores ipſi præter naturam affecti, ac maligni, deleterique redditi, id ipſum poſſunt excitare, quemadmodum *Galenus* in *Commentario* refert de eo, qui humorem æruginoſum evomens toto corpori convulſus eſt, illo autem excreto & penitus educto, a convulſione liber evaſit.

Itaque etſi Hippocrates convulſionem ex Elleboro *Lethalem* dixerit, non tamen ex ceteris catharticis inductam exemplum ab hoc eodem periculo putavit, ut idem habet 7. Aphoril 25. cætera cum parta eſſe poſſint, potiſſimum autem ob ſui acritatem ac vehementiam, præter dejectionem, vomitum etiam excitaverint, quippe per vomitum plurimum Stomachus laceſſitur, ubi nervi plurimi in conſenſum quoque Spinam & cerebrum contrahunt.

Cur autem omnino Lethalis dicatur ex Elleboro convulſio, non æque apud omnes convenit. *Galenus* & ceteri Expoſitores ad ſiccitatem in Nervis inductam, ex immodica manitione cauſam retulêre, nam cum convulſio ab eodem Hippocrate dicatur, vel *manitione* vel *repletione* fieri, curabilem fore illam exiſtimarunt, quæ ex repletione eſt, incurabilem vero & penitus mortalem, quæ ab manitione: Attamen cum non adeo facile ſit tantam ſiccitatem in nervis excitari, quanta ſatis ſit ad vitam deſtruendam, cum alioquin toto corpore tabefacti & maraſmo affecti, licet ſummopere extenuati, tamen non in convulſionem incidant; Hinc verbum *Lethale*, non pro deſperato caſu accipiendum, ſed tantum quandoque pro periculoſo, plures enim teſtantur Practici, ex Hypercatharſi convulſos evaſiſſe, id ipſum videtur inſinuare Hippocrates 7. Aph 41. dicens. *ſi in Senibus ſupra modum purgatis ſingultus ſupervenerit, non bonum*; Ergo abſolute non *Lethale*, attamen valde *periculoſum*, ſi enim ſingultus ab Hypercatharſi in Juvenibus, non eſt tutus, in ſenibus eo

erit

erit periculoſior, in qua ætate tuta alioquin non ſolent eſſe ſine periculo. Hinc Poeta:

Quum Juvenis ſpernit, vetulos affectio ſternit.

Hinc probabilius à pleriſque creditum, eam quæ ex repletione fit, convulſionem facilius ſanari, quia nervorum fibræ ab humore quodammodo craſſeſcunt & tumefiunt: quæ vero ex inanitione fieri dicitur, cum ab acritate & virulentia ſuccorum, nervorum fibræ retorqueantur & obrigeſcant, nec tam facile in priſtinum ſtatum reduci poſſunt, ſed læſione cerebri meditullio communicata, talis noxa inducitur, quæ à Compage & naturali conſtitutione cerebrum ipſum deturbet, proinde fieri ut illa plerumque inſanabilis evadat, cum difficillimum ſit diſſolutum nerveum liquorem reſtituere, & fibras convulſione diſtortas ac retractas denuo mollificare, atque in naturalem ſtatum reſtituere.

Verum, quoniam uſus Ellebori albi, apud nos jam exolevit, & cathartica quæcunque tam bene ope Chymica corriguntur, ut omne propemodum virulentum exuant, imo & iſta raro in uſum ducantur, ejuſmodi incommoda nulla fiant nec ullatenus formidanda. Cæterum ſi unquam id accideret, remediis oppugnandum foret ſiſtentibus hypercatharſim, humefacientibus & retundentibus acritatem atque poſtremo Vomitum ſedantibus, & ſtomachi irritamentum compeſcentibus de quibus jam diximus Lib. IV. Aphoriſ. 16.

Diximus ſupra Exemplum Ellebori nobis dediſſe Hippocratem quò & nos admonitos vult, ut omne validum medicamentum pro poſſibili fugiamus, ne inſignis noxa accidat; turpis enim eſt calamitas (teſte Hippocrate) medicamento dato hominem occidere. Unde diſcere poteſt quiſque rationalis Medicus, non conſultum eſſe unquam illico ad fortiſſima remedia confugere, ſed à mitioribus incipiendum, præcipue ubi Vires debiles morbuſque non ſummè anceps aut deſperatus.

Dices I. In hæmorrhagia magna & animi deliquio raro fit convulſio, Ergo nec in Evacuatione & inanitione ab Elleboro. Reſp. 1. in hæmorrhagia & animi deliquio nullam aut perexiguam eſſe vellicationem.

Reſp. 2. Non ita trahi elective humores ſeroſos, ſicut ab Ellebo-

leboro Reſp 3. Non ita omnes humores violente & confeſtim evacuantur, prout à violento cathartico utpote [Elleborus &c.

Dices II. In Hectica, Maraſino omnia ſunt arridiora & inania & tamen non fit convulſio Reſp. hanc difficultatem jam in textu eſſe ſolutam: Dicimus tamen eſſe paulatinam inanitionem cum habituali diſcraſia, in qua non eſt ſenſus (ſenſibile enim ſupra ſenſorium poſitum non elicit ſenſationem) ad convulſionem autem excitandam requiſitum acris ſenſus.

Aphoriſmus II.

Convulſio ex vulnere Lethalis.

Contentum ſeu Intentio.

De Vulnerum Convulſionibus.

Connexio: Cum Hippocrates in Antecedenti Aphoriſmo egiſſet de Convulſione quæ ab aſſumpto Elleboro ſequitur: In Præſenti Aphoriſmo de Convulſione, quæ vulnus ſequitur, æque gravi periculoſo & lethali agit Proinde hac aphoriſtica ſententia admonet Medicum ut debite advertat & præcaveat, ne in Vulnere convulſio ſuccedat, maxime autem in Nervorum & articulorum vulneribus, cum enim convulſio ex ſe magnus morbus ſit, Ergo ſi ad vulnus ſequitur lethalis erit.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem & ſimplicem pariter concluſionem non dividitur.

Animadvertendum eſt ante omnia quod in hoc Aphoriſmo *Vulneris* nomine intelligantur omnes quæcunque corporis violentæ affectiones, ſive vera vulnera ſive ulcera, ſive puncturæ, contuſiones, fracturæ, luxationes, fortes ligaturæ &c. in quibus convulſio accidere ſolet, idque aliquando culpa Medici aliquando vero ratione ipſius morbi, nonnunquam autem utriusque cauſa: Sic enim ſæpe numero convulſio ex vulnere contingit, *vel* ob vulneratam partem, nervis plurimis contextam, quemadmodum in ſpina dorſi,

in

in membranis, in muſculis, in tendinibus eorundem: *Vel* ob ingentem inflammationem, prout obſervatum eſt, ex importuna trochiſcorum de minio, vel aliis ſimilis improportionati remedii in partem vulneratam immiſſione. Sed & ſæpiſſime etiam accidit ſine ulla evidenti cauſa, vulneratam partem ſubire convulſionem, imo & alias quoque partes in conſenſum trahere ob ſolam Nervi punctionem: ea enim eſt nervorum conditio, ut cæſi atque omnino reſecti minus periculi afferant, puncti vero ſæpiſſime irreparabile inferent exitium, quod & notatum à Galeno *Lib art Medica.* ſiquidem cæſi & reſecti nervi æqualiter in ſuis fibris coefficiuntur, & commode per convenientia medicamenta conglutinantur: at vero punctis non æqualiter fibras affici contingit, unde fit, ut illarum aliquæ retrahantur, alia reſolvantur, adeoque inæqualiter in ſe ipſis contorqueantur: Hinc conſueverunt peritiſſimi chirurgi adhibendam ejuſmodi inæqualem nervearum fibrarum commotionem, punctum nervum penitus reſcindere & reſecare.

Quoniam vero convulſio, ex vulnere orta, arguit ingentem nervorum læſionem, ob quam etiam Cerebri meditullium coafficiatur, & ideo fit, ut lethalis evadat: Cerebri enim læſiones potiſſimum in meditullium, atque in Nervorum originem inflictæ perpetuo periculoſæ ſunt, & ſæpiſſime in mortem deſinunt, diſſipatis ſubinde ſpiritibus, & rorida nervorum ſubſtantia vel corrupta vel exſoluta: atque etiam conſtat ex Anatome, cor pariter ejuſmodi ſpiritibus egere, ut ſuum motum & vitam tueatur: deficiente autem motu, ipſa vita deſinit.

Hic vero pariter notatum velim, ut in priori Aphoriſmo rationabiliter diſcuſſi convulſionem nempe ex vulnere non ſtatim ſed poſt iteratos motus convulſivos ſubſequi, prout id ipſum priori aphoriſmo fuſius diſcuſſimus.

Præterea notatu dignum eſt, quod convulſio, quæ vulneri accidit vel eſt *Univerſalis*, vel *particularis* alicujus nempe membri: verum Hippocrates, hoc in loco præcipue, de univerſali loquitur, qua ut diximus Cerebrum, & maxime ejus meditullium læditur: Solet tamen convulſio in vulnere aliquando ex parte adverſa con-

contingere, ut ſi ulcus ſit in ſiniſtra, convulſio fit in dextra & eſt periculoſior convulſio adverſæ partis, id vero contingit, quod pars ſana ſeu adverſa lædatur, vel quia occultatur tumor apparens, vel quia ſanguis partis illius in partem læſam ſeu affectam, per vulnus effluxit, vel quia percuſſio aliquando conſenſu quodam partem adverſam ſeu ſanam ferit & afficit: quod autem convulſiones maxime lethales ſunt, quæ in adverſa ſeu ſana parte contingunt, id ipſum teſtatur *Hippocrates* fieri ſæpius in temporum vulneribus, & ipſa Autopſiæ Praxeos conteſtatur Exemplis.

At quæri hic poteſt, num etiam ex ulcere convulſio Lethalis ſit? Reſpondeo & dico ſæpiſſime quoque fuiſſe obſervatum exitialem, an quia ibidem inflammatio ſuborta eſt, & non raro cum gangræna & Sphacelo, an etiam, quia ſanies ex ulcere prodiens, tantam aliquando acquirit pravitatem, ut ſive halitibus ſive continuata per partes virulentia, cerebrum cerebrique functiones deturpet, unde poſtmodum animales & vitales operationes læſæ conſequantur.

Verum tamen eſt, quod non ſemper convulſiones ex ulcere inductæ mortem inferant, potiſſimum cum ejuſmodi ſunt, ut à ſorditie ulceris proveniunt, etenim abſterſis ſordibus & ulcere mundificato facile ſolet convulſio deſinere: Expertum quoque eſt convulſionem ex punctura Nervorum deſiiſſe, admotis medicamentis motum illum fibrarum inæqualem ſedantibus, quemadmodum ab uſu olei therebinthinæ & ſimilibus Balſamicis. Id ipſum dicendum in convulſione ex Ictu, Contuſione, Hæmorrhagia ſeu magna ſanguinis effuſione, aut cum nihil ex vulnere fluit, aut cum apparens tumor repente diſſipatur, vel in magno vulnere nullus conſpicitur, quod malum ingens eſt, teſte Hippocrate, materia enim ad interna vergit, & convulſiones ac deliria creat, quibus omnibus cauſis Medicus occurrere poteſt & debet, admotis nimirum remedijs, quæ Ictui, contuſioni & hæmorrhagiæ opitulantur, ſanguinis nempe effuſionem reſtringuendo, ubi nihil effluit, ſanguinem mittendo, ægrum à ſorditie repurgando, partes nervoſas & ſaniem dorſi oleo calido inungendo, obcæcatum vulnus aperiendo, & ſaniem extrahendo, Nervum ſi ex dimidio ſectus fuerit, in totum abſcindendo, interne autem bezoartica, Nervina An-

ti

tiſpaſmodica, traumatica adhibendo. His enim intro & extus adhibitis, ſolet ſæpe ſlatim convulſio deſinere, niſi tantam illa fecerit in nervis & cerebro impreſſionem, ut non tam facile emendari aut remederi poſſit. Sic quoque pro partium vulneratarum varietate, varius quoque eſſe ſolet eventus, cum aliquæ facilius aliæ difficilius reſtituantur convulſiones. Quandoque etiam loco convulſionis accidit reſolutio ſeu Paralyſis, quæ comparata ad convulſionem, minoris ſolet eſſe periculi.

Objectiones circa hunc Aphoriſmum, jam in ipſo contextu ſunt reſolutæ.

Aphoriſmus III.

Ubi ſanguis plurimus fluxerit Singultus aut convulſio ſuperveniens malum: (vel ut alii) à copioſo ſanguinis fluxu, convulſio aut ſingultus, malum.

Contentum ſeu Intentio.

De Convulſione vel Singultu ab hæmorrhagia.

Connexio: Cum in præcedenti Aphoriſmo de convulſione dixiſſet, quæ ex vulnere contingit: In hoc de illa ſermonem inſtituit, quæ ſanguinis effuſionem ſequitur, & ſimul Singultum accipit, quem in præcedenti omiſit. Hic Aphoriſmus uni membris eſt, & diviſionem non patitur.

In primordio hujus Aphoriſmi, jure merito quis quærere poteſt, cur Hippocrates in duobus prioribus Aphoriſmis dixerit *lethale*, in hoc vero Aphoriſmo *Malum* duntaxat pronunciat: Verum ſcire oportet Hippocratem nullatenus *Malum* cum *lethale* confundere, quemadmodum exiſtimat *Galenus in Comment.* nam non adeo funeſtus eſt exitus ex convulſione aut ſingultu ab hæmorrhagia, uti ex convulſione ab Elleboro & vulnere, viſum enim pluries eſt, ægrotantes ab illis convaluiſſe, ab his vero rariſſime vel nunquam. attamen levis momenti negotiũ putandum eſt, cum non ſolum ob convulſionem

& Singultum, vitæ periculum involvat, ſed quod gravius, ab immoderato ſanguinis fluxu, cum hic vitæ theſaurus ſit, quo exhauſto vita ipſa deficit. Præterea clare docet Hippocrates 4. *Acutorum* horrenda ſymptomata eſſe convulſionem, ſingultum, lypothimiam, & alvi fluxum; ſunt enim *mala* & ut *ſignum* quatenus inanitionem maximam indicant: & ut *Cauſa* quatenus virtutem ipſam proſternunt, præſertim ubi magna vaſa ſunt præciſa.

Quoniam vero *indefinite* dixit *ubi ſanguis plurimus fluxerit*; neque locum ſeu partem exitus ſanguinei determinaverit, procul dubio intelligendus erit ille de ſanguinis evacuatione, undecunque contingat. Quare ſive ex ore, naribus & partibus ſuperis, ſive ex alvo, vias urinæ, utero, aliisque partibus infernis prodeat, ſemper ac ſingultus aut convulſio ſuccedat, vitæ periculum minabitur; quamquam cohærenter Aphoriſmo præcedenti, manans ſolum ex vulnere a quibusdam exponi ſoleat.

At qua de cauſa periclitentur ægrotantes, ex ſingultu aut convulſione, poſt immodicam ſanguinis profuſionem, & unde contingat ſingultum aut convulſionem oriri, ex immoderato ſanguinis fluxu, gravis eſt hujus loci difficultas. Omnes interpretes cum *Galeno* utriusque cauſam referunt ad immodicam ipſam ſanguinis evacuationem, per quam Nervi & muſculi inaniti & exſiccati contrahuntur. Verum qui convulſionem, non niſi à cauſa irritante progenitam admittunt, non bene his conveniunt, neque ad ſolam cauſam inanitionis illam referunt, & eo magis quia præter convulſionem, ſingultum quoque hic memoravit Hippocrates, modo cum Singultu ventriculi læſionem arguat, & hic non tam facile abejusmodi inanitione afficiatur; propterea fit ut ad aliam cauſam confugere ſit neceſſe, ut ratio ſcilicet utriusque probabilior eluceſcat. Crediderim ego ea propter convulſionem & ſingultum, non proprie oriri ex ipſa ſanguinis evacuatione, ſed conſequi antecedentem illam cauſam, quæ talem ac tantam evacuationem promoverit: Cum enim ſanguis è ſuis vaſis non proſiliat, niſi poſt contractam acredinem, & venenatam conditionem, valentem erodere & reſecare vaſa, ſane quæ in cauſa eſt, ut ſanguis prodeat, cauſa quoque erit, ut nervorum fibræ proritentur, & convellantur, atque in ventriculo ſingultus concitetur: poſtquam enim ſangui-

nem

nem infecerit, etiam nervos & nervorum liquorem depravat, unde poſtmodum convulſio aut ſingultus: Vitium autem ſanguini illatum, acorem plerumque refert, qualis in aqua Stygia: at vero ab acidis facile Nervi pruritantur & convelluntur, atque eo magis magisque, quo per hæmorrhagiam, citatior fit ſanguinis motus tam fermentativus quam progreſſivus, & acidum oberrans impetuoſius fuerit & quoquoverſum irruit. Non eſt autem neceſſum, ut junctim convulſio & ſingultus immoderatam ſanguinis evacuationem conſequantur, ſed ſatis eſt ſi alteruter contingat; Etenim pro majori vel minori, hujus vel alterius partis affectione, modo una, modo altera convellitur, atqui autem convulſio ventriculo contingens, ſingultum parit: quin imo apud pleroſque converti ſolet, num ſingultus ad ventriculum, an vero ad ſeptum transverſum ſeu Diaphragma potius referri debeat, ob fibratum communem utriusque texturam? Quamobrem ſi ventriculi revera affectio ſit, difficultatem omnem eludet, ut præterea convulſio, quæ muſculorum morbus eſt, ad ventriculum referri non poſſit per ſingultum, cum ventriculus muſculoſa pars non ſit: Verum etſi ventriculus proprie ad muſculos non referatur, fibris tamen carneis eſt intertextus, quemadmodum à pleriſque anatomicis eſt animadverſum. Veteres Anatomiæ minus gnari Singultum proprie paſſionem Ventriculi, convulſionem, paſſionem cerebri eſſe dicebant: Cæterum magna eſt utriusque affinitas ad easdem cauſas uterque ſequitur, & eamdem ſignificandi vim uterque paſſim habet.

Sed quamvis ad ſanguinis acredinem, convulſionem ac ſingultum ex immodica ſanguinis evacuatione provenientem retulerimus, ſubeſt nihilominus alia cauſa, ob quam nervorum principium ab ejusmodi evacuatione coafficiatur, quippe ubi ſanguis plurimus profuſus eſt, liquor nerveus fatiſcit & rorida ſubtilioris lymphæ ſubſtantia, qua nervorum fibræ irrorantur, in ſtatu ſano, ex non ſuggeſta materia à ſanguinis glutine dependente, faciliime contorquentur & eo magis, quo partes ſanguinis acriores redditæ ſunt, ut jam diximus.

Objectiones & Difficultates in contextu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus IV.

A purgatione immodica (quæ aliis ſuperpurgatio ſeu Hypercatharſis dicitur) convulſio aut ſingultus ſuperveniens malum.

Contentum ſeu Intentio.

De Accidentibus ab Hypercatharſi.

Connexio: Cum Hippocrates in primo hujus libri Aphoriſmo de Convulſione, quæ ad Elleborum ſequitur quaſi particulari ſententia egiſſet: In hoc nunc Aphoriſmo generaliori utens ſermone, de convulſione, quæ ad purgationes ſeu ab uno vel alio medicamenti genere ſequitur & quamcunque evacuationem immoderatam infert, agit, ut propterea videatur præcedentium Aphoriſmorum ratio & cauſarum inferentium convulſionem, Epilogus & corollarium: proinde non defuere Interpretes, qui hujus Aphoriſmi explicationem ad primi expoſitionem retulerint, quo & nos lectorem remittimus.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem unimembris eſt & diviſionem non patitur.

In hoc Aphoriſmo cautum Medicum eſſe oportere monet Hippocrates, ne in exhibendo pharmaco, ægrum in convulſionem vel ſingultum inducat: quamobrem divus Senex *Libr. de Medicamentis purgantibus* præcipit, ut recte conſideret Medicus, antequam ægro purgans præbeat, illius naturam an facilis aut difficilis ſit dejectionis, & interrogandum, an alias ſumpſerit medicamentum, quale quantum & in qua forma: unde reprehendit illos, qui extremas purgationes inconſideratè exhibent, aut quandoque etiam bis in die pharmacum propinant, ubi primum nondum eſt operatum. Sicut & prohibet non eſſe faciendam purgationem, usque ad animi deliquium, ſicut in venæ ſectione aliquando licet, quia non eſt in manu noſtra, opus medicamenti ſiſtere, ſicut venam claudere.

Quo-

Quoties autem ex nimia purgatione, convulſio aut ſingultus accidit, ſemper arguitur interna aliqua cauſa nervos & nervorum principium afficiens, ita ut quæ nimiam evacuationem promovent, eadem convulſionem & ſingultum afferat, & ſive evacuatio ſponte naturæ ſuborta ſit, ſive à cathartico vehementi ſit excitata. Quoniam vero dixit, *ex nimia ſeu immodica purgatione*, indicare videtur, non quamcunque evacuationem, ex quibusvis ductibus corporis habitam, ſed tantummodo per alvum & inteſtina; Etenim uſus eſt voce Græca χαθάρσει quæ proprie alvi dejectionem ſignificat: Attamen viſum aliquando eſt ex mictu ſanguineo, à can haudibus excitato, motus convulſivos produſſe. Verum facilius & frequentius contingunt convulſiones ex hypercatharſi ſeu ſuperpurgatione, quam ex alia quacunque evacuatione, Imo ſingultus, qui ad ventriculum pertinet, nonniſi ab immodica evacuatione per alvum oriri poteſt, ob communem nervorum & membranarum texturam Sed & non raro ſanguis ipſe ex hypercatharſi funditur & eliquatur; unde poſtmodum, præter vitium jacturam, fit quædam acredo in omnibus humoribus à ſanguine procedentibus, quæ convulſionis cauſa eſt, ut mox ante dictum eſt At vero ex cunctis partibus corporis magis afficitur ventriculus & cerebrum; ventriculus quidem ab acri cathartico, ejusque immoderata evacuatione. Cerebrum vero ob peculiarem ſui imbecillitatem & ſicci nervei exhauſtionem, unde poſtmodum ſingultus ex uno, convulſio ex altero oritur ut mox ſupra diximus.

Objectiones in textu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus V.

Si ebrius quiſpiam derepente obmuteſcat, convulſus moritur, niſi febre corripiatur: aut ubi ad horam pervenerit, qua crapulæ ſolvuntur, vocem recuperet.

Contentum ſeu Intentio.

De Ebrietate Lethali.

C*onnexio*: Cum in præcedentibus Aphoriſmis, de variis convulſionum eventibus & cauſis egiſſet Hippocrates. In hoc præſenti Aphoriſmo, lethale prognoſticum exhibet illius convulſionis, quæ mediante obmuteſcentia ab ebrietate fit, niſi vel febre corripiatur vel hora ſolutionis crapulæ ligata lingua iterum in loquelam ſolvatur.

Hic Aphoriſmus in duas partes dividitur in *prima* ponit concluſionem ſeu Theſim: in *ſecunda* eandem gloſſat ſeu exceptiones aut limitationes adfert.

Inter cæteras autem cauſas convulſionem inferre valentes, recenſet ſpeciatim hoc loco Hippocrates ebrietatem, per quam cerebrum & nervi proxime affecti ſoporantur, cum omnibus notum ſit, exinde cerebrum facillare, & corpus univerſum in ſenſu & motu animali vehementer offendi. Quamvis autem ebrios hic memoret Hippocrates: non tamen explicat, unde ebrietas contingat, nam licet plerumque ex immodico uſu vini illa oriatur, paſſim tamen eandem fieri experimur ab aliis liquoribus in fermentationem adactis, quemadmodum de cerevíſia ſatis notum eſt. Aliquando etiam obſervatum, ab immodico uſu lactis, potiſſimum aceſcentis, inductum fuiſſe ſoporem, unde mirum non eſt, cur pueri lactentes facile in ſomnum delabantur. Quamobrem crediderim Hippocratem conſulto tacuiſſe liquoris potionem, ſed indefinite ebrietatem, undecunque provenientem referre voluiſſe, modo talis ſit, ut aphoniam ſeu obmuteſcentiam ſeu loquelæ amiſſionem, ac deinde convulſionem pariat: Sed non tantum ex aſſumptis liquoribus, verum etiam ex pleriſque vaporibus, halitibus, bene vel male olentibus, ebriorum adinſtat, ſomnum induci poſſe compertum eſt, ſic plerique memorantur ex moſcho, ambra, croco; alii ex peto, carbonibus, alii aqua ardente ſeu ſpiritu vini, ſimilique ſpiritu ſoporari. Idipſum ex cellis vinariis, ex mephitibus, fodinis, Crypta anguiana ſeu canina prope puteolos, aliisque ut cunctis notum, obſervatur. quare quæcunque poſſunt, nimia ac ſubita evaporatione cerebrum gravare, aut excurſiones ſpirituum,

ritum, & roridæ cerebri ſubſtantiæ irrigationem intercipere, poterunt quoque ſoporem & aphoniam inferre.

At quamvis hæc ita ſint, ſpecialius videtur hic intelligendus Hippocrates, de ebrietate, ab epotis liquoribus inductæ, potiſſimum autem à vino meraco, cujus uſu bibaces græci (bona pace dixero etiam germani) ſæpe ſæpius non tantum ebrii ſed etiam convulſi, ſupremum diem obire conſueverant, unde deductum videtur illud verbum *græcari & pergræcari* hoc eſt græcorum more bibere vel de germanis ille verſus:

More Palatino bibitur ne gutta ſuperſit.

Cum igitur ex ejusmodi ebrietate repentina contingit aphonia, docet Hippocrates futuram paulo poſt convulſionem, ut proinde ebrius aphonus, non apoplecticus, ſed convulſus moriatur.

At qua de cauſa convulſio ebrietatem conſequatur, ſi illa aphoniam attulerit, non eſt levis momenti difficultas, & quamvis omnes veteres interpretes, cum Galeno ad vim vini conditionemq; retulerint, quippe illud cerebro infeſtum dicitur, non tamen bene evinci poteſt, quomodo ſoporem & aphoniam inferat, attenta præſertim vini natura, quæ calida à Galeno, cæteriſque ponitur. Quo fortaſſe reſpiciens idem *Galenus 2 de cauſ. morbor* ut hanc difficultatem ſolveret, ſcripſit, vinum moderate ſumptum, naturalem calorem augere poſſe, immoderatius vero potatum, frigidos morbos excitare *& lib. 3. de temperamentis cap. 3.* ſubdit, non ſemper illud calefacere, ſed ubi plus fuerit illud epotum, quam evinci poſſit à calore naturali, frigidos morbos gignere, puta apoplexiam, carum, convulſionem & Tetanum. Verum nec hic ſatis facit difficultati propoſitæ, nam ſi moderate ſumptum calefacit, certe à fortiori magis calefaciet immodice potatum. Sunt etiam qui ſolo illius odore inebrientur. Sunt & alii qui ex ejuſdem uſu immoderato vigilent, febricitent, ac delirent, ut propterea non perpetuo verum ſit vinum refrigerare atque adeo ſoporem inferre. Sed etſi vinum immoderatius epotum ſopores afferat, malefico vaporum cerebrum occupantium & gravantium, cur eſt quod convulſionem etiam afferat & motus convulſivos, qui non ſiccacredine & vellicatione contingunt; quin & plerique per ebrietatem fient Phreniticis ſimiles ac delirantes, quousque vinum edormiverint, quemadmodum teſtatur de ſuis popularibus Holerius hoc loco.

Proba-

Probabilius ea propter dicendum vinum, cæteroſque liquores ad caput facile eſſumantes, fermentatione ſeu efferueſcentia in debita in ventriculo promota acorem talem ac tantum contrahere ſulphureo narcoticum, ut halitus ac vapores illuc pertingentes, non ſolum cerebrum, ejuſque roridam ſubſtantiam infaciant & obtundant, verum etiam figant, hebetent, ac ſtupefaciant, unde primum aphonia, ſiquidem recte *Seneca Epiſtol* 59. vinum opio, elleboro & veneno comparat, quod nimirum lethiferum, ſomniferumque ſit, & *Lucretius Lib.* 3. *de natura rerum:*

- - - cum vini vis penetravit
Acris, & in venas diſceſſit diditus ardor:
Conſequitur gravitas membrorum, præpediuntur
Crura vacillanti, tardeſcit lingua, madet mens,
Nant oculi, clamor, ſingultus, jurgia gliſcunt.

Et quoniam per ejuſmodi acorem fibræ nervorum vellicantur, & compunguntur, propterea fit, ut poſt aphoniam convulſio ſubſequatur, qua nervi ad ſuum principium retrahuntur, idque ſpeciatim facta tranſportatione in nervos, & muſculos ſubjectos potiſſimum cervicis & ſpinæ dorſi, vel etiam labiorum, & mandibularum, ut in ſpaſmo cynico, Teſtatur autem *Cicero Quart. in Tuſcul* eos, qui reliquis potionibus inebriandi vim habentibus replentur in omnem partem, & in dexteram & in ſiniſtram & pronos & ſupinos cadere, qui vero ſunt vino inebriati, retrorſum ſolum atque ſupinos decumbere, nervis ſcilicet per cerebellum præcipue ad cervicem & ſpinam dorſi pertinentibus affectis. Accidit itaque aphonia, ſeu vocis privatio, quoniam nervi potiſſimum vocales afficiuntur, qui per guttur & fauçes, aliaſque partes circumjacentes diffunduntur, unde etiam lingua, in ſuis muſculis & nervis offenditur. Et quamvis aphonia proxime accedat ad apoplexiam, non tamen omnino cum illa confundi debet, etenim per apoplexam reſpiratio graviter læditur, at vero per aphoniam illæſa illa remanet, offenſis duntaxat muſculis & nervis vocalibus. Sed & Apoplexia deſinere ſolet in Paralyſim, Aphonia vero potius in convulſionem. Adnotat autem Hippocrates *in textu repentinam obmuteſcentiam* nam iſta omnino morboſa eſt & convulſionis prodromus · nam ſi fortaſſe ſenſim ebrius obmuteſceret per ſoporem, qui ex ebrietate plerumque contingit, certe in convulſionem

ſionem non deſineret; at vero cum repente obmuteſcit, convulſus moritur. ſignificatur enim vitium tale ex ebrietate cerebro, cerebrique meditullio fuiſſe illatum, ut ſpiritus animales, & tandem nervorum ſubſtantiam violenter admodum figat atque coarctet, ut propterea fibræ nervorum poſtmodum contrahantur & convulſione laticant, ab acore eorundem vaporum: quippe partes vini acriores in nervorum ſubſtantiam repunt & contorquendo fibras convellunt.

Aceſcere autem in his vinum oſtendunt ructus, vomitusque plerumque ab ebrietate evenientes, ex acore vero nervorum membranarumque fibris inducto, caput vacillat, trepidant artus, oculi rubent, & coarctantur, pupilla conſtringitur, lingua contrahitur & turbat. Sed & ſpiritus ipſe è vino elicitus ope deſtillationis acidas in ſe continet particulas, quibus corrugandi, atque roborandi vi pollet, unde vulneratis partibus admotus, non tantum ſanguinem ſiſtit, ſed & fibras diſciſſas conglutinat, ſuppurationem prohibet, ac tandem vulnera ad certam tutamque cicatricem perducit.

Hanc autem lethalem ex ebrietate convulſionem, ſola febris prævertere poteſt: quippe per eam facillime atque citiſſime diſſolvitur, quidquid in nervis & muſculis coagulatione concretum eſt. Hinc idem Hippocrates ſæpius etiam advertit, tum in *Aphoriſmis* tum in *coacis prænotionibus* convulſionem ſuperveniente febre deſinere, uti & nos plures adnotavimus. Debet autem febris ſuperveniens, non omnino levis eſſe, ſed aliquam præſeferre magnitudinem, qua poſſit compactam in nervis materiam, acore vitioſam diſſoluere, imo etiam per ſudorem aut urinam expellere. Verum non dixit Hippocrates omnino per febrem, convulſum ex ebrietate convaleſcere, ſed duntaxat non ex convulſione perire: fieri enim poteſt, ut adhuc per febrem intereat, nulla adhuc convulſione detentus, ſiquidem ſi febris talis ſit, quæ cauſam convellendi deprimat, neque vitium aliud in cæteris humoribus præſupponat, proculdubio & convulſionem tollet & ebrium in priſtinum ſalutis ſtatum revocabit.

Si vero febris ſuperveniens, ex malo fortaſſe corporis apparatu alios humores inficiat, & alia inſuper pariat ſymptomata, etſi convulſionem auferat, poterit ex alio capite mortem inferre, cum acidi vitioſique ſucci convulſionem afferentes, in alias partes delati, bene poſſint febrem mali moris excitare. Itaque conferet

febris ſuperveniens convulſioni, ſed nihilominus poterit ex alio capite nocere, & quidem plurimum verendum, ſi febris, quæ ſupervenerit, intra triduum nec intra idem tempus deſierit, quemadmodum idem Hippocrates admonuit *in coacis prænotionibus*.

Adjecit Hippocrates in Aphoriſmo poſſe convulſionem ex ebrietate inductam amoveri ex ſpontanea ebrietatis ſolutione, unde inquit: *aut ubi ad horam pervenerit, qua crapula ſolvuntur, vocem recuperet*: Quamobrem etſi febris nulla ſupervenerit, ſi tamen per id temporis, quo crapulæ ſolvi ſolent, loquela reſtituatur, convulſus ex ebrietate convaleſcet. Hinc notandum eſt, convulſionem non ſtatim ſupervenire aphoniæ ex ebrietate, ſed poſt aliquot horas aut etiam dies integros: nam tunc affectio in nervis & cerebro firmiter hærens deſignatur, quam nullatenus potuerit natura vincere & debellare. Quantum autem temporis videatur exigi poſſe, ad ebrietatis ſolutionem, dubium eſſe poteſt hoc loco. Et quamvis Galenus *in comment.* pro vini conditione, & corporum affectorum habitudine, aliquos dicat poſtridie, alios ſequenti die, alios etiam tertio ex ebrietate reſipuiſſe, id tamen fortaſſe verum in vino potentiori craſſiorique, quod fortaſſe ſuo tempore erat in uſu; at vero ex uſu adhuc immoderato noſtratium vinorum, nunquam non ante unum diem crapula ſoluta viſa eſt, forte quia noſtratia vina (ſaltem potiora) non tam craſſa ſunt, neque tam difficilis diſſolutionis, ſed ſat diuretica. confert in hoc idem varia corporis textura: nam pueri, fœminæ, debile caput habentes & quicunque ſunt texturæ mollioris & rarioris, faciliſsime ebrietatem incurrunt, etiam ex uſu vini levioris, cum e contra, texturam nacti duriorem, exercitati, aſſueti, vinum etſi biberint, difficilius inebrientur.

Qua autem ratione his ſuccurrendum ſit, ne in convulſionem incidant & ex ebrietate liberati vocem recuperent, ſcite quidem docet Hippocrates 2. *de morbis* ubi hanc eandem ſententiam repetens inquit: *Si quis ex ebrietate voce privetur & ſtatim ſane ipſum febris corripuit, ſanus fit, ſi vero non corripuerit, die tertia moritur: ſi itaque in ſic affectum incideris multa calida lavato, & ſpongias calida aqua madefactas capiti opponito, & cepas decorticatas in nares indito: ſi quidem ſi apertis oculis loquatur & ad ſe redeat, nec deliret, hac die ſopore preſſus jacet, poſtridie ſanus exſurget:*

ſurget: ſi vero ſurgens bilem vomuerit, inſanit & moritur, maxime in quinque diebus, ſi non dormierit: huic ergo hæc facere oportet, multa calida lavatio, donec ad ſe redeat: deinde copioſo oleo illitum mollibus in ſtragulis repone, ac contege eum ſilentio & in tenebris, ut plurimum enim ex balneo dormit, & ſi dormierit ſanus evadit: poſtquam autem redierit, primis tribus aut quatuor diebus miltum tenue, aut ptiſanæ ſuccum ſorbeat, & vinum melli ſpeciem referens bibat: deinde cibis utatur molliſſimis ac paucis primum; Et iterum Lib. 3. ſubdit: *Huic validas ſternutationes excitare convenit, & clyſterem bilem ducentem & ipſum validum injicere: quod ſi ſenſum æger receperit, thapſiæ* (id eſt Fœniculi) *ſuccum, in multa aqua calida dato, quo quam ociſſime revomat, poſtea attenuato, & à cibo abſtineto uſque ad ſeptem dies: detrahendus eſt & à lingua ſanguis ſi venam comprehendere poſſis.* Verum praxis quotidiana obſervavit ſe datas ejusmodi ebrietates iteratis lotionibus pudendorum ex aqua gelida, mirum enim quam iſtæ partes tum cerebro conſentiant, & madorem, frigefactionemque eidem communicent: ſunt & alii quia fumo tabacci ipſam aſſequuntur, & alii ſternutationem moventibus, ſed præſtat et vomitum excitare ſtatim ac immodice vinum fuerit epotum, & antequam temulentia ſit confirmata: quod & ab Athenæo memoratum legitur Lib. 2. Cap. 10. in fine. Cæterum ebrietatem præcavere referantur allium & amigdalæ amaræ, ſi ante potum ſumantur, & quidem de allio exſtat Authoritas Hippocratis *4. de rat. victus in acutis* dum inquit: *optimum eſt ipſo* (id eſt allio) *veſci, qui crapula ſedaturus eſt & futurus ebrius*: de amigdalis vero amaris præter graves alios Authores teſtatur Plutarchus *Lib. 1. Sympoſiacorum quæſtio 6.* ubi Medicum memorat in comitatu Druſi Tiberii Cæſaris filii, qui cum quinque vel ſex amigdalas amaras, ante compotationem ediſſet, omnes bibendo ſuperabat; ſed deprehenſa fraude, prohibitus ne id faceret, facillime à vino devictus fuit. Unde autem id fiat, curioſe à pleriſque quæritur: Sunt & alii qui ſe ipſos ab ebrietate, frigidæ aquæ hauſtu, paulo ante commeſſationes præmuniebant, & quidem feliciſſimo ſucceſſu: Apud Athenæum Lib. 1. Cap. 30. Braſſica ejusque ſemina commendantur, quod præcomeſtio potatores ebrios fieri non patiantur, quin & in qua vinea naſcuntur Braſſicæ, vinum progigni debi-

lius dicitur: multa alia ad ebrietatem arcendam recenſet Zacutus Luſitanus Lib. 3. Prax admirabil obſervat. 123. Mercurialis Variar. Lect. Lib. 4. Cap. 6. & Joannes Langius Epiſtol. Lib. 1. Epiſtola 30. taceo alios. Ego hactenus in Praxi, tum ad excitandos ebrios, tum ad temulentiam eorundem atque aphoniam & convulſionem imminentem præcavendam, nihil efficacius inveni, quam ſpiritum ſalis ammoniaci aromatizatum (qui vulgo anchora Helluonum ſeu Germanis der Sauff Geiſt intitulatur) ad guttas 20. vel 30. in decocto citri vel fœniculi notabili quantitate porrectum & iteratum, qui ſæpe mira præſtitit & plures à crapula aliisque malis præſervavit.

Pro coronide tandem advertere oportet, cautos attentosque oportere eſſe Medicos, in ebriis internoſcendis & judicandis, ne illos cum apoplecticis confundant, & ſicut apoplecticos tractent, cum magno ſalutis ægrorum detrimento, & non ſine ſui ipſorum honoris infamia. Memini ebrium quendam, ab ignaro quodam Medico, qui illum apoplecticum exiſtimaverat, adeo perperam tractatum frictionibus, cucurbitulis, veſicatoriis, imo ad verticem capitis ignito ferro cauteriatum, ut poſtquam experrectus ſe tam afflictum, tortumque vidiſſet, Medicum ipſum niſi fugam arripuiſſet, veluti ſuum tortorem ac hoſtem peremiſſet. Alium novi in magno convivio exiſtentem & ſe potenter inebriantem, poſtquam in via concidit, Medicus improvidus accurrens, variis & fortiſſimis illum aggredi volens remediis à plebe accurrente & adſtante dehortatus, hominem hunc non apoplexia ſed crapula proſtratum eſſe, ut odor vini ex ore notanter demonſtrat, ſed medicus frivolæ intentioni & levi judicio inſiſtens, mox ebrius apoplexiam evomuit & ad caligas, cum magno medici deriſu depoſuit; taceo plura ſimilia opprobriorum exempla. Equidem apoplectici præter ſoporem, reſpirationem habent graviter læſam, pulſum inæqualem, pallentem plerumque vultum, vel plus juſto rubentem & tumidum. Ebrii vero ſomnum ſuavem dormiunt, in cunctis bene ſe habent, & ſi convelluntur ab ipſis motibus nonnunquam excitati, ſtatim exſolvuntur & valent. Accedit quod Apoplectici vel moriuntur reſoluti vel in paralyſim declinant, ebrii autem tandem convulſi non reſoluti vitam finiunt.

Dices: Multi Helluones in crapula plerumque obmuteſcunt & tamen

tamen non convelluntur, Ergo Aphoriſmus non ſubſiſtit, &c. Hippocratem hic non intelligere levem obmuteſcentiam titubationem, ſed fortem

Dices II. Obmuteſcentia ſupponit ſummum ſenſuum ſtuporem, Ergo hanc potius ſequetur Apoplexia quam convulſio, in qua ſemper eſt acris ſenſus & vellicatio Reſp. etſi primum ſit ſtupor, natura tamen ſtimulata à vaporibus acribus & virulentis cogitur exſurgere ad expulſionem, unde motus convulſivi vel convulſio ſuboritur.

Quæres: Cur quidam ebrii dormituriunt alii vero minime &c. Sicut alii ebrii rident, alii flent, alii rixantur, alii orant, ita etiam diverſos facit effectus in ebriis vinum, prout diverſos aut ſulphureos aut arſenicales ſeu ſubtiles aut craſſiores ſublimat vapores, à corporis contentis diverſis, diverſimode impraegnatos Helmontiani hæc Archeo attribuunt, hoc vel illo modo conſtituto & agente, ita ut modo in iram, modo in riſum, modo in gaudium modo in mœrorem concitetur.

Aphoriſmus VI.

Qui Tetano corripiuntur, intra quatuor dies intereunt; ſi vero hos ſuperaverint, incolumes evadunt.

Contentum ſeu Intentio.
De Prognoſi Tetani.

Connexio Cum de convulſione, in omnibus antecedentibus Aphoriſmis Hippocrates determinaſſet, varias ejuſdem afferens cauſas & judicia: In hoc Aphoriſmo de illa convulſione in ſpecie agit, quæ Tetanus dicitur, per quam totum corpus rigidum diſtenditur inſtar ſtipitis præcipue autem collum.

Hic Aphoriſmus duas habet partes In *Prima* dicit Tetanum intra quatuor dies occidere in *Secunda* aſſerit, quod Tetano correpti, ſi quatuor dies excedant & ſupervivant, ſanentur aut ſani evadant.

Dat ergo in hoc Aphor Hippocrates exemplum Tetani ut inde terminum convulſionis, in interitum deſinentis conjiciamus, & Medicus ex hoc certum poſſit ſtatuere prognoſticum de morte aut vita

 ægro-

ægrotantis. Refertur quippe Tetanus ad convulſionem, velut ſpecies ad genus, ſiquidem Tetanus eſt nervorum tenſio æqualiter in toto corpore facta, per quam illud rigidum & immobile cum maximo tamen dolore remanet, cum partes anteriores æque ac poſteriores contrahantur. unde *Galenus in Comment* inquit: illum eſſe affectum compoſitum ex Emproſthotono id eſt tenſione ad anteriora, & Opiſthotono id eſt tenſione ad poſteriora.

Quando igitur contingit aliquem Tetano corripi, id eſt æqualem pati ad anteriora & poſteriora contractionem, facile fit, ut intra terminum acutiſſimorum morborum, qui eſt quartus dies, intereat, arguitur enim ex æquali & vehementiſſima nervorum, per partes anteriores & poſteriores excurrentium affectione, plurimum & extreme gravari naturam, & multam ac potentem cauſam, extremosque habens labores, quæ potuerit, cunctos utriusque partis nervos afficere, unde poſtmodum, omnes fere operationes & potiſſimum vitales præſertim reſpiratio, utpote actio ad vitam ſumme neceſſaria, offendantur. Si vero terminus quatuor dierum tranſigatur, quia ſenſim morboſam cauſam cedere judicio eſt, ac pedetentim concoctione diſſolutam ſenſibiliter aut inſenſibiliter expurgari, proinde ſi hunc terminum ægrotantes evaſerint, facile negotio reconvaleſcent.

Verum animadverſione dignum eſt, non dixiſſe Hippocratem quarto die Tetano affectos interire, ſed infra hoc tempus poſſe periclitari, unde & prima & ſecunda & tertia die etiam obire poterunt, quamquam & pleroſque novimus etiam ad ſeptimum periiſſe, qui nimirum viribus, & ætate præpotentes, violentiam morbi, diutius ſuſtinere potuerunt.

Veriſimile autem eſt, ex majori vel minori vitioſi humoris aciditate, ejuscemodi varietatem Tetano affectis evenire, ubi enim aciditas pontica, nervos affecerit, & præter contorſionem, acrigiditatem, ſtuporem attulerit, certe mors citius accidet atque inevitabiliter: ubi vero potius corpulentia quam acore ſummo, nervi fuerint divexati, non ſolum in longius tempus Tetanus protrahetur, verum etiam paulatim remittetur & in ſalutem deſinet.

Et

Et quamvis inſuper Hippocrates dicat poſt quartam diem Tetano correptos ſanos fieri, non tamen credendum eſt ſtatim, & abſque ullo auxilio medico illos ſanari, cum nervi & muſculi affecti, non ſubito in priſtinum ſalutis ſtatum remitti poſſint, abſque eo, quod humores per illos diffuſi ſenſim diſſolvantur & evaneſcant. Quare exponendus Aphoriſmus eſt, ut licet poſt quartum diem Tetano correpti mortem evadant poſt longius tempus tamen in priſtinam ſalutem reſtituantur. Sed & neque perpetuo verum eſt, quod poſt quartum diem mortis periculum effugiant, cum aliquando obſervatum ſit, etiam in ſeptimo, atq; etiam poſt ſeptimum illos eſſe periclitatos, forte etiam tempore Hippocratis citius ſanabantur, ſive ob ſalubriorem incolatus conſtitutionem, ſive ob fortiores corporum temperaturas, ſive etiam ob temperatiorem victus rationem.

Signa mortalia in hoc morbo ſunt maxillarum exſolutio, corporis diſſolutio, vomitus, per nares excretio, clamores, nugationes, vocis & reſpirationis notabilis interceptio febris vero, etſi maximum hujus mali ſoleat eſſe remedium, ſi tamen ex inflammatione procedat, interitum minatur, Sic pariter, ſi morbus hic vulnera nervoſarum partium ſequitur, mortalis eſſe ſolet

Quo denique pacto Tetano affecti, juvari poſſint, ut ſaltem poſt quartum diem mortem effugiant, & in ſalutem revocentur, inquiſitione dignum. Et quoniam Nervorum & muſculorum affectus dependentes ab humoribus, vel ſudore copioſo, vel abundantiori urina ſolvi conſueverunt, proinde opportunum erit utroque hoc præſidiorum genere in illis uti. Verum tamen vitanda erunt ea, quæ acriorem conditionem nacta ſunt, & volatili alkali prædita, ne ſcil. ex his nervi & muſculi proritentur, & convulſione impenſius afficiantur. Conſtent ea propter, quæ molliter laxando, blande admodum humores alliciant, & educant, unde decocta ſeu potiones quidem humefacientes, ex medicamentis tamen diſſolventibus & roborantibus parata, proficua erunt, Itemque ſudores proliciantur ex balneis vaporoſis, quibus & pori cutis leniter laxentur, & humores in muſculis & nervis impacti molliantur, ut ſine noxa diffluant, In eundem uſum ſæpius contulêre unctiones ex oleis & linimentis emollientibus ſimul & roborantibus, quod ſane perpetuo obſervandum, in omnibus aſſe-

Contentum ſeu Intentio.

De Ebrietate Lethali.

Connexio: Cum in præcedentibus Aphoriſmis, de variis convulſionum eventibus & cauſis egiſſet Hippocrates. In hoc præſenti Aphoriſmo, lethale prognoſticum exhibet illius convulſionis, quæ mediante obmuteſcentia ab ebrietate fit, niſi vel febre corripiatur vel hora ſolutionis crapulæ ligata lingua iterum in loquelam ſolvatur.

Hic Aphoriſmus in duas partes dividitur: in *prima* ponit concluſionem ſeu Theſim: in *ſecunda* eandem gloſſat ſeu exceptiones aut limitationes adfert.

Inter cæteras autem cauſas convulſionem inferre valentes, recenſet ſpeciatim hoc loco Hippocrates ebrietatem, per quam cerebrum & nervi proxime affecti ſoporantur, cum omnibus nonimſit, exinde cerebrum facillare, & corpus univerſum in ſenſu & motu animali vehementer offendi. Quamvis autem ebrios hic memoret Hippocrates. non tamen explicat, unde ebrietas contingat, nam licet plerumque ex immodico uſu vini illa oriatur, paſſim tamen eandem fieri experimur ab aliis liquoribus in fermentationem adactis, quemadmodum de cerevisia ſatis notum eſt. Aliquando etiam obſervatum, ab immodico uſu lactis, potiſſimum aceſcentis, inductum fuiſſe ſoporem, unde mirum non eſt, cur pueri lactentes facile in ſomnum delabantur. Quamobrem crediderim Hippocratem conſulto tacuiſſe liquoris potionem, ſed indefinite ebrietatem, undecunque provenientem referre voluiſſe, modo talis ſit, ut aphoniam ſeu obmuteſcentiam ſeu loquelæ amiſſionem, ac deinde convulſionem pariat. Sed non tantum ex aſſumptis liquoribus, verum etiam ex pleriſque vaporibus, halitibus, bene vel male olentibus, ebriorum adinſtar, ſomnum induci poſſe compertum eſt, ſic plerique memorantur ex moſcho, ambra, croco, alii ex pepo, carbonibus, alii aqua ardente ſeu ſpiritu vini, ſimilique ſpiritu ſoporati. Idipſum ex cellis vinariis, ex mephitibus, fodinis, Crypta anguiana ſeu canina prope puteolos, aliisque ut cunctis notum, obſervatur. quare quæcunque poſſunt, nimia ac ſubita evaporatione cerebrum gravare, aut excurſiones ſpirituum,

rituum, & roridæ cerebri ſubſtantiæ irrigationem intercipere, poterunt quoque ſoporem & aphoniam inferre.

At quamvis hæc ita ſint, ſpecialius videtur hic intelligendus Hippocrates, de ebrietate, ab epotis liquoribus indictæ, potiſſimum autem à vino meraco, cujus uſu bibaces græci (bona pace dixero etiam germani) ſæpe ſæpius non tantum ebrii ſed etiam convulſi, ſupremum diem obire conſueverant, unde deductum videtur illud verbum *gratari & pergratari* hoc eſt græcorum more bibere vel de germanis ille verſus:

More Palatino bibitur ne gutta ſuperſit.

Cum igitur ex ejuſmodi ebrietate repentina contingit aphonia, docet Hippocrates futuram paulo poſt convulſionem, ut proinde ebrius aphonus, non apoplecticus, ſed convulſus moriatur.

At qua de cauſa convulſio ebrietatem conſequatur, ſi illa aphoniam attulerit, non eſt levis momenti difficultas, & quamvis omnes veteres interpretes, cum Galeno ad vim vini conditionemq; retulerint, quippe illud cerebro infeſtum dicitur, non tamen bene evinci poteſt, quomodo ſoporem & aphoniam inferat, attenta præſertim vini natura, quæ calida à Galeno, cæteriſque ponitur. Quo fortaſſe reſpiciens idem *Galenus 2 de cauſ. morbor.* ut hanc difficultatem ſolveret, ſcripſit, vinum moderate ſumptum, naturalem calorem augere poſſe, immoderatius vero potatum, frigidos morbos excitare: *& lib. 3. de temperamentis cap. 3.* ſubdit, non ſemper illud calefacere, ſed ubi plus fuerit illud epotum, quam evinci poſſit à calore naturali, frigidos morbos gignere, puta apoplexiam, carum, convulſionem & Tetanum. Verum nec his ſatis facit difficultati propoſitæ; nam ſi moderate ſumptum calefacit, certe à fortiori magis calefaciet immodice potatum. Sunt etiam qui ſolo illius odore inebrientur: Sunt & alii qui ex ejuſdem uſu immoderato vigilent, febricitent, ac delirent, ut propterea non perpetuo verum ſit vinum refrigerare atque adeo ſoporem inferre. Sed etſi vinum immoderatius epotum ſopores afferat, malefico vaporum cerebrum occupantium & gravantium, cur eſt quod convulſionem etiam afferat & motus convulſivos, qui non ſine acredine & vellicatione contingunt; quin & plerique per ebrietatem fient *Phreniticis* ſimiles ac delirantes, quouſque vinum edormiverint, quemadmodum teſtatur de ſuis popularibus Holerius hoc loco.

Proba-

Probabilius ea propter dicendum vinum, cæteroſque liquores ad caput facile eſſumantes, fermentatione ſeu efferveſcentia in debita in ventriculo promota acorem talem ac tantum contrahere ſulphureo-narcoticum, ut halitus ac vapores illuc pertingentes, non ſolum cerebrum, ejusque roridam ſubſtantiam inficiant & obtundant, verum etiam figant, hebetent, ac ſtupefaciant, unde primum aphonia, ſiquidem recte *Seneca Epiſtol 83.* vinum opio, elleboro & veneno comparat, quod nimirum lethiferum, ſomniferumque ſit, & *Lucretius Lib. 3. de natura rerum.*

> - - - cum vini vis penetravit
> Acris, & in venas diſceſſit diditus ardor:
> Conſequitur gravitas membrorum, præpediuntur
> Crura vacillanti, tardeſcit lingua, madet mens,
> Nant oculi, clamor, ſingultus, jurgia gliſcunt.

Et quoniam per ejusmodi acorem fibræ nervorum vellicantur, & compunguntur, propterea fit, ut poſt aphoniam convulſio ſubſequatur, qua nervi ad ſuum principium retrahuntur, idque ſpeciatim facta tranſportatione in nervos, & muſculos ſubjectos potiſſimum cervicis & ſpinæ dorſi, vel etiam labiorum, & mandibularum, ut in ſpaſmo cynico; Teſtatur autem *Cicero Quart. in Tuſcul.* eos, qui reliquis potionibus inebriandi vim habentibus replentur in omnem partem, & in dexteram & in ſiniſtram & pronos & ſupinos cadere, qui vero ſunt vino inebriati, retrorſum ſolum atque ſupinos decumbere, nervis ſcilicet per cerebellum præcipue ad cervicem & ſpinam dorſi pertinentibus affectis. Accidit itaque aphonia, ſeu vocis privatio, quoniam nervi potiſſimum vocales afficiuntur, qui per guttur & fauces, aliasque partes circumjacentes diffunduntur, unde etiam lingua, in ſuis muſculis & nervis offenditur. Et quamvis aphonia proxime accedat ad apoplexiam, non tamen omnino cum illa confundi debet, etenim per apoplexam reſpiratio graviter læditur, at vero per aphoniam illæſa illa remanet, offenſis duntaxat muſculis & nervis vocalibus. Sed & Apoplexia deſinere ſolet in Paralyſim, Aphonia vero potius in convulſionem. Adnotat autem Hippocrates *in textu repentinam obmuteſcentiam* nam iſta omnino morboſa eſt & convulſionis prodromus: nam ſi fortaſſe ſenſim ebrius obmuteſceret per ſoporem, qui ex ebrietate plerumque contingit, certe in convulſionem

ſionem non deſineret, at vero cum repente obmuteſcit, convulſus moritur. ſignificatur enim vitium tale ex ebrietate cerebro, cerebrique meditullio fuiſſe illatum, ut ſpiritus animales, & foridam nervorum ſubſtantiam violenter admodum figat atque coarctet, ut propterea fibræ nervorum poſtmodum contrahantur & convulſione tabeſcant, ab acore eorundem vaporum quippe partes vini acriores in nervorum ſubſtantiam repunt & contorquendo fibras convellunt.

Aceſcere autem in his vinum oſtendunt ructus, vomitusque plerumque ab ebrietate evenientes, ex acore vero nervorum membranarumque fibris inducto, caput vacillat, trepidant artus, oculi rubent, & coarctantur, pupilla conſtringitur, lingua contrahitur & titubat. Sed & ſpiritus ipſe è vino elicitus ope deſtillationis acidas in ſe continet particulas, quibus corrugandi, atque roborandi vi pollet, unde vulneratis partibus admotus, non tantum ſanguinem ſiſtit, ſed & fibras diſciſſas conglutinat, ſuppurationem prohibet, ac tandem vulnera ad certam tutamque cicatricem perducit.

Hanc autem lethalem ex ebrietate convulſionem, ſola febris prævertere poteſt quippe per eam faciliime atque citiſſime diſſolvitur, quidquid in nervis & muſculis coagulatione concretum eſt. Hinc idem Hippocrates ſæpius etiam advertit, tum in *Aphoriſmis* tum in *Coacis prænotionibus* convulſionem ſuperveniente febre deſinere, uti & nos pluries adnotavimus. Debet autem febris ſuperveniens, non omnino levis eſſe, ſed aliquam præſeferre magnitudinem, qua poſſit compactam in nervis materiam, acore vitioſam diſſoluere, imo etiam per ſudorem aut urinam expellere. Verum non dixit Hippocrates omnino per febrem, convulſum ex ebrietate convaleſcere, ſed duntaxat non ex convulſione perire: fieri enim poteſt, ut adhuc per febrem intereat, nulla adhuc convulſione detentus, ſiquidem ſi febris talis ſit, quæ cauſam convellendi deprimat, neque vitium aliud in cæteris humoribus præſupponat, proculdubio & convulſionem tollet & ebrium in priſtinum ſalutis ſtatum revocabit.

Si vero febris ſuperveniens, ex malo fortaſſe corporis apparatu alios humores inficiat, & alia inſuper pariat ſymptomata, etſi convulſionem auferat, poterit ex alio capite mortem inferre, cum acidi vitioſique ſucci convulſionem afferentes, in alias partes delati, bene poſſint febrem mali moris excitare. Itaque conferet

febris ſuperveniens convulſioni, ſed nihilominus poterit ex aſio capite nocere, & quidem plurimum verendum, ſi febris, quæ ſupervenerit, intra triduum nec intra idem tempus deſierit, quemadmodum idem Hippocrates admonuit *in coacis prænotionibus*.

Adjecit Hippocrates in Aphoriſmo poſſe convulſionem ex ebrietate inductam amoveri ex ſpontanea ebrietatis ſolutione, unde inquit: *aut ubi ad horam pervenerit, qua crapula ſolvi ſolet, vocem recuperet*: Quamobrem etſi febris nulla ſupervenerit, ſi tamen per id temporis, quo crapulæ ſolvi ſolent, loquela reſtituatur, convulſus ex ebrietate convaleſcet. Hinc notandum eſt, convulſionem non ſtatim ſupervenire aphoniæ ex ebrietate, ſed poſt aliquot horas aut etiam dies integros; nam tunc affectio in nervis & cerebro firmiter hærens deſignatur, quam nullatenus potuerit natura vincere & debellare. Quantum autem temporis videatur exigi poſſe, ad ebrietatis ſolutionem, dubium eſſe poteſt hoc loco. Et quamvis Galenus *in comment.* pro vini conditione, & corporum affectorum habitudine, aliquos liceat poſtridie, alios ſequenti die, alios etiam tertio ex ebrietate reſipuiſſe, id tamen fortaſſe verum in vino potentiori craſſiorique, quod fortaſſe ſuo tempore erat in uſu; at vero ex uſu adhuc immoderato noſtratium vinorum, nunquam non ante unum diem crapula ſoluta viſa eſt, forte quia noſtratia vina (ſaltem potiora) non tam craſſa ſunt, neque tam difficilis diſſolutionis, ſed ſat diuretica. confert in hoc idem varia corporis textura nam pueri, fœminæ, debile caput habentes & quicunque ſunt texturæ mollioris & rarioris, facillime ebrietatem incurrunt, etiam ex uſu vini levioris, cum e contra, texturam nacti duriorem, exercitati, aſſueti, vinum etſi biberint, difficilius inebrientur.

Qua autem ratione his ſuccurrendum ſit, ne in convulſionem incidant & ex ebrietate liberati vocem recuperent, ſcite quidem docet Hippocrates 2. *de morbis* ubi hanc eandem ſententiam repetens ſic inquit: *Si quis ex ebrietate voce privetur & ſtatim ſane ipſum febris corripiat, ſanus ſit, ſi vero non corripuerit, die tertia moritur. ſi itaque in ſic affectum incideris multa calida lavato, & ſpongias calida aqua madefactas capiti apponito, & rapas decorticatas in nares indito: ſi quidem ſi apertis oculis loquatur & ad ſe redeat, nec deliret, hac die ſopore preſſus jacet, poſtridie ſanus exſurget.*

ſurget: ſi vero ſurgens bilem vomuerit, inſanit & moritur, maxime in quinque diebus, ſi non dormierit. huic ergo hæc facere oportet, multa calida lavito, donec ad ſe redeat deinde copioſo oleo illitum mollibus in ſtragulis repone, ac contege eum ſilentio & in tenebris, ut plurimum enim ex balneo dormit, & ſi dormierit ſanus evadet postquam autem redierit, primis tribus aut quatuor diebus multum tenue, aut ptiſanæ ſuccum ſorbeat, & vinum mellis ſpeciem referens bibat. deinde cibis utatur molliſſimis ac paucis primum, Et iterum Lib 3. ſubdit. *His validas ſternutationes excitare convenit, & clyſterem bilem ducentem & ipſum validum injicere: quod ſi ſenſum æger receperit, thapſiæ* (id eſt Fœniculi) *ſuccum, in multa aqua calida dato, quo quam citiſſime revomat; poſtea attenuato, & à cibo abſtineto usque ad ſeptem dies detrahendus eſt & à lingua ſanguis ſi venam comprehendere poſſis.* Verum praxis quotidiana obſervavit ſe datas ejusmodi ebrietates iteratis lotionibus pudendorum ex aqua gelida, mirum enim quam iſtæ partes tum cerebro conſentiant, & madorem, frigefactionemque eidem communicent ſunt & alii quia fumo tabaci id ipſum aſſequuntur, & alii ſternutationem moventibus, ſed præſtaret vomitum excitare ſtatim ac immodice vinum fuerit epotum, & antequam temulentia ſit confirmata. quod & ab Athenæo memoratum legitur Lib 2 Cap. 10. in fine. Cæterum ebrietatem præcavere referuntur allium & amigdalæ amaræ, ſi ante potum ſumantur, & quidem de allio extat Authoritas Hippocratis *4. de rat. victus in acutis* dum inquit. *optimum eſt ipſo* (id eſt allio) *veſci, qui crapulæ ſe daturus eſt & futurus ebrius* de amigdalis vero amaris præter graves alios Authores teſtatur Plutarchus *Lib. 1. Sympoſiacorum quæſtio 6.* ubi Medicum memorat in comitatu Druſi Tiberii Cæſaris filii, qui cum quinque vel ſex amigdalas amaras, ante compotationem ediſſet, omnes bibendo ſuperabat; ſed deprehenſa fraude, prohibitus ne id faceret, facillime à vino devictus fuit. Unde autem id fiat, curioſe à plerisque quæritur Sunt & alii qui ſe ipſos ab ebrietate, frigidæ aquæ hauſtu, paulo ante commeſſationes præmuniebant, & quidem feliciſſimo ſucceſſu: Apud Athenæum Lib 1. Cap. 30. Braſſica ejusque ſemina commendantur, quod præcomeſtio potatores ebrios fieri non patiantur, quin & in qua vinea naſcuntur Braſſicæ, vinum progigni debi-

lius dicitur, multa alia ad ebrietatem arcendam recenſet Zacutus Luſitanus Lib. 3. Prax. admirabil. obſervat. 123. Mercurialis Variar. Lect. Lib. 4. Cap. 6. & Joannes Langius Epiſtol. Lib. 1. Epiſtola 30. taceo alios. Ego hactenus in Praxi, tum ad excitandos ebrios, tum ad temulentiam eorundem atque aphoniam & convulſionem imminentem præcavendam, nihil efficacius inveni, quam ſpiritum ſalis armoniaci aromatizatum (qui vulgo anchora Helluonum ſeu Germanis der Sauff-Geiſt intitulatur) ad guttas 20. vel 30. in decocto cum vel fœniculi notabili quantitate porrectum & iteratum, qui ſæpe mira præſtitit & plures à crapula aliisque malis præſervavit.

Pro coronide tandem advertere oportet, cautos attentoſque oportere eſſe Medicos, in ebriis internoſcendis & judicandis, ne illos cum apoplecticis confundant, & ſicut apoplecticos tractent, cum magno ſalutis ægrotum detrimento, & non ſine ſui ipſorum honoris infamia. Memini ebrium quendam, ab ignaro quodam Medico, qui illum apoplecticum exiſtimaverit, adeo perperam tractatum frictionibus, cucurbitulis, veſicatoriis, imo ad verticem capitis ignito ferro cauteriatum, ut poſtquam expergefactus ſe tam afflictum, tortumque vidiſſet, Medicum ipſum niſi fugam arripuiſſet, veluti ſuum tortorem ac hoſtem peremiſſet. Alium novi in magno convivio exiſtentem & ſe potenter inebriantem, poſtquam in via concidit, Medicus improvidus accurrens, variis & fortiſſimis illum aggredi volens remediis à plebe accurrente & aſſiſtante dehortatus, hominem hunc non apoplexia ſed crapula proſtratum eſſe, ut odor vini ex ore notanter demonſtrat, ſed medicus frivolæ intentioni & levi judicio inſiſtens, mox ebrius apoplexiam evomuit & ad caligas, cum magno medici deriſu depoſuit, taceo plura ſimilia opprobriorum exempla. Equidem apoplectici præter ſoporem, reſpirationem habent graviter læſam, pulſum inæqualem, pallentem plerumque vultum, vel plus juſto rubentem & tumidum. Ebrii vero ſomnum ſuavem dormiunt, in cunctis bene ſe habent, & ſi convelluntur ab ipſis motibus nonnunquam excitati, ſtatim exſolvuntur & valent. Accedit quod Apoplectici vel moriuntur reſoluti vel in paralyſim declinant, ebrii autem tandem convulſi non reſoluti vitam finiunt.

Dices: Multi Helluones in crapula plerumque obmuteſcunt & tamen

tamen non convelluntur, Ergo Aphoriſmus non ſubſiſtit, Rß. Hippocratem hic non intelligere levem obmuteſcentiam titubationem, ſed fortem.

Dices II. Obmuteſcentia ſupponit ſummum ſenſuum ſtuporem, Ergo hanc potius ſequetur Apoplexia quam convulſio, in qua ſemper eſt acris ſenſus & vellicatio Reſp. etſi primum ſit ſtupor, natura tamen ſtimulata à vaporibus acribus & virulentis cogitur exſurgere ad expulſionem, unde motus convulſivi vel convulſio ſuboritur.

Quæres. Cur quidam ebrii dormitutiunt alii vero minime Rß. Sicut alii ebrii rident, alii flent, alii rixantur, alii orant, ita etiam diverſos facit effectus in ebriis vinum, prout diverſos aut ſulphureos aut arſenicales ſeu ſubtiles aut craſſiores ſublimat vapores, á corporis contentis diverſis, diverſimode impregnatos Helmontiani hæc Archeo attribuunt, hoc vel illo modo conſtituto & agente, ita ut modo in iram, modo in riſum, modo in gaudium modo in mœrorem concitetur.

Aphoriſmus VI.

Qui Tetano corripiuntur, intra quatuor dies intereunt; ſi vero hos ſuperaverint, incolumes evadunt.

Contentum ſeu Intentio.
De Prognoſi Tetani.

Connexio Cum de convulſione, in omnibus antecedentibus Aphoriſmis Hippocrates determinaſſet, varias eiuſdem afferens cauſas & indicia· In hoc Aphoriſmo de illa convulſione in ſpecie agit quæ Tetanus dicitur, per quam totum corpus rigidum diſtenditur inſtat ſtipitis præcipue autem collum

Hic Aphoriſmus duas habet partes: In *Prima* dicit Tetanum intra quatuor dies occidere: in *Secunda* aſſerit, quod Tetano correpti, ſi quatuor dies excedant & ſupervivant, ſanentur aut ſani evadant.

Dat ergo in hoc Aphor. Hippocrates exemplum Tetani ut inde terminum convulſionis, in interitum deſinentis conjiciamus, & Medicus ex hoc certum poſſit ſtatuere prognoſticum de morte aut vita

ægrotantis. Refertur quippe Tetanus ad convulſionem, velut ſpecies ad genus, ſiquidem Tetanus eſt nervorum tenſio æqualiter in toto corpore facta, per quam illud rigidum & immobile cum maximo tamen dolore remanet, cum partes anteriores æque ac poſteriores contrahantur: unde *Galenus in Comment.* inquit: illum eſſe affectum compoſitum ex Emproſthotono id eſt tenſione ad anteriora, & Opiſthotono id eſt tenſione ad poſteriora.

Quando igitur contingit aliquem Tetano corripi, id eſt æqualem pati ad anteriora & poſteriora contractionem, facile fit, ut intra terminum acutiſſimorum morborum, qui eſt quartus dies, intereat, arguitur enim ex æquali & vehementiſſima nervorum, per partes anteriores & poſteriores excurrentium affectione, plurimum & extremè gravari naturam, & multam ac potentem cauſam, extremosque habens labores, quæ potuerit, cunctos utriusque partis nervos afficere, unde poſtmodum, omnes fere operationes & potiſſimum vitales præſertim reſpiratio, utpote actio ad vitam ſumme neceſſaria, offendantur: Si vero terminus quatuor dierum tranſigatur, quia ſenſim morboſam cauſam cedere judicio eſt, ac pedetentim concoctione diſſolutam ſenſibiliter aut inſenſibiliter expurgari, proinde ſi hunc terminum ægrotantes evaſerint, facile negotio reconvaleſcent.

Verum animadverſione dignum eſt, non dixiſſe Hippocratem quarto die Tetano affectos interire, ſed infra hoc tempus poſſe periclitari, unde & prima & ſecunda & tertia die etiam obire poterunt; quamquam & pleroſque novimus etiam ad ſeptimum periiſſe, qui nimirum viribus, & ætate præpotentes, violentiam morbi, diutius ſuſtinere potuerunt.

Veriſimile autem eſt, ex majori vel minori vitioſi humoris aciditate, ejuſcemodi varietatem Tetano affectis evenire, ubi enim aciditas pontica, nervos affecerit, & præter contorſionem, acrigiditatem, ſtuporem attulerit, certe mors citius accidet atque inevitabiliter: ubi vero potius corpulentia quam acore ſummo, nervi fuerint divexati, non ſolum in longius tempus Tetanus protrahetur, verum etiam paulatim remittetur & in ſalutem deſinet.

Et

Et quamvis inſuper Hippocrates dicat poſt quartam diem Tetano correptos ſanos fieri, non tamen credendum eſt ſtatim, & abſque ullo auxilio medico illos ſanari, cum nervi & muſculi affecti, non ſubito in priſtinum ſalutis ſtatum remitti poſſint, abſque eo, quod humores per illos diffuſi ſenſim diſſolvantur & evaneſcant: Quare exponendus Aphoriſmus eſt, ut licet poſt quartum diem Tetano correpti mortem evadant poſt longius tempus tamen in priſtinam ſalutem reſtituantur. Sed & neque perpetuo verum eſt, quod poſt quartum diem mortis periculum effugiant, cum aliquando obſervatum ſit, etiam in ſeptimo, atq; etiam poſt ſeptimum illos eſſe periclitatos, forte etiam tempore Hippocratis citius ſanabantur, ſive ob ſalubriorem incolatus conſtitutionem, ſive ob fortiores corporum temperaturas, ſive etiam ob temperatiorem victus rationem.

Signa mortalia in hoc morbo ſunt maxillarum exſolutio, corporis diſſolutio, vomitus, per nares excretio, clamores, nugationes, vocis & reſpirationis notabilis interceptio febris vero, etſi maximum hujus mali ſoleat eſſe remedium, ſi tamen ex inflammatione procedat, interitum minatur, Sic pariter, ſi morbus hic vulnera nervoſarum partium ſequitur, mortalis eſſe ſolet.

Quo denique pacto Tetano affecti, juvari poſſint, ut ſaltem poſt quartum diem mortem effugiant, & in ſalutem revocentur, inquiſitione dignum. Et quoniam Nervorum & muſculorum affectus dependentes ab humoribus, vel ſudore copioſo, vel abundantiori urina ſolvi conſueverunt, proinde opportunum erit utroque hoc præſidiorum genere in illis uti. Verum tamen vitanda erunt ea quæ acriorem conditionem nacta ſint, & volatili alkali prædita, ne ſcil. ex his nervi & muſculi proritentur, & convulſione impenſius afficiantur. Conferunt ea propter, quæ molliter laxando, blande admodum humores alliciant, & educant, unde decocta ſeu potiones quidem humefacientes, ex medicamentis tamen diſſolventibus & roborantibus parata, proficua erunt, Itemque ſudores proliciantur ex balneis vaporoſis, quibus & pori cutis leniter laxentur, & humores in muſculis & nervis impacti molliantur, ut ſine noxa diffluant; In eundem uſum ſæpius contulêre unctiones ex oleis & linimentis emollientibus ſimul & roborantibus, quod ſane perpetuo obſervandum, in omnibus alie-

affectionibus nervorum, ut fuſius legi & haberi poteſt ex praxi, quo lectorem remitto.

Dices I. Hippocrates 3. *de morbis* ait, Tetanum interficere intra quatuordecim dies, ergo non intra quatuor. Reſp. hanc difficultatem jam in contextu eſſe ſolutam, hoc nimirum ex certis circumſtantiis ibidem recenſitis obtingere, ut plurimum tamen fit illos intra quatuor dies interire, teſtantur id Practicantium exempla.

Dices II. Si Tetanus fieret, ut dictum in contextu à vaporibus, halitibus aut flatibus, diſcuteretur ante quartum diem Reſp. Vapores &c. ab acido pontico & vitioſo prodeuntes, qui craſſitiem præſeferunt, à calore oppreſſo & viribus debilitatis, difficillime & tam cito diſcuti non poſſe.

Quæres I. An bene Hippocrates jubeat *Aph. 21. hujus libri* aquam frigidam affundi ad curationem Tetani? Reſp. hanc quæſtionem ſolvemus ſuo mox citato loco: breviter interim dico dummodo fiat in Juvenibus & robuſtis, æſtivo tempore, & æger bene coopertus, mox urgeatur ad ſudorem. Sic enim concentrato per effuſionem aquæ frigidæ, calore, virtus unita fit fortior, ad excitandum ſudorem & morbum diſſipandum.

Aphoriſmus VII.

Epilepſia (ſeu morbus comitialis) quibus ante pubertatem contingit, mutationem recipit: quibus vero poſt viceſimum quintum annum, eos fere comitatur ad mortem usque.

Nota *Huc referendus eſt Aphor. 45. lib. 2. & Aphor. 28. lib. 3.*

Contentum ſeu Intentio.
De Prognoſt Epilepſia.

C*Onnexio:* Cum in præcedenti Aphor. Hippocrates egiſſet de Tetano, qui ſpecies convulſionis eſt, quaſi ſine motu nunc de Epilepſia ſententiam profert, quæ æque inter convulſiones reponitur, ſed cum manifeſto motu. Connectitur præterea hic Aphor.
cum

cum *Aphor.45 Lib. 2.* ubi dixerat Hippocrates, juvenes morbo comitiali correptos mutatione maxime ætatum liberari: ubi pro juvenibus, juniores expoſuimus; nunc eandem ſententiam clarius explicans, inquit, ante pubertatem, mutationem illos accipere, poſt vigeſimum quintum annum vero, fere ſemper commoti ſolere.

Hic Aphoriſmus duas habet partes ſeu concluſiones. In *Prima* aſſerit & concludit; Epilepſiam ante pubertatem recipere mutationem, ſeu demonſtrat, quo tempore ſanatio Epilepſiæ maxime ſperanda: In *Secunda* vero aſſerit & concludit, Epilepſiam poſt 25 annum conſueviſſe inveteraſcere, imo poſt tale tempus deſperatam ac incurabilem, eandemque ægrum ad mortem uſque comitari.

Comitialis morbus idem eſt ac Epilepſia, quaſi ſupracaptio, quoniam Epileptici veluti à ſuperis ſeu divinitus capti, ac fulmine icti videntur, vel quod ſupernis partibus id eſt cerebro afficiantur, cumque publice, & in comitiis plerumque corriperentur, perterritis adſtantibus, usque mox etiam abſcedentibus, Comitia finiebantur, Comitialis morbus appellatus eſt Hinc *Quintus Serenus* cecinit.

Eſt ſubiti ſpecies morbi, cui nomen ab illo eſt,
Quod fieri nobis, ſuffragia juſta recuſat
Sæpe etenim membris atro languore caducis
Concilium populi labes horrenda diremit.

Is ergo morbus, ſi ante pubertatem accidat, mutationem & quandoque etiam ſanationem facile ſortietur, ineunte nimirum ætate juvenili; Eſt autem pubertas ætas illa, quæ a decimo quatto ad vigeſimum primum vel vigeſimum quintum annum extenditur, & quamquam pleriſque viſum ſit à decimo octavo anno ad vigeſimum quintum, non puberes, ſed adoleſcentes eſſe appellandos, attamen pubertas hic & adoleſcentia ſimul una confunduntur. Itaque ſi contingat puberes intra hoc tempus & ante vigeſimum quintum annum corripi morbo comitiali, in ætatem vegetiorem, puta juvenilem progreſſi, mutationem in melius ſubibunt.

Sed qua de cauſa id accidat, non bene convenit inter Expoſitores: Major autem illorum pars cum Galeno exiſtimat, id illis bene ſuccedere, quia pueritia & pubertas propter humiditatem, & cruditates in ea ætate faciles, obnoxia eſt epilepſiæ, ut propterea puerilis morbus ſit etiam appellatus, facta autem mutatione in juventu-

rem, humida illa intemperies, in ſiccam magiſque calidam tranſmutatur, indeque fieri, ut in melius mutetur. Verum crediderim ego id potius evenire ex ſolidiori & conſiſtentiori fibrarum nervearum textura, quippe quæ per ætatum mutationem, magis magiſque confirmantur & exoluta illa acri ſanguinis ſeroſitate non tam facile deinceps nervi proritantur, nec aliunde vitium in reliquis humoribus inductum, adeo contumax & pertinax erit, ut per ejuſmodi ætatis mutationem nullatenus infringi, ac tandem ſubigi poſſit: verumtamen neque dixit Hippocrates revera poſt pubertatem Epilepſiam ſanari, ſed in melius ſolum abire: fieri enim poteſt, ut epileptici multus adhuc poſt pubertatem repetant, non ſint tamen adeo infenſi, ut violenter adhuc extorqueant & convellant, quin imo & rarius, & per longiora intervalla moleſtent, quemadmodum ſæpius in praxi obſervatum eſt. Jure merito ergo ſcriptum eſt, tum hic, tum Aphor. 45. lib. 2. mutationem ſolum accipere. Sed & aliquando contigit, mutationem hanc Epilepticos ſubiiſſe in aliam ægritudinem aliquanto degenerem. Sic quidam qui cum Epileptici in pubertate fuiſſent, poſt vigeſimum quintum annum, non amplius Epilepſia, ſed palpitatione & oppreſſione cordis aliove morbo laborarunt, citra ſenſibilem mentis læſionem, ſed & plerique ſtatus mutatione, ubi puellæ, ab erumpentibus menſtruis, aut inito connubio, prompte admodum convaluere. Advertendum tamen eſt, quod ejuſmodi mutationes in melius facilius contingent ſervata ſimul exacta victus ratione, unde ſi fortaſſe puber epilepticus, errata in victus regimine perpetim committeret, proculdubio etiam poſt vigeſim. 5 annum eundem comitialem morbum eſſet perpeſſurus: hinc qui mutationem in melius etiam ſub ſpe recuperandæ ſalutis ſunt obtenturi exactam victus rationem ſervent oportet, & cum illa ſalubrioris quoque aeris incolatum, prout fuſe ex jam ſæpe citato Aphor 45. lib. 2. colligere eſt.

Quoniam vero poſt vigeſimum quintum an. Epilepticos interire ſcribit Hippocrates, dubitari proinde poteſt, num de illis intelligat, qui in pubertate Epilepſiam contraxerunt, an vero qui poſt vigeſimum quintum annum epilepticos fieri contigerit, ac propterea his recuperandæ ſalutis ſpes omnis abſit. Ad *primum* putaverim eos intelligi interituros vel ſaltem cum Epilepſia commorituros, qui licet

cet ad ſenium perducti, poſt vigeſimum quintum annum in epileſiam inciderint, ſecus vero qui ex pubertate affecti, beneficium mutationis poſt vigeſimum quintum annum non ſunt ſortiti, etenim hi plerumque conſeneſcunt & ſenſim ac pedetentim mutatione aliarum ætatum in melius ſemper abeunt. *Qui vero* poſt vigeſimum quintum annum, morbum comitialem incurrunt, duplice ex capite videntur difficulter convaleſcere, *uno quidem*, quia in juventute corripiuntur, unde is cauſam procul dubio præpotentem arguit, cui ætas juvenilis obſiſtere non potuit, *altero* quod nullam in melius mutationem, ſint in cæteris ſuccedentibus ætatibus ſperaturi, quippe per has ſemper in pejus ruunt, fatiſcente natura per ſanguinem cæteroſque liquores, qui ſemper ſemperque hebetiores & acidiores evadunt. Quamquam ſi fortaſſe ex male anteacta vita morbus comitialis acciderit, poſſit uſus medicamentorum, & ſalubriori regimine inſtituto, in meliorem etiam ſtatum ille revocari. Verum Hippocrates de ea Epilepſia videtur hic locutus, quæ ab his quæ ſponte per ætates homini accidunt, provenire ſolet, nulla propemodum externa cauſa perſpecta.

Sed an revera ſimul una illa affecti commoriantur, ulterius ex textu dubitare licet: verum cum Hippocrates ſcripſerit illos *fere commori*, id eſt ſimul una conſeneſcere & ad interitum perduci, propterea probabilius eſt dicere, non omnino & infallibiliter ad mortem uſque patientes comitari, ſed ut plurimum ſolum. Quo pacto non ſemel vidimus etiam in ætate conſiſtenti, & in prima ſenectute, epilepſiam deſiiſſe, ſuperſtiti adhuc patientis vita: At vero non inde deducendum eſt, eos, qui ultra vigeſimum quintum annum ſunt hoc morbo correpti eſſe in Senio commorituros, nam ineunte virilitate plerumque viſi ſunt periiſſe, commutata præſertim Epilepſia in Apoplexiam ut frequens docet praxis. Quare verbum illud *Commori* non debet referri ad ætatem ſenilem patientis, quaſi vero ad ultimam ætatem morbus ipſe protrahatur, & tandem deſinente vita deſinat; ſed debet referri ad ipſum morbum comitialem, qui cum non amplius patientem deſerat, eo illum deducit, ut tandem interficiat, adeoque ſimul cum ejuſdem interitu deſinat, ut propterea videatur quodammodo dici poſſe commori morbum, in interitu Patientis.

Quibus denique præſidiis ejuſcemodi morbo tam ante quam poſt pubertatem, occurrendum ſit, ea videri poſſunt in Praxi.

Dices Galenus *6. Epidemio* ait per commotionem hæmorrhoidum aut varicum curari Epilepſiam, Ergo non eſt incurabilis Reſp. Galenum intelligendum eſſe de Epilepſia per conſenſum, ſic enim etiam febris quartana curat Epilepſiam, non autem de eſſentiali ſeu Idiopathica de qua potiſſimum in toto Aphoriſmo loquitur Hippocrates.

Objectiones reliquæ in contextu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus VIII.

Quicunque pleuritide (ſeu morbo laterali) laborant, niſi intra dies quatuordecim, ſuperne repurgantur, iis in Empyema (ſeu ſuppurationem) fit mali translatio.

Contentum ſeu Intentio,

De Eventu Pleuritidis.

C*onnexio*: Nexus hujus Aphoriſmi, cum prioribus clarus eſt, ſicut enim in ſuperiobus de tempore egit, quo diſtenſio & Epilepſia terminari ſolet; ita in hoc de duratione & tempore quo Pleuritis judicatur, ſermonem facit.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur. De Pleuritidis ergo progreſſu & eventu agit hoc Aphoriſmo Hippocrates, illamque intra quatuordecim dies non repurgatam, in ſuppurationem ſeu Empyema tendere docet: Verum ad exactam Aphoriſmi intelligentiam oportebit plura primum examinare.

Et primo quidem, cum de Pleuriticis agat, qui intra quatuordecim dies non repurgantur, in dubium verti poteſt, an computus iſtorum dierum fieri debeat ab initiante & cruda Pleuritide, an vero à Pleuritide ad maturationem & declinationem perducta. Pro cujus difficultatis ſolutione, meminiſſe decet, Pleuritidem eſſe ſpeciem inflam-

inflammationis, factam a ſanguine, alicubi in vaſis ſanguiferis pleuræ vel etiam pulmonis (qua parte præſertim pulmo ſuperiori pectori alligatur) hærente. Non enim videtur hic Hippocrates de pleuritide quam ſputatam vocant, ſermonem feciſſe, quippe cum is ſubdat, ad ſuppurationem verti, & non niſi quæ exquiſita dicitur, utpote à ſanguine facta, in ſuppurationem verti poſſit, proculdubio quæ exquiſita eſt, videtur hic ſpecialiter adnotata. Cum ergo inflammatio à ſanguine facta egeri nequeat, priusquam maturitati ſubjecta fuerit, id quod circa ſtatum accidit, proinde probabilius videtur dicendum de pleuriticis ſermonem habuiſſe, qui jam ad declinationem morbi pervenerunt, quam ob rem computus dierum quatuordecim repurgationis à fine ſtatus, vel ab initio declinationis deſumendus eſt, atque adeo illi pleuritici in ſuppurationem deducentur, qui poſt ſtatum & maturitatem pleuritidis per dies quatuordecim imposterum non repurgabuntur, & quidem inflammatione jam edomita & concocta ejuſdem materia, illam diſrumpi neceſſe eſt & paulatim per ſputum ſeu anacatharſim expurgari; cum vero contingit ejuſmodi expurgationem intercipi aut impediri, forte ex imbecillitate naturæ nequeuntis expellere per tuſſim, vel ob multitudinem peccantis humoris; vel ob craſſitiem ejuſdem, vel ob viarum anguſtiam, vel ob loci diſtantiam, vel ob thoracis aut pulmonis impotentiam, vel ob aliam ſimilem cauſam, profecto detenta materia ſuppurabitur, indeque commutabitur pleuritis in empyema, unde etſi prior morbus deſinat, novus & quidem pejor ſuperveniet, id quod ab Hippocrate tum hic tum clarius infra manifeſtiſſime declaratur. Itaque cum pleuritis ad declinationem perducta, & ſanguis illam faciens jam fuerit maturatione ſubactus, ſi per ſuccedentes quatuordecim dies, non fuerit integre repurgatus, ac per anacatharſim excretus, certe commutabitur in pus & morbus in empyema degenerabit.

Dubitari præterea poteſt, cur Hippocrates terminum ejuſcemodi repurgationis dies quatuordecim conſtituerit, cum cæteroqui *anaxion* pleuriticus relatus ab eodẽ 3 *Epidemiorum*, non niſi à die qua cæpit expuere, nempe à decima ſeptima, uſq; ad trigeſimam quartam qua judicat' eſt, fuerit repurgatus. Crediderim ego quatuordecim dierum terminũ fuiſſe hic ab Hipp. conſtitutum, quia ex eodem lib. 2. Aphoriſmorum

Google

lius dicitur: multa alia ad ebrietatem arcendam recenſet Zacutus Luſitanus Lib. 3. Prax. admirabil. obſervat. 123. Mercurialis Variar. Lect. Lib. 4. Cap. 6. & Joannes Langius Epiſtol. Lib. 1. Epiſtola 30. taceo alios. Ego hactenus in Praxi, tum ad excitandos ebrios, tum ad temulentiam eorundem atque aphoniam & convulſionem imminentem præcavendam, nihil efficacius inveni, quam ſpiritum ſalis armoniaci aromatizatum (qui vulgo anchora Helluonum ſeu Germanis der Sauff-Geiſt intitulatur) ad guttas 20. vel 30. in decocto citri vel fæniculi notabili quantitate porrectum & iteratum, qui ſæpe mira præſtitit & plures à crapula aliisque malis præſervavit.

Pro coronide tandem advertere oportet, cautos attentosque oportere eſſe Medicos, in ebriis internoſcendis & judicandis, ne illos cum apoplecticis confundant, & ſicut apoplecticos tractent, cum magno ſalutis ægrorum detrimento, & non ſine ſui ipſorum honoris infamia. Memini ebrium quendam, ab ignaro quodam Medico, qui illum apoplecticum exiſtimaverat, adeo perperam tractatum frictionibus, cucurbitulis, veſicatoriis, imo ad verticem capitis ignito ferro cauteriatum, ut poſtquam experrectus ſe tam afflictum, tortumque vidiſſet, Medicum ipſum niſi fugam arripuiſſet, veluti ſuum tortorem ac hoſtem peremiſſet. Alium novi in magno convivio exiſtentem & ſe potenter inebriantem, poſtquam in via concidit, Medicus improvidus accurrens, variis & fortiſſimis illum aggredi volens remediis à plebe accurrente & adſtante dehortatus, hominem hunc non apoplexia ſed crapula proſtratum eſſe, ut odor vini ex ore notanter demonſtrat, ſed medicus frivolæ intentioni & levi judicio inſiſtens, mox ebrius apoplexiam evomuit & ad caligas, cum magno medici deriſu depoſuit, taceo plura ſimilia opprobriorum exempla. Equidem apoplectici præter ſoporem, reſpirationem habent graviter læſam, pulſum inæqualem, pallentem plerumque vultum, vel plus juſto rubentem & tumidum. Ebrii vero ſomnum ſuavem dormiunt, in cunctis bene ſe habent, & ſi convelluntur ab ipſis motibus nonnunquam excitati, ſtatim exſolvuntur & valent. Accedit quod Apoplectici vel moriuntur reſoluti vel in paralyſim declinant, ebrii autem tandem convulſi non reſoluti vitam finiunt.

Dices: Multi Helluones in crapula plerumque obmuteſcunt &

tamen

tamen non conveluntur, Ergo Aphoriſmus non ſubſiſtit, ℞. Hippocratem hic non intelligere levem obmuteſcentiam titubationem, ſed fortem.

Dices II. Obmuteſcentia ſupponit ſummum ſenſuum ſtuporem, Ergo hanc potius ſequetur Apoplexia quam convulſio, in qua ſemper eſt acris ſenſus & vellicatio Reſp. etſi primum ſit ſtupor, natura tamen ſtimulata à vaporibus acribus & virulentis cogitur exſurgere ad expulſionem, unde motus convulſivi vel convulſio ſuboritur.

Quæres. Cur quidam ebrii dormituriunt alii vero minime ℞. Sicut alii ebrii rident, alii flent, alii rixantur, alii orant, ita etiam diverſos facit effectus in ebriis vinum, prout diverſos aut ſulphureos aut arſenicales ſeu ſubtiles aut craſſiores ſublimat vapores, á corporis contentis diverſis, diverſimode impregnatos. Helmontiani hæc Archeo attribuunt, hoc vel illo modo conſtituto & agente, ita ut modo in iram, modo in riſum, modo in gaudium modo in mœrorem concitetur.

Aphoriſmus VI.

Qui Tetano corripiuntur, intra quatuor dies intereunt; ſi vero hos ſuperaverint, incolumes evadunt.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi Tetani.

Connexio. Cum de convulſione, in omnibus antecedentibus Aphoriſmis Hippocrates determinaſſet, varias ejusdem aſſerens cauſas & indicia: In hoc Aphoriſmo de illa convulſione in ſpecie agit, quæ Tetanus dicitur, per quam totum corpus rigidum diſtenditur inſtar ſtipitis præcipue autem collum.

Hic Aphoriſmus duas habet partes: In *Prima* dicit Tetanum intra quatuor dies occidere in *Secunda* aſſerit, quod Tetano correpti, ſi quatuor dies excedant & ſupervivant, ſanentur aut ſani evadant.

Dat ergo in hoc Aphor. Hippocrates exemplum Tetani ut inde terminum convulſionis, in interitum deſinentis conjiciamus, & Medicus ex hoc certum poſſit ſtatuere prognoſticum de morte aut vita

Et quamvis inſuper Hippocrates dicat poſt quartam diem Tetano correptos ſanos fieri, non tamen credendum eſt ſtatim, & absque ullo auxilio medico illos ſanari, cum nervi & muſculi affecti, non ſubito in priſtinum ſalutis ſtatum remitti poſſint, absque eo, quod humores per illos diffuſi ſenſim diſſolvantur & evaneſcant. Quare exponendus Aphoriſmus eſt, ut licet poſt quartum diem Tetano correpti mortem evadant poſt longius tempus tamen in priſtinam ſalutem reſtituantur: Sed & neque perpetuo verum eſt, quod poſt quartum diem mortis periculum effugiant, cum aliquando obſervatum ſit, etiam in ſeptimo, atq; etiam poſt ſeptimum illos eſſe periclitatos; forte etiam tempore Hippocratis citius ſanabantur, ſive ob ſalubriorem incolatus conſtitutionem, ſive ob fortiores corporum temperaturas, ſive etiam ob temperatiorem victus rationem.

Signa mortalia in hoc morbo ſunt maxillarum exſolutio, corporis diſſolutio, vomitus, per nares excretio, clamores, nugationes, vocis & reſpirationis notabilis interceptio febris vero, etſi maximum hujus mali ſoleat eſſe remedium, ſi tamen ex inflammatione procedat, interitum minatur, Sic pariter, ſi morbus hic vulnera nervoſarum partium ſequitur, mortalis eſſe ſolet

Quo denique pacto Tetano affecti, juvari poſſint, ut ſaltem poſt quartum diem mortem effugiant, & in ſalutem revocentur, inquiſitione dignum. Et quoniam Nervorum & muſculorum affectus dependentes ab humoribus, vel ſudore copioſo, vel abundantiori urina ſolvi conſueverunt, proinde opportunum erit utroque hoc præſidiorum genere in illis uti Verumtamen vitanda erunt ea, quæ acriorem conditionem nacta ſint, & volatili alkali prædita, ne ſtimulis nervi & muſculi proritentur, & convulſione impenſius afficiantur. Conferunt ea propter, quæ molliter laxando, blande admodum humores alliciant, & educant, unde decocta ſeu potiones quidem humefacientes, ex medicamentis tamen diſſolventibus & roborantibus parata, proficua erunt, Itemque ſudores proliciantur ex balneis vaporoſis, quibus & pori cutis leniter laxentur, & humores in muſculis & nervis impacti molliantur, ut ſine noxa diffluant, In eundem uſum ſæpius conferre unctiones ex oleis & linimentis emollientibus ſimul & roborantibus, quod ſane perpetuo obſervandum, in omnibus

alte-

affectionibus nervorum, ut fuſius legi & haberi poteſt ex praxi, quo lectorem remitto.

Dices I. Hippocrates 3. *de morbis* ait, Tetanum interficere intra quatuordecim dies, ergo non intra quatuor. Reſp. hanc difficultatem jam in contextu eſſe ſolutam, hoc nimirum ex cetris circumſtantiis ibidem recenſitis obtingere, ut plurimum tamen fit illos intra quatuor dies interire, teſtantur id Practicantium exempla.

Dices II. Si Tetanus fieret, ut dictum in contextu à vaporibus, halitibus aut flatibus, diſcuteretur ante quartum diem Reſp. Vapores &c. ab acido pontico & vitioſo prodeuntes, qui craſſitiem præſeferunt, à calore oppreſſo & viribus debilitatis, difficillime & tam cito diſcuti non poſſe.

Quæres I. An bene Hippocrates jubeat *Aph. 21. hujus libri* aquam frigidam affundi ad curationem Tetani? Reſp. hanc quæſtionem ſolvemus ſuo mox citato loco: breviter interim dico dummodo fiat in Juvenibus & robuſtis, æſtivo tempore, & æger bene coopertus, mox urgeatur ad ſudorem: Sic enim concentrato per effuſionem aquæ frigidæ, calore, virtus unita fit fortior, ad excitandum ſudorem & morbum diſſipandum.

Aphoriſmus VII.

Epilepſia (ſeu morbus comitialis) quibus ante pubertatem contingit, mutationem recipit: quibus vero poſt viceſimum quintum annum, eos fere comitatur ad mortem usque.

Nota. *Huc referendus eſt Aphor. 45. lib. 2. & Aphor. 28. lib. 3.*

Contentum ſeu Intentio.
De Prognoſt Epilepſia.

C*onnexio:* Cum in præcedenti Aphor. Hippocrates egiſſet de Tetano, qui ſpecies convulſionis eſt, quaſi ſine motu: nunc de Epilepſia ſententiam profert, quæ æque inter convulſiones reponitur, ſed cum manifeſto motu. Connectitur præterea hic Aphor. cum

Google

cum *Aphor. 45. Lib. 2.* ubi dixerat Hippocrates, juvenes morbo comitiali correptos mutatione maxime ætatum liberari: ubi pro juvenibus, juniores expoſuimus; nunc eandem ſententiam clarius explicans, inquit, ante pubertatem, mutationem illos accipere, poſt vigeſimum quintum annum vero, fere ſemper commori ſolere.

Hic Aphoriſmus duas habet partes ſeu concluſiones. In *Prima* aſſerit & concludit; Epilepſiam ante pubertatem recipere mutationem, ſeu demonſtrat, quo tempore ſanatio Epilepſiæ maxime ſperanda. In *Secunda* vero aſſerit & concludit, Epilepſiam poſt 25. annum conſueviſſe inveteraſcere, imo poſt tale tempus deſperatam ac incurabilem, eandemque ægrum ad mortem uſque comitari.

Comitialis morbus idem eſt ac Epilepſia, quaſi ſupracaptio, quoniam Epileptici veluti à ſuperis ſeu divinitus capti, ac fulmine icti videntur, vel quod ſupernis partibus id eſt cerebro afficiantur, cumque publice, & in comitiis plerumque corripererentur, perterritis adſtantibus, iisque mox etiam abſcedentibus, Comitia finiebantur, Comitialis morbus appellatus eſt. Hinc *Quintus Serenus* cecinit.

> Eſt ſubiti ſpecies morbi, cui nomen ab illo eſt,
> Quod fieri nobis, ſuffragia juſta recuſat.
> Sæpe etenim membris atro languore caducis
> Concilium populi labes horrenda diremit.

Is ergo morbus, ſi ante pubertatem accidat, mutationem & quandoque etiam ſanationem facile ſortietur, ineunte nimirum ætate juvenili. Eſt autem pubertas ætas illa, quæ a decimo quarto ad vigeſimum primum vel vigeſimum quintum annum extenditur, & quanquam pleriſque viſum ſit a decimo octavo anno ad vigeſimum quintum, non puberes, ſed adoleſcentes eſſe appellandos, attamen pubertas hic & adoleſcentia ſimul una confunduntur. Itaque ſi contingat puberes intra hoc tempus & ante vigeſimum quintum annum corripi morbo comitiali, in ætatem vegetiorem, puta juvenilem progreſſi, mutationem in melius ſubibunt.

Sed qua de cauſa id accidat, non bene convenit inter Expoſitores: Major autem illorum pars cum Galeno exiſtimat, id illis bene ſuccedere, quia pueritia & pubertas propter humiditatem, & cruditates in ea ætate faciles, obnoxia eſt epilepſiæ, ut propterea puerilis morbus ſit etiam appellatus, facta autem mutatione in juventu-

tem, humida illa intemperies, in ſiccam magisque calidam transmutatur, indeque fieri, ut in melius mutetur. Verum crediderim ego id potius evenire ex ſolidiori & conſiſtentiori fibrarum nervearum textura, quippe quæ per ætatum mutationem, magis magisque confirmantur & exoluta illa acri ſanguinis ſeroſitate non tam facile deinceps nervi prorritantur, nec aliunde vitium in reliquis humoribus inductum, adeo contumax & pertinax erit, ut per ejusmodi ætatis mutationem nullatenus infringi, ac tandem ſubigi poſſit. verum tamen neque dixit Hippocrates revera poſt pubertatem Epilepſiam ſanari, ſed in melius ſolum abire: fieri enim poteſt, ut epileptici inſultus adhuc poſt pubertatem repetant, non ſint tamen adeo infenſi, ut violenter adhuc extorqueant & convellant, quin imo & rarius, & per longiora intervalla moleſtent, quemadmodum ſæpius in praxi obſervatum eſt. Jure merito ergo ſcriptum eſt, tum hic, tum Aphor. 45. lib. 2. mutationem ſolum accipere: Sed & aliquando contigit, mutationem hanc Epilepticos ſubiiſſe in aliam ægritudinem aliquanto degenerem. Sic quidam qui cum Epileptici in pubertate fuiſſent, poſt vigeſimum quintum annum, non amplius Epilepſia, ſed palpitatione & oppreſſione cordis aliove morbo laborarunt, citra ſenſibilem mentis læſionem, ſed & plerique ſtatus mutatione, ubi puellæ, ab erumpentibus menſtruis, aut inito connubio, prompte admodum convaluere. Advertendum tamen eſt, quod ejusmodi mutationes in melius facilius contingent ſervata ſimul exacta victus ratione, unde ſi fortaſſe puber epilepticus, errata in victus regimine perpetim committeret, proculdubio etiam poſt vigeſim. 5 annum eundem comitialem morbum eſſet perpeſſurus: hinc qui mutationem in melius etiam ſub ſpe recuperandæ ſalutis ſint obtenturi exactam victus rationem ſervent oportet, & cum illa ſalubrioris quoque aeris incolatum, prout fuſe ex jam ſæpe citato Aphor 45. lib. 2. colligere eſt.

Quoniam vero poſt vigeſimum quintum an. Epilepticos interire ſcribit Hippocrates, dubitari proinde poteſt, num de illis intelligat, qui in pubertate Epilepſiam contraxerunt, an vero qui poſt vigeſimum quintum annum epilepticos fieri contigerit, ac propterea his recuperandæ ſalutis ſpes omnis abſit. Ad *primum* putaverim eos intelligi interituros vel ſaltem cum Epilepſia commorituros, qui [illegible]

cet ad ſenium perducti, poſt vigeſimum quintum annum in epilepſiam inciderint, ſecus vero qui ex pubertate affecti, beneficium mutationis poſt vigeſimum quintum annum non ſunt ſortiti, etenim hi plerumque conſeneſcunt & ſenſim ac pedetentim mutatione aliarum ætatum in melius ſemper abeunt. *Qui vero* poſt vigeſimum quintum annum, morbum comitialem incurrunt, duplice ex capite videntur difficulter convaleſcere, *uno quidem*, quia in juventute corripiuntur, unde is cauſam procul dubio præpotentem arguit, cui ætas juvenilis obſiſtere non potuit, *altero* quod nullam in melius mutationem, ſint in cæteris ſuccedentibus ætatibus ſperaturi, quippe per has ſemper in pejus ruunt, fatiſcente natura per ſanguinem cæteroſque liquores, qui ſemper ſemperque hebetiores & acidiores evadunt. Quamquam ſi fortaſſe ex male anteacta vita morbus comitialis acciderit, poſſit uſus medicamentorum, & ſalubriori regimine inſtituto, in meliorem etiam ſtatum ille revocari. Verum Hippocrates de ea Epilepſia videtur hic locutus, quæ ab his quæ ſponte per ætates homini accidunt, provenire ſolet, nulla propemodum externa cauſa perſpecta.

Sed an revera ſimul una illa affectu commoriantur, ulterius ex textu dubitare licet: verum cum Hippocrates ſcripſerit illos *fere commori*, id eſt ſimul una conſeneſcere & ad interitum perduci, propterea probabilius eſt dicere, non omnino & infallibiliter ad mortem usque patientes comitari, ſed ut plurimum ſolum. Quo pacto non ſemel vidimus etiam in ætate conſiſtenti, & in prima ſenectute, epilepſiam deſiiſſe, ſuperſtiti adhuc patientis vita: At vero non inde deducendum eſt, eos, qui ultra vigeſimum quintum annum ſunt hoc morbo correpti eſſe in Senio commorituros, nam ineunte virilitate plerumque viſi ſunt periiſſe, commutata præſertim Epilepſia in Apoplexiam ut frequens docet praxis. Quare verbum illud *Commori* non debet referri ad ætatem ſenilem patientis, quaſi vero ad ultimam ætatem morbus ipſe protrahatur, & tandem deſinente vita deſinat; ſed debet referri ad ipſum morbum comitialem, qui cum non amplius patientem deſerat, eo illum deducit, ut tandem interficiat, adeoque ſimul cum ejusdem interitu deſinat, ut propterea videatur quodammodo dici poſſe commori morbum, in interitu Patientis.

Quibus denique præſidiis ejuſcemodi morbo tam ante quam poſt pubertatem, occurrendum ſit, ea videri poſſunt in Praxi.

Dicit Galenus *6. Epidem.* ut per commotionem hæmorrhoidum aut varicum curari Epilepſiam, Ergo non eſt incurabilis Reſp. Galenum intelligendum eſſe de Epilepſia per conſenſum, ſic enim etiam febris quartana curat Epilepſiam, non autem de eſſentiali ſeu Idiopathica de qua potiſſimum in toto Aphoriſmo loquitur Hippocrates.

Objectiones reliquæ in contextu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus VIII.

Quicunque pleuritide (ſeu morbo laterali) laborant, niſi intra dies quatuordecim, ſuperne repurgantur, iis in Empyema (ſeu ſuppurationem) fit malè tranſlatio.

Contentum ſeu Intentio,

De Eventu Pleuritidis.

CONNEXIO: Nexus hujus Aphoriſmi, cum prioribus clarus eſt, ſicut enim in ſuperioribus de tempore egit, quo diſtenſio & Epilepſia terminari ſolet; ita in hoc de duratione & tempore quo Pleuritis judicatur, ſermonem facit.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur. De Pleuritidis ergo progreſſu & eventu agit hoc Aphoriſmo Hippocrates, illamque intra quatuordecim dies non repurgatam, in ſuppurationem ſeu Empyema tendere docet. Verum ad exactam Aphoriſmi intelligentiam oportebit plura primum examinare.

Et primo quidem, cum de Pleuritide agat, quintra quatuordecim dies non repurgantur, in dubium verti poteſt, an computus iſtorum dierum fieri debeat ab initiante & cruda Pleuritide, an vero à Pleuritide ad maturationem & declinationem perducta. Pro cujus difficultatis ſolutione, meminiſſe decet, Pleuritidem eſſe ſpeciem inflam-

inflammationis, factam a ſanguine, alicubi in vaſis ſanguiferis pleuræ vel etiam pulmonis (qua parte præſertim pulmo ſuperiori pectori alligatur) hærente. Non enim videtur hic Hippocrates de pleuritide quam ſputiam vocant, ſermonem feciſſe, quippe cum is ſubdat, ad ſuppurationem verti, & non niſi quæ exquiſita dicitur, utpote à ſanguine facta, in ſuppurationem verti poſſit, proculdubio quæ exquiſita eſt, videtur hic ſpecialiter adnotata. Cum ergo inflammatio à ſanguine facta egeri nequeat, priuſquam maturitati ſubjecta fuerit, id quod circa ſtatum accidit, proinde probabilius videtur dicendum de pleuriticis ſermonem habuiſſe, qui jam ad declinationem morbi pervenerint, quam ob rem computus dierum quatuordecim repurgationis à fine ſtatus, vel ab initio declinationis deſumendus eſt, atque adeo illi pleuritici in ſuppurationem deducentur, qui poſt ſtatum & maturitatem pleuritidis per dies quatuordecim in poſterum non repurgabuntur, & quidem inflammatione jam edomita & concocta ejuſdem materia, illam diſrumpi neceſſe eſt & paulatim per ſputum ſeu anacatharſim expurgari; cum vero contingit ejuſmodi expurgationem intercipi aut impediri, forte ex imbecillitate naturæ nequeuntis expellere per tuſſim, vel ob multitudinem peccantis humoris, vel ob craſſitiem ejuſdem, vel ob viarum anguſtiam, vel ob loci diſtantiam, vel ob thoracis aut pulmonis impotentiam, vel ob aliam ſimilem cauſam, profecto detenta materia ſuppurabitur, indeque commutabitur pleuritis in empyema, unde etſi prior morbus deſinat, novus & quidem pejor ſuperveniet, id quod ab Hippocrate tum hic tum clarius infra manifeſtiſſime declaratur. Itaque cum pleuritis ad declinationem perducta, & ſanguis illam faciens jam fuerit maturatione ſubactus, ſi per ſuccedentes quatuordecim dies, non fuerit integre repurgatus, ac per anacatharſim excretus, certe commutabitur in pus & morbus in empyema degenerabit.

Dubitari præterea poteſt, cur Hippocrates terminum ejuſcemodi repurgationis dies quatuordecim conſtituerit, cum cæteroqui *Anaxion* pleuriticus relatus ab eodē 3. *Epidemiorum*, non niſi à die qua cæpit exſpuere, nempe à decima ſeptima, uſq; ad trigeſimam quartam qua iudicat' eſt, fuerit repurgatus. Crediderim ego quatuordecim dierum terminū fuiſſe hic ab Hipp. conſtitutum, quia ex eodem lib. 2. Aphoriſmorum

Digitized by Google

rum textu 23. omnes acuti morbi (è quorum penu pleuritis eſt) in quatuordecim diebus judicantur, facto tamen initio à die, qua reverà acuti evaſerunt; hinc non abs re in hoc Aphoriſmo dixit, *in quatuordecim diebus non repurgantur*. *Anaxion* vero pleuriticus memoratus in epidemiis, cœpit decima ſeptima die pauca duntaxat exſpuere & deinceps abundantius, quinimo niſi ſudore fuiſſet judicatus, procul dubio in longius tempus ægrotaſſet. Quare ſuppuratione facta, à ſputo abundantiori, vere intra quatuordecim dies fuit repurgatus, ac poſtremo etiam ſudore judicatus, ſed ſi hunc terminum tranſegiſſet, in alium plane morbum lapſus eſſet.

Ulterius dubitari poteſt, num revera de pleuritide mens Hippocratis ſit exponenda; nam in vulgata latina verſione ſcribitur, *quicunque morbo laterali*. morbus autem lateralis latiori ſignificatione aliam pectoris ægritudinem referre poteſt. verum dicendum in græco codice ſcribi pleuriticos, qui proprie pleuritide, ſeu membranæ coſtas ſuccingentis inflammatione correpti ſunt, in quam ſane expoſitionem reliqui omnes interpretes conveniunt; Neque enim, ſi de morbo laterali, qui coſtis & muſculis intercoſtalibus externis accidit, ſermo foret, poſſet inde anacatharſis & repurgatio, per ſputum exſpectari, quæ hic ab Hippocrate memoratur, ſolummodo ſputum & anacatharſis ſperari poteſt, duntaxat in morbis pectoris, partes internas, non externas afficientibus.

Adnotat etiam & recte *Heurnius* materiam debere eſſe expectorabilem, nam ſi fortaſſe, præ ſui craſſitie & viſcoſitate, non facile concoqueretur, & longius tempus exquireret, ad ſubeundam maturationem, profecto tempus hoc loco aſſignatum ab Hippocrate dierum quatuordecim ſufficiens non eſſet peragendæ repurgationi. Verum tamen cum de pleuritide loquatur Hippocrates, & hæc plerumque cum præſertim exquiſita eſt, a ſanguine concreto fiat, facili ſuppurabili, idcirco non abſque ratione, terminus quatuordecim dierum eſt adjectus, quo plane ſpatio veriſimile eſt, poſſe materiam jam concoctam expurgari: humor autem craſſus & viſcoſus non niſi in pleuritide ſpuria obſervari ſolet, qui longius tempus expoſtulat.

Et hoc quoque obiter notandum venit quod omnis inflammatio, quinque modis terminari poteſt, *reſolutione* quæ raro fit; *reſudatione* quando inflammatio partium internarum, ob earum calorem & raritatem,

ritatem, facile materiam tranſmittit; *Suppuratione*, quando natura pepſim ſeu veram concoctionem in ſubſtantiam aliti convertibilem non perficit nec perficere poteſt, Pepaſmum orditur, id eſt vitioſum humorem qui in corporis ſubſtantiam converti non poteſt, in aliquid melius & naturæ convenientius, ut in pus aut puri finitimum commutat, hoc eſt quando natura mediam quandam viam tentat, ut nec omnino vincat, prout in reſolutione & repurgatione omnino vincatur, prout in putrefactione ſeu ſuppuratione contingit; *Induratione* quando in ſcirrhum abit: tandem *putrefactione* quando venenata aut peſtilens qualitas accedit & jungitur.

Signa futuræ ſuppurationis Hippocrates in prognoſticis affert: nempe ſi dolor in parte affecta ante decimumquartum diem non ſedetur; nihil vel parum & id quidem omnino crudum rejicitur; nec ad ſanguinis emiſſionem & medicamenti applicationem, febris tamen perſeveret, juxta illud, *dum pus fit, dolor & febris intenditur, pure autem confecto omnia remittunt*; nec aliqua evidens evacuatio per alvum, urinam aut ſudorem compareat. Signa autem factæ ſuppurationis ſeu in empyema mutatæ, deſignato tempore ſunt, quando nempe pondus ſentitur in cavitate pectoris, æger facilius jaceat & decumbat in parte illa in qua ſtagnat pus, Item cataplaſmata aut lintea humida illi loco applicata citius reſiccentur quam in parte oppoſita: Item quando vacillatio & motus materiæ, ſentitur, dum corpus de parte in partem movetur.

Denique ut ejuſmodi incommodo futuræ ſuppurationis, & imminentis empyematis occurramus, juvabit toto hoc ſpatio quatuordecim dierum, ea adhibere medicamenta, quæ anacatharſim promoveant & facilitent, cujuſmodi ſunt, quæ ex hyſſopo, hyperico, hedera terreſtri, tuſſilagine & ſimilibus parantur aquæ, decocta, ſyrupi, extracta, tincturæ, conferret etiam nimirum balſamum peruvianum, ſpermaceti, elixir proprietatis Helmont balſamum ſulphuris, præſertim terebinthinatum. Si hæc repurgatio fortaſſe deficiat, practici conſueverunt, in opem diuretica trahere, quia non raro expertum, materiam pectore collectam, aut in pulmonibus hærentem, fuiſſe per vias urinæ eductam. quamvis hoc non tam facile ſit, & nec dum bene conſtat apud anatomicos per quos ductus eo ferri poſſit: de quibus vide praxim Medicam.

Objectiones hic occurrentes in contextu ſunt ſolutæ.

Apho-

Aphoriſmus IX.

Tabes iis maxime ætatibus fit, quæ à decimo octavo ſunt anno, uſque ad trigeſimum quintum.

Contentum ſeu Intentio.

De Fatalitate Phthiſeos ratione ætatis.

Connexio. Cum in præcedenti Aphoriſmo, de ſuppuratis mentionem feciſſet Hippocrates, ſuppuratio autem tabi ſit perquam affinis. Ideo arrepta hac occaſione in hoc Aphoriſmo, de tabe, ſuppurationis pediſſequa mentionem facit.

Hic Aphoriſmus unimembris eſt adeoque diviſionem non patitur. Siquidem, ut ex autopſia conſtat, à pleuritide ſuppurata, non tamen deinceps ſufficienter repurgata empyema fieri ſoleat, cui poſtmodum tabes adjungitur, unde prudens Medicus, prævidendo damna, ex non repurgata in Pleuriticis materia, facile prædicere poterit ex mente Hippocratis, *Tabem* græce *Phthiſim* oriri & ſubſequi, idque vero potiſſimum obtingere poſſe à decimo octavo anno ad trigeſimum quintum. Tabes autem hic proprie ut mox diximus intelligitur pulmonis ulcus ſeu confirmata Phthiſis, de cujus idæa cauſis & effectibus praxis conſulatur, in hoc loco ſolum de illa ſermo eſt quatenus certo ætatis tempore, potiſſimum vero ex pleuritide ſuppurata & non repurgata contingat. Equidem quotieſcunq, materia, quæ pleuritidem faciebat, ad ſuppurationem perducta eſt, nec deinde intra ſpatium quatuordecim dierum repurgetur, in thoracis cavo colligitur, & mox tum pravo halitu, tum corpulentia ſeu ſuccorum plenitudine, pulmonem, indeque circulantem ſanguinem inficit: quoniam vero ab infecto pulmone, imo etiam à præſentia puris exulcerato, ſimulque uni vitiato ſanguine, accidit febris, quæ hecticæ naturæ eſt, proinde fit ut tabes oriatur ſeu univerſalis corporis conſumptio. cum enim ſanguis pure infectus, ſalinam acredinem naneiſcatur, indeque plus juſto diſſolvatur & glutine privetur, quo ſcilicet partes cunctæ corporis nutriuntur, ſit propterea ut ſenſim illæ macreſcant quippe pus ſanguini communicatum, tam potenter illum vitiat, ut partibus accedens, loco nutrimenti acre & corroſivum venenum evadat.

Verum cur ſcriptum ſit in hoc Aphoriſmo, ad potiſſimum evenire ade-

à decimo octavo ad trigeſimum quintum annum? Crediderim ego, neque ſolum in caſu pleuritidis non repurgatæ licet (ut diximus) potiſſimum, ſed etiam ſi ex quacunque alia cauſa tabes oriatur, ut propterea indiſcriminatim locutus Hippocrates, de facili hujus ætatis contabeſcentia ad trigeſimum quintum annum uſq;, reliquis ætatibus exceptis. Imo ut ex græca voce Phthiſis deducitur, ſpeciatim, ut mox ſupra meminimus, videtur voluiſſe deſignare illam ſpeciem tabis quæ exulcerato vel aliter afflicto pulmone contingit. Fuchſius *in Comment.* hujus Aphoriſmi, rationem deducit ex Galeno *qui in Comment. 29. lib. 3* exponens ægritudines juvenilis ætatis, ibidem ab Hippocrate enarratas (ubi præ cæteris ſputa ſanguinis & tabes referuntur) non ad ætatis rationem, ſed ex accidenti, adoleſcentiæ & juventuti tabem evenire interpretatur, quia adoleſcentes & juvenes, plerumque ſaliant, currunt, clamant, digladiantur, belligerant, venantur, aliudve genus laboris, vel exercitii immodici operantur. At cauſæ iſtæ, ut alibi quoque à nobis eſt dictum, communes eſſe poſſunt reliquis ætatibus. Sed & neque Hippocrates eorum quæ ex accidenti eveniunt, hic habuit in animo meminiſſe, ſed duntaxat, quæ ratione ætatis contingunt, etenim limitavit tempus à decimo octavo ad trigeſimum quintum annum quod ſane non feciſſet, ſi id ex accidenti tantum evenire putaſſet. Ea propter ego credo, id potiſſimum ea ætate contingere, quia ſanguis tunc etiam in ſui conſtitutione permutatur: cum enim in præcedenti ætate puerili, pars ejuſdem glutinoſa & auctiva prævaluerit, ſenſim poſtmodum incipit pars vivifica virtute præcellere, & acrior & tenuior fieri, quæ propterea orgaſmum in arteriis & venis efficit, ut facile oſcula vaſorum aperire queat, hinc ſanguinis ſputa & partium ſpiritualium eroſiones accidunt, potiſſimum vero pulmonis ſua natura laxioris & ſpongioſæ, Sed & propter ipſius acredinem nutritio partium non tam bene fit, quemadmodum in ætate præcedenti; unde etiam fit, quare per ætatem juvenilem contingant facilius febres ardentes, vulgo ex bile fieri putatæ, ſive potius ex ſanguine acriori, ad fermenteſcendum ſumme idoneo.

Ar vero neque dixit Hippocrates, tantummodo in hac ætate tabem accidere, ſed *præcipue* ſolum, nam poſſunt quoque tabes in aliis ætatibus evenire, & non ſolum ex prænarrata cauſa, verum etiam ex aliis innumeris, potiſſimum ex deſtillatione ferina, ex tuſſi vehementi, ex pleuritide ſuppurata, ex angina, aliiſque quæ ſane hoc præſenti Aphoriſmo ſunt comprehenſa, ex ejuſmodi ætatis

 ado-

adoleſcentis & juvenilis conſtitutione non tamen hinc negaverim ſpeciali tabem notare voluiſſe, quæ ex pleuritide ſuppurata ac deinde repurgata procedit, de qua præcedenti Aphoriſmo mentio facta eſt.

Dices 1. Hunc Aphoriſmum Hippocrates etiam 2. *Prognoſticorum* & in coacis prænotionibus & aliis in locis, propoſuit, ergo committit Tautologiam. R. Hippocratem in variis locis loqui de tabe, ſed diverſo reſpectu, ergo committit tautologiam nego conſequentiam.

Dices 2. Tabes fit ab abſceſſu alicujus partis internæ v. g. hepatis vel renum ulcere, datur & tabes dorſalis &c. absque ulcere pulmonis, ergo non ut Aphoriſmus denotavit. R. Has tabis vel potius marcoris ſpecies non intelligi nec comprehendi ſub hoc Aphoriſmo, quod mox patuit ex ſupradicta connexione cum præcedenti Aphoriſmo, in quo egit divus ſenex de pectoris ſuppuratione poſt pleuritidem.

Aphoriſmus X.

Quibus ex angina liberatis, ad pulmonem mali fit converſio, ii intra dies ſeptem moriuntur: ſi vero hos effugerint, purulenti evadunt.

Contentum ſeu Intentio.

De Eventu Anginæ.

C*Onnexio*. Cum in antecedenti Aphoriſmo de tranſmutatione pleuritidis in ſupputationem dixiſſet Hippocrates; nunc de tranſmutatione anginæ agit.

Hic Aphor. duas habet partes & concluſiones. *Prima eſt*. Angina in pulmonem verſa, intra ſeptem dies occidit. *Secunda eſt*: Angina quæ in pulmonem vertitur, ſi intra ſeptimum diem non occidit, ſuppuratur.

Non facile quis huic Aphor. ſententiæ aſſentietur ſi ſuperficietenus ſolum, & ut verba textus ſonant, illam accipiant: etenim quomodo fieri poteſt, ut ab angina liberatus, incidat in pulmoniã ſeu peripnevmoniam, & deinde in empyemia: ſi ab angina liberati, penitus ſanati dicendi ſunt, ſi ergo omnino ſanati, proculdubio, non poterunt ex præcedenti morbo in alium delabi, qui cauſam & originem à priori mutuetur. verum huic difficultati facile ſatisfiet, attenta Hippocratis elocutione, is ſiquidem dixit: *quibus ex angina liberatis*, id eſt qui vim & violentiam illius effugiunt, ob quam periculum ſuffocationis incurriſſent,

ſent, eo quod muſculi laryngis inflammati intercipiunt, aeris ingreſſum & egreſſum, remanente interea cauſa materiali inflammationis: Hinc genuinus Hippocratis ſenſus erit, quod illi, qui ex angina videntur liberati, ſed citra inflammationis maturationem aut reſolutionem & ſine ulla manifeſta materiæ expurgatione, cum humor ille inflammationem faciens alio transferatur, & in pulmonem promptiſſime decumbat, ſequitur, ut ex uno morbo, nempe ex angina incidant in peripnevmoniam ſeu pulmonis inflammationem: Sunt enim partes iſtæ adeo inter ſe contiguæ, & tum per muſculos aſperam arteriam circumcingentes, tum etiam per arterias, aliosque conſpicuos ductus mutuo conſentientes, unde prompte admodum humor inflammationem in gutture faciens, ſponte ſua poteſt in pulmonem decumbere; quamobrem ex illius translatione deſinit inflammatio, in muſculis gutturis & conſequenter deſinit angina, ſed ſupervenit pulmonis inflammatio ac peripnevmonia. Appoſite igitur *Heurnius* Aphoriſmum hunc ita legit: *qui ex anginoſis fiunt peripneumonici*, quandoquidem non ſemper ex angina contingit peripneumonia, ſed ſi forte qui anginoſi erant, videantur ab angina evadere, citra ſuppurationem, & purulenti humoris evacuationem, cum non poſſint tam repente & salubriter ab illa ſanari, niſi humor qui inflammationem faciebat, alio transferatur, bene proinde ſcriptum eſt, in peripneumoniam illos delabi. Ex tranſitu autem iſto, & ſi patientes ab angina ſeu ab inflammatione gutturis & faucium liberentur, non tamen vitæ periculum effugiunt, quippe peripneumonici facti, intra ſeptem dies adhuc periclitabuntur: etenim non minoris acutiei & malitiæ eſt peripneumonia, quam ſit angina, cum ob maximam reſpirandi difficultatem, febrem acutam ac continuam, contractu in laxa pulmonis ſubſtantia inflammatione, faciliime ægrotantes mortem incurrant. Id quod clarius expreſſit *Celſus lib. 2 cap. 7. Si angina ſubito finita eſt, in pulmonem id malum tranſit, idque ſæpe intra ſeptimum diem occidit.*

Statuitur autem ab Hippocrate, iſtius exitii terminus ſeptima dies, non quod proprie ad ſeptimum diem peripneumonia protrahi debeat, ut interitum afferat, ſed quod intra hoc temporis ſpatium mors contingere poſſit. unde non dixit ſeptimo die pereunt, ſed in ſeptem diebus, ſive ut clarius explicat *Fuchſius*, *Celſum* in hac parte ſecutus, intra ſeptem dies, cum & ante ſeptimum, quarto ſcilicet, quinto aut ſexto die peripneumonia interimere poſſit.

Sed quamuis facillime interire poſſint ægrotantes ex humore in pulmonem irruente, tum ratione ipſius partis affectæ reſpirationi deſtinatæ, tum etiam ratione febris adiunctæ acutiſſimæ, non tamen omnino neceſſe eſt, ut ſubinde pereant, quaſi quod inevitabiliter ſint ex peripneumonia interituri, unde merito ſcribit Hippocrates *Si ver ho eſſ e er n ſuppurantur* id eſt, ſi patiētes ſeptem dierum tranſigant, quibus humor in pulmonem delapſus, interitus naturæ ſignificatur, facile que ſubigi bis & ex altero capite natura præpotens denotatur, quæ potuit tantum morbi impetum & violentiam ſuſtinere, profecto delapſus humor in ſuppurationem in poſterum vertetur, atque adeo prioribus commutabitur malum, atque ex peripneumonia fiet empyema, ſanguis enim ibidem hærens & qui inflammationem excitavit (ut ſupra etiam notatum eſt, in materiam ſubiectus in pus vertetur. Quare ſemper acutiſſimum, ut in augmento necem non attulerit, ſed ad ſtatum perducta, natura concoquenti ſubjicitur, deſinet proculdubio in ſuppurationem, quemadmodum in externis inflammationibus paſſim experimur. Verum tamen eſt, quod aliquando non vera inflammatione, ſed potius eryſipelate affecto pulmone, forraſſe, quia ſanguis tenuior eſt, ſenſibiliter vel inſenſibiliter per ſudorem peripneumonia terminari poteſt, quamquam raro ſit, ut ab eryſipelate pulmonis ægri evadant, cum plerumque phrenetici & quidem intra paucos dies moriuntur, ut ſæpius expertum in praxi, quod etiam ab eodem Hippocrate commemoratur *2 de morbis*.

Quoniam vero ſcriptum eſt ab eodem *lib 6 Aphoriſmorum 37, angina correpto, ſi tumor fiat in collo bonum, foras enim morbus deductus* fieri poteſt, ut exinde evitetur peripneumonia, adeoque mors vel ſuppuratio quia ſcilicet humor anginam faciens non ad pulmonem, ſed ad partes exteriores colli deducitur nam in hoc Aphoriſmo 6 Aph. 37 Hippocrates loquitur de levibus anginis. At nec ſemper id conferet, niſi ſolum cum per transpirationem humoris, ad partes colli exteriores affectæ liberantur. Nam ſi fortaſſe contingit, quod tumor in collo appareat, nec ſubinde muſculi gutturis affecti exonerentur, certe majus vitæ periculum imminebit, quoniam humoris ad partes colli externas extramiſſio non ſequitur criticam naturæ depoſitionem, ſed potius arguit multitudinem peccantis humoris, qui cum non poſſit totus, in partibus internis gutturis abſumi, occupat ulterius partes externas & vitæ periculum non minuit ſed adauget. Unde majoris dilucidationis gratia:

Qua-

Quæres I quod cum triplex paſſim ſit Angina: *una* in qua nihil in faucibus apparet, cum magno dolore & ſpirandi ſumma difficultate: *ſecunda*, qua rubent fauces & quæ ſimilem dolorem infert. *Tertia* in qua rubor & tumor extra apparent. Quamnum ergo ex his potiſſimum intelligat Hippocr.? Reſp primam & ſecundam, quia plerumque ſunt lethales: *prima* enim interficere ſolet die prima, ſecunda & tertia: & *ſecunda* quamvis diuturnior ſit, eſt tamen non minus lethalis, quare ſi mortem evitent, fieri non poteſt, quin materia transferatur ad pulmonem & ſuffocando aut interficiat aut ſuppuretur. *Quæres II.* Per quas vias transmittatur materia Anginæ ad pulmones? Reſp. non per aſperam arteriam, ut veteres crediderunt, ſed mediante circulo ſanguinis & liquorum poris & canaliculis hiantibus ad pulmones transmitti: Dixit enim ipſe Hippocrates *transſpirabile & fluxile eſſe corpus totum.*

Aphoriſmus XI.

Qui Tabe vexantur, ſi ſputum quod extuſſiunt, carbonibus injectum, olet graviter, & capilli a capite defluunt, lethale.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi Phthiſeos.

COnnexio: Cum ſuperioribus Aph. præſertim 9. ætatem quæ ad Tabem apta eſſe aplicuiſſet: in præſenti Aph. docet eventum funeſtum ejusdem Tabis per duo ſigna ſeu indicia ad prognoſim pertinentia, nempe graveolentiam Sputi carbonibus inj ctl, & capillorum defluvium. Hic Aph uniformis non patitur diviſionem, quia ſimpliciter concludit. Debent autem iſta duo ſimul in Empyicis copuli, ut interitum portendant, quandoquidem aliquando obſervatum eſt, ex ſputo purulento, & male olente (ut ipſe in praxi obſervavi) adhuc complures convaluiſſe; & ideo junctim illa retulit Hipp ut certius prognoſticum inde deducatur. Atque hinc claro etiam colligitur Tabidos hic Hippocr adnotare, qui ex pulmone affecto & ex Empyemate in Tabem ſeu Phthiſim ſunt delapſi, aliter purulentum ſputum hic non memoraſſet, neque per tuſſim excretum, ut ex verbis textus manifeſtiſſime patet. Et quamvis ſæpe numero purulentum ſputum per ſe male oleat, potiſſimum cum pravæ conditionis eſt, & aliquandiu in pectore detentum, nihilominus non ſemper in Empyemate ejusmodi fœtorem referre ſolet, niſi ſolum cum pulmonis ſubſtantiam ulceratam & putrefactam redolet, quippe tunc ulcus pulmonis & ſæpiſſime etiam ſordidum & cacoethicum ſubſequitur: addidit quoque Hippocrates, injectum carbonibus, ut ſcilicet phlegmatis & ſputi ordinarii portio, ſi fortaſſe cum pure conjungatur, vi ignis poſſit abſumi, & quod purulentum eſt, in halitus melius diffundatur: Id quod pariter diſcerni poteſt an puri phlegma & ſputum ordinarium junctum ſit, an vero non, quod, dum in aquam ſalſam infunditur, pus

fundum petat phlegma autem & ſputum ordinarium ſupernatet teſte Hippocrate, quod tamen perpetuo verum non eſt ſed plerumque.

Sed & eodem teſte Capilli defluere quoque debent, id eſt ſponte ſua è cutis poris decidere etenim iſti nunquam decidunt, niſi poruli cutis fuerint relaxati, & alimentum, quod illis ſuggeritur acre & erodens evaſerit. Unde autem hæc in tabidis contingant, dubitari ſolet: Ego dicendum judico, id his evenire ex pure, quod ſive præſentia ſive habitu ſanguinem circulantem inficit, imo diſſolvit, eliquat, erodit, ſuoque glutine privat, & ſecretionem efficit, quamobrem expertum eſt, ſanguinem in tabidis plus juſto fluidum fieri & omni glutine orbatum apparere, unde partibus accedens, non ſolum nutrire & reficere non poteſt, ſed potius acritate infenſa & venenata illas extenuat & areſacit, quo deinde fit, ut capilli radicibus ſuis eroſi, ſponte ſua decidant. At vero promptius è capite defluunt, quam ex mentho, ſuperciliis aliisque partibus, quoniam iſtæ ſucculentiores ſunt, & cutim craſſiorem obtinent, at illud exſuccum nimis eſt, & cutim oſſi cohærentem habet, unde pariter fit, ut ex vertice citius quam occipite depluant, quoniam in hoc cutis omnium eſt denſiſſima. Hinc ergo fieri non poteſt, quin tabidi ad tantam perniciem deducti, non ſint paulo poſt interituri, cum ex pure fœtido in fœtus & ulceratus pulmo ſanguinem univerſum, & cor vitæ fontem virulenta contagine depravet, indeque totum corpus & alimento & vita privet. Accedit tuſſis moleſtiſſima, qua coguntur graves moleſtias & maximam virium jacturam tabidi ſubire, imo ſomno & quiete privari, & mille alia incommoda, cum quibus vita diu ſuſtineri nequit. His infra additur alvi profluvium quo naturalis regio labefactata deſignatur, de quo ſequenti Aph. dicetur.

Quoad ſputum autem & hoc adhuc notandum venit illos Tabidos ſæpius evaſiſſe quorum pus album & non fœtidum, ut de ſe ipſo teſtatur *Cardanus* hoc loco, quibus autem pallidum viride, lividum, ſpumoſum, ſubcruentum, & cænoſum, pleroſque interiiſſe. Sic pariter 2 *de morbis* inquit: *Si pus ſectis defluat inſtar lutei ovi, aut craſſum cum virore, ſub pallidum fœtens, moriuntur, ubi pus effluxerit.*

Dices etiam pituita è pulmonibus rejecta ſæpe male olet, ergo non tantum pus. Reſp. 1. ideo Hippocrates addidit fætori puris, capillorum defluvium, quod pituitæ raro jungitur, Reſp. 2. cum *Cardano in Comm* quod iſtud ſignum fætoris ſit certum & proprium puri, quia licet convenire videatur crudæ pituitæ corruptæ, eſt tamen longe aliud genus tetri odoris in pure, cum ſit pars carnis nempe pulmonis, aliusque partis corruptæ & non ſolius humoris crudi.

Aph-

Aphoriſmus XII.

Quibus per Tabem capilli defluunt à capite, & fluxione alvi ſuperveniente moriuntur. Nota: *Ejuſdem quaſi tenoris eſt Aphoriſmus decimus quartus, qui ſequitur in hoc libro.*

Contentum ſeu Intentio.

De Diarrhœa Phthiſicorum.

Connexio: Cum Hipp. in præcedenti Aphor. ſigna læthalia Tabis deſcripſiſſet, nempe ſi ſputum injectum carbonibus male oleat, & capilli à capite defluunt: In præſenti modo Aph. ſubdit, quibus capilli defluunt, ſi alvi profluvium ſuperveniat mortẽ præſto eſſe: Hic Aph. cum brevis ſit diviſionẽ non patitur. Quantumvis utraq, hæc memorata ſigna mortem portendant, non tamen tempore indiſtinctam præſagiunt: Etenim lethale quidem ſignum eſt, ſputum male olere, & capillos a capite defluere, ſed non niſi poſt aliquod temporis intervallum: at vero cum poſt defluvium capillorum alvus ſolvitur, mors brevi imminet, nec ad longum tempus protrahitur, ſed intra triduum vel quatriduum irreparabiliter accidet.

Qua autem de cauſa poſt ſputum purulentum & grave olens, itemque poſt defluvium capillorum alvus laxetur, facile quis dijudicabit ex corruptione à pure inducta, quæ cum ſanguinem, & cæteros liquores corporis pertigerit, una ſimul corporis ductus delaxari neceſſe eſt, & potiſſimum qui feruntur in alvum, id eſt, ex ventriculo ejusque fermento, liene, jecore, meſenterio aliisque viſceribus imi ventris; quare ex alvi fluxu certo conjicere poterimus univerſam corporis œconomiam eſſe reſolutam, ac proinde extinctis à tabe diuturna viribus, vitam ipſam eſſe omnino deſituram: id totum per bellè expreſſit Hippocrates *Lib. 1. de morbis* his verbis: *cum pus ipſum in ventre meram traxerit, totum corpus ab ipſo incaleſcit, tum maxime venuſtiſſima partes; caleſcente autem corpore, humidum maxime eliquatur, & quod quidem a ſupernis partibus eliquatur, in ſupernum ventriculum præcipue confluit, ſitque pus, ad hoc quod jam in ipſo eſt. Pars vero pus etiam in inferiorem ventriculum defertur, & quandoque alvus ab ipſa turbatur & hominem perimit, nam ubi ingeſſit, ſuccedunt intestinis, & alimentum ab ipſis corpori non accedit: Et ſi ſtatis ſurſum purgatio non æqualis contingit, alvo nimirum calefacta, & omnia deorſum trahente in ſe ipſam. Et a ſputo quidem ſuffocatur, & ſiccat dum non purgatur: a ventre vero fluente debilitatur & pleramque perimitur.* Cæterum hæc non niſi contingunt Tabidis ex diuturno pulmonis ulcere, & febre ut vocant habituali ſeu hectica emaciatis, quibus nil ultra videtur, toto corpore remanſiſſe; quam ſceletos ſola pelle contectus: Unde nec inconcinne *Hippocrates 7. Aphor. 6.* aſſerit, non ſolum in Tabe, ſed in omni diuturno morbo, peſſimum ſignum eſt alvi fluxus ſeu ſinceræ dejectiones.

Dices ſæpe accidit alvi profluvium criticum phthiſicis non ſymptomaticum v. gr. rupta Vomica, vel etiam dum ſanies ab ulcere ſordido, per alvum rejicitur, cum Euphoria & tuſſis remiſſione; Ergo alvi profluvium in Tabe non eſt adeo funeſtum

ſtum, Reſp. in hoc Aph. alvi profluvium ſolum non eſſe funeſtum, ſed conjunctum, cum capillorum defluvio, quod jam clare ad captum diſcuſſum eſt priori Aphoriſmo.

Aphoriſmus XIII.

Qui Spumantem (ſeu ſpumoſum) ſanguinem extuſſiunt, iis è pulmonibus educitur.

Contentum ſeu Intentio.

De Diagnoſi hæmophthyſeos.

C*Onnexio*. Magnam dependentiam habet præſens Aphor. cum duobus ſuperioribus; cum enim in illis ſermonem habuiſſet de tabe ſeu Phthiſi, nunc in præſenti Aphor. de ſputo ſanguinis ſeu Hæmoptoë ſeu Hæmophthiſi verba facit, quod Tabis ſeu Phthiſeos ſignum quaſi pathognomonicum cenſeatur. Hic Aphor. ſimplicem concluſionem habet, adeoque non dividitur. Etiamſi Tabidi diverſimode fieri poſſint ab affecto pulmone, ut in ſuperioribus oſtenſum eſt; peculiariter tamen Phthiſici fiunt ex præcedente ſanguinis ſputo, ut clare exprimit Hippocrates Lib. 7. Aph. 15. *A ſanguinis ſputo, puris ſputum malum*: & 16. *ejuſdem libri A puris ſputo Tabes & fluxus: quum vero ſputum retentum fuerit, moriuntur.* Quoniam vero ſanguineum ſputum non ſemper ex pectore & pulmone emanat, quamvis per tuſſim inde prodeat, idcirco accuratiſſimus Hippocrates indicia tradens, quibus ejusmodi eruptionis ſanguinis affectas partes internoſcere poſſimus, adjicit in hoc Aph. ſignum, illudque pathognomonicum, prodeontis è pulmone ſanguinis, eſumptum à modo ipſius tejectionis; & *qualitate* ſanguinis rejecti.

Et quidem *Modus rejectionis* cum tuſſi eſſe debet; nam quæ in pectoris cavo continentur, non niſi tuſſi egeri poſſunt; quam ob rem accuratiores Interpretes, loco verbi *exſpuunt* verterunt (& quidem rationabilius) *extuſſiunt*, ſicut & *Galen. in Comment.* innuere viſus eſt. Nam ſimpliciter ſanguinem ſpumoſum exſpuere tribuitur quoque ab Hippocrate *in Coacis prænotionibus* dextro præcordio dolentibus atque ex hepate; quamvis nec hic ſpumoſus ſit ex conditione rutilantis ſanguinis, ſed ex ſola interceptione & permixtione aëris in ductibus, vel aſperæ arteriæ, vel oeſophagi, unde foras proſilit, cum per utramque viam è Jecore prodire poſſit, ſcilicet in eas partes, irruptione à compreſſo per tumidum, dolensque Jecur, Diaphragmate.

At vero, quia non ſemper ſanguis, qui tuſſi ejicitur è pectore, aut pulmone prodit, cum fieri poſſit, ut è faucibus capite, gutture, aſpera arteria, in pulmonis Bronchia delabens, tuſſi pariter egeratur idcirco ad differentiam iſtarum expulſionum, adjecta eſt in Textu *qualitas ſanguinis* exereti, ut proinde ſi *ſpumoſus* ille ſit, floridus & rutilans, è pulmone prodire dicatur, qui vero alterius eſt conditionis, fortaſſe nigricans, grumoſus & minime floridus, certe ab aliis partibus, quam à pulmone prodibit, etiamſi tuſſi egeratur.

Solut

Solius ergo pulmonis erit ſanguinem ſpumoſum egerere, quoniam in ſolo pulmone hujusmodi ſanguinis qualitas invenitur, ſit autem ſpumoſus ſanguis, à mixtura illius cum aere, qui cum pulmones duntaxat ingrediatur pro uſu reſpirationis, idcirco nullibi, quam in pulmone, ſpumoſus ineſt.

Advertendum tamen eſt, quod tunc ſpumans è pulmone egeſſus ſanguis apparebit, cum immediate è ſuis vaſis exilit. nam ſi fortaſſe è pulmone ſanguis guttatim in pectoris cavum extillet, aut etiam in Tracheolis aſperæ arteriæ per aliquod tempus detineatur, procul dubio, ſpumis expers extuſſietur, quandoquidem ſanguis ibidem restagnans, mox concreſcit & grumoſus egeri poteſt, ſed & e contra ſaliquoque contingit in eo, quod multoties tuſſi excretum, credatur è pectore prodiiſſe, cum tamen ab aliis partibus proceſſerit hinc valebit illatio affirmativa, ſecus vero negativa. nempe, ſanguis ſpumoſus prodit, ergo à pulmone eſt, at non è contra, ſanguis non ſpumoſus egeritur, ergo ab aliis partibus quam à pulmone Hæc duo tamen tuſſis nempe & ſpuma ſanguinis ſi adſint, notabile præſtant argumentum a pulmone vitium procedere, attamen ut vere ſpumoſus dicatur, non ſufficit, habere ſpumam ſuperficie tenus, ſed totam ejus ſubſtantiam velut ſpumam eſſe oportet, ſi vero tota ſua ſubſtantia non fuerit ſpumoſus, poteſt etiam ex alia parte prodire quam ex pulmone; Cavendum pariter, ne quis fallatur cum ex capite ſanguis ad aſperæ arteriæ infundibulum aut pelvim fluens, tuſſimque excitando, tuſſique excernatur, ne quis putet ex pulmone educi, nec enim tunc ſpumoſus apparebit, & magis ſcreatu quam tuſſi excernetur, aliaque ſigna aderunt quæ ex capite deſcendere oſtendent

Inſuper ab ejusdem ſanguinis excreti quantitate dijudicare poterimus, num ſanguis ab ipſa pulmonis ſubſtantia, & à vaſis exilibus, per illius ſubſtantiam diffuſis, egeratur; an vero à vaſis majoribus, per quæ ſanguis in circuitum adigitur, uti ſunt vena cava aſcendens, & vena arterioſa itemque arteria venoſa & bronchiales ſiquidem cum ſanguis ex vaſis majoribus erumpit, non tantum ſpumoſus ſed etiam copioſus erit, quin imo periculum ſuffocationis minabitur; at vero cum è pulmonis ſubſtantia & è vaſis exilibus prodit, neque multus erit, neque tam proximum vitæ periculum minatur.

An inſuper ſanguis undecunque ex ore prodiens è venis, an potius ex arteriis egeratur, controverti poteſt. Et ſane attenta, tum qualitate ſanguinis floridioris, tum etiam ejuſdem circulatione veri ſimilius dicendum ex arteriis prodire, quippe in arteriis floridus magis & rutilans ſanguis invenitur, nec non per arterias ad partes excurrit, per venas vero remeat in cor, imo ſemel venas ingreſſus, regredi non poteſt, impedientibus ſcilicet valvulis. Solum venæ compati poterunt, ſi fortaſſe fuerint eroſæ, nam tunc ob eroſionem, qua data porta, ſanguis exinde manare poterit. Cæterum etſi è reliquis partibus pectoris, imo etiam aſpera arteria ſanguis poſſit exſtillare, is tamen neque multus, neque ſpumoſus erit; quippe ſanguis nullibi, præterquam in pulmonibus ſpumoſus invenitur.

Ex his demum admonemur Tabem ac Phtiſim proprie dictam ab ulcere pulmonis exoriri, idque non niſi à ſanguinis ſputo de quo idem Hippocrates citatis ſupra locis *Lib. 7. Aph. 15. & 16.* ſcribit: *à ſanguinis ſputo puris ſputum, à puris ſputo Tabes, à Tabe mors*: unde tunc proprie empirei & phtiſici morientur ægri ut præcedentibus Aphoriſmis dictum eſt, cum ſanguinis ſputum præceſſerit, atque ille è pulmone prodierit,

Denique licet plerique abſque ſanguinis ſputo & ulcere pulmonis tabidi referantur, nihil tamen huic Aphoriſticæ ſententiæ refragabitur, qua ſolum Hippocrates docet, ſanguinem per tuſſim excretum, tum revera a pulmone prodire, cum ſpumoſus eſt, atque hinc neceſſario fieri ut Tabes & phthiſis oriatur, ac poſtremo mors. Hinc autem minime negatur, poſſe etiam Tabem ac phthiſim aliunde proficiſci, etſi ſputum ſanguinis nullum præceſſerit: attamen verum ſemper erit, pulmonem in cunctis tam male affici, ut ineptus evadat ſanguini perficiendo & vitæ ac motui cordis conſervando.

Quæ vero ſint medicamenta fluentem hunc ſanguinem ſiſtere, & cohibere valentia, ea ex praxi petenda erunt.

Objectiones circa hunc Aphoriſmum in contextu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus XIV.

Si Tabe detento (ſeu habito) profluvium alui ſuperveniat, lethale.

Con-

Contentum ſeu Intentio.
De Diarrhæa Tabidorum.

Connexio. Hic Aphoriſmus fere idem videtur cum Aphoriſmo duodecimo hujus libri, in quo dixerat Hippocrates, profluvium alui cum capillorum defluxu, mortem paulo poſt Tabe laborantibus allaturum, & id ipſum fere in præſenti Aphoriſmo repetit: Hinc creditum eſt à commentatoribus nihil prorſus novi in hoc Aphoriſmo contineri, quod in memorato duodecimo dictum non ſit. At vero non tam temere de Hippocrate ſuſpicandum, quod bis idem omnino repetere voluerit: Quamobrem opinandum, aut illum voluiſſe hoc loco Tabidos omnes generaliter comprehendere, imo etiam alia quacunque de cauſa, aut morbo macie confectos, cum alui profluvium, quibuscunque extenuatis ſuperveniens lethale ſit, veluti labefactatæ omnino naturæ indicium: vel etiam ſignificare voluiſſe ſolam diarrhæam & alui ſolutionem tabidis eſſe pernicioſam, licet cætera alia ſymptomata antea memorata deficiant, inde, quamvis capilli à capite non defluant, & licet ſputum purulentum ingentem fœtorem non redoleat, ſi nihilominus alvi profluvium Tabidis ſuperveniat, lethale eſt, quoniam cum Tabidi, veluti omnino extenuati, nihil habeant, quod egerere poſſint, vel debeant, quin imo indigeant potius inſtauratione, & carnium appoſitione, procul dubio alvi profluvio ſi corripiantur, morientur, ſolutis exinde omnino viribus & labefactata penitus in ipſis reficiendi Facultate.

Verum tamen eſt quod pro Tabidis hic intelligere debeamus, qui diuturna Tabe (unde dixit *detento* ſeu *habito*) fuerunt affecti, atq; extrema macie conſumpti, his etenim quæcunque evacuatio ſuperveniens pernicioſa eſt, cum ex quacunque evacuatione penitus deficiant. Neque ſatis eſt, ſi ſemel tantum alvus laxetur & excrementa ſolum dejiciat, ſed omnino neceſſe eſt, ut iterato & ſæpius ſolvatur, & non tantum quæ ventriculi & inteſtinorum cavitatem occupant, ſed etiam quæ in intimioribus partibus continentur, & intra ductus corporis relicta erant, copioſe & affluenter egerat.

Accidit quoque ut aliquando etiam iterata vomitio necem attulerit, itemque immodica urinæ profuſio, ſudor, hæmorrhagia, ſiqui-

 dem

dem ejuſmodi evacuationes, veluti omnino incompetentes, tabidis exitum parant, brevique temporis intervallo, prout ex ſuperius traditis faciliime deduci poteſt.

Objectiones Et difficultates in contextu hujus & Aphoriſmi duodecimi ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus XV.

Qui ex pleuritide (ſeu morbo laterali) empyi fiunt (ſeu ſuppurantur) ſi à ruptione intra dies quadraginta (ſeu à die qua fit ruptio) ſurſum purgentur, liberantur; alioquin tranſeunt in Tabem.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi Empyematis,

CONNEXIO: Pace divi Senis dixero, melioris ordinis cauſa hic Aphoriſmus debuiſſet ſequi octavum qui æque de pleuritide & de ejus ſuppuratione egit. Edocuerat autem ipſiſſimo Aphoriſmo octavo Hippocrates, pleuriticos in ſuppurationem deſituros, quandocunque in quatuordecim diebus non fuerint repurgati; In hoc vero Aphoriſmo eosdem in Tabem lapſuros inquit, cum intra quadraginta dies materiam in pectore contentam per anacatharſim non penitus expurgaverint; unde differt tamen hic Aphoriſmus ab octavo, eo quod ibi ſuppuratio portendatur, materia in quatuordecim diebus non repurgata; In hoc vero Aphoriſmo, ex eadem ſuppuratione præſignetur tabes in diebus quadraginta; in octavo ergo prædixit pleuritidem transmutari in ſuppurationem, niſi intra quatuordecim dies repurgetur, In hoc vero de termino ſuppurationis nempe quadraginta diebus loquitur.

Cum autem pleuritis ſit de genere morborum acutorum, & morbi acuti vel in quatuordecim diebus terminentur, ſi exquiſite acuti ſint, vel protrahantur, ad dies quadraginta, ſi fuerint

acuti

acuti ex decidentia, & quodammodo ſpurii; proinde quandocunque pleuritis ad decimum quartum diem, judicata non ſit, prorogari poterit ad quadrageſimum diem. præſertim in alium morbum commutanda, unde ſi ſpatio quatuordecim dierum, materia pleuritidis, per tuſſim non fuerit expurgata, vertetur in ſuppurationem & Empyema: à die vero decimo quarto usque ad quadrageſimum, niſi ſuppurata adhuc per Anacatharſim ſeu expectorationem expurgetur, à detento pure in pectore vel pulmone, Tabem & phthiſim inferet. Hinc humor qui faciebat pleuritidem, duplicem ſubire poteſt mutationem, *Vnam* quidem ad diem decimum quartum coctionis, & ſuppurationis, *alteram* vero expurgationis ſeu expectorationis, ſpatio quadraginta dierum, quo transacto, quia purulentus humor ob diuturniorem moram, pulmonem ſimul & ſanguinem per cor circulantem inficit, & ſic plune tabem ac phthiſin, adeoque febrem habitualem & conſumptionem universalem affert.

Quod vero adjectum eſt in textu, illos liberari *à die, qua ſit ruptio* manifeſte declarat, ob expurgationem impoſterum ſubſequentem, reconvaleſcentiam exoriri, quemadmodum contigit Anaxioni, qui trigeſima quarta die judicatus eſt. Sed non per hoc. quod intra quadraginta dies non ſint repurgati, omnino fit, ut tabidi interire debeant, quia fieri poteſt, ut etiam ultra hoc tempus repurgatio retrahatur, & evadant. multoties enim accidit, ut vel ex multitudine, vel ex craſſitie materiæ ſuppuratæ, ſatis non ſint dies quadraginta ad integre explendam è pectore repurgationem, unde deinceps adhuc expectoratio deſideretur ac perduret.

At vero initium hoc quadraginta dierum, non erit á principio pleuritidis deſumendum, ſed à quo die maturatio & ruptio apoſtematis facta eſt, Etenim inde principium faciendum, à quo tempore puris expectoratio haberi poteſt. modo ante maturationem, & ante ruptionem Apoſtematis nulla per Anacatharſim exſpectanda repurgatio. Itaque cum inquit Hippocrates *à die qua ſit ruptio*, certo ab eo tempore computus quadraginta dierum faciendus eſt: hinc etiam non niſi poſt quadraginta dies periculum erit futuræ Tabis, quoniam tunc Tabes accidit, quando materia purulenta, in pectore retenta pulmonem affecerit, illumque exulceraverit.

veriſimile autem eſt intra ſpatium quadraginta dierum, pulmonem ab exulceratione illæſum poſſe perſeverare, ut proinde ſi totum pus interea fuerit repurgatum, non ſolum à pleuritide & à ſuppuratione, verum etiam à Tabe æger facile liberabitur.

At quo pacto dignoſci poſſit jam apoſtema ruptum eſſe, indeq; pus fuiſſe collectum in cavitate pectoris, plene edocuit idem Hippocrates *Lib. prænotionum* his verbis. *Cæterum* (inquit) *omnes ſuppuratos, ex his ſignis cognoſcere oportet: primum quidem ſi febris non dimittit, ſed per diem quidem tenuis eſt, noctu vero amplior & ſudores multi oboriuntur tuſſisque, ac tuſſiendi promptitudo ipſis adeſt, & nihil memoratu dignum exſpuunt, & oculi cavi fiunt, & maxillæ ruborem contrahunt. & ungues quidem manuum curvantur, digiti vero caleſcunt, & potiſſimum ſummi, & in pedibus tumores fiunt, & cibos non appetunt, & puſtulæ per corpus enaſcuntur.* Et num in dextro vel in ſiniſtro latere pus collectum ſit, his indiciis ibidem tradit: *ſi vero* (inquit ulterius) *ſuppuratio fuerit, in altero latere ſolum, vertere & conſiderare oportet, in his, num aliquem habeat dolorem in altero latere, & an alterum altero ſit calidius, & ægro in latus ſanum reclinato, interrogare ipſum an videatur ipſi grave quid ex ſuperno latere incumbere, ſi enim hoc fuerit, in eo latere eſt ſuppuratio, in quo gravitas percipitur.*

Quod vero non in omnibus æque ſuppurationes fiant & neque ſuppurata apoſtemata æqualiter in ipſis rumpantur, docet expreſſe eodem loco inquiens: *at vero aliæ ſuppurationes rumpuntur, plurimæ quidem vigeſimo die, aliæ vero trigeſimo, aliæ quadrageſimo, aliquæ vero ad ſexaginta dies perveniunt: conſiderare vero ſuppurationis principium oportet, ſuppuratione facta à die qua primum homo febricitavit, aut ſi forte ipſum primum rigor apprehendit, & ſi pro dolore gravitatem ſibi factam eſſe dixerit, in eo loco, in quo dolebat: hæc enim in principiis ſuppurationum fiunt, ex his igitur initiis ſuppurationem juxta tempora prædicta futuram exſpectare oportet.* Denique an citius vel tardius futura ſit ſuppuratio ſic poſtremo Hippocrates eodem loco concludit: *Siquidem dolor & ſpirandi difficultas ab initio adſint & tuſſis & ſputatio perſeverant, ad vigeſimum diem pertingat, eruptionem tum exſpectare oportet, aut etiam prius: Si vero quietior fuerit dolor, & omnia alia pro hujus ratione eruptio poſterius exſpectanda venit.* neceſſe vero *eſt accedere & dolorem & ſpirandi difficultatem & ſputationem ante puris eruptionem.* Hæc ex Hippocrate hucusque dicta fuere.

In

In fine Aphoriſmi additur: *alioquin* (velut alii *ſi vero non*) *in Talem tranſeunt*, hoc eſt ſi ſpatio quadraginta dierum non fuerint ex toto repurgati, ratione ſcilicet detenti puris pulmo inficietur & ulcus contrahet, atque adeo tabem inferet, quia ex diuturna puris per tuſſim repurgatione, ejusdemque tranſitu per pulmonem, facile is eroditur & ulceratur, ab ipſius autem ulcere contingit Tabes & mors. Sed & inſuper quandocunque materia ex pleuritide ſuppurata, intra hoc tempus expulſa non fuerit, & adhuc perdurat, metuendum eſt à præcedenti pleuritide, ejusque ſuppuratione, *Vomicam* quoque in pulmone fuiſſe contractam, quæ diſrupta puris productionem continuo foveat, ut propterea etſi jugiter per anacatharſim illa egeratur, perpetuo tamen alia, & alia ex ulcerato pulmone effluat, unde puris excreationem in longius tempus protrahat atque perennet.

Signa ſalutis & mortis & etiam dubii eventus in ſuppuratis in compendio proponit Hippocrates *in Prognoſtica*. *Salutis* quidem ſi febris ſtatim è ruptione ceſſet, qui album & leve & æquale ſit, appetitus redeat & facile expurgetur. *Mortis* vero ſi omnia contraria adſint. *Dubii eventus* ſi partim bona, partim mala appareant & penes vires magis, minusve conſtant.

Quomodo autem & quibus mediis Tabidis & ſuppuratis occurrendum, id petendum ex Praxi erit, ubi pariter an Paracentheſis locum habeat necne clare reſolvitur.

Dices Qui ſunt temperamenti calidioris, citius, qui frigidioris tardius repurgantur, ergo non videtur bene aſſignaſſe quadraginta dies Hippocrates. ℞ Hanc difficultatem jam eſſe ſolutam in contextu; præterea Hippocrates locutus eſt ut plurimum, non ut ſemper & irrefragabiliter.

Aphoriſmus XVI.

Calidum frequentiore uſu, (ſeu ubi quis ſæpius eo utitur) hæc invehit incommoda; carnis effœminationem, nervorum incontinentiam (ſeu imbecillitatem) animi (ſeu mentis) torporem; profuſiones (ſeu profluvia) ſanguinis, animi deliquia: ad quæ quidem mors, (ſeu quibus mors ſuccedit.)

Con-

Contentum ſeu Intentio.

De Calidi excedentis Noxis.

CONNEXIO. Cum hactenus in prioribus Aphoriſmis, multa ac erudita, de *convulſione*, *Tetano*, *Epilepſia*, *pleuritide*, *angina*, *Tabe*, *Empyemate*, *ſuppuratione*, morbis utique graviſſimis, oppidoque frequentioribus dixiſſet Hippocrates. Nunc in ſequentibus ad duas qualitates, activas veteribus primas dictas, *calidum* ſcilicet & *frigidum* accedit, quæ & morborum cauſæ potiſſimæ, nonnunquam etiam remedia ſunt, atque in præſenti Aphoriſmo in ſpecie, caliditatem aſſumit; breviter quodammodo innuens nullum eſſe tam innocens remedium, quod noxa careat, & præcipue, ſi non debito modo fiat.

Noxas ergo ac detrimenta *calidi* in hoc Aphoriſmo memorat Hippocrates, relaturus in ſequenti Aphoriſmo, incommoda quæ ex frigore proveniunt. Cum autem *calidum* dicat, non *calorem*, quæri hoc loco primum poteſt, quid nomine *calidi* voluerit intelligere. & quidem ex ipſamet voce clare deducitur non calorem nude ſumptum pro qualitate, ut veteres ſcholaſtici intelligere ſolent, is acceptum voluit, ſed rem potius calidam, potiſſimum quia, medice loquendo, quæ corporibus adhibentur calida, non niſi res calidæ ſunt, ſive medicamenta, ſive alimenta, ſive alia quæcunque corpora illa ſint, cum nunquam ſenſiones in corporibus fiant, niſi à rebus ſimiliter corporeis.

At vero ſi rem calidam, calidumque corpus hoc loco deſignare voluit, videndum de quo ſpecialiter id dictum intelligat. Et revera bene *Fuchſius in commentario* de aqua calente exponit, quod colligit ex *libro de uſu humidorum*, unde præſens Aphoriſmus videtur deſumptus; quandoquidem damna, quæ hic à calido memorantur, niſi illud cum humore conjungatur, neutiquam ſubſiſtere poterunt, nam corpora calida & areſacientia, id eſt quæ calorem ſiccitati conjunctum habent, nullatenus poſſunt, *corporis effœminationem*, *nervorum imbecillitatem mentis torporem*, *profluvia ſanguinis*, *animi defectionem*, & alia conſimilia mala parere, cum potius a ſiccitate ſeu rebus ſiccis ac exſiccis contrarii effectus oriantur: Igitur probabilius eſt, voluiſſe Hippocratem hic notare calida in humoribus, ſeu liquoribus

qui-

quibuſcunquē, potiſſimum vero in aquis, quæ inter liquida & humida corpora primum locum obtinent quamquam & uſus diuturnus hypocauſti, longa inſolatio, atque ad ignem immoderata excalefactio, & longior ſub ſole mora, poſſit id ipſum afferre, ſed tamen diuturniori tempore, & exitu difficiliori.

Num inſuper de *calido* intra corpus aſſumpto, an potius de calido extrinſecus admoto, poteſt iterum dubitari. Et veriſimilius videtur dicendum, ſermonem hic haberi de calido exterius admoto, potiſſimum de Balneis, ac lotionibus aquarum, tam Thermalium ſimplicium & naturalium, quam artificialium & compoſitarum. Illa enim ut experientia conſtat, cutim laxando, & humefaciendo, ſudorem promovendo, ſanguinem eliquando, & Lympham extenuando bene poſſunt ac ſolent, carnes, artus, nervos, muſculos, & viſcera quæcunque corporis, diluere, mollificare, delaxare & prolongare atque illam (quam Hippocrates *effœminationem* vocat) diſpoſitionem producere. Quæ vero interius aſſumuntur præterquam quod ſæpe ſæpius per fermenta ventriculi conſentanea, vel aliena calorem amittunt, neque tam facile in totum corpus calefactivam vim & calorem, quem actualem vocant, communicare valent, licet attenuando, diſſolvendo, acuendoque ſanguinem, ſint in cauſa ut corpus aliquantulum incaleſcat. At vero paſſim experimur balnea, tum naturalia tum artificialia promptiſſime ſolere ejuſmodi corporis delaxationem parere.

An præterea *calidum* intelligi debeat *moderatum* vel *immoderatum* rurſum quæri poteſt. Et ſane, licet immoderatum calidum, efficacius in his omnibus de quibus ſermo, in præſenti Aphoriſmo eſt, operetur, nihilominus ſi verba textus attendantur, videtur calidum adhuc moderatum, fuiſſe hoc loco conſideratum; etenim in Aphoriſmo dicitur *frequentiori uſu* ſeu, *ubi quis ſæpius eo utitur:* non videtur autem veriſimile, quod quis ſæpius utatur calido immoderato, quod toleratu non eſt tam facile. Imo ſi fortaſſe Hippocrates voluerit, hoc Aphoriſmo, morem veterum vituperare, qui frequenter balneis utebantur, certe quia uſus balneorum non erat niſi cum moderato calore, dicendum erit moderatum calidum fuiſſe in hoc Aphoriſmo deſcriptum. Accedit quod calidum hic contraponitur frigido ſequentis Aphoriſmi. at vero

in Aphoriſmo ſequenti, non niſi frigidum moderatum conſiderandum proponitur, igitur & moderatum calidum in hoc præſenti Aphoriſmo, erit quoque intelligendum. Verum tamen pro moderato non intelligimus, quod conſentaneum naturæ eſt, & nullum exceſſum ſupra mediocritatem habet, ſed quod à mediocritate quidem recedit, non tamen extremum frigoris gradum attingit, ut propterea non ſit conveniens naturæ, ſed nec ſit omnino in ſummo poſitum: Idipſum quoque dicendum de calido, quod non ſit in exceſſu caloris urentis, ſed à mediocritate naturæ conſentanea declinet, debet autem calidum iſtud, & ſi non multum excedens datum tamen iteratis vicibus & ſæpius adhiberi, ut exinde nocumenta in textu memorata ſubſequi poſſint, alias ſi ſemel & brevi adhiberetur, quia non multam in partibus corporis læſionem induceret, neque poſſet relata in Aphoriſmo detrimenta afferre. Itaque optimo jure notatum eſt ab Hippocrate *longiori uſu, ſeu, ubi quis eo ſæpius utitur:* quibus verbis denotatur frequens & iterata rei calidæ adminiſtratio. hac quippe ratione *calidum* etſi non multum excedens, poteſt memorata damna parere, nam quod ſemel & brevi inferre nequit, iteratis vicibus ac frequentiuſu bene poterit excitare: unde (ut paucis dicam nnnita) ſive calidum intenſum adhibeatur exceſſive ſemel, vel moderatum & ſæpius & abuſive adhibeatur, utrumque nocer & nocere poteſt. Damna autem quæ hoc loco deſcribuntur, ſpectant partim ad operationes animales, partim ad vitales, partim denique ad naturales: ad animales, *Nervorum imbecillitas & mentis Torpor:* ad vitales, *profluvia ſanguinis & animi defectiones.* ad naturales demum; *Carnis effœminatio & totius corporis languor.*

Qua vero de cauſa *carnium effœminatio* à calido proveniat, facile quis dijudicabit (ut jam quidem ſupra monuimus) attenta perſpiratione copioſiori cutis & majori laxitate e corporibus calidis contingit; hinc motus Ariſtoteles *Lib de longit. & brevit. vitæ* dixit Æthiopes & qui Regiones ſub zona torrida inhabitant, non tantum imbecilles & effœminatos obſervari verum etiam breviſſimam vitam ducere, langueſcente nimirum vitali partium calore, & diſſipatis ex ambiente calido ſpiritibus, unde totius corporis & operationum vitalium languor.

Nervorum quoque imbecillitas ſeu incontinentia, ex eadem cauſa

cauſa provenit, etenim quotieſcunque partes ſolidæ corporis & viſcera quæcunque languent, tum ſanguis tum omnia fermenta, ex illo derivantia, plurimum diſſoluta, nequeunt liquorem nervorum ſuggerere talem ac tantum, qualis & quantus neceſſarius illis eſt ſed & fibræ nerveæ, plus juſto à calore delaxatæ, neque firmæ & conſtantes eſſe poſſunt, ad pondus partium ſuſtinendum, quamobrem nervorum imbecillitas contingit, unde etiam reliquæ partes imo totum corpus languidum obſervatur in omnibus præſertim operationibus animalibus. Notavit autem expreſſe Hippocrates *mentis Torporem & nervorum imbecillitatem*, ut tum ea quæ ad Hegemonicas ſeu principales (id eſt animales & vitales) operationes pertinent, tum etiam quæ ad operationes ſenſitivas & motivas ſunt addicta, ſub his duabus vocibus comprehenderet. & quidem *mentis Torpor* de quo *Sectione 3. Aph. 5.* docuit, nonniſi ſignificat hebetudinem operationum animalium, pertinentium ad ſenſus internos ſcilicet ad imaginativam æſtimativam & memorativam: *Nervorum* vero *imbecillitas* complectitur languorem ſenſuum externorum & motuum animalium, qui non niſi per nervos in muſculis peraguntur. Quod autem calidum frequenter adhibitum, valeat etiam ſenſus internos hebetare patet manifeſte ex iisdem rationibus ſupra recenſitis, nam ex illo funduntur humores, ſanguis diſſolvitur, ſuccus nerveus extenuatur, ſpiritus diſſipantur, quibus omnibus deficientibus, neceſſe eſt plurimum quoque hebeſcere & infringi, prædictas operationes animales, quæ absque vegeto ſanguine & nervorum liquore repurgato, itemque ſine præpollentibus ſpiritibus perfici non poſſunt

Neque ſolum læduntur quæ ad animalem partem pertinent operationes, verum etiam quæ ad vitales, ubi calidum intra fines mediocritatis non fuerit coercitum: Etenim cum id ejus ſit virtutis, ut rarefaciat, attenuet, diſſolvat, aperiat, procuſdubio laxatis venarum & arteriarum oſculis, atque eliquato ſanguine facile *hæmorrhagias* ſeu *profluvia ſanguinis* excitare poteſt, & quidem non ſolum referatione, ſed etiam eroſione vaſorum, præſertim cum in aliquibus, propter acredinem, prompte admodum in fermentationem arrigitur, & partim diſtendendo, partim etiam protitando extra ſua vaſa proſilit: Hac porro ratione fit, ut hæmorrhagiæ facilius contingant æſtate, & in regionibus calidis quam hyeme & in regionibus frigidis, quan-

doquidem per æſtatem & in regionibus calidis, ſanguis admodum ineſcit & prompte fermenteſcit, ſecus vero hyeme & in Regionibus frigidis. Quia vero non explicuit Hippocrates, unde ſanguis ex frequenti uſu calidorum profunderet, anſam præbet dubitandi, num ex naribus, ore, hæmorrhoidibus, an ex aliis corporis partibus erumpat: Credere autem licet ex omnibus indiſcriminatim poſſe manare, cum calor æque bene univerſum ſanguinem fundendo, poſſit omnes & quaſcunque venis aut arterias relaxare & aperire: ſed tamen ſpecialius poſſint narium arteriolæ ac venulæ veluti delicatiores, ejusmodi incommoda ſubire, præſertim in Adoleſcentibus; quamquam in cæteris etiam hæmorrhoides reſerati poſſint, pro varia corporum affectione, & ſanguinis in hanc vel illam partem irruptione faciliori.

Uſus deniq; eſt nomine *profluvii ſanguinis* græce *hæmorrhagia* ut nimirum oſtenderet, non quamcunque ſanguinis evacuationem exinde deſignari, ſed largam, copioſam & fortaſſe etiam iteratam, ad differentiam illarum ſanguinis evacuationum, quæ guttatim ſolum fiunt, & modica duntaxat quantitate quæq; ſtillicidia à Medicis appellari ſolent, cum paucæ nimirum ſtillæ erumpunt. Quod autem exitus ſanguinis copioſus & immoderatus hic intelligatur patet ex ſequenti textus dictione *animi defectionem*, nam animi defectio, non ex quacunq; ſanguinis evacuatione ſed ex immoderata & incompeſcibili procedit.

Contingit autem animi defectio, tum ex immodica ſanguinis eruptione tum etiam ex ſpirituum & partis ejusdem floridæ nimia diſſolutione, quamobrem, his deficientibus, vivens animo deficit & moritur, unde textus *ad quæ mors*. Pro animi vero defectione licet græce ſcriptum ſit *Lypothimia*, nihilominus cum exinde dicatur *ad quæ mors* ſeu *quibus mors ſuccedit*, certe fortis & vehemens illa intelligenda eſt, quæ proxime accedat ad Syncopen, niſi tamen Lypothimia ſæpius redeat, quo caſu etſi levior quam Syncope ſit, ob recidivam & reditum tamen facile poſſet mortem afferre, præſertim ubi quis natura debilis ex immoderata ſanguinis evacuatione, nullo negotio à quacunque animi defectione ſuccumbit.

Pro coronide non reticeo, prout ſupra obiter innui hunc Aphoriſmum Hippocratem potiſſimum ſcripſiſſe hominibus ſui ævi & Patriæ, ut nimirum à nimis familiari Balneorum uſu (quibus tunc erant dediti) deterrerentur; Germaniæ incolas, adinonitione hac

hac Hippocratica non egere, ex eo liquet, quod complures ſaltem Germani Balneorum externorum loco, hoſpitia potius colant, & guttura potius quam corpora diluant: unde Poeta.

Quicunque eſt Teuto morbum hunc ex ubere ſuxit.
Ad Lymphæ nomen pollet, ſudat, tremit, alget
Triſte eſt ſupplicium Germano audere carebis
Si neque ſuſpendit patrem, matremque cecidit.

Itali & Galli objiciunt Germanis ſequens diſtichon.

Germani cunctos poſſunt perferre labores
O Utinam! poſſent tam bene ferre ſitim.

Germani Italis & Gallis reſpondent ſequenti

Ut nos dulce merum, ſic vos Venus improba vexat
Lex poſita eſt Veneri, Julia nulla mero.
Germani litiunt vinum, tuque improbe Galle
Perfidiam, lites, diſſidiumque ſitis.

Difficultates & objectiones circa hunc Aphoriſmum moveri ſolitæ, jam ſunt ſolutæ in contextu.

Aphoriſmus XVII.

Frigidum vero convulſiones, Tetanos, nigrores (ſeu livores) & rigores febriles.

Contentum ſeu Intentio.

De frigidi excedentis noxis.

Connexio: Cum in præcedenti Aphoriſmo Hippocrates egiſſet de damnis & noxis calidi accedit nunc in præſenti Aphoriſmo, ad nocumenta & incommoda frigidi explananda; ut revera hic Aphoriſmus quaſi pars præcedentis eſſe videatur. Hic Aphoriſmus uniformis nullam ſubit diviſionem.

Pergit ergo nunc in hoc Aphoriſmo ad enarranda mala, quæ ex *frigore* viventibus contingunt, & pari loquendi formula non *frigus* ſed *frigidum* recenſet, pro quo etiam non qualitatem ſed corpus &

 rem

rem frigidam intelligere eſt, eamque potiſſimum cum humido conjunctam, veluti aqua frigida, nix, glacies, aliæve res conſimilis, quamquam quodcunque corpus frigidum, etiam durum, ſolidum, ſiccum, pro rata ſua intelligi poſſit, quemadmodum de calido ſuperius dictum eſt; ſed & aer ipſe qui inter corpora fluida collocatur, ſi frigidus plus juſto ſit, nive, grandine, gelu, itemque ventis Borealibus, pari ratione eadem detrimenta inferre poteſt, ut propterea quodcunque extrinſecus viventia male afficiens, frigore cujusvis generis poterit prænarrata mala excitare, verum tamen cum frigidum per comparationem ad calidum, longe admodum infenſius ſit hominum vitæ, quæ calore fovetur & conſervatur, plane, ut ejusmodi mala corpori inferat, intenſiori gradu moleſtare debet, etenim ab intraneo calore aliquatenus repercutitur, imo facta conſtipatione in poris cutis, aliquando vis illius fortificatur, niſi propter exceſſum externæ partes hebetentur & mortificentur.

Cum igitur extrinſecus ad motum, vel diuturniori tempore, vel intenſiori gradu, cutis poros conſtipando, effluvia impedit, & ſanguinem circulantem in apicibus arteriarum, per partes extimas corporis excurrentium, figit & coagulat, in cauſa eſt ut aliquando etiam mortificatio, ſyderatio ſeu ſphacelus ſubſequatur. Hinc ab Hippocrate, inter præcipua illius damna referuntur convulſiones, Tetani, Livores. *Convulſiones* quidem & *Tetani*, ob rigiditatem & contractionem inductam in fibris nerveis, & congelationem, in ipſo nervorum liquore ſeu ſucco nerveo, qui propterea nequit membranas irrorare, & pro rata ſua vigorem iisdem impertiri. *Convulſiones* autem hic memoratæ, non motus convulſivi, ſed veræ & propriæ convulſiones intelligendæ ſunt, per quas nervi & muſculi rigidi, immobiles & inflexibiles redduntur, cum frigoris ſit hebetare, obtundere, & motum cuicunque rei adimere. *Tetani* vero ad convulſiones etiam referuntur & quidem univerſales, cum ex illis univerſim corpus rigidum & immobile fiat, ut neque ad anteriora neque ad poſteriora flecti poſſit. Id autem non ſemel expertum eſt in his, qui per loca nivoſa & montana hyemali tempore iter facientes, ingentis frigoris incommoda ſubire coacti ſunt.

Accidunt præterea ex frigore *Livores* ſeu nigrities & mortificationes in partibus externis eandem ob cauſam, quia ſanguis præ frigore

gore conſtipante, nequit per eas partes circuire, ut proinde nec illas poſſit vivificare, unde veluti emortuæ, & viribus ac calore vitali deſtitutæ, nigrorem ſubeunt, ut in cadaveribus experimur. Obſervatum non raro etiam eſt, in tantam labefactationem externas partes corporis, potiſſimum manus & pedes incidiſſe, ut Gangrænam incurrerint, & deinde à reliquis partibus ſejunctæ, ſponte ſua conciderint, potiſſimum cum ad ignem, aliudque corpus impenſe calidum repente fuiſſent admotæ; quo moniti itinerantes per ejuſcemodi loca, non ſtatim ad extremum calorem & ignem ſe exponunt, ſed ſenſim ac lente pannis laneis, aut tepenti aqua calorem revocant, quouſque paulatim ſanguis per ſuos ductus remeare incipiat, & circuitum priſtinum repetere videatur. Addit in textu Hippocrates *Rigores*, qui licet in vulgari verſione legantur *febriles*, revera tamen febriles non ſunt, ſed tantum per analogiam tales dicuntur, quod ſcilicet quemadmodum incipientibus acceſſionibus febrilibus rigores accidunt, cum inæquali corporis concuſſione & ſenſu frigoris, ita ab externo frigore, vel aeris vel aquæ circumambientis, corpus univerſum riget & contremiſcit, inita quodammodo pugna inter ſanguinem arterioſum vi cordis & portione vivifica impulſum, ac frigoris externi vim conſtipantem & repercutientem atque ita inæqualiter cutim commoventem & contorquentem. In his autem mirum, quantum valeat iteratos uſus aquæ ardentis de phlegmate, etenim ipſa ſæpius lenificatione admota ſimul poros conſtrictos reſerat, & ſanguinem hærentem diſſolvit, atque in motum concitat & partes roborat, ut propterea cutaneos iſtos livores perquam optime deleat, citra ſuppurationem aut ulcerationem. Illam autem ut efficacius operetur, ſolent Practici vigorare, adjecta portione convenienti Camphoræ, vel etiam infuſis floribus & ſummitatibus roris marini ad plures dies in loco calido ad digeſtionem convenientem detentis, uti in ea quæ Reginæ Ungariæ nominatur.

Cæterum quod hæc mala ab externo frigore evenire Hippocrates doceat, palam fit, ex ſupra dictis de rigore & livore partium externarum, quippe rigor & livor non niſi ad partes extimas corporis pertinere poſſunt. Res autem frigidæ intro aſſumptæ, non ſolent ſimilia mala parere; quin & noſtro tempore gelidæ potiones tam in uſu frequenti ſunt, ut in deliciis habeantur & licet ſucceſſu temporis cruditates

ditates atque inde alia incommoda patiant, haud tamen memorata hæc in Aphoriſmo mala excitare obſervantur.

Quo denique pacto inductis ex frigore nocumentis præter jam dicta occurrere poſſimus, non erit abs re hoc loco breviter recenſere. Et primum animadverſione dignum videtur, quod quamvis his ex frigore in his calefacientibus debeamus opitulari non tamen illa affatim ac violenter, ſed ſenſim ac ſenſim erunt adhibenda, non minus enim nocere ſolent, frigefactis partibus calorifica ſubito ac repente adminiſtrata, quam frigida quæ antea læſerunt experientia enim cuique notum eſt algentes manus igni repente admotas, longe graviorem moleſtiam ſubire: Itaque opportebit paulatim amiſſum in partibus calorem reſtituere, pannis laneis ut dictum excalefactis, itemq; vino calente, ſpiritu vini camphorato & ſimilibus, cavendo immoderata calefacientia & violenter operantia.

Dices Hippocrates & omnes Authores dicunt convulſionem fieri, vel à repletione vel ab inanitione, ergo non fiet à frigore ut in hoc Aphoriſmo ℞. Hippocratem nullibi negaſſe convulſionem fieri a frigore imo aſſerunt præterea diximus per frigus non intelligi ſolam qualitatem, ſed rem & corpus frigidum, ergo haud dubie, convulſio æque fit a repletione imo etiam ab inanitione fieri diciȷure merito poteſt, quando nimium per frigus conſtipans, coarctando & repercutiendo, ſanguinem & ſpiritus, partes potiſſimum vero nervos inanit

Inſtabis Quando corpus à frigore riget, non poteſt fieri motus convulſivus, quia partes fiunt immobiles, ergo à frigore non poteſt fieri convulſio ℞. Nos in texta jam dixiſſe hic veram convulſionem & non motum convulſivum eſſe intelligendum vel diſtinguere, ſi placet, poſſumus, non poteſt fieri motus convulſivus localis ſeu de loco in locum concedo. Tonicus ſeu firmus & conſtans nego.

Aphoriſmus XIIX.

Frigidum inimicum oſſibus, dentibus, nervis, cerebro, ſpinali (ſeu dorſali) medulla: calidum vero amicum (ſeu utile.)

Con-

Contentum ſeu Intentio.

De frigidi noxis quoad certas partes.

Connexio. Cum in præcedentibus Aphoriſmis Hippocrates nocumenta à frigido & à calido, univerſim provenientia retuliſſet: In hoc nunc Aphoriſmo recenſet partes ſeu membra quibus frigus ſpecialius nocet, & calidum e contra proficit & quidem frigidum inimicum oſſibus, dentibus, nervis, cerebro, ſpinali medullæ; calidum vero iisdem utile & amicum eſſe declarat.

Hic Aphoriſmus, juxta duas concluſiones in duas partes dividitur; quarum *prima* docet, quibus membris frigidum noceat. *Secunda* quod calidum iisdem proſit.

Rationem hujus ſententiæ fere communiter interpretes deſumunt à natura & conditione partium ſpermaticarum. Inquiunt enim carnoſas ſeu ſanguineas partes, ſua natura calidas eſſe; Spermaticas vero frigidas ſeu exangues. Sicut autem carnoſæ partes melius reſiſtunt, agentibus frigorificis, ita ex adverſo partes ſpermaticæ, ab his plurimum offenduntur. juxta illud *Similia ſimilibus conſervantur, contraria contrariis curantur*: Verum hoc ipſum in controverſiam vertit jam pridem *Laurentius Ioubertus Lib. I. Paradoxorum*, qui acriter contendit, partes ſpermaticas, veluti à ſemine calidiori (Galenus enim ipſe ſemen calidius ſanguine exiſtimat, quia eſt magis coctum & ſpiritu copioſiori præditum) oriundas, calidiores carnoſis ſeu ſanguineis debere dici, juxta receptam veterum opinionem, qui exiſtimabant omnes partes corporis, vel à ſemine, vel à ſanguine, quaſi duobus generationis humanæ comprincipiis exoriri; cumque oſſa, dentes, cerebrum, ſpinalem medullam, nervos, membranas, aliasque partes ſimiles a ſemine profectas dicerent, propterea ſpermaticas illas appellarunt. At vero, cum recentiorum anatomicorum accuratiſſimis obſervationibus compertum jam abunde ſit, omnes partes corporis, primordia ſua ſumere, à materia illa albuginea in ovo contenta, nutricationem autem & incrementum ſolum à ſanguine, ejusque portione glutinoſa, proinde fit ut ejusmodi partium corporis diſtinctio, vana apud ipſos reputetur, ſed ſolum quæ irriguum ſanguinem affluentius

 exci-

excipiunt, ſint vivaciores & calidiores, quæ vero exiles tantum arteriolas & venulas ſortiuntur, debiliores, minusque calidæ obſerventur, unde quæ carnoſæ dicuntur, ab abundantiori ſanguine, quo irrorantur, ſint calidiores, reliquæ vero ſpermaticæ appellatæ, ob ſanguinis paucitatem & exilitatem arteriolarum dicantur frigidæ.

Quo autem pacto *frigidum* enarratis partibus officiat, breviter hic quæri poteſt, nam etſi hoc apud omnes receptum ſit, non cunctis tamen æque bene videtur explicatum, potiſſimum quia experimur, frigidam etiam aquam, quibusdam partibus magnopere prodeſſe, unde dentes & os, frigida aqua abluti firmantur magis, & oculi pari ratione ſub frigidis lotionibus mirifice inſtaurantur unde *Q. Serenus*:

> Sæpe etiam gelida, gingivas colſue Lymphæ
> Dentibus ut poſſis, validum firmare tenorem.

Et *Plinius Lib. 28. cap. 4.* inter remedia doloris dentium numerat collutionem ex aqua frigida matutino tempore.

Verum facile difficultas ſolvitur, attenta cauſa unde calor in viventibus habeatur. is quippe a ſolo ſanguine eſt, adeoque quas partes ſanguis bene irrigat, & affluenter fovet, ſimul una calefacit & roborat, at vero ubi nec irrigare neque fovere poteſt, non ſolum frigus perſentitur, ſed & gravis noxa percipitur: cum igitur cerebrum, nervi, ſpinalis medulla, perioſtia, membranæ, aliæque partes modico ſanguine irroratæ, à frigore offenduntur, gravem noxam ſubeunt, ab impedita in ipſis, vel ſaltem magnopere hebetata ſanguinis ſpirituoſi circulatione. Sed non tantum in ſpecialibus partibus corporis id evenire experimur, verum etiam in omnibus corporibus debilibus & extenuatis, quæ vehementer à frigore læduntur, quia in his à frigore torpeſcit ſanguis, ejusque circulatio præpeditur, imo aliquoties etiam hæret, unde poſtea tumores, abſceſſus, inflammationes exoriuntur. Sed & aqua frigida non dentibus ſed gingivis potius prodeſt, & facta nimirum in ipſis corrugatione, retuſisque in ipſas irruentibus acribus humoribus, ex quibus ſæpenumero vacillant. Hinc patet quoque de frigido extrinſecus occurſante ſermonem Hippocratem hic habuiſſe, cum a frigore præſertim ambiente, vel aeris vel aquæ gelidæ, vel ventorum Borealium de quibus Lib. 3. Aph. 1. 2. 3. 4. 5. & ſequentibus. cerebrum ſpinalis medulla, dentes

dentes & oſſa vehementer afficiantur. Quemadmodum enim vita noſtra in calore conſiſtit, quem veluti radium ab ipſo luminari majore, nempe ſole, mutuatum ad hæc inferiora detuliſſe *Prometheum* Poetæ fabulantur: idipſum Peripateticorum Princeps *Ariſtoteles 2. Phyſicorum text 26.* expreſſe docet *ſol & homo generant hominem* Ita mors contrario modo in frigido conſiſtit & radios ſuos a luna (utpote luminari minore & frigido) quæ lethiferum nobis frigus in hæc inferiora quotidie immittit.

Verum quemadmodum à frigore prænarratæ partes graviter lædi ſolent, ita ex adverſo convenienti calore plurimum juvantur, unde Hippocrates in Aphoriſmo ſubjunxit: *Calidum vero utile ſeu amicum*: verum tamen hic non intelligendum calidum vehemens & immoderatum, nam ut ſupra dictum, non minus illud nocere poteſt, cum repente & violenter adhibetur, quam frigidum præmature inductum, ideoque moderatum & conveniens eſſe debet, hinc qui nimis calide vorant & deſuper nimis frigide bibunt vehementer dentes lædunt, imo perdunt: quamvis comparatione facta inter frigidum & calidum excedenti gradu applicatum, levior ſemper noxa à calido quam à frigido partibus mox ſupra memoratis inferatur. Hinc in omnibus affectibus cerebri, medullæ ſpinalis, nervorum, oſſium, aliarumque partium exanguium, uti ſolemus medicamentis, tum extrinſecis tum intrinſecis moderate calefacientibus, quin & pro ſpina & nervis inde exorientibus ſemper prodeſſe conſueverunt, unctiones ex oleis ac linimentis calorificis, quibus ſcilicet modicus harum partium calor reviviſcat, & humores, ſi qui forte ibi hæſerunt, leniter digerantur & extenuentur.

Quæres 1. An viris an fœminis frigus magis obſit? ℞. Nullam in hoc ſubeſſe dubitandi rationem, cum fœminæ viris ſint frigidiores ut ex ſuperius dictis patet, & unanimis eſt Medicorum ſententia: Verum ut & alibi diximus, hoc cum diſtinctione eſſe intelligendum, cum autopſia & exemplis res luce meridiana ſit clarior, multos dari virgines & Hecubas viris quibusdam longe calidiores, quod ipſum teſtatur Poeta:

Si ſpectes mores, mage callida fœmina; quam vir,
Temperiem ſpectes, vir magis eſt calidus.

Quæres 2. Cur Hippocrates in hoc Aphoriſmo, dentes ab oſſi-

 bus

bus ſeparaverit? ℞. Forſan ideo ſeparaſſe dentes ab oſſibus, quia oſſa per ſe vel ſaltem valde obtuſe ſentiunt, dentes vero dolent ſive id per ſe accidat, ſeu per nervum, qui in radicem eorum inſeritur.

Dices: Oſſa non ſentiunt, ergo prorſus non læduntur à frigido. ℞. Non læduntur ſentiendo, transeat, non læduntur patiendo, nego.

Aphoriſmus XIX.

Quæ perfrigerata ſunt, calefacere oportet præter ea (ſeu exceptis iis) quæ ſanguinem profundunt, aut brevi ſunt profuſura (ſeu quibus ſanguis fluit, aut fluxurus eſt.

Contentum ſeu Intentio.

De cura pernionum ſeu partium congelatarum.

C*onnexio*: Cum Hippocrates in præcedenti Aphoriſmo dixiſſet de refrigeratione partium præcipue exanguium. In hoc præſenti Aphoriſmo de eadem in facto eſſe agit, ſimulque docet, quomodo iſthæc curanda ſit. Hic Aphoriſmus duas habet concluſiones, & ideo in duas partes dividitur: *Prima* dicit calefaciendas eſſe partes refrigeratas: *Secunda* negat id faciendum, ſi ſanguis fluat, aut fluxurus ſit.

Quod ergo præcedentibus Aphoriſmis dixerat Hippocrates, de incommodis calidi & frigidi, quæque à frigore mala oriri poſſent, partibus potiſſimum exanguibus, nunc in correctionem illorum ſubdit, excalefacienda eſſe ea, quæ præter modum ſunt refrigerata, ut propterea videatur veluti per corollarium ſuperioris Aphoriſmi documenta tradere, quo pacto tractanda ſint membra a frigore maleaffecta: Etenim ſi calidum illis utile eſt, certe cum fuerint refrigerata, calorificis erunt in ſtatum naturalem reducenda, adhibita tamen in ejuſmodi partibus male affectis diſtinctione: nam alio modo cerebrum ac ſpinalis medulla, & alio modo dentes ac oſſa calefacientibus fovenda erunt.

Quamvis inſuper indiſcriminatim dixerit refrigerata calefacere

re oportere, & quidem tum extrinſecus tum intrinſecus calorificis adhibitis, nihilominus attentis his, quæ in præcedentibus Aphoriſmis dicta ſunt, veriſimilius videntur extrinſecus calefacientia commendata, quemadmodum ſunt fotus unctiones, balneationes &c. Neque ſolum earum rerum quæ virtute ac potentia calorem in partibus valent excitare, ſed etiam, quæ actuali ut vocant calore fovere, & in priſtinum ſtatum, vim & facultatem illarum reſtituere valent & ſolent, quemadmodum ſuperius diximus de vino calente, de aqua calida, de balneis aquarum thermalium & aliis ſimilibus. Id ipſum etiam aſſequi licebit, beneficio aëris vel natura ſua calidioris, vel ope artis excalefacti, ut fieri ſolet in Laconicis, ubi etiam aromata diverſi generis ſuavem odorem ſpirent, ut exinde & calor & robur partibus ſuggeratur.

Generale autem hoc præceptum, de calefaciendis partibus refrigeratis, in hoc Aphoriſmo traditum, excipit & limitat Hippocrates, in his, quæ vel ſanguinem fundunt, vel fuſioni obnoxiæ ſunt, unde in textu ſubdit: *exceptis iis, quibus ſanguis fluit vel fluxurus eſt*: vel ut melius vertit Fuchſius, *unde ſanguis profluit, aut profluxurus eſt*. Etenim licet quæ refrigerata ſunt, ut reviviſcant, calorem expoſtulent, nihilominus indicatione deſumpta à ſanguine fluente vel fluxuro, velut à prævalentiori ſeu urgentiori, ejuſmodi calefacientium adminiſtratio locum habere nonpotent, quippe calefacientia fluentem ſanguinem magis funderent, & vaſa aperta aut relaxata magis reſerarent, quandoquidem calidi eſt aperire, attenuare, diſſolvere, frigidi vero conſtipare, coagulare, & cohibere. Exemplo res fiet clarior v. gr. Alicui ſit rupta vena in pectore ex frigiditate in hoc licet ratione cauſæ calefaciens remedium requiratur: ratione tamen ſanguinis, qui fluit aut fluxurus eſt prohibetur. Item, ſi mulieri, magis quam decet, fluxura eſſent menſtrua, etiamſi uterus ſit refrigeratus, non tamen illum licet calefacere, aliàs fluxus ſanguinis major excitatur, ex dictis jam rationibus: Hinc in gratiam ſanguinis, ne plus juſto fluat, imo potius, ut decet intra ſuos ductus detineatur, à calorificis cavendum & corrugantia, frigefacientia adminiſtranda erunt.

Cujus autem conditionis iſta eſſe debeant, non admodum difficile erit determinare: Equidem etſi frigefacientia generali-

ter ſanguini fluenti cohibendo proficua ſint, cum ſubinde ſanguinem in ſuo motu remorentur, & vaſa adaperta corrugent, unde nix ſola, ſæpius fluentem ſanguinem cohibuit, nihilominus ſi præter vim frigefactoriam, annexam habeant facultatem ſtypticam & adſtringentem, proculdubio efficaciora erunt, cujusmodi ſunt quæ ponticam & auſteram conditionem ſunt ſortita, quæ ex praxi petenda ſunt.

Objectiones & difficultates in contextu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus XX.

Frigidum ulceribus mordax, cutem obdurat, dolorem inſuppurabilem facit, livorem (ſeu nigrorem) inducit, rigores febriles, convulſiones, & Tetanos.

Contentum ſeu Intentio.

De ulterioribus noxis frigidi.

C*onnexio.* Cum in præcedenti Aphoriſmo abſolute docuiſſet Hippocrates, quibus membris frigida nocent: In hoc præſenti Aphoriſmo explicat, quibus morbis potiſſimum adverſetur, ſeu quos morbos deteriores reddit frigus & præcipue ulcera, convulſiones, rigores, Tetanos. Et quemadmodum in præcedenti Aphoriſmo Hippocrates frigorifica commendaverat, in his, quibus ſanguis fluit, aut fluxurus eſt, etſi à frigidis videantur lædi poſſe: ita in hoc præſenti Aphoriſmo, uſum illorum excipit, in illis partibus, quæ ulceratæ ſunt, licet in his de ſanguinis profluvio timeatur, quia inquit, *frigidum ulceribus nocuum eſt & valde pernicioſum:* vulnerum enim & ulcerum corruptor eſt aer maxime vero frigidus.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur. Antequam ad deductionem hujus Aphoriſmi deſcendam, liceat hanc aphoriſticam ſententiam clariorem reddere *ex Lib. de liquidorum uſu,* unde illa deſumpta videtur, nam ex verſione *Leoceni* non tantum obſcura eſt, ſed multis difficultatibus obvoluta, ſcribitur autem *citato libro de liquidorum uſu*: *Ulceribus frigida* (id eſt aquæ) *mordax cutem obdurat,*

durat, doloroſa non ſuppurare facit, livefacit, nigrefacit, rigores febriles facit, convulſiones retro & ante diſtenſiones. Vel ut exponit *Cardanus*: *Frigidum ulceribus mordax, & obdurat cutim, ſeu ulceris labra, dolores facit, & quæcunque in ulcere ſunt, prohibet ſuppurare*, his præmiſſis:

Dicitur ergo primo *frigidum mordax*, quod an intelligendum ſit, ut in cauſa, an vero potius, ut ex effectu, difficultas eſſe poteſt: Nam ſi ut cauſa malorum in hoc Aphoriſmo enumeratorum intelligatur profecto non omne frigidum ulceribus nocuum dicendum erit, ſed duntaxat quod mordax, pungens, acutum & per modum ignis combuſtivum ſeu urens eſt: de quo *Virgilius* dum canit *penetrabile frigus adurit*: Si vero intelligatur in effectu, quodlibet frigidum etiam leve, mordax & nocuum fiet ulceribus.

Et quamvis fere cunctis expoſitoribus congruentius videatur, adjectum frigore verbum illud *mordax*, referendum eſſe ad *effectus* ejuſdem, ut inter alia illius mala præcipuum illud ſit, partem ulceratam, mordere, vellicare, ac pungere, quod ſane cuique ulceri valde nocuum eſt, cum ulcus quodlibet ſua natura poſtulet, ut ſanetur à quacunque irritatione & moleſtia liberum eſſe, eo quod per irritationem facile ad partem ulceratam humores confluant, & vaſa proritata aperiantur, ſi nihilominus conſideretur mordacitas frigoris ut *cauſa*, ita ut ſenſus ſiat, non omne frigus ulceribus nocere, ſed quod mordax & acutum eſt, conveniet plane menti Hippocratis. Etenim illud frigus proprie noxium partibus ulceratis percipitur, quod intenſum pungens & mordax eſt, cujus cauſa cutis corrugatur, ſanies detinetur, & pars ulcerata compungitur & elanguet. Sic non raro a Chirurgis adhiberi conſuevetunt ulceribus medicamenta, tum actu tum potentia frigida, quæ tamen, quia moderate talia ſunt, nullum incommodum afferunt, at vero ſi in gradu excedunt, moleſtiſſima ſunt. Et quidem frigidum immoderatum, quale eſt glaciei, poros cutis diſcerpit & extorquet, cutim ipſam (ut dicit textus) obdurat, livores & rigores efficit. Illud vero certum omnino erit, frigidum hoc loco memoratum, quod actuale dicitur, potius intelligendum eſſe, quam quod potentia eſt frigefactorium quamquam Fuchſius, Cardanus, aliique plures interpretes, nomine frigidi hic memorati, aquam frigidam duntaxat intellectam velint, qualis eſt glacialis, quæ & actu & potentia frigorifica eſt, & non minus qualitate, quam ſub-

ſtan-

ſtantia, imo miſtura ſalium, præſertim ſalisnitri (ſeu Salnitri) partibus nerveis viventibus nocua obſervatur, adeoque longe magis ulceratis & morbo affectis inimica. Quod præterea frigus cutem obduret, patet manifeſte, quia pori cutis ab illo conſtipantur, & adeo arcte vinciuntur ac conſtringuntur, ut perſpirationi impedimento ſint, quamobrem jure optimo, ſub nomine amicitiæ, a quibusdam fuit appellatum, cum autem omnes partes ſtrictim uniat & coarctet, ea ratione ſimul obdurat, quemadmodum experimur in luto, atqui humana cutis à frigore hyemali adeo conſtringitur, ut ſæpiſſime obrigeſcat, & præter duritiem aliquando emoriatur. In ulceribus autem frigus, circumpoſita labia denſando, conglutinationem impedit, & ſanguini vivificanti obicem facit.

Sed qua ratione ſcriptum ſit, *dolorem inſuppurabilem facere* dubium eſſe poteſt. verum *ex cit. loco de liquidorum uſu* ſolvitur difficultas. ibi enim ſcribitur, *doloroſa non ſuppurari facit*, id eſt ea, quæ circa labia ulceris continentur, & per ſuppurationem digeri atque expurgari deberent, ordinato frigore detinentur & ſuppurationi non ſubjiciuntur. Suppuratio enim ope caloris, juxta omnium mentem peragitur, cujus cauſa partes heterogeneæ ab invicem disjunguntur & ſequeſtrantur (caloris enim eſt homogenea congregare & diſgregare heterogenea) at vero per frigus, una ſimul vinciuntur & commiſcentur cum frigoris ſit homogenea & heterogenea congregare. Sic & fermentatio, quæ omnino neceſſaria eſt in ſuppuratione, per frigidi adminiſtrationem penitus inhibetur, unde qui humor circa labia ulceris detentus & dolorem afferens, in ſuppurationem deſineret per frigus in pus verti nequit, adeoque inſuppurabilis fit: hinc dici quodammodo poteſt, frigus ſuppurationem impediendo dolorem facere inſuppurabilem.

Inducit quoq; frigus *livorem & rigores febriles*, pari modo ac ſuperius de effectibus frigoris generatim dictum eſt. Si enim frigus hebetat, obtundit & mordificat, plane livorem nullo modo pariet. rigores autem febriles induci dicuntur à frigore, per analogiam eorum qui febribus rigorificis contingunt, ut antea etiam notatum eſt quamquam poſſint etiam rigores revera febriles, & febres ipſæ exinde oriri, quatenus humores in ulceribus detenti, nec bene repurgati, circulantem ſanguinem inficiunt, & in debitam cum ipſo

fer-

fermentationem, excitant, unde poſtmodum febres rigoribus ſociatæ, imo cum aliis gravioribus ſymptomatibus conjunctæ: ulcera ſiquidem ſordida & male affecta, præſertim cum virulentam conditionem nacta fuerint, facili negotio febres acutas excitant, & cum rigoribus malignitatem monſtrantibus conjunctas, quod ſi fortaſſe ſuppurationem internam ſubeant, ut non raro fieri ſolet in partibus muſculoſis & cavum admittentibus, certe rigor inde ſequetur & febris, juxta dictum ejuſdem Hippocratis *2. Aphoriſm. 47. Dum pus fit dolor & febris intenditur pure autem confecto omnia remittunt.*

Convulſiones denique & *Tetanos*, frigus parit in ulceribus, quia ut ſupra diximus, frigidum nervis & cerebro inimicum, abſque ullo ulcere convulſiones ac Tetanos affert; quanto magis excitabit in ulceribus, ubi non tantum ſaniei ex ulcere prodeuntis pravitate, ſed & irritatione in partibus ulceratis inducta, quam maxime poſſunt nervi & nervorum fibræ, ſaltem per conſenſum affici & impenſe proritari, cum nulla pars extima ſit quæ ſenſu ſuo non ſit prædita, adeoque nervis plurimis referta, quandoquidem in ulceribus fieri nequit, quin cutis panniculus carnoſus, muſculi, aliaque partes nerveæ collædantur, & diſſocientur. Sed & mala membris particularibus illata, potiſſimum ab ulcerum ſanie contingunt, quæ ſi fortaſſe per cerebri meditullium diffundatur aut etiam in ſpinam dorſi decumbat plane non tantum convulſiones particulares accident, verum etiam univerſales, quales *Tetani* in quibus & ad anteriora & ad poſteriora corpus redditur rigidum & inflexibile, atque hinc ubi in Aphoriſmo ſcribitur *Tetanos* in ſupra *citato libro de liquidorum uſu* clarius exponitur, *retro & ante diſtenſiones.* Cæterum frigus potiſſimum mordax, & intenſum, duplici de cauſa ulceratis partibus obeſt, una ex detenta ſanie, plerumque corrupta altera ex hebetudine aut mortificatione, unde partes diſtentæ aut reſolutæ poſtremo remanent. Quamobrem monet Hippocrates lib. de Ulceribus, ſi quando abluenda ſunt ulcera, in partibus carnoſis, vino id faciendum præcipit at in partibus nervoſis & in articulis, non vino, quia mordax illis eſt ſed potius tepida aut calida aqua.

Quæres utrum etiam Aphoriſmus intelligendus ſit de vulneribus? R. Quod ſic.

Dices Hippocrates *lib. de Vulneribus capitis dicit*: Vulnera capitis facilius ſanari in hyeme quam æſtate, ergo frigus illis

illis non adeò eſſe inimicum, & id fieri per accidens, in hyeme enim non eſt tantus humorum impetus ad caput, neque tanta illorum ſolutio & raritas, ut in æſtate; non tamen indè ſequitur, frigida quoq; is tempore eſſe adhibenda.

Reliquæ difficultates in contextu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus XXI.

Eſt tamen ubi in Tetano ſine ulcere, Juveni bene carnoſo, æſtate media, frigida aquæ larga profuſio, calorem revocat: (Calor autem hac ſanat (ſeu ſolvit)

Contentum ſeu Intentio.

De uſu & utilitate frigidi in Tetano.

C*onnexio* Cùm Hippocrates præcedenter, de convulſione & Tetano tractâſſet, atque à frigido fieri dixiſſet. In hoc Aphoriſmo curandi illum occaſionem arripit, & præceptum tradit ad artem valdè utile quo oſtendit (multis forſan Paradoxum) frigus & efficiendi & ſolvendi ſeu curandi Tetanum vim habere, & proinde non eſſe univerſaliter verum illud argumentum, quod a juvantibus & lædentibus ſumitur cum & a ſimili & à contrario morbus idem ſolvi poſſit.

Hic Aphoriſmus in duas partes dividi poteſt: *Prima* continet propoſitionem & gloſſam: *Secunda* illius cauſam.

Melius hanc ſententiam ex græco Codice vertit Fuchſius, inquiens: *Nonnunquam in diſtentione* (diſtentio autem idem eſt ac Tetanus) *ſine ulcere, juvene mediocri corporis habitu prædito, æſtate media*: hac quippe ratione cohærentius nectitur hic Aphoriſmus præcedenti. Sed adhuc clarius Heurnius *Sed tamen fieri poteſt, ut in Tetano ulceris experte*, ut propterea ſenſus ſit, aliquando frigidæ aquæ uſum utilem eſſe poſſe, ſive ut mavult Cardanus, exiſtimans, tacitæ cuidam objectioni ex hoc Aphoriſmo reſponderi, ſi fortaſſe quis opponeret, frigidam aquam in diſtenſione nervorum aliquando profuiſſe, ſed quidem non niſi ex accidenti ſolum id evenire, *atq; in juvene, bene corporis habitu prædito, in media æſtate & abſq; ullo ulcere*; Hinc ideo Galenus falſi-

fallitur, qui putat id perpetuo agendum in quacunque convulſione dummodo prædictæ conditiones adſint; nam quod aliquando in uſum duci potuit, & ex accidenti tantum proficere perperam generaliter prolatū aut in omnibus commendatum quis crederet? alias omnino temeraria dicenda foret ejusmodi convulſionis curatio, quæ omni ex parte periculoſa vel valde dubia eſt, cum tamen ipſe Hippocrates in ſuo Jure jurando, ſe quodcunque dubium omnino vitaturum pollicetur. medica enim manus non in nocumentum ſed in ægri juvamentum ita prompta eſſe debet, ut ſi non juvet ſaltem non noceat.

Verum ſingulas conditiones, quas in Aphoriſmo Hippocrates vult eſſe conſiderandas, ad rei eruendæ facilitatem breviter perpendamus & diſcutiamus.

Primo inquit *in Tetano ſine ulceratione*: in Tetano quidem, in quo tam partes anteriores quam poſteriores ſunt æqualiter diſtentæ, ut proptorea uniformiter frigidæ aquæ perfuſio facienda ſit & æqualis: Si aliquæ partes tantum forent affectæ, puta anteriores, certe non bene conſtaret ubi aquæ frigidæ perfuſio facienda foret, & num potius pars ſana exinde læſionem ſubiret, quam laborans juvamentum eſſet receptura: *Sine ulceratione* vero, hoc eſt, quod nullum ulcus corpus affectum patiatur, nam ratione ulceris, aquæ frigidæ perfuſio prohiberetur, quia frigidum ulceribus nocuum præcedenti Aphoriſmo demonſtratum eſt, unde plane nullum juvamentum in Tetano ſequeretur, & ex adverſo, maximum detrimentum, ulceratæ parti inferretur, ut patet.

Secundo dicitur: *Juvene bene carnoſo* pro quo melius Fuchſius: *Mediocri corporis habitu prædito*, etenim in græco Codice legitur εὔσαρκον, quod non carnoſum omnino & obeſum, neque gracile intelligendum eſt, ſed quod mediat inter utrumque: Obeſa enim corpora propter pinguedinem, & venarum atque arteriarum exilitatem, non multo potiuntur calore, atque adeo facile ſuccumberent tantæ aquæ gelidæ profuſioni: Graciles vero, utpote excarnes, neque ſufferre poſſent frigoris vim ex aqua gelida, ſed nec impetum ejusdem repentinum utpote qui non bene reſiſtunt frigidis alterantibus, imo ab his facillime læduntur; At vero qui medii ſunt, inter obeſos & graciles, moderatè carnoſi græcè εὔσαρκοι, utrumque facilius multo ſufferunt, ſed & ob ſanguinis floriditatem, indeque vitalem calorem, ac conve-

 men-

mitertem carnium habitudinem & fortem viſcerum texturam, minime ſanguinis profuſione debilitantur, ſed magis & magis potius vigorantur facta in poris partium conſtipatione; quamobrem præter bonam corporis conſtitutionem carnoſam, additur *in Textu* eſſe oportere *juvenem*, cum in hac *ætate* quæcunq; in ſanguine & viſceribus neceſſaria ſunt, exquiſitiſſime inveniantur. Senes autem & pueri, velut impotentes ab ejuſmodi remedii adminiſtratione excluduntur; & merito, quia pueri carnes molles admodum habent, ac ſanguinem glutinoſitate potius, quam floriditate præpollentem, & ſenes in utriſque deficiunt. Ideoque optimo jure conjunxit Hippocrates juventutem & carnoſam corporis conſtitutionem, ut ex utroq; capite, robur partium, & calor vitalis validus in ſanguine præexiſtat, atq; per frigidæ profuſionem vehementius ſanguinis fermentatio promoveatur.

Tertio ſubdit *æſtate media*, vigente ſcilicet ſummo æſtu in aere, cum enim eo tempore pori cutis laxiores ſint, & longe potentior tranſpiratio ut non tantum halitus & vapores, e corpore perſpirent, ſed etiam ſudor ſponte ſua uberrimus liberatur, proinde fit, ut frigidæ aquæ profuſione, conſtipatis poris atque impedita perſpiratione, universus calor tepercimatur, id intima atque impetu quodam adoriatur cauſam morbificam Tetani conſervatricem; neque vero aqua quæ perfunditur ſimplex & ordinaria eſſe debet, ſed frigida, etiam nive frigefacta atque copioſe affuſa, ut immutatio ſubita ac violenta fiat, in omnibus partibus corporis commotio, obrigeſcente ſimul, & vehementer denſata cute adeo ut nihil perſpirare permittat, ſed calor universus per ſanguinis commotionem vehementiorem, ad intimas partes recolligatur, impetatque in muſculos & nervos Tetano affectos; bene igitur Avicenna *2 Tertii cap 7 inquit Hac perfuſione obſtructis meatibus cutis, & refugiente calore intus, atq; collecto, materia illa conſumitur atque diſſolvitur, atque ad priſtinum redeunt ſtatum:* quod & Hippocrates ipſe in Aphoriſmo adjecit inquiens. *Frigida aqua multa perfuſio calorem revocat, calor autem hæc ſolvit.* Calorem enim naturalem occurſu frigoris præter naturalis per Antiperiſtaſim multiplicari poſſe, Medicorum & Philoſophorum vetus veritatis eſt oraculum. Eſt autem Antiperiſtaſis actio, quæ agens a contrario obſeſſum & oppugnatum colligit quaſi ſpiritus, & evadit fortius, ad retundendas contrarii agentis vires, proinde hæc mox ſupra clare & medice conformiter effato Hippocratis dilucidavimus.

Quo

Quomodo autem iſta frigida perfuſio adhibenda ſit, idem Hippocrates explicat *3. de morbis*, ubi iſtius morbi curationem proponit his verbis: *Aquam plurimam frigidam ſuperinfundito, & poſtea veſtimenta tenuia pura ac calida ſuperintegito, ignem autem tunc non adhibeto.* Hinc ſuperinfundendam aquam frigidam jubet, illamque plurimam frequenter & ex alto potiſſimum autem ad partes corporis carnoſas qualis venter eſt inferior & hypochondria, caput tamen vitando, deinde cooperiendum eſſe ægrum veſtimentis tenuibus, pure, ac calidis v. g. Lineis excalefactis, ad provocandum ſudorem nullo interea igne admoto, ne ſcilicet calor intro collectus denuo ad cutim diffundatur, ſed per aliquod tempus ita detineatur, quousque materia Tetani fuerit ſubacta, & nervi in priſtinum ſtatum fuerint reſtituti, id quod ſpatio duodecim, vel viginti horarum ad ſummum peragi ſolet.

Procotonide non eſt omittenda Pauli Æginetæ in hac re animadverſio, qui lib. 3. cap. 20 admonet, iſtam frigidæ ſuper infuſionem maxime temerariam eſſe atq; poſteris vituperatam, adeoque à ſeipſo damnatam & devitatam; Equidem niſi naturam adminiculantem habent, quæ ſubito cauſam morbificam vincat & diſſolvat in maximo periculo æger verſabitur, imo irreparabiliter ſuccumbet; Fieri enim poteſt, ut calor qui exinde ſperatur, revocandus ad intima atque adeo morbum debellaturus frigidæ aquæ perfuſione potius extinguatur, quamobrem factum eſt, ut nemo amplius in praxi ſit auſus, ejuscemodi curationem tentare, ſed neque Hippocrates, revera illam hic recommendat, ſed ſolum inquit, qua ratione illa ſi tentetur conferat, & in quibus corporibus, & cum quibus conditionibus caute adminiſtranda ſit, ut antea jam diximus. Id quod ſemel tantum in fœmina quadam *5 Epidem* vehementi dolore ex præfocatione uteri laborante & vix non exanimata peractum a ſe ipſo memoratur, cui plusquam triginta frigidæ Amphoras ſuperfundit, erat autem craſſa mulier. *2. autem Epidem* aſſerit, etiam aquam tepidam, emortua membra in debilibus revocare, uti præſtitit in muliere illa, quæ ex cholerica affectione penè exanimata fuit.

Dices Dantur diſtentiones in inflammationibus; ergo & hæ erunt aqua frigida perfundendæ. Rℓ. hunc Aphoriſmum maxime intelligendum, de diſtenſione frigida, non de calida.

Dices II. Si quadrati tantum & carnoſi ſunt profundendi, ergo in animi deliquiis, omnes peſſimè perfunduntur, & quidem circa caput, quod eſt pars excarnis. ℞. Tales etiam tantum in facie ubi maxime carnoſa eſt, aſpergendos eſſe, hoc eſt circa mentum & buccas.

Aphoriſmus XXII.

Calidum ſuppurationem faciens (ſeu calidum ſuppuratorium) non in omni ulcere, maximum ſecuritatis præſtat indicium: cutem emollit, extenuat, dolorem lenit, rigores, convulſiones & Tetanos mitigat; capitis ſolvit gravitatem; oſſibus fractu plurimum prodeſt, maxime ſi nudata ſint, multoque magis iis, qui in capite ulcera habent; iis etiam, quæ moriuntur aut ulcerantur à frigore; herpetibus denique exedentibus, ſedi, pudendis, utero, veſica; his omnibus calidum amicum & decretorium (ſeu indicans) frigidum inimicum & interimens.

Contentum ſeu Intentio.

De Calidi uſu Medico.

CONNEXIO: Cum Hippocrates plura, in præcedentibus Aphoriſmis de calidi nocumentis tractâſſet. In hoc præſenti Aphoriſmo de calidi & juvamentis & nocumentis, ſeu in quibus calidum juvet aut debeat adhiberi, aut quibus ex adverſo noceat, aut debeat vitari, tractat, unde patet hunc Aphoriſmum omnino directum ad praxim Chirurgicam, & ad rectam, rerum calidarum in partibus ulceratis adminiſtrationem.

Hic Aphoriſmus plurimas continet concluſiones, adeoque in tot dividi poteſt partes, quæ novem numero ſunt *Prima.* Calidum in quo ulcere pus movet, maximum ſecuritatis præſtat indicium:

Secun-

Secunda cutem emollit, extenuat: *Tertia* dolorem lenit: *Quarta*: rigores, convulſiones, Tetanos mitigat : *Quinta* Capitis gravitatem ſolvit *Sexta* Oſſibus fractis plurimum prodeſt, maxime ſi nudata ſint, multoque magis ſi in capite. *Septima*. His etiam prodeſt membris, quæ moriuntur aut ulcerantur à frigore: *Octava*: Herpetibus denique exedentibus, ſedi, pudendo, utero, veſicæ. *Nona* His omnibus calidum amicum & decretorium, frigidum inimicum & interimens.

Cum autem tot ſint hujus Aphoriſmi concluſiones, neque unico medio demonſtrari facile poſſint, adeoque membratim ſingulas annotare & explicare breviter intendimus.

Primum quidem, num de quocunque calido corpore, an ſolum de aqua calida verba faciat, grave dubium eſt apud interpretes, quandoquidem uſus aquæ, non minus quam vini, frequentiſſimus erat apud veteres, non tantum inter Epulas & interius ſed & exterius atque in lotionibus, balneis, fomentis & aliis, ut propterea ſæpius utriusque uſus, ſparſim in ſuis operibus Hippocrates meminerit; *Fuchſius* quidem, pluribus contendit, ſolam aquam calidam hic fuiſſe ab Hippocrate memoratam, reprehenditque Braſſavolum, qui de omni calido illum locutum arbitratur: at contra Cardanus acriter in Fuchſium invehitur & multis conviciatur : Putarem ego, calidum hoc Aphoriſmo indicari moderatum, quia tale eſt ſuppuratorium ut in Textu exigitur, Etenim ſi Hippocrates inquit, calidum ſuppuratorium ſeu quod ſuppurationem facit, moderatum eſt, procul dubio non excedens, ſed naturæ conſentaneum intelligendum eſt, ejusmodi autem non ſola aqua, ſed quodcunque intra mediocritatis limites verſatur, accipi debet, neque ſimplex aqua, ſed etiam medicata, qualis ex incoctis herbis emollientibus & anodynis v. g. malva, althæa, chamomilla, parietaria & aliis : Pari ratione, pinguedines & adipes animalium, atque omnia linimenta & cataplaſmata ex iisdem compoſita, intelligenda, quibus paſſim Chirurgi utuntur in ſuppurationibus promovendis : In hanc eandem ſententiam conceſſit Galenus 4. method. cap. 5. inquiens: *Fomentum multa calida aqua, & omnia quæ calefaciunt & humectant, celerrimè pus movent.* Quamobrem ſi Braſſavolus de omni calido etiam intenſo & vehementi, velit hoc loco locutum Hippocratem.

cratem, certo falſum erit : Si vero de quocunque alio corpore calido præter æquum, ſed tantum moderato, non erit, quod illi opponere poſſimus quod autem moderatum calidum ſuppurationem adjuvet, tam manifeſte patet experientia & ratione, ut longius in his minime deceat immorari; calidum namque excedens potius reſolvit, quam ſuppurat. Firmum ergo nobis manet, per *calidum ſuppuratorium* neque Hippocratem neque alios viros, in arte peritos, aliud intellexiſſe, quam actionem illam, qua natura ſanguinem, ex quacunque demum cauſa ſtagnantem ſuppurat, á caloris alicujus activitate moderate, non exceſſive ſe habente, id eſt calido moderato.

Verum cum Hippocrates in textu ſubjungat *Non in omni ulcere*, oſtendit manifeſte, non in omni ulcere calidum iſtud licet moderatum & ſuppuratorium eſſe adhibendum, id eſt, ut *in commentario* Galenus explicat, ubi ulcera ſordida & putrida ſunt vel etiam ubi timetur affluxus humoris præſertim difficulter ſuppurabilis ut in carcinomate, phagadæna & aliis ſimilibus, itemque in Eryſipelate ſuppurato, vel cum circa ulceris labia inflammatio Eryſipelatodes obſervatur: in his enim calida ſive actu ſive potentia, nocua eſſe ſolent, quippe ſaltem per accidens exaſperant ulcus, febrem arceſſunt, dolorem inferunt, & in diuturnum tempus illius curationem diſtrahunt Scire etenim oportet, quod ſuppuratio alia non ſit (ſtricte loquendo) quam ſanguinis mutatio in pus ſeu albam ſubſtantiam ſeu materiam; quæ materia dupliciter conſideratur : Vel *communiter* ſeu *longe* pro omnibus ſordibus ſeu ſanie, aut materia putrida fœtida vel ſeroſitas corroſiva quæ ex ulcere prodeunt. vel *peculiariter* ſeu *ſtrictè* pro illa ſupputatione quæ in aliquo peculiari tumore colligitur & pus laudabile fundit unde patet, ut diximus, non omne ulcus pati ſuppurationem, puta cancroſum, malignum, calloſum &c.

Dicit autem rurſum Hippocrates in textu : *Emergere exinde magnum ad ſecuritatem ſalutis indicium*, quippe ubi ſuppuratio fit, ibi quoque præter humorum facile ſubigibilium benignitatem naturæ concoquentis robur oſtenditur : Etenim ſuppuratio

ut mox

ut mox diximus, opus naturæ eſt, cauſam morbificam ſubigentis: Hinc in praxi chirurgi, omnes ſalutare ſignum exiſtimant, in ulceribus quibuscunque pus concoctum apparere: contra vero cum loco ejus ſanies tenuis, ichor, aliusve ſimilis humor exudat, malignitatis nota eſt, & ubi per ſuppurationem certa promittitur ſalutis ſpes ægrotanti, ita ex adverſo, exitus infauſtus timetur, vel ſaltem non facilis ad curationem & conſolidationem ulceris redactio: Sed & in ejusmodi parvis ulceribus, in quibus ſuppuratio nulla apparet, neque impoſterum ſpectatur futurum pus conveniens, nullatenus calido ſuppurante, ſed potius exiccante medicamento utendum, quod etiam ſua ratione detergat & mundet, vel etiam corrigat, temperet & pravitati reſiſtat.

Dicitur prætereà *in textu calidum cutim emollire*. nam ſicuti ſuperius dictum eſt, frigidum obdurare & conſtipare poros cutis, ita nunc a calore eadem emolliri & relaxari apertiſſime demonſtratur. Verum calidum iſtud, non tantum moderatum intelligendum eſt, ſed etiam humori alicui conjunctum nam calida quæ ſuppuratoria ſunt, humefacientia quoque pro rata ſua eſſe debent, ut exinde cutim mollificare valeant, quamquam non raro calidum cuti admotum evocando ex internis partibus humores & præſertim ex glandulis ſubcutaneis, humiditatem ſibi aſſociat ſi non per ſe, ſaltem ex accidenti, attenuando aperiendo & diſſolvendo: Et hinc tale calidum humidum (quale v. g. eſt Balnei tepidi) cutim emollit fundendo & reſolvendo, ſicque etiam ſolvendi pruritum cutis magnam vim habet, ut deducit Hippocrates *5. Epidemio* de Homine illo qui toto corpore prurigine vexabatur, qui cum nullis remediis juvari poſſet, Balneo tamen calidæ aquæ apud Melum à pruritu liberatus eſt.

Pari ratione ſubditur in textu, cutim etiam *extenuare* quoniam ſive puris egeſtione, ſive inſenſibili tranſpiratione, ſive etiam diſſolutione tenuium partium ex humorib' præſertim lympha diſſolutarum, ſemper calidum quodcunq; extenuat, & extenuando evaporat, ſaltem tractu temporis longioris. Sed enim placuit Heurnio *in ſuo contextu*, huic dictioni addere *craſſam*, ſive materiã cuti hærentem, ſive ad eandem confluentem, ut propterea legat in ſua verſione *craſſam extenuat:*

quidem ſive craſſities iſta, in cute ipſa conſideretur, ſive in humoribus ibidem hærentibus, tamen vi caloris utraque diſſolvi & extenuari bene poteſt, quamobrem tumidam cutem, in ulceribus, levi blandoque calore ſucceſſive digeri, & in priſtinum ſtatum reduci licet, ut tandem cæteris partibus complanetur, & humores ipſos circa labia ulceris reſtagnantes, ejuſdem caloris, & remediorum calefacientium beneficio, paulatim quoque dilui & per ſuppurationem expurgari & extenuari.

Hinc pariter oſtenditur, qua ratione dicatur: *Dolorem ſedare* quemadmodum ex ſupra traditis, manifeſtiſſime deducitur, etenim digerendo ea, quæ circa labia ulceris, imo in ipſa ulceris cavitate continentur, & dolorem inferunt, vel in cauſa ſunt, ut dolor percipiatur, dolorem ipſum rationabiliter ſedare dicuntur. quare ſive vacuando, ſive rarefaciendo, ſive abſtergendo, ſive temperando, ſive diſcutiendo, tum humores tum flatus, dolorem lenire bene poterit. Sed & licet humores deſint, ſi ſolum pars ulcerata ab infenſa qualitate proritetur, aut à frigore malo afficiatur, ſolet non raro calidi alicujus medicamenti beneficio moderari, cum ex antea dictis, frigus viventi cuicunque parti, potiſſimum nerveæ, infenſum ex omni parte ſit; calidum vero proficuum & ſalutare, quin & majora & graviora ſemper detrimenta, viventibus accidunt à frigidis, quam a calidis, præſertim moderatis.

Dicitur quoque quod calidum *mitiget rigores, diſtenſiones, convulſiones, & tetanos*, oppoſitis nempe de cauſis, quibus frigidum hæc eadem antea afferre dicebatur; etenim cum hi affectus, frigidi ſint effectus, extenuando & diſſolvendo vitioſos frigidos & crudos humores, hæc mala inferentes, ſane confert calidum, in prænarratis nervorum & muſculorum ægritudinibus. tum quia cauſam rigoris & convulſionis adimit, tum etiam quia partes affectas roborat, poroſitates & penetralia a frigido occluſa & intercluſa aperiendo, & calorem velut amicum fideliſſimum, ad interiora admittendo, unde ceſſat tenſio partium, & convulſoria illa diſpoſitio doloris cauſa quantocius ceſſare ſolet. nec obſtat ſupra dixiſſe frigidæ infuſionem tetanum liberare poſſe, cum hoc ex accidenti ſolum, non per ſe contingat. unde ratio manifeſta eruitur, quod colici, nephritici, aliique partium affecti, immediate doloris levamen ſentiant, dum balneo aquæ dulcis calido, immerguntur.

Inſuper

Inſuper dicitur, *quod capitis etiam ſolvat gravitatem*; idque non ſolum ex jam dictis rationibus, verum etiam quia plerumque *gravitates* fiunt à lympha craſſiori, viſcoſa, reſtagnante in meningibus vel in glandulis cerebri corticalibus, illa autem calidis fomentis diluta fluit in partes inferiores, & vel per nares, aures, palatum ejicitur, vel in articulos decumbit, quemadmodum experimur in catharris: Neque ſolum calida capiti ſi admoveantur, in his conferunt, verum etiam ſi plantis pedum applicentur; experimur ſiquidem, ut qua ratione humefacti, & refrigenti pedes, cerebrum & caput afficiunt, & humiditatibus opplent, eadem & opitulentur, ſi calidis fotibus, ac lotionibus vigorentur hinc conſueverunt practici, ad deducendos humores à capite aqua calida pedes abluere, & in gravedine, ſtupiditate & aliis capitis affectibus cum ſopore conjunctis plantas pedum aqua ardente ſæpius fovere experimur quoque per ſolos halitus atque odores, cerebrum ſublevari; & à confluentibus, aut reſtagnantibus humoribus, ſive ſenſibiliter ſive inſenſibiliter exonerari, cum ſuffitus aromatum, odorifera medicamenta, fumus tabaci, & gummi animæ, ſuccini aliarumque rerum ſimilium olfactus plurimum in capitis affectibus ſoporoſis conferant Dixit autem ſignanter Hippocrates, *capitis ſolvit gravitatem*: nam ſi fortaſſe alia morbi ſpecie caput, & cerebrum afficeretur, aliter plane res hæc tractanda foret. at vero gravitas, in cerebro plerumque à ſero, lympha atque conſimilibus humoribus humefacientibus & gravantibus dependet. Ulterius aſſerit in textu Hippocrates *calidum conferre oſſium fracturis*: & quidem duplici de cauſa, & quod oſſa, utpote partes exangues, affecta frigidum habeant inimicum. & quod oſſa fracta, non niſi calidorum ope glutinari & counir i poſſint, cum alioquin frigidum ulceribus omnibus inimiciſſimum ſit. Idipſum expreſſe etiam docuit Hippocrates *Lib. de fracturis & Lib. de articulis.* Addit inſuper: *ſed nudis præcipue, eorumque maxime, qui in capite ulcera habent*, quod etiam teſtatur, *Lib. de liquidorum uſu*: nudata enim oſſa ſi frigido ambienti exponantur, facillime liveſcunt, & ſi fortaſſe fracturam quoque paſſa ſint, gangrænam incurrunt: quamobrem periti chirurgi, omnem induſtriam ſolent adhibere, ut ejuſmodi vulnera, ulcera & fracturæ oſſium potiſſimum cranii à frigore & à quibusvis frigidis alterantibus præcaveantur, per faſcias, ligaturas, & alia ſimilia integumenta: id quod

ſtantia, imo miſtura ſalium, præſertim ſalisnitri (ſeu Salnitri) partibus viventibus nocua obſervatur, adeoque longe magis ulceratis & morbo affectis inimica. Quod præterea frigus cutem obduret, patet manifeſte, quia pori cutis ab illo conſtipantur, & adeo arcte vinciuntur ac conſtringuntur, ut perſpirationi impedimento ſint, quamobrem jure optimo, ſub nomine annicitæ, a quibusdam fuit appellatum, cum autem omnes partes ſtrictim uniat & cogrctet, ea ratione ſimul obdurat, quemadmodum experimur in luto; atqui humana cutis à frigore hyemali adeo conſtringitur, ut ſæpiſſime obrigeſcat, & præter duritiem aliquando emoriatur. In ulceribus autem frigus, circumpoſita labia denſando, conglutinationem impedit, & ſanguini vivificanti obicem facit.

Sed qua ratione ſcriptum ſit, *dolorem inſuppurabilem facere* dubium eſſe poteſt: verum *ex cit. loco de liquidorum uſu* ſolvitur difficultas: ibi enim ſcribitur, *doloroſa non ſuppurari facit*, id eſt ea, quæ circa labia ulceris continentur, & per ſuppurationem digeri atque expurgari deberent, ordinato frigore detinentur & ſuppurationi non ſubjiciuntur: Suppuratio enim ope caloris, juxta omnium mentem peragitur, cujus cauſa partes heterogeneæ ab invicem disjunguntur & ſequeſtrantur (caloris enim eſt homogenea congregare & diſgregare heterogenea) at vero per frigus, una ſimul vinciuntur & commiſcentur cum frigoris ſit homogenea & heterogenea congregare. Sic & fermentatio, quæ omnino neceſſaria eſt in ſuppuratione, per frigidi adminiſtrationem penitus inhibetur, unde qui humor circa labia ulceris detentus & dolorem afferens, in ſuppurationem deſineret per frigus in pus verti nequit, adeoque inſuppurabilis fit: hinc dici quodammodo poteſt, frigus ſuppurationem impediendo dolorem facere inſuppurabilem.

Inducit quoq; frigus *livorem & rigores febriles*, pari modo ac ſuperius de effectibus frigoris generatim dictum eſt: Si enim frigus hebetat, obtundit & mordificat, plane livorem nullo modo pariet: rigores autem febriles induci dicuntur à frigore, per analogiam eorum qui febribus rigorificis contingunt, ut antea etiam notatum eſt: quamquam poſſint etiam rigores revera febriles, & febres ipſæ exinde oriri, quatenus humores in ulceribus detenti, nec bene repurgati, circulantem ſanguinem inficiunt, & in debitam cum ipſo

fer-

fermentationem, excitant, unde poſtmodum febres rigoribus ſociatæ, uno cum aliis gravioribus ſymptomatibus conjunctæ: ulcera ſiquidem ſordida & malè affecta, præſertim cum virulentam conditionem nacta fuerint, facili negotio febres acutas excitant, & cum rigoribus malignitatem monſtrantibus conjunctas, quod ſi fortaſſe ſuppurationem internam ſubeant, ut non raro fieri ſolet in partibus muſculoſis & cavum admittentibus, certè rigor inde ſequetur & febris, juxta dictum ejusdem Hippocratis *2 Aphoriſm 47. Dum pus fit dolor & febris intenditur pure autem confecto omnia remittunt.*

Convulſiones denique & *Tetanos*, frigus parit in ulceribus, quia ut ſupra diximus, frigidum nervis & cerebro inimicum, absque ullo ulcere convulſiones ac Tetanos affert, quanto magis excitabit in ulceribus, ubi non tantum ſaniei ex ulcere prodeuntis pravitate, ſed & irritatione in partibus ulceratis inducta, quam maxime poſſunt nervi & nervorum fibræ, ſaltem per conſenſum affici & impenſe proritari, cum nulla pars externa ſit quæ ſenſu ſuo non ſit prædita, adeoque nervis plurimis referta, quandoquidem in ulceribus fieri nequit, quin cutis panniculus carnoſus, muſculi, aliæque partes nerveæ collædantur, & diſſocientur. Sed & mala membris particularibus illata, potiſſimum ab ulcerum ſanie contingunt, quæ ſi fortaſſe per cerebri medullum diffundatur aut etiam in ſpinum dorſi decumbat plane non tantum convulſiones particulares accident, verum etiam univerſales, quales *Tetani* in quibus & ad anteriora & ad poſteriora corpus redditur rigidum & inflexibile, atque hinc ubi in Aphoriſmo ſcribitur *Tetanos* in ſupra *citato libro de liquidorum uſu* clarius exponitur, *retro & ante diſtenſiones* Cæterum frigus potiſſimum mordax, & intenſum, duplici de cauſa ulceratis partibus obeſt, una ex detenta ſanie, plerumque corruptæ altera ex hebetudine aut mortificatione, unde partes diſtenſæ aut reſolutæ poſtremo remanent Quamobrem monet Hippocrates lib. de Ulceribus, ſi quando abluenda ſunt ulcera, in partibus carnoſis, vino id faciendum præcipit at in partibus nervoſis & in articulis, non vino, quia mordax illis eſt ſed potius tepida aut calida aqua

Quares utrum etiam Aphoriſmus intelligendus ſit de vulneribus? ℞. Quod ſic.

Dices Hippocrates *lib. de Vulneribus capitis dicit*: Vulnera capitis facilius ſanari in hyeme quam æſtate, ergo frigus illis

illis non adeò eſſe inimicum, & id fieri per accidens, in hyeme enim non eſt tantus humorum impetus ad caput, neque tanta illorum ſolutio & raritas, uti in æſtate; non tamen indè ſequitur, frigida quovis tempore eſſe adhibenda.

Reliquæ difficultates in contextu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus XXI.

Eſt tamen ubi in Tetano ſine ulcere, Juveni bene carnoſo, æſtate media, frigida aqua larga profuſio, calorem revocat: (calor autem hæc ſanat (ſeu ſolvit)

Contentum ſeu Intentio.

De uſu & utilitate frigidi in Tetano.

C*onnexio.* Cùm Hippocrates præcedenter, de convulſione & Tetano tractâſſet, atque à frigido fieri dixiſſet: In hoc Aphoriſmo curandi illum occaſionem arripit, & præceptum tradit ad artem valdè utile: quo oſtendit (multis fortan Paradoxum) frigus & efficiendi & ſolvendi ſeu curandi Tetanum vim habere, & proinde non eſſe univerſaliter verum illud argumentum, quod à juvantibus & lædentibus ſumitur, cum & a ſimili & à contrario morbus idem ſolvi poſſit.

Hic Aphoriſmus in duas partes dividi poteſt. *Prima* continet propoſitionem & gloſſam: *ſecunda* illius cauſam.

Melius hanc ſententiam ex græco Codice vertit Fuchſius, inquiens: *Nonnunquam in diſtentione* (diſtentio autem idem eſt ac Tetanus) *ſine ulcere, juvene mediocri corporis habitu prædito, æſtate media:* hac quippe ratione cohærentius nectitur hic Aphoriſmus præcedenti. Sed adhuc clarius Heurnius: *Sed tamen fieri poteſt, ut in Tetano ulceris experte*, ut propterea ſenſus ſit, aliquando frigidæ aquæ uſum utilem eſſe poſſe, ſive ut mavult Cardanus, exiſtimans, tacitæ cuidam objectioni ex hoc Aphoriſmo reſponderi, ſi fortaſſe quis opponeret, frigidam aquam in diſtenſione nervorum aliquando profuiſſe; ſed quidem non niſi ex accidenti ſolum id evenire, *atq; in juvene, bona corporis habitu prædito, in media æſtate & absq; ullo ulcere;* Hinc ideo Galenus falli-

fallitur, qui putat id perpetuo agendum in quacunque convulſione dummodo prædictæ conditiones adſint; nam quod aliquando in uſum duci potuit, & ex accidenti tantum proficere perperam generaliter prolatū aut in omnibus commendatum quis crederet, alias omnino temeraria dicenda foret ejusmodi convulſionis curatio, quæ omni ex parte periculoſa vel valde dubia eſt, cum tamen ipſe Hippocrates in ſuo Jure jurando, ſe quodcunque dubium omnino vitaturum pollicetur. medica enim manus non in nocumentum ſed in ægri juvamentum ita prompta eſſe debet, ut ſi non juvet ſaltem non noceat.

Verum ſingulas conditiones, quas in Aphoriſmo Hippocrates vult eſſe conſiderandas, ad rei eruendæ facilitatem breviter perpendamus & diſcutiamus.

Primo inquit *in Tetano ſine ulceratione*: in Tetano quidem, in quo tam partes anteriores quam poſteriores ſunt æqualiter diſtentæ, ut propterea uniformiter frigidæ aquæ perfuſio facienda ſit & æqualis: Si aliquæ partes tantum forent affectæ, puta anteriores, certe non bene conſtaret ubi aquæ frigidæ perfuſio facienda foret, & num potius pars ſana exinde læſionem ſubiret, quam laborans juvamentum eſſet receptura: *Sine ulceratione* vero, hoc eſt, quod nullum ulcus corpus affectum patiatur, nam ratione ulceris, aquæ frigidæ perfuſio prohiberetur, quia frigidum ulceribus nocuum præcedenti Aphoriſmo demonſtratum eſt, unde plane nullum juvamentum in Tetano ſequeretur, & ex adverſo, maximum detrimentum, ulceratæ parti inferretur, ut patet.

Secundo dicitur: *Iuvene bene carnoſo*: pro quo melius Fuchſius: *Mediocri corporis habitu prædito*, etenim in græco Codice legitur εὐσάρκῳ, quod non carnoſum omnino & obeſum, neque gracile intelligendum eſt, ſed quod mediat inter utrumque: Obeſa enim corpora propter pinguedinem, & venarum atque arteriarum exilitatem, non multo potiuntur calore, atque adeo facile ſuccumberent tantæ aquæ gelidæ profuſioni: Graciles vero, utpote excarnes, neque ſufferre poſſent frigoris vim ex aqua gelida, ſed nec impetum ejusdem repentinum utpote qui non bene reſiſtunt frigidis alterantibus, imo ab his facillime læduntur; At vero qui medii ſunt, inter obeſos & graciles, moderatè carnoſi græcè εὔσαρκοι, utrumque facilius multo ſufferunt, ſed & ob ſanguinis floriditatem, indeque vitalem calorem, ac conve-

mentem carnium habitudinem & fortem viſcerum texturam, minime a frigidæ profuſione debilitantur, ſed magis & magis potius vigorantur facta in poris partium conſtipatione; quamobrem præter bonam corporis conſtitutionem carnoſam, additur *in Textu* eſſe oportere *juvenem*, cum in hac *ætate* quæcunq; in ſanguine & viſceribus neceſſaria ſunt, exquiſitiſſime inveniantur. Senes autem & pueri, veluti impotentes ab ejusmodi remedii administratione excluduntur; & merito, quia pueri carnes molles admodum habent, ac ſanguinem glutinoſitate potius, quam floriditate præpollentem, & ſenes in utrisque deficiunt. Ideoque optimo jure conjunxit Hippocrates juventutem & carnoſam corporis conſtitutionem, ut ex utroq; capite, robur partium, & calor vitalis validus in ſanguine præexiſtat, atq; per frigidæ profuſionẽ vehemens in ſanguine fermentatio promoveatur.

Tertio ſubdit *æſtate media*, vigente ſcilicet ſummo æſtu in aere, cum enim eo tempore pori cutis laxiores ſint, & longe potentior tranſpiratio, ut non tantum halitus & vapores, e corpore perſpirent, ſed etiam ſudor ſponte ſua uberrimus habeatur, proinde fit, ut frigidæ aquæ profuſione, conſtipatis poris atque impedita perſpiratione, univerſus calor repercutiatur, ad intima atque impetu quodam adoriatur cauſam morbificam Tetani conſervatricem: neque vero aqua quæ perfunditur ſimplex & ordinaria eſſe debet, ſed frigida, etiam nive frigefacta atque copioſe affuſa, ut nimirum ſubita ac violenta fiat, in omnibus partibus corporis commotio, obrigeſcente ſimul, & vehementer denſata cute adeo ut nihil perſpirare permittar, ſed calor univerſus per ſanguinis commotionem vehementiorem, ad intimas partes recolligatur, impetatque in muſculos & nervos Tetano affectos; bene igitur Avicenna *2 Tertii cap. 7. inquit Hac perfuſione obſtructis meatibus cutis, & refugiente calore intus, atq; collecto, materia illa conſumitur atque diſſlatur, nervique ad priſtinum redeunt ſtatum*: quod & Hippocrates ipſe in Aphoriſmo adjecit inquiens *Frigida aqua multa perfuſio calorem revocat, calor autem hac ſolvit*. Calorem enim naturalem occurſu frigoris præter naturalis per Antiperiſtaſim multiplicari poſſe, Medicorum & Philoſophorum vetus veritatis eſt oraculum. Eſt autem Antiperiſtaſis actio, quæ agens à contrario obſeſſum & oppugnatum colligit quaſi ſpiritus, & evadit fortius, ad retundendas contrarii agentis vires; prout hæc mox ſupra clare & medice conformiter effato Hippocratis dilucidavimus.

Quo

Quomodo autem iſta frigida perfuſio adhibenda ſit, idem Hippocrates explicat *3. de morbis*, ubi iſtius morbi curationem proponit his verbis: *Aquam plurimam frigidam ſuperinfundito, & poſtea veſtimenta tenuia pura ac calida ſuperintegito, ignem autem tunc non adhibeto*: Hinc ſuperinfundendam aquam frigidam jubet, illamque plurimam frequenter & ex alto potiſſimum autem ad partes corporis carnoſas qualis venter eſt inferior & hypochondria, capite tamen vitando, deinde cooperiendum eſſe ægrum veſtimentis tenuibus, puri, ac calidis v. g. Lineis excalefactis, ad provocandum ſudorem nullo interea igne admoto, ne ſcilicet calor intro collectus denuo ad cutim diffundatur, ſed per aliquod tempus ita detineatur, quouſque materia Tetani fuerit ſubacta, & nervi in priſtinum ſtatum fuerint reſtituti, id quod ſpatio duodecim, vel viginti horarum ad ſummum peragi ſolet

Pro coronide non eſt omittenda Pauli Æginetæ in hac re animadverſio, qui lib. 3. cap. 20. admonet, iſtam frigidæ ſuper infuſionem maxime temeratiam eſſe atq; poſteris vituperatam, adeoque à ſe ipſo damnatam & devitatam; Equidem niſi naturam adminiculantem habent, quæ ſubito cauſam morbificam vincat & diſſolvat, in maximo periculo æger verſabitur, imo irreparabiliter ſuccumbet; Fieri enim poteſt, ut calor qui exinde ſperatur, revocandus ad intima atque adeo morbum debellaturus frigidæ aquæ perfuſione potius extinguatur, quamobrem factum eſt, ut nemo amplius in praxi ſit auſus, ejuſcemodi curationem tentare; ſed neque Hippocrates, revera illam hic recommendat, ſed ſolum inquit, qua ratione illa ſi tentetur conferat, & in quibus corporibus, & cum quibus conditionibus caute adminiſtranda ſit, ut antea jam diximus. Id quod ſemel tantum in fæmina quadam *5 Epidem.* vehementi dolore ex præfocatione uteri laborante & vix non exanimata peractum a ſe ipſo memoratur, cui plusquam triginta frigidæ Amphoras ſuperfundit, erat autem craſſa mulier. *2 autem Epidem* aſſerit, etiam aquam tepidam, emortua membra in debilibus revocare, uti præſtitit in mulier cilla, quæ ex cholerica affectione penè exanimata fuit.

Dices 1. Dantur diſtentiones in inflammationibus, ergo & hæ erunt aqua frigida perfundendæ. ℞. hunc Aphoriſmum maxime intelligendum, de diſtenſione frigida, non de calida.

Dices II. Si quadrati tantum & carnoſi ſunt profundendi, ergo in animi deliquiis, omnes peſſimè perfunduntur, & quidem circa caput, quod eſt pars excarnis. ℞. Tales etiam tantum in facie ubi maxime carnoſa eſt, aſpergendos eſſe, hoc eſt circa mentum & buccas.

Aphoriſmus XXII.

Calidum ſuppurationem faciens (ſeu calidum ſuppuratorium) non in omni ulcere, maximum ſecuritatis præſtat indicium: cutem emollit, extenuat, dolorem lenit, rigores, convulſiones & Tetanos mitigat; capitis ſolvit gravitatem; oſſibus fractis plurimum prodeſt, maxime ſi nudata ſint, multoque magis iis, qui in capite ulcera habent; iis etiam, quæ moriuntur aut ulcerantur à frigore; herpetibus denique exedentibus, ſedi, pudendis, utero, veſica; his omnibus calidum amicum & decretorium (ſeu indicans frigidum inimicum & interimens.

Contentum ſeu Intentio.

De Calidi uſu Medico.

CONNEXIO: Cum Hippocrates plura, in præcedentibus Aphoriſmis de calidi nocumentis tractâſſet: In hoc præſenti Aphoriſmo de calidi & juvamentis & nocumentis, ſeu in quibus calidum juvet aut debeat adhiberi, aut quibus ex adverſo noceat, aut debeat vitari, tractat, unde patet hunc Aphoriſmum omnino directum ad praxim Chirurgicam, & ad rectam, rerum calidarum in partibus ulceratis adminiſtrationem.

Hic Aphoriſmus plurimas continet concluſiones, adeoque in tot dividi poteſt partes, quæ novem numero ſunt. *Prima* Calidum in quo ulcere pus movet, maximum ſecuritatis præſtat indicium: *Secun-*

Secunda cutem emollit, extenuat: *Tertia*. dolorem lenit *Quarta* rigores, convulſiones, Tetanos mitigat. *Quinta* Capitis gravitatem ſolvit. *Sexta* Oſſibus fractis plurimum prodeſt, maxime ſi nudata ſint, multoque magis ſi in capite. *Septima* His etiam prodeſt membris, quæ moriuntur aut ulcerantur à frigore: *Octava*: Herpetibus denique exedentibus, ſedi, pudendo, utero, veſicæ: *Nona* His omnibus calidum amicum & decretorium, frigidum inimicum & interimens.

Cum autem tot ſint hujus Aphoriſmi concluſiones, neque unico medio demonſtrari facile poſſint, adeoque membratim ſingulas annotare & explicare breviter intendimus.

Primum quidem, num de quocunque calido corpore, an ſolum de aqua calida verba faciat, grave dubium eſt apud interpretes, quandoquidem uſus aquæ, non minus quam vini, frequentiſſimus erat apud veteres non tantum inter Epulas & interius ſed & exterius atque in lotionibus, balneis, fomentis & aliis, ut propterea ſæpius utriusque uſus, ſparſim in ſuis operibus Hippocrates meminerit; *Fuchſius* quidem, pluribus contendit, ſolam aquam calidam hic fuiſſe ab Hippocrate memoratam, reprehenditque Braſſavolum, qui de omni calido illum locutum arbitratur: at contra Cardanus acriter in Fuchſium invehitur & multis conviciatur: Putarem ego, calidum hoc Aphoriſmo indicari moderatum, quia tale eſt ſuppuratorium ut in Textu exigitur; Etenim ſi Hippocrates inquit, calidum ſuppuratorium ſeu quod ſuppurationem facit, moderatum eſt, procul dubio non excedens, ſed naturæ conſentaneum intelligendum eſt, ejusmodi autem non ſola aqua, ſed quodcunque intra mediocritatis limites verſatur, accipi debet, neque ſimplex aqua, ſed etiam medicata, qualis ex incoctis herbis emollientibus & anodynis v. g. malva, althæa, chamomilla, parietaria & aliis: Pari ratione, pinguedines & adipes animalium, atque omnia linimenta & cataplaſmata ex iisdem compoſita, intelligenda, quibus paſſim Chirurgi utuntur in ſuppurationibus promovendis: In hanc eandem ſententiam conceſſit Galenus 4. method. cap. 5. inquiens: *Fomentum multa calida aqua, & omnia quæ calefaciunt & humectant, celerrimè pus movent.* Quamobrem ſi Braſſavolus de omni calido etiam intenſo & vehementi, velit hoc loco locutum Hippocratem.

cratem, certo falſum erit. Si vero de quocunque alio corpore calido præter aquam, ſed tantum moderato, non erit, quod illi opponere poſſimus: quod autem moderatum calidum ſuppurationem adjuvet, tam manifeſte patet experientia & ratione, ut longius in his minime deceat immorari; calidum namque excedens potius reſolvit, quam ſuppurat. Firmum ergo nobis manet, per *calidum ſuppuratorium* neque Hippocratem neque alios viros, in arte peritos, aliud intellexiſſe, quam actionem illam, qua natura ſanguinem, ex quacunque demum cauſa ſtagnantem ſuppurat, à caloris alicujus activitate moderate, non exceſſive ſe habente, id eſt calido moderato.

Verum cum Hippocrates in textu ſubjungat: *Non in omni ulcere*; oſtendit manifeſte, non in omni ulcere calidum iſtud licet moderatum & ſuppuratorium eſſe adhibendum, id eſt, ut *in commentario* Galenus explicat, ubi ulcera ſordida & putrida ſunt vel etiam ubi timetur affluxus humoris præſertim difficulter ſuppurabilis ut in carcinomate, phagadæna & aliis ſimilibus, itemque in Eryſipelate ſuppurato, vel cum circa ulceris labia inflammatio Eryſipelatodes obſervatur: in his enim calida ſive actu ſive potentia, nocua eſſe ſolent, quippe ſaltem per accidens exaſperant ulcus, febrem arceſſunt, dolorem inferunt, & in diuturnum tempus illius curationem diſtrahunt. Scire etenim oportet, quod ſuppuratio alia non ſit (ſtricte loquendo) quam ſanguinis mutatio in pus ſeu albam ſubſtantiam ſeu materiam, quæ materia dupliciter conſideratur: Vel *communiter* ſeu *longe* pro omnibus ſordibus ſeu ſanie, aut materia putrida fœtida vel ſeroſitas corroſiva quæ ex ulcere prodeunt. vel *peculiariter* ſeu *ſtrictè* pro illa ſuppuratione quæ in aliquo peculiari tumore colligitur: & pus laudabile fundit unde patet, ut diximus, non omne ulcus pati ſuppurationem, puta cancroſum, malignum, calloſum &c.

Dicit autem rurſum Hippocrates in textu: *Emergere evinde magnum ad ſecuritatem ſalutis indicium*, quippe ubi ſuppuratio fit, ibi quoque præter humorum facile ſubigibilium benignitatem naturæ concoquentis robur oſtenditur: Etenim ſuppuratio

ut mox

ut mox diximus, opus naturæ eſt, cauſam morbificam ſubigentis. Hinc in praxi chirurgi, omnes ſalutare ſignum exiſtimant, in ulceribus quibuscunque pus concoctum apparere: contra vero cum loco ejus ſanies tenuis, ichor, aliusve ſimilis humor exudat, malignitatis nota eſt, & ubi per ſuppurationem certa promittitur ſalutis ſpes ægrotanti, ita ex adverſo, exitus infauſtus timetur, vel ſaltem non facilis ad curationem & conſolidationem ulceris reductio. Sed & in ejusmodi parvis ulceribus, in quibus ſuppuratio nulla apparet, neque impoſterum ſperatur futurum pus conveniens, nullatenus calido ſuppurante, ſed potius exiccante medicamento utendum, quod etiam ſua ratione detergat & mundet, vel etiam corrigat, temperet & pravitati reſiſtat.

Dicitur præterea *in textu calidum cutim emollire*. nam ſicuti ſuperius dictum eſt, frigidum obdurare & conſtipare poros cutis, ita nunc à calore eadem emolliri & relaxari apertiſſime demonſtratur. Verum calidum iſtud, non tantum moderatum intelligendum eſt, ſed etiam humori alicui conjunctum: nam calida quæ ſuppuratoria ſunt, humefacientia quoque pro rata ſua eſſe debent, ut exinde cutim mollificare valeant, quamquam non raro calidum cuti admotum evocando ex internis partibus humores & præſertim ex glandulis ſubcutaneis, humiditatem ſibi aſſociat ſi non per ſe, ſaltem ex accidenti, attenuando aperiendo & diſſolvendo. Et hinc tale calidum humidum (quale v. g. eſt Balnei tepidi) cutim emollit fundendo & reſolvendo, ſicque etiam ſolvendi pruritum cutis magnam vim habet, ut deducit Hippocrates *5. Epidemio* de Homine illo qui toto corpore prurigine vexabatur, qui cum nullis remediis juvari poſſet, Balneo tamen calidæ aquæ apud Melum à pruritu liberatus eſt.

Pari ratione ſubditur in textu, cutim etiam *extenuare* quoniam ſive puris egeſtione, ſive inſenſibili tranſpiratione, ſive etiam diſſolutione tenuium partium ex humorib' præſertim lympha diſſolutarum, ſemper calidum quodcunq extenuat, & extenuando evaporat, ſaltem tractu temporis longioris. Sed enim placuit Heurnio *in ſuo contextu*, huic dictioni addere *craſſam*, ſive materiã cuti hærentem, ſive ad eandem confluentem, ut propterea legat in ſua verſione. *craſſam extenuat:*

Xxxx equi-

quidem ſive craſſities iſta, in cute ipſa conſideretur, ſive in humoribus ibidem hærentibus, tamen vi caloris utraque diſſolvi & extenuari bene poteſt, quamobrem tumidam cutem, in ulceribus, levi blandoque calore ſucceſſive digeri, & in priſtinum ſtatum reduci licet, ut tandem cæteris partibus compluceat, & humores ipſos circa labia ulceris reſtagnantes, ejuſdem caloris, & remediorum calefacientium beneficio, paulatim quoque dilui & per ſuppurationem expurgari & extenuari.

Hinc pariter oſtenditur, qua ratione dicatur: *Dolorem ſedare* quemadmodum ex ſupra traditis, manifeſtiſſime deducitur, etenim digerendo ea, quæ circa labia ulceris, imo in ipſa ulceris cavitate continentur, & dolorem inferunt, vel in cauſa ſunt, ut dolor percipiatur, dolorem ipſum rationabiliter ſedare dicuntur: quare ſive evacuando, ſive rarefaciendo, ſive abſtergendo, ſive temperando, ſive diſcutiendo, tum humores tum flatus, dolorem lenire bene poterit. Sed & licet humores deſint, ſi ſolum pars ulcerata ab infenſa qualitate prematur, aut a frigore malo afficiatur, ſolet non raro calidi alicujus medicamenti beneficio moderari, cum ex antea dictis, frigus viventi cuicunque parti, potiſſimum nerveæ, infenſum ex omni parte ſit, calidum vero proficuum & ſalutare, quin & majora & graviora ſemper detrimenta, viventibus accidunt a frigidis, quam a calidis, præſertim moderatis.

Dicitur quoque quod calidum *mitiget rigores, diſtenſiones, convulſiones, & tetanos*, oppoſitis nempe de cauſis, quibus frigidum hæc eadem antea afferre dicebatur, etenim cum hi affectus, frigidi ſint effectus, extenuando & diſſolvendo vitioſos frigidos & crudos humores, hæc mala inferentes, ſane conferet calidum, in prænarratis nervorum & muſculorum ægritudinibus: tum quia cauſam rigoris & convulſionis adimit, tum etiam quia partes affectas roborat, poroſitates & penetralia a frigido occluſa & intercluſa aperiendo, & calorem velut amicum fideliſſimum, ad interiora admittendo, unde ceſſat tenſio partium, & convulſoria illa diſpoſitio doloris cauſa quantocius ceſſare ſolet: nec obſtat ſupra dixiſſe frigidæ infuſionem tetanum liberare poſſe, cum hoc ex accidenti ſolum, non per ſe contingat, unde ratio manifeſta eruitur, quod colici, nephritici, aliarumque partium affecti, immediate doloris levamen ſentiant, dum balneo aquæ dulcis calido, immerguntur.

Inſuper

Inſuper dicitur, *quod capitis etiam ſolvat gravitatem*; idque non ſolum ex jam dictis rationibus, verum etiam quia plerumque *gravitates* fiunt a lympha craſſiori, viſcoſa, reſtagnante in meningibus vel in glandulis cerebri corticalibus, illa autem calidis fomentis diluta fluit in partes inferiores, & vel per nares, aures, palatum ejicitur, vel in articulos decumbit, quemadmodum experimur in catharris. Neque ſolum calida capiti ſi admoveantur, in his conferunt, verum etiam ſi plantis pedum applicentur; experimur ſiquidem, ut qua ratione humefacti, & refrigenti pedes, cerebrum & caput afficiunt, & humiditatibus opplent, eadem & opitulentur, ſi calidis fotibus, ac lotionibus vigorentur: hinc conſueverunt practici, ad deducendos humores à capite aqua calida pedes abluere, & in gravedine, ſtupiditate & aliis capitis affectibus cum ſopore conjunctis plantas pedum aqua ardente ſæpius fovere. experimur quoque per ſolos halitus atque odores, cerebrum ſublevari; & à confluentibus, aut reſtagnantibus humoribus, ſive ſenſibiliter ſive inſenſibiliter exonerari, cum ſuffitus aromatum, odorifera medicamenta, fumus tabaci, & gummi animæ, ſuccini aliarumque rerum ſimilium olfactus plurimum in capitis affectibus ſoporoſis conferant. Dixit autem ſignanter Hippocrates, *capitis ſolvit gravitatem*: nam ſi fortaſſe alia morbi ſpecie caput, & cerebrum afficeretur, aliter plane res hæc tractanda foret: at vero gravitas, in cerebro plerumque à ſero, lympha atque conſimilibus humoribus humefacientibus & gravantibus dependet. Ulterius aſſerit in textu Hippocrates *calidum conferre oſſium fracturis*: & quidem duplici de cauſa, & quod oſſa, utpote partes exangues, aſſecta frigidum habeant inimicum: & quod oſſa fracta, non niſi calidorum ope glutinari & coniri poſſint, cum alioquin frigidum ulceribus omnibus inſenſiſſimum ſit. Idipſum expreſſe etiam docuit Hippocrates *Lib. de fracturis & Lib. de articulis*. Addit inſuper: *ſed nudis praeipue, eorumque maxime, qui in capite ulcera habent*, quod etiam teſtatur, *Lib. de liquidorum uſu*: nudata enim oſſa ſi frigido ambienti exponantur, faciliime liveſcunt, & ſi fortaſſe fracturam quoque paſſa ſint, gangrænam incurrunt: quamobrem periti chirurgi, omnem induſtriam ſolent adhibere, ut ejusmodi vulnera, ulcera & fracturæ oſſium potiſſimum cranii à frigore & à quibusvis frigidis alterantibus præcaveantur, per faſcias, ligaturas, & alia ſimilia integumenta: ad quod

etiam recentiores agunt, fotu aquæ ardentis, balſameis, vel aqua Reginæ Ungariæ, aliorumque medicamentorum roborantium & calefacientium. Optime ergo Cardanus hoc loco habet *Trifariam calor in his, neceſſarius eſt, & quatenus in ulcere omni, calida conveniunt & quatenus omni oſſi denudato, & quatenus cerebro ne lædatur conſulendum eſt*

Non tantum autem oſſibus fractis & denudatis, potiſſimum in capite, confert calidum, ſed etiam cunctis aliis partibus, quæ à frigore hebetantur, emoriuntur aut ulcerantur, & quidem, iſtæ præſertim cenſenda ſunt partes nerveæ & membranoſæ, de quibus antea dictum eſt ab Hippocrate, quod frigidis admodum lædantur. Artus quoque corporis a frigidis alterantibus offenduntur, ut quemadmodum ſupra eſt notatum, aliquando ſponte ſua decidere contigerit, ut Galenus etiam meminit *lib de differ morbor cap 4.* ſed quomodo ex frigore ulcerari poſſint partes, ut in textu dicitur, recte exponit Fuchſius in pernionibus, qui Hyemali tempore accidunt, & ſæpiſſime ulcerantur magno cum dolore, ac difficulter poſtmodum curantur, atque non niſi maſtare

Idem Hippocrates *Lib 6 Epidem.* docet à frigore vehementi, non raro venas dirumpi, indeque ulcera tum externa, tum interna excitari. animo quoque frigore, paſſim experimur findi & ulcerari partes extimas corporis, quæ magis expoſitæ ſunt aeri, illiusque vehementi alterationi quammaxime ſubjiciuntur, unde manuum & labiorum fiſſura. Porro in his aliisque ſimilibus, ſicuti frigidum in cauſa eſt ut findantur & ulcerentur, ita ex adverſo calidum conferens & ſalutare evadit, præſertim ſi intra mediocritatis limites adhibeatur. nam revera ab uno extremo ad alterum tranſire atque adeo vehementer applicare, & repente calefacientia etiam periculoſum, ut in expoſitione aliorum Aphoriſmorum dictum eſt.

Nocet quoque frigidum his maxime, quibus in capite ulcera naſcuntur, eadem profecto ratione, qua mox oſtenſum eſt frigidum ulceribus quibuscunque & capitis univerſaliter officere. cumque Hippocrates dicat indefinite de ulceribus in capite enatis, non eſt, ut id ad hæc vel illa ulcera coarctemus, quippe cuicunque ulceri nocuum illud exiſtimandum eſt, facile enim etiam levia ulcera inde graviter afficerentur & mortificationem aut gangrænam ſubirent, non ſine

gravi

grifi vitæ periculo. Quamobrem jure optimo conferre his calidum hoc loco memoratur, tum ratione ipſius ulceris, tum etiam ratione partis ulceratæ, atque eo magis, ſi ad mortificationem vergat, ut oſtendunt verba illa, *& iis, quæ à frigore emoriuntur* aut ulcerantur.

Herpetibus quoque calidum prodeſſe aſſerit Hippocrates. Cumque herpes vel ſimplex ſit, & miliaris dictus, vel exedens & ulceroſus; notatur hic ſpeciatim exedens quia ad claſſes ulcerum refertur de quibus ſpecialiter hic Aphoriſmus ſcriptus eſt, quod ſane hoc loco videtur notandum, ſiquidem herpes vulgo creditur progigni ab humoribus bilioſis & calidis, qui creduntur ſed falſo indicare refrigerantia, non calefacientia ut hic Hippocrates recenſet.

Denique inquit Hippocrates conferre calidum *ſedi, pudendis, utero & veſicæ* & ſana quidem ratione, quia hæ partes ſunt de genere exanguium vulgo ſpermaticarum: quemadmodum enim ſuperius dictum eſt frigidum eſſe inimicum oſſibus, dentibus, nervis, cerebro, ſpinali medullæ, ita plane nocuum putandum quoque eſt memoratis in hoc Aphoriſmo partibus, quales ſunt pudendæ, uterus & veſica, teſte anatomia. Concludit ea propter Aphoriſmum hunc longum Hippocrates his verbis *His calidum amicum eſt & judicans, frigidum inimicum & perimens*, ut ſcilicet peroratione Aphoriſticam ſententiam decernat: quod ſicuti prædictis partibus calidum convenire ſtatuitur, ſic è contra frigidum ſit exiſtimandum, undequaque nocuum & funeſtum, ut propterea nulla de cauſa poſſit in uſum duci frigorificorum medicamentorum adminiſtratio, quotieſcunque partes hujuſmodi laborant, & ulceri vel præſenti vel imminenti ſubjectæ ſunt.

Objectiones & difficultates circa hunc Aphoriſmum in textu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus XXIII.

Frigido vero in his utendum, unde fluit aut fluxurus ſanguis eſt, non quidem eodem loci, ſed circa ea loca unde fluit: & ſi quæ partium inflammationes aut ardores (ſeu velut incendia quædam) ad rubrum ſanguineumque colorem

 ten-

tendunt, ex recenti ſanguine iisdem ipſis adhibito: nam inveterata nigreſacit: Eryſipelas etiam non ulceratum juvat: ſiquidem exulceratum lædit.

Contentum ſeu Intentio.

De frigidi uſu Medico.

C*onnexio:* Poſteaquam Hippocrates calidi commoda & utilitates in præcedenti Aphoriſmo enarraſſet; in præſenti nunc accedit ad frigidi auxilia & juvamenta.

Hic Aphoriſmus juxta tres concluſiones prolatas in tres partes dividitur: in *Prima* frigido utendum eſſe ad ſanguinis fluxiones ſiſtendas & præcavendas. in *Secunda* frigido etiam utendum ad inflammationes rubras in ſui principio: in *Tertia* utendum quoque ad eryſipelata non ulcerata.

Siquidem in prioribus Aphoriſmis Hippocrates meminerat calidorum adhibitionem non conferre in his, quæ ſanguinem fundunt, ac propterea tacite frigidum commendaverat, proinde in hoc Aphoriſmo non tantum id expreſſe memorat, ſed etiam addit modum & locum, ubi frigida admovere expediat.

Primo autem monet *utendum frigido, unde fluit ſanguis, aut etiam unde fluxurus eſt*, ad reprimendum ſcilicet illius fluxum, frigoris namque beneficio ſanguis figitur & detinetur, ac ductus ipſi coarctantur; mox vero addit, *illud nequaquam adhibendum eſſe, ſupra ipſas partis ſanguinem fundentes, ſed juxta & circa ipſas*, ſiquidem frigidum ulceribus nocuum eſt, & immediate parti ſanguinem fundenti admotum, ſanguinem ipſum cogeret, & cogendo grumefaceret, cum graviori periculo, tum ipſius partis tum totius. Jure merito ergo adnotat *circa ipſas partes* frigidum eſſe admovendum, hoc eſt non parti affectæ ſeu recipienti ſed mandanti, & vaſis majoribus per quæ ſanguis ad partem affectam fluit, ut nimirum ſanguinem, per ſua vaſa excurrentem quodammodo remoretur, craſſiore nimirum illo reddito: Verum tamen ſummopere expediet, non tantum frigefacientibus uti, verum etiam pro rata ſua adſtringentibus quemadmodum antea notatū eſt.

Sed

Sed & non tantum in ipſa parte proxime ſanguinem fundente medicamenta frigorifica applicanda ſunt, ſed etiam proderunt in aliis partibus, unde fortaſſe majores arteriarum & venarum trunci derivant, quod etiam ſignificare voluit Hippocrates per particulam illam *unde*, ut propterea conſueverint peritiores chirurgi etiam frigefacientia & adſtringentia medicamenta adhibere ſupra hepatis & lienis regionem, quoties ſanguis per venas ſedis, aut etiam per vias urinæ exitum habeat: Sic pariter exeunte ſanguine per narium hæmorrhagiam, non tantum naribus ipſis, verum etiam fronti, cervici, & jugulo medicamenta cum fructu admoventur. Id ipſum quoque operari licebit in partibus per quas ſanguis fluxurus eſt: etenim quæ fluentem ſanguinem cohibent, fluxurum multo facilius antevertunt.

De inflammationibus (quarum hic mentionem facit) potiſſimum futuris, quoque par ratio militat, ut partes ipſæ inflammationem ſubeuntes frigidis foveri debeant, ne ipſam inflammationem contrahant, cum enim frigida poros & meatus corporis coarctent, prohibent proinde ne ſanguis in illis excipiatur & hæreat, unde vulgo frigida dicuntur habere vim repellendi. At vero ut tuto iſta adminiſtrentur non niſi ſtatim ab incipiente inflammatione partibus ſunt adhibenda, antequam inflammatio fiat & ſanguis ſtagnet. Cæterum poſt factam inflammationem, locum habere non poterunt, quoniam tunc ſanguinem magis & magis ibidem figentia vel irreſolubilem redderent, vel gangrænam excitarent. Quod de inflammationibus dixit, protrahit quoque ad flammeos ardores ſive phlogoſim & efferveſcentiam in partibus inductam, ubi nimirum dolor excitatur cum ardore, qui ſolet eſſe prodromus inflammationis. Eſt tamen ſummopere advertendum, non cuicunque parti, quæ inflammationi aut phlogoſi obnoxia videtur, in frigidantia iſta tuto admoveri poſſe, etenim ſi partes ignobiles ſint, & exinde timeatur repulſum humorem, in partes nobiliores vergere poſſe, proculdubio, frigidorum adminiſtratio periculoſa erit. Hinc laborantibus articulis, atque corporis emunctoriis, nemo audet frigidorum uſu, humores fluentes aut fluxuros repellere, ſolum autem in affectibus capitis, aliarumque partium principalium, in frigidantia Epithemata tutius admoventur, quamobrem in phrenitide, oculorum inflammatione aliiſque affectibus calorificis, & inflammatoriis, partium

ſupe-

ſuperiorum, oxirrhodina, ſtillicidia, lotiones & balneationes infrigidantes in praxi adhiberi ſolent.

Addit porro in *textu* Hippocrates, *ad rubrum ſanguineumve ſeu cruentum ſeu floridum colorem tendentia:* ut ſcilicet exinde moneamur, in tenuiori ſanguine, vel etiam acriori, iſta locum habere poſſe, & cum de recenti fluxio facta eſt, id eſt in principio ſecus vero cum ſanguis aliis humoribus eſt commixtus & ex diuturniori tempore in partibus hæſit, hoc eſt in augmento vel ſtatu utpote ſuppurationi contraria, prorſus exitialia forent. Nam ut idem Hippocrates ſubdit; *nam inveterata nigreſacit ſeu nigredinem & livorem affert*, & ſubinde facile gangrænam. Poſtremo etiam aſſerit *eryſipelas etiam non ulceratum juvat* eadem prorſus ratione, ut nimirum fluentem illum humorem repellat, & per ſuos ductus in partes altas diſtrahat, quod tamen intelligendum, ſi eryſipelas leve ſit, & ex tenui humore oriatur, quod facile corrigi & inverti poſſit ab uſu frigefacientium medicamentorum. Cæterum in aliis periculoſa erit ejuſmodi infrigidantium adminiſtratio, cum craſſus & multus humor, nec tam facile corrigi, aut transferri poſſit quin ex adverſo facile in partes internas repat & longe majorem noxam afferat: nam ut alibi ex Hippocrate habetur, *eryſipelas ab extra intro verti malum.*

Quod denique dixit *de eryſipelate non ulcerato:* Excipit in fine Aphoriſmi, omnino *in ulcerato eryſipelate*, tum quia frigidum ulceribus omnibus mordax & inimicum eſt, tum etiam quia ulceratum eryſipelas plerumque illegitimum & ſpurium eſſe ſolet, adeoque non à ſimplici humore tenui & volatili ſed à commixto craſſo & acido progignitur, qui frigefacientium uſu magis denſatur & aceſcit. De qua re legendus eſt Galenus lib. 2. ad Glauconem Cap. 1. & 14. meth. Cap. 2. & 3. At experimentis nunc tandem conſtituit, ſpiritu vini eryſipelata quæcunque aboleri, ſicut etiam beneficio medicamentorum acidum abſorbentium, temperantium, aut diſſlantium ad quorum claſſem infrigidantia hic ab Hippocrate memorat referri poſſunt hoc tamen breviſſime nota tum volumus quod frigida humida intempeſtive repellant frigida terrea & quaſi tali ſecurius. Inter alia ſanguinem fluentem vel fluxurum ſiſtentia remedia, maximum auxilium idque ſecuriſſimum (de quo paucis mone

ipſi

ipſe Hippocrates mentionem fecit) eſt maxime vulgare, ſcilicet compreſſio loci venæ vel arteriæ, per digitum, quod ipſe in Praxi ſæpius, omnibus aliis remediis ſiſtentibus præciſione, uſtione &c in caſſum adhibitis, obſervavi; conſtituendo Sartores (utpote qui vitæ ſedentariæ optime aſſueti) qui diu noctuque partem digitis comprimendo, tenerent per complures dies, donec ſanguinis impetus ſubſiſteret & pars affecta ſanguinem fundens conſolidaretur per adhibita ſtegnotica medicamenta eidem adminiſtrata & applicata.

Pro coronide hujus Aphoriſmi, & eruditione Juventutis potiſſimum medicæ, reticere nequeo, occaſione verborum ab Hippocrate, in hoc Aphoriſmo ſuprà allatorum, *non adepſa, ſed circa ipſa unde effluit*, utiliſſimam acutiſſimi *Cardani* animadverſionem, arguens *Fuchſium* quod hæc verba non intelligens ceciderit in errorem: *neſcit enim* (inquit) *ubi humores influunt, non in loco ipſo, ſed circa adſtringentia & repellentia adhibenda ſeu apponenda eſſe, ut etiam in Podagra, cruri non pedi v. g. emplaſtrum ex furfure, aceto & aqua, vel etiam ex accatia & milio, aceto & aqua: idque ex quatuor cauſis: Primo quod occupet majus ſpatium & ita plus juvare poſſit: Secundo quod locum affectum non comprimat nec dolorem excitet; plus enim ſæpe in dolore & gravitate emplaſtri, quam virium en medicamentis quæ in illa ad juvandum ægrotantem. Tertio quod ſi loco patienti adhibueris, quod jam caſtum eſt, ita coges ut plurimum lædas ægrum. Quarta quod ubi materia jam eo pervenerit tametſi repellas cogetur primum ingredi locum affectum, deinde etiam quod non ingrederetur, premit illum & urget circumſtantes eum: hoc enim veretur & Hippocrates & Galenus alibi aneer are læſam partem.* Hæc Cardanus.

Aliæ objectiones & difficultates circa hunc Aphoriſmum in contextu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus XXIV.

Frigida veluti (ſeu qualis) nix & glacies pectori inimica, Tuſſes movent, ſanguinis fluxiones & deſtillationes efficiunt.

Contentum ſeu Intentio.

De frigidi effectis morboſis.

Connexio: Cum ſuperius, nempè Aphoriſmo decimo octavo Hippocrates damna expoſuiſſet, quæ frigidum facit in univerſum ſeu in genere qualecunque illud ſit. Nunc in hoc Aphoriſmo ad illa damna accedit, quæ frigidum immoderatum facit. Hic Aphoriſmus, cum duas habeat concluſiones, juxta illas in duas partes dividitur. *Prima* dicit frigida ut nix & glacies pectori inimica. *Secunda* demonſtrat frigida Tuſſes movere, ſanguinis profluvia & deſtillationes efficere. De his ergo, quæ frigida dicuntur, præſertim *actu*, loquitur hic Hippocrates, & non tantum ſi aquea & liquida illa ſint ſed & cujuscunque generis, etiam ſolida, dummodo frigorificam vim referant & refrigerare valeant: cumque is utatur exemplo nivis & glaciei, certè intelligenda quoque illa ſunt quæ extremè frigida dicuntur, quippe nix & glacies ſummè infrigidantia obſervantur.

Et quoniam antea dixerat, frigida convenire partibus ſanguinem fundentibus, aut quæ proximè diſpoſitæ forent illum fundere, ſi nimirum circa illas eſſent admota, propterea nunc excipit eas quæ ad pectus pertinent, ſiquidem ſummè frigida pectori inimica ſunt, ubi tantum abeſt ut ſanguinem fluentem aut fluxurum cohibeant, ut potius affluentius promoveant & exſtimulent, ac præterea tuſſes excitent & deſtillationes, ex quibus fit major ſanguinis commotio. Et quidem hæc frigida ſunt pectori inimica, non ſolum quia pectus oſſeum eſt, & frigidum oſſibus hoſtile obſervatur, ſed etiam ex eo, quod comprimendo thoracem, & muſculos reſpirationi addictos coarctando, eidem magno impedimento ſit, quin imo ſi fortaſſè exindè ſanguis fundatur per frigidorum adminiſtrationem facile poſſet coagulari, atque in pectoris cavo detentus gravem noxam pulmoni, & cordi imo manifeſtum vitæ periculum minari.

Frigida Tuſſes quoque, movent, tum aſperam arteriam vellicando tum etiam coarctando illius cavitatem, unde natura ſollicitaretur ad expulſionem per tuſſim, quæ ſpecialis motus pectoris & pulmonis

monis eſt, conantis expellere ea, quæ prædictas cavitates occupant & impediunt. Hac eadem ratione promota tuſſis ſanguinis ſputum excitat,& ipſum fortaſſe fluentem impetu ſuo magis propellit, præterquam quod frigidum, ut ante ex Hippocrate notatum eſt, venas diſrumpit,& ſanguinis exitum inducit

Denique *deſtillationes* excitant, potiſſimum conſtringendo & corrugando glandulas capitis & cervicis, imo cerebrum ipſum, quod magna Glandula ab Hippocrate appellatur, potenter condenſat; quemadmodum etiam docuit Galenus 3. *Aphoriſmorum comment. 12.* Sic experimur in algenti Hyeme catharros, & deſtillationes excitari, eaſque pernicioſas admodum cum acredine & ſalſugine, ex prohibita e poris corporis tranſpiratione. Meritò ergò Hippocrates in Aphoriſmo uſum frigidorum in his, & conſimilibus caſibus tacitè vituperare videtur, etiam ſi aliunde illa ratione fluentis ſanguinis videretur indicata.

Porro ſi frigida extrinſecus admota, nocua ſunt pectori, multo magis eadem infuſa putanda ſunt, cum intrinſecus fuerint adhibita, quippe ſi duntaxat laryngem pertingant, ſolent ſæpiſſime Tuſſes moleſtiſſimas parere,& alia plura incommoda cæteris adhuc partibus inferre; undè aquæ gelidæ, glaciales & nivoſæ, pernicioſiſſimæ eſſe conſueverunt,& qui populi illis utuntur, internis doloribus ſæpe ſæpius primum affecti, ſputum mox ſanguinis, hæmorrhoidum fluxum obſtructiones & in glandulis colli, potiſſimum dolores irreſolubiles aſthmoſos patiuntur. Unde ſedulo præmonendi ſunt heluones glaciales nè potis nivatis aut glacialibus potibus cum tot mala efficiendi vim habeant, tot viſcera hebetando & deſtruendo præmaturè ad Hydropem & mortem diſponunt.

Quæres: Curioſitatis cauſa, utrum nix & glacies, ſint frigidiora aqua pura, quæ inter Elementa eſt frigidiſſima ſeu frigida in gradu quarto, medicè in gradu octavo Philoſophicè: ℞. Breviter, nivis & glaciei frigus eſſe intenſius quoad activitatem quatenus in ſubjecto denſiori: non autem quoad gradum.

Aphoriſmus XXV.

Articulorum Tumores, & dolores abſque ulcere, atque etiam Podagricos & convulſiones, magna ex parte, frigida aqua large affuſa levat & extenuat, ſolvitque dolorem: nam modicus Torpor, doloris ſolvendi vim habet.

Nota: *De hac materia jam multa diximus ſupra Aphoriſmo 21. hujus Libri.*

Contentum ſeu Intentio.

De frigidi uſu narcotico in Doloribus.

Connexio: Cum Hippocrates penultimo id eſt vigeſimo tertio Aphoriſmo, frigidi effectus & juvamenta in univerſum explicuiſſet: nunc in hoc Aphoriſmo, ad eos effectus ſeu auxilia propria accedit, quæ aquæ frigidæ propria ſunt, unde pariter commendat in hoc Aphoriſmo Hippocrates uſum frigidorum, & præſertim aquæ in doloribus & tumoribus articulorum. Licet podagricam præſeferant conditionem modo ſine ulcere illi ſint. Id vero neque indiſcriminatim & in omnibus ſed aliquibus tantum prout deſignant verba illa. *magna ex parte* (ſeu ut alii) *horum quidem plurima.*

Et quidem *Tumores articulorum* neque omnes & quicunque articulis accidere ſolent, ſed ſolum calidos ſeu cum inflammatione conjunctos, qui nempe à calidis tenuibus & acribus humoribus fiunt; ſi enim fortaſſe, ab humoribus crudis, phlegmaticis aut lymphaticis penderent, procul dubio frigidæ aquæ ſuperaſſuſio utilis non foret, ſed neque in abſceſſibus, cum ſcilicet in articulos humores decumbunt. Neque etiam in Tumoribus à cauſa frigida & craſſa, quandoquidem per frigidorum appoſitionem, nec ad reſolutionem nec ad ſuppurationem illa diſponeretur, quin imo denſior & craſſior eſſe-

effecta, irreſolubilis evaderet,& noxam in articulis & in oſſibus inferret inemendabilem, quemadmodum contingere ſolet, in ea ſpecie tumorum quæ vulgo *Spina Ventoſa* appellatur. Porro, neque in abſceſſibus, quoniam humores in articulis depoſiti, frigidorum admotione, poſſent in partes nobiliores recurrere, quemadmodum ab uſu repellentium medicamentorum evenire ſolet. Itaque in illis duntaxat tumoribus exponendus videtur Aphoriſmus, in quibus tenues, acres & calidi humores peccant.

Sed & adjecit in Textu Hippocrates *Dolores*; quare junctim articulorum tumores & dolores, hic intelligendos interpretabimur, unde frigidorum adminiſtratio, videtur potius, in gratiam doloris ſedandi, hoc loco commendata: nemo enim in Arte medica, vel mediocriter verſatus, rationabiliter frigida, in articulorum tumoribus adhibebit, niſi illi fuerint cum dolore conjuncti, ad ſedandam nimirum moleſtam illam in articulis ſenſionem, quia dolor eſt de genere illorum ſymptomatum, quæ invertunt curationem & ſpecialius ſui remotionem expoſtulant.

Ut autem id expreſſius adnotaret Hippocrates, addidit in Textu, *Podagricos*, ſiquidem in Podagra articuli ſimul tumore & dolore laborant, cum autem dolor cum tumore jungitur, acredo in humoribus deſignatur, ad quam retundendam, plurimum conferre ſolet uſus infrigidantium.

Sed utrum *frigida* quæ hic memorantur *actu* vel *Potentia*, juxta Veterum Medicorum loquendi modum, talia eſſe debeant, controverti poteſt: verum quia Hippocrates in Textu meminit ſpeciatim *aquæ frigida*, idcirco probabilius dicendum videtur, frigida *actu* talia, eſſe intelligenda. At vero licet iſta, manifeſtius notata videantur, non tamen quis inficiabitur, poſſe etiam *potentia* talia adminiſtrari. Sic paſſim experimur in doloribus articulorum, etiam podagricis convenienter applicari & prodeſſe ad ſedandum dolorem, olea infrigidantia ſuccos plantarum, decoctiones herbarum, itemque cataplaſmata & linimenta ex his compoſita. Sunt qui in doloribus Podagricis acerbioribus admovent dolenti parti aquam nymphææ aut ſuccum ejusdem, ſperma ranarum, oleum lumbricorum, acetum tum ſimplex tum roſaceum & alia hujus generis: Verum quo pacto hic opus & actionem exerant, altioris eſt inquiſitionis de quo alibi.

De frigidis quæ vulgo Medicis Narcotica & ſtupefacientia dicuntur vimque ſuam immodicè exerunt uti eſt opium, Mandragora, Hyoſciamus hic ſermo nobis non eſt, cum eorum uſus plerumque & intus & extus timendus ſit. Nihilominus tamen & ea in maximis doloribus, adhiberi ſolent, ſed cum magna cautela & circumſpectione atque nonnulli corrigentibus quibusdam additis. Interim nos in hoc Aphoriſmo cum Hippocrate de frigido aquæ utpotè tutiore ſolum agimus.

Debent autem (ut textus dicit) dolores iſti *eſſe ſine ulcere*, nam ſi ab ulcere dependeant, vel cum ulcere ſint conjuncti, frigida admota procul dubio nocebunt, nam frigidum ulceribus eſt inimicum, atque in his adeo totum, non ſolum dolores nullatenus ſedaret, ſed contra potius augeret & exaſperaret. Neque ſi dolores gravantes ſint, iſta locum habebunt, ſed ſolum ſi acuti pungentes & vellicantes fuerint, quam ob rem adjecit *horum plurima*, quibus manifeſte deſignat, ſe tantum intelligere velle tumores inflammatorios, Eryſipelatoſos, vigilias inferentes, adeoque omnino moleſtos, etenim ſi leves forent, & tolerabiles iſta tentare tutum non foret. Notiſſima eſt hiſtoria Maximiliani Imperatoris, qui ut ſe a doloribus podagricis liberaret, in fluvium gelu frigore factum pedes immergi mandavit, atque ita vita defunctus eſt.

Eôdem modô intelligendæ ſunt *convulſiones* in Aphoriſmo memoratæ cohærenter his quæ ſupra de Tetano dicta ſunt, dummodo frigidæ aquæ affuſio, & humores acres ſpaſmum ſeu convulſionem inferentes retundat, & membra affecta, per calorem ad intima revocatum, roboret, ut ſupra nempè Aphoriſmo vigeſimo primo hujus libri, de Tetano laborantibus dictum.

At verò in his omnibus, multa ſediuturna tantum frigidæ aquæ affuſio juvare poterit, ſiquidem in Textu dicitur *frigida aqua largè affuſa levat*. hac enim ratione fieri poteſt ut dolor ſedetur, & cauſa illum faciens aliqua ex parte diſcutiatur. Id quod multo clarius expreſſit Hippocrates rationem levaminis iſtiuſmodi in Tumoribus & doloribus articulorum afferens, dum in calce Aphoriſmi inquit *nam modicus Torpor dolorem ſolvit* (ſeu ut alii) *doloris ſolvendi vim habet*: quandoquidem ex larga frigidæ aquæ affuſione quodammodo partis laborantis ſenſus ex ingenti frigore obtunditur, unde torpor fit & dolor ſedatur.

Ve-

Google

Verùm advertere oportet, neutiquàm Torporem præſertim extremum induci debere, ſed levem, aliâs fieret tranſitus, ex uno in aliud extremum, & quidem gravius, maxima cum ægrotantis noxa, quoniam obſtupefacta omnino parte, Gangræna facillime ſuccederet & mortificatio cum livore ideſt ſyderatio. Quare ad ſedandum dolorem, ſatis erit, ſi frigidæ aquæ aſſuſione, levis torpor inferatur, quantus ſcilicet ſatis ſit, ſenſum partis aliquatenus hebetare, & cauſam dolorem inferentem, acrem ſcilicet humorem obtundere.

Dicitur denique *modicum Torporem* dolorem ſolvere, non quod reverâ dolorem & cauſam doloris adimat, ſed quod remittat ſolùm & ſedet. Quamquam negari non poſſit, ſolutum penitus aliquando fuiſſe appoſitione frigidorum, licet tumor, qui fortè cum dolore inerat, remanſiſſet quoniam potuit frigida aqua adeo tonum partis immutare & acres humores invertere, ut vim eorumdem punctoriam & dolorificam remiſerit relictâ inerti illorum corpulentiâ. Objectiones in contextu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus XXVI.

Aqua quæ cito caleſit (ſeu calet) & cito refrigeratur, leviſſima eſt.

Contentum ſeu Intentio.

De Probationibus Aquarum.

Connexio. Cùm hactenus multa de Aquæ, tum calidæ, tum frigidæ emolumentis & nocumentis dixiſſet Hippocrates: In hoc præſenti Aphoriſmo, nactus occaſionem, agere de notis, quibus bona aqua dignoſci poſſit.

Hanc eandem prorſus ſententiam, iiſdem omninò verbis profert Hippocrates *2 Epidemor. ſect. 2* quam & repetiiſſe, niſi mavis dicere, deſumpſiſſe videtur *ex lib. de aere aquis & locis*, bonarum aquarum recenſens qualitates, & quidem iſtas non aliundè certiores deducendas commonefacit, quam ex cita & prompta earundem caleſactione & refrigeratione. Et enim bonitatis indicia ſi leviori pondere deſumpta, non tantùm dubia pleriſque ſunt, ſed vana penitus illa ex-

exiſtimat *Plinius lib. 31. cap 3.* inquiens *quidam Statera judicant, de aquarum ſalubritate, fruſtrante deligentia, quando perrarum eſt, ut levior ſit aliqua.* Atque mox inhærens hujus Hippocratis ſententiæ ſubdit *Certior ſubtilitas inter pares eſſe, quæ caleſcit, refrigeraturque celerius:* Id ipſum faſſus eſt *Celſus Lib 2. cap. 18.* Aphoriſmum hunc ita vertens. *Eo melior quoque aqua eſt, quæ celerius & caleſit, & frigeſcit:* quod & ſæpius ſenſit Galenus præſertim vero *Lib. de Ptiſana cap. 1. & Lib. de ſimplicium medicament. facult. cap 17. & in commentario hujus Aphoriſmi.* Sed & Eraſiſtrochus apud Athenæum de aquarum bonitate ac levitate judicium rectum Statera ferre putant, ſiquidem ſe ipſum expertum ſubdit, in Amphiarari atque Eretriæ aquis, quarum altera peſſima, altera optima eſt, nullum in pondere diſcrimen deprehendi.

Verum etſi judicium à gravitate & levitate aquarum deſumptum beneficio ſtateræ fallax ſit, & nullius fere momenti, non tamen exinde quis deducet, illud omnino vanum eſſe, ut in iſto ſaltem Hippocratis non aliquatenus includatur, quin potius clare pateat, ex hoc illud fuiſſe deductum: quæ enim aqua cito caleſcit, & cito refrigeratur, nullius impedimenti eſt, ut utrumque prompte admodum ſubire queat, quoniam alienæ miſturæ expers omnino eſt, neque intermiſtum quidpiam habet, quod calefactioni & refrigerationi obicem ponat, quemadmodum ſunt aquæ Thermales nitratæ, Vitriolatæ, ſulphureæ aluminoſæ, cænoſæ & aliæ, quæ enim cito calorem contrahunt & tarde refrigeſcunt, aut e converſo, à diverſa foſſilium, & ſalium mixtura id habent. Hinc ab eodem Hippocrate *Lib de aere aquis & locis*, illa aqua ut puriſſima laudatur, quæ cujusvis odoris, ſaporis, aut coloris eſt expers, adeoque proximè accedit ad naturam aeris: cui inhærens Plinius *lib. 31. cap 18 ſupra citato dixit.* Aquam ſalubrem aeri quam ſimillimam eſſe oportere. Quam obrem ſana ratione *Celſus*, omnes bonæ aquæ dotes comprehendens *lib. 2. cap. 18.* ſcriptum reliquit: *Levis aqua pondere apparet, & ex his, quæ pondere pares ſunt, eo melior quoque eſt, quo celerius & caleſit & frigeſcit quoque celerius, ex ea legumina percoquuntur:* Siquidem hujusmodi aquæ extraneorum corporum mixtura carentes leviſſimæ ſunt, & non ſolum levitate, à cita & facili digeſtione ac permeabilitate deſumpta ut exponit *in hoc commentario* Galenus, verum etiam à levitate ponderi contra poſita, quia nul-

nullam extraneum corpus in ſe continentes proxime accedunt ad naturam & conditionem aeris, cum quo illæ Symboleitatem retinent, atque proxime parem levitatem participant: aer etenim & leviſſimus eſt, & faciliter calore aut frigore fit alterabilis, maluit autem Hippocrates bonitatem & ſimplicitatem aquarum ſumere, à facili & cita calefactione & refrigeratione, veluti teſtimonio è Phyſicis eruto certiori, & pene infallibili, omiſſo alio expondere in illa eta deſumpto veluti vulgari, cunctis obvie multumque fallaci, ſi potiſſimum ſejunctim conſideretur, quo nimirum re medicæ Profeſſores citra mechanicæ leges poſſent facillime de aquarum bonitate dijudicare.

Debent tamen aquæ internoſcendæ, tum gelidæ tum calenti aquæ, aliique liquori, igni aut ſoli æqualiter exponi, ut nimirum æquali agenti, tum calefacienti, tam refrigetanti ſubjiciantur: alias, ſi una efficaciori, altera debiliori, tam in calefaciendo, quam in refrigetando exponatur, rectum judicium exinde ferri non poterit, de cita aut tarda utriusque incaleſcentia aut frigefactione, cum ex inæquali agentium vi, non niſi inæqualis actio exoriatur. Ut ergo aquarum ſpecies inter ſe invicem diſtinguantur, & quænam ex illis purior, ſimplicior & levior ſit, recte dijudicemus, ſimul una in eandem aquam calentem aut gelidam, paribus phialis vitreis concluſæ immergantur, atque eodem temporis intervallo & æquali poſitione detineantur, mox deinde beneficio duplicis & conſimilis thermometra examinentur, in gradibus contracti caloris aut frigoris pluribus vel paucioribus. Verum tamen adhuc in his falli poſſumus aliquando, cum præſertim aquæ, non corpulenta materia, ſed halitibus ſolum, ſeu volatilibus partibus ſunt referta, ut in pleriſque acidulis, nitratis, vitriolatis & ſulphureis obſervatur, quæ etſi leviſſimæ ac prompte admodum permeabiles, per vaſa urinæ, mixtum tamen quid habent volatile & halituoſum ſive ex ſulphure, ſive ex vitriolo, hali nitro (ſeu ſale nitro) cæteriſque ſimilibus, ut propterea etiam, ſaporibus diverſis nonnullæ diſtinguantur, pari ſane ratione, qua fit, ut aquæ fontium, cæteroqui puriſſimæ, paucis guttulis ſpiritus vitrioli, ſulphuris, ſalis armoniaci aliusve medicatæ vi atque effectu varient cum aliunde nihil quidpiam ponderis extranei acquirant, aut amittant, nec excalefactioni nec frigeſactioni pro rata ſua, citius vel tardius ſubjiciantur.

Sed & ſine ullo cujusvis inſtrumenti mechanici apparatu, ſolent nonnulli per ſolam ovi gallinacei aut columbini, in ſimplicem aquam immerſionem breviſſime dijudicare, quæ aqua gravior vel levior ſit, ſiquidem quo aqua purior fuerit, eo ovum profundius mergitur, & quo ponderoſior eo quoque altius aſſurgit: idque pro ſalium permixtorum diverſitate & copia. At judicium inde ſumendum Delio eget notatore.

Cæterum facile nunc eſt, aquarum bonitatem atque malitiam Chimiæ beneficio detegere, tum ſimplici evaporatione, tum per alembicum deſtillatione, tum etiam per varios ſtillatitios liquores commixtione, unde quidquid in aquis heterogeneum deliteſcit, prompte revelatur & pateſit. Quoniam vero aquæ omnis odoris, saporis & coloris expertes eſſe debent, ut quocunque extraneo corpore ſint exutæ, hinc fit ut aquæ ex montibus ſtillantes, ac veluti per filtrum trajectæ, cæteris meliores ſint ac leviſſimæ obſerventur. Itemque aquæ per æſtatem cum tonitru decidentes, utpote e tenuioribus vaporibus altius in aere delatis, atque omni inquinamento terreo depuratæ, ut idem Hippocrates docet, *cit. lib. de aëre aquis & locis*; ſi præſertim in bonis deinde locis & politis cyſternis diutius aſſerventur, ut omnem fæculentiam penitus deponant. Quam Hippocratis ſententiam ſecutus Vitruvius Lib. 8. Cap. 2. pluvialem aquam cæteris anteponit inquiens: *Itaque quæ ex imbribus colligitur aqua ſalubriores habet virtutes, quæque elicitur ex omnibus fontibus leviſſimis, & ſubtilibus tenuitatibus, deinde per aeris exercitationem percolata tempeſtatibus liqueſcendo pervenit ad terram.* Verum non omnem aquam pluvialem æque commendabilem cenſet Hippocrates, ſed temporaneam ſolum, quæ ſcilicet media æſtate decidit, vigente canicula ut ſe ipſum explicat *6. Epidem Sect. 4.* ibi enim aliam facit temporaneam, aliam nimboſam, & procelloſam: *Temporanea* magis calore ſolis elaborata, & veluti per alembicum deſtillata tenuior & levior eſt, omnique impuritate exuta, ſi præſertim cum tonitru decidat. *Procelloſa* vero ac nimboſa ex vaporum & exhalationum inter ſe mixtorum abundantia generatur, unde calori attenuanti & diſgreganti neutiquam ſubeſt: quamvis in contrarium vernas & hybernas potius commendet Rufus Epheſius apud Oribaſium *5. Collect. Cap. 3.* ſed minus rationabiliter. Quas omnes aquarum dotes & bonitatis diſſe-

differentias complexus Celſus ita diſtribuit *Lib. 2. Cap. 18. Aqua leviſſima pluvialis eſt*, (in mundis locis excepta) *deinde fontana, tum ex flumine, tum ex puteo, poſt hac ex nive & glacie, gravior ex lacu, graviſſima ex palude.* Verum qui plura de his deſiderat, legat Hippocratem ejusque commentatores *ſuper eit lib. de aere aquis & locis.* Nec hic reticendum quod monet Rodericus Fonſeca *in Commentario* hujus Aphoriſmi. quod aqua ad tuendam ſanitatem maximi momenti ſit, ut homines Regionum, qui pravas habent aquas, nec ſani nec diu vivere poſſint; quod ex adverſo obſervatur quod homines in ea Regione ſani & diu vivant, in qua bona aqua fruuntur: Bonæ enim aquæ, bonum quoque aerem eſſe oſtendunt, Ubi autem aqua prava fuerit, arte reducenda eſt vel coctura vel deſtillatione ut mox innuimus.

Quæres An aquæ an vini Potatores diutius vivant? ℞. 1. Certant medici ac adhuc ſub judice lis eſt. ℞. 2. In univerſum aquæ potatores ſaniores degere & plerumque diutius vivere quam vini potatores, ut teſtantur exempla patrum & hominum in eremis olim & hodiedum degentium: non ideo autem, quod vinum in re non ſit utilius, tum ad ſanitatem tum etiam ad ſenectutem producendam, ſed quia ejus eſt ſuavitatis liquor ille, ut homines magis quam decet, illi ſe dedant eoque facile abutantur, & inde fiunt graves viſcerum Phlogoſes & deſtillationes, podagræ, contracturæ &c. Unde Poeta:

Aſthma, tremor, febris, tabes, mors, calculus, hydrops
Sunt ſoboles Bacchi, & fæx ſcelerata meri.
Perfide, quam dulci fallis nos, Bacche, veneno!
Quos, alis ut vivant: cogis alendo mori.

Et Juvenalis:

Non vivas ut edas; ſed edas ut vivere poſſis.

Unde Hippocrates aquam magis corporis caſtigationem quam nutrimentum appellavit. ℞. 3. Si aquæ Regionum ſunt impuræ nitro ſulphureæ, præferendum eſſe moderatum boni vini uſum.

Reliquæ difficultates in contextu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus XXVII.

Quibus noctu bibendi eſt aviditas (ſeu qui noctu bibere appetunt) iis admodum ſitientibus, obdormiſcere bene eſt.

Contentum ſeu Intentio.

De ſiti nocturna.

C*onnexio*: Cum aquæ potus ad ſiſtendam ſitim, in uſu ſit mortalibus: recta optimaque ratione necti poteſt, hic Aphoriſmus de ſiti verba faciens, cum priori.

Hic Aphoriſmus cum unicam habeat concluſionem non dividitur. Docet ergo in hoc Aphoriſmo Hippocrates, num ob ſitim nocturnam bibendum ſit. Bonum autem ait, ſi ſitis illa ſuper dormiendo ſuſtineatur.

Quamvis autem hæc ſententia, tum ad prognoſim, tum ad therapejam pertinens, clariſſima videatur, in ea tamen dubitare primo contingit, de qua ſiti intelligenda veniat de naturali nimirum, an de præternaturali ſeu morboſa. Et quidem ſi de naturali interpretemur, quæ ſcilicet in ſtatu ſano accidere ſolet, ex cibis ſolum plus juſto ingeſtis vel calorifica vi præditis, quales ſunt multo ſale, aut aromatibus conditi aliique ſimiles, nemo plane inficiabitur nullatenus bibendum, ne nimirum afflicto & operato ventriculo, addatur afflictio & onus, ſed ſuper dormitione ſolum ſitim illam eſſe ſedandam, cum ea non niſi largiori potu deſinat, præſertim quia ſolius aquæ beneficio, ſalia illa aut atomata dilui ac inſtingi deſiderant. Ita quoque ſi ſitis fiat, ab inopia lymphatici vel ſeroſi humoris, ex immodicis fortaſſe evacuationibus abſumpti, cum notiſſimum cuique ſit, ea ratione ſitim animantibus datam, ut ipſa, veluti calcari ad aſſumendum potum ſtimulentur, ut & fame ad cibos compeſſendos, ne penitus deficiant. Itaq; de præternaturali ſeu morboſa potius, videtur explicandus Aphoriſmus, quamobrem apposite adjecit Hippocrates hæc verba. *noctu, iis admodum ſitientibus*: quæ ſane ægrotantibus & morboſe ſitientibus contingunt.

At vero, quoniam veteribus in uſu erat lautius cænare, quam apud nos ſaltem plerumque fit, facile quoque eſt, ut de his quoque ſententiam hanc Hippocrates protulerit, cum ſæpe ſæpius accidat, à larga & copioſiori cæna ſitim fieri moleſtiſſimam & præſertim ſi vino meraciori atque uberius aſſumpto fuerit aſſociata, unde falſa ſitis accidit, & potius a concreſcente & viſcoſo humore ab aſſumptis cibis pro-

progenito: Id ipſum clare docet Hippocrates *l. prædictionum* inquiens *eos, qui plurimum commedunt* ſolere ſitire, quo caſu ſitim ſuſtinere, ac ſuperdormire bonum eſt, ut nimirum craſſities illa per ſomnum extenuetur, ac diſſolvatur, quippe ſitis licet paſſio ventriculi ſit, atque in ſtomacho fiat ut fames (licet Platoni placuerit illam potius ad pulmones referre) percipitur tamen in faucibus & in lingua, vel cum ſaliva ſufficienti deficiunt, vel cum a lympha fluida & diluta non irrigantur, ſed potius a viſcoſa, inſtar glutinis devinciuntur, ita ut pori & glandulæ ſalivales, roridum illum humorem effundere nequeant, quemadmodum a paſtu largiori, & ab aſſumptis ſtypticis cibariis frequentiſſime accidit tunc enim ſilere & ſuperdormire ad ſitim ſedandam optimum remedium eſt · dixit autem, *libendi eſt aviditas ſeu bibere appetunt* non ſitiunt: Aviditatem enim habere ſeu appetere non eſt revera ſitire, ſed quandam aviditatem & bibendi deſiderium habere ex depravato ſenſu præſertim in ore & faucibus inducto, ad lymphæ ſalivariæ craſſioris redditæ per humectantia diſſolutionem quo etiam fit, ut falſam hanc ſitim ſæpe numero gargariſmis ex aqua ardente vel vino ſedare ſoleamus, aut detenta in ore, vel manſa re quapiam ſalivam & ſputionem promovente.

Addit præterea *admodum ſitientibus*, ergo de ſiti plane immoderata & excedente videtur locutus, quæ & ſi ſanis à paſtu contingens naturali appellari poſſit, non tamen quis perperam aſſeret, ſi quodammodo præternaturalem illam nuncuparet, veluti inductam à cauſa, vix à morboſa recedente, cum lympham ſalivalem ſua fluxilitate orbatam pariat, & moleſtiam non levem ſtomacho ac toti corpori inferat, eo quod iſtiuſmodi ſitientes irrequieti & queruli fiant, imo loquela & motu linguæ plurimum hæſitantes, vix verbum proferre poſſint, quæ ſane ad ſymptomata morboſa proxime accedunt. At vero ex hoc non bene Galenus infert, potum his eſſe ſtatim exhibendum, quaſi vero Hippocrates moderatam ſitim eſſe tolerandam, & immoderatam largo potu ſedandam eſſe voluerit, nam ex ſupra dictis contrarium clariſſime evincitur, ſi nimirum ſitis falſa ſeu ſpuria ſit, & non ex inopia, ſed ex copia, & craſſitie lymphæ ſuboriatur.

Subditur tandem in textu: *obdormiſcere bonum eſt, ſeu ſi ſuperdormierint, bonum*: nam à ſuperdormitione ſitis proculdubio deſinet, dige-

digeſtis nimitum & diſſolutis cibis ventriculum gravantibus, unde poſtmodum lympha ſalivaria dilutior ſit. Quod ſi cauſa ſitim inferens omnino morboſa ſit, ut in febricitantibus à ſuperdormitione etiam mitefcet & ſedabitur, unde adhuc bonum ſignum erit, deno tans illam non eſſe adeo contumacem ac malignam, ut temitti ac domari non poſſit: quamobrem ſi ſomnum admittit, ad meliorem ſtatum atque ad digeſtionem reducibilis, ſignificatur. Somnus autem hic neutiquam morboſus dici debet, ſed naturalis, qui ſcilicet prodeſt, tum ſedando ſitim, tum coctionem cauſæ illam inferentis promovendo, quæ plane à ſuperdormitione commode ſequitur.

At vero non ex eo quod Hippocrates dixerit *bonum ſi ſuperdormierint*, poterit quis è converſo inferre malum, ſi ſomnus nullatenus inſequatur, cum aliunde ſitis illa deſinere poſſit, præſertim data mora atque indicto ſilentio, admonente ad hoc idem Hippocrate 6. Epidem Sect. 3. ſcripſit plurimum conferre ad ſitim diminuendam vel extinguendam, *os claudere & tacere* unde ſalivæ diſpendium non fiat. atque hinc facile deducitur, cur hiante ore, dormientibus os amareſcat & ſitiat, craſſeſcente nimitum lympha inductibus ſalivalibus, atque ab aere inſpiraro, exſpiratoque non minimum alterata, obſtructis interea oſcillis lymphaticis, & corrugatis glandulis palati, faucium & linguæ, ubi remorata craſſeſcit. Bonum autem exinde portenditur tum quia cauſa inferens ſitim, jam ſupponitur diſſoluta, unde non ſolum illa ſedetur, ſed ſomnus pariter facile concilietur; tum etiam quia pleraque alia incommoda placidiſſime evitantur. Porro ſomnus hic erit naturalis, non morboſus, utpote qui conferat, non lædat, dirigendo ſcilicet & attenuando craſſiorem ſalivam, & quietem, ac robur toti corpori impertiendo: neqe ſolum bonum de tempore præſenti ſed etiam de futuro, cum exinde corpus ipſum per quam bene ſe impoſterum ſit habiturum. Verbo, bonum denique ſemper eſt, ſi poſt ſitim ſomnus ſuccedat.

Cæterum etiam Vigilias remedium eſſe ſitis, quæ ex ſomno ſit, quia diſſipat fuligines & impetuoſos halitus ac calorem qui ſitis cauſa eſſe poteſt retracti per ſomnum, verum cum quis poſt ſomnum ſitit & valide quidem, nec Vigiliæ ſitim tollere poſſint, non mox ad aquæ potum currere oportet, ſed prius permittendum, ut tales fuliginum & vaporum motus & caloris effectus ad ſuperficiem deducantur,

tur, ne bibita prius aqua metus ſuffocationis vel hydropis naſcatur.

Objectiones in contextu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus XXIIX.

Suffitus aromatum muliebria educit: ſæpius vero & ad alia utilis eſſet, niſi capitis induceret gravitatem.

Contentum ſeu Intentio.
De ſuffitibus Emmenagogis.

C*onnexio*: Cum Hippocrates de calidorum uſu, hucusque multa propoſuiſſet, modo in præſenti Aphoriſmo ad remedium ſe convertit, quod calidorum nomine comprehenditur, *ſuffitum* ſcilicet aromatum.

In duas partes recte dividitur hic Aphoriſmus. In *prima* ponitur concluſio intenta, quod nempe ſuffitus aromatum muliebria educat. In ſecunda vero cautionem proponit, eodem cautius & cum circumſpectione mercandum eſſe.

Ad affectus ergo mulierum ſeſe convertit in hoc Aphoriſmo Hippocrates, & per plures Aphoriſmos in poſterum acturus de illis ſymptomatibus, quæ fœminis tam nuptis quam innuptis accidunt, & tam tempore geſtationis quam ante & poſt, præſertim vero à partu. In hoc ergo primo generali Aphoriſmo, ut mox innuimus, docet ſuffitum aromatum muliebria movere, ac deorſum ducere, eamque in aliis quoque morbis utilem eſſe, niſi tamen gravitas & dolor timeatur.

Inquit ergo primo *ſuffitus aromatum*: num autem naribus an utero is ſit excipiendus, non memorat nec explicat, & num aromata iſta debeant eſſe bene vel male olentia. Verum ad *primum* dicendum, utero excipiendum illum eſſe. naribus quippe fœtida, odora vero utero ſemper adhibentur: Ad *ſecundum*, quamvis Heurnius putet, bene olentia, ut eſt cyperus, calamus aromaticus, caſſia lignea, benzoi-

benzoinum &c. Et Galenus *in Comment.* præcipue intelligi ſcribat, caſſiam coſtum, cinamomum, & amomum, ipſe tamen Hippocrates *Lib. de natura muliebri* aromata hæc eſſe inquit thymbram, ſeu ſatureiam, ericen, hypericon, papaver album, radicem maluæ ſemen urticæ, mercurialem, ſalviam, dictamnum, amomum, cardamomum, helenium, ariſtolochiam, adiantum, peucedanum, ſemina apii, fœniculi, folia & ſemen rutæ &c. Itemque alibi recenſet, cyperum, juncum rotundum, & odoratum, calamum aromaticum, myrrham ſiſymbrium, aniſum, nigellam, &c. quibus & Cardan' addit moſchum & zibethum.

Ego vero crederem diſtinguendum eſſe, & quidem, quæ ſuapte natura odora ſunt, & in ignem projecta odorem quoque emittunt, nullatenus in uſum ducenda eſſe; quæ vero odora ſunt, ſed per ignem halitus inodores, vel ſaltem non vehementer olentes exhibent, qualia potiſſimum ſunt plantæ, ſemina, folia, poſſe tutius exhiberi; experti enim ejusmodi ſuffitus odoroſos perperam fœminas exagitaſſe, præſertim a partu, quia uterus ex illis graviſſime affectus, adeo corrugatur & conſtringitur, ut nihil penitus deponat: quo propterea factum, ut ejusmodi ſuffitus exoleverint, quippe pleræque a partu ex his odoramentis perierunt. Subſtitutus autem eſt in locum ſuffituum, uſus peſſariorum, ex rebus bene olentibus puta oleo jaſmini, florum aurantiorum, ſuaveolenti butyro, zibetho & ſimilibus, cum frondibus mercurialis rutæ, ſalviæ & aliis id genus, quibus ſcilicet uterus allicitur, & quodammodo in ſuis vaſculis aperitur, neutiquam vero nares halitibus odoroſis feriuntur. ſed & herba fœtida male olet, at vero injecta prunis nullum exhibet fœtorem. deſcribitur ab Hartmanno in ſua praxi ſuffitus, ex ſcoriis reguli antimonii injectis in lixivio calente, verum ſemper tutius in his exiſtimarem prodeſſe vapores ex rebus humefacientibus, quam halitus ex rebus exiccantibus. nam quæ humefaciunt, non ſolum emolliunt, & laxant vias uteri, verum etiam ſanguinem grumoſum diluunt & concretos atque hærentes ſeu ſtagnantes ſuccos lymphaticos vel ſeroſos extenuant atque diſſolvunt. Tria enim generaliter requiruntur, in ducendis muliebribus excrementis, ut quod concretum eſt diſſolvatur. Viæ laxentur & aperiantur. atque uterus in ſuis glandulis & membranis moleſcat, ac in orificio interno patulus maneat, quæ ſane à vaporoſis, non autem ab halituoſis facilius conſequuntur.

Dubi-

Dubitari hic rurſum poteſt quid nomine *muliebrium* hic intelligatur & licet *propriè muliebria* ſint expurgationes illæ per uterum quæ accidunt poſt partum & *lochia* ac *puerperia* dicuntur, nihilominus à commendatoribus hoc loco, ſub nomine muliebrium comprehendi dicuntur quæcunque evacuationes, ex utero fieri ſolitæ etiam extra partum, ut ſunt menſtrua & cum his aliæ evacuationes, tum ex utero immediate, tum etiam ex toto corpore provenientes, cum non raro accidat corpus univerſum ſuis impuritatibus exonerari, facta per uterum depoſitione & expulſione. Hinc Fuchſius ſcribit pro muliebribus *menſes* in ſua verſione *Secundinæ* etiam retentæ, fœtus mortuus, molæ, grumi, flatus, ſemen, aqua & alia præternaturam in utero genita muliebria quoque dici poſſunt, quippe ſunt de genere eorum quæ omnino debent evacuari, & extra uterum expelli. hæc licet etiam medicamentis per os aſſumptis educi ſoleant, promptius tamen atque ocyus ab his quæ utero ſuffiuntur haberi poſſunt.

Non tantum autem ad muliebria ducenda ejusmodi ſuffitus prodeſſe ait Hippocrates, ſed etiam ad alia plura, quæ plane intelligenda ſunt, in cæteris affectionibus ex utero dependentibus, ut ſunt ſuffocationes & paſſiones hyſtericæ, uteri inflationes, dolores &c. Sed & ad facilitandam conceptionem, non raro uſu venire ſolent, itemque in fluxu muliebri, ulceribus uteri, dolore coxendico, doloribus lumborum, præſertim ex ligamentis uteri. vult quoque Cardanus etiam in viris locum habere poſſe, puta in hæmorrhoidum affectionibus, ſomno gravi, catharris, nervorum morbis, hydrope & aliis, & ideo dixit ad alia multa fore utilem. Verum quia in his ſæpe numero affert ſuffitus capitis gravitatem ſeu dolorem, idcirco adjecit Hippocrates, *niſi capitis faceret gravitatem*: quia licet ſuffitus juvamento foret ejus modi morbis, tamen cauſa doloris, gravedinis capitis & læſionis cerebrium uium duci non debet, quippe magis prævalet nocumentum cerebro illatum quam quodcunque aliud ſymptoma, cui per ſuffitum ſit ſuccurrendum, cum & non liceat morbum morbo tollere, verum tamen in affectibus capitis, ſolemus ſæpe ſæpius ſuffitus elicere", ex gummi animæ, balſamo peruviano ſuccino", roremarino, aliisque abſque ullo metu cephalalgiæ. quamquam plerique ſint, qui ejusmodi odoramenta ſufferre nequeant, ut propterea neceſſe ſit, pro corporum

 varieta-

varietate, ac diverſa eorundem diſpoſitione, atque habitudine, modo in aliquibus uti, modo in aliis cavere, pro diverſa ratione.

Quæres Utrum cuivis obſtructæ mulieri ad provocanda muliebria, ſtatim talia liceat adminiſtrare? ℞. Negative, ſed præmiſſis præmittendis, hoc eſt univerſalibus.

Objectiones & difficultates reliquæ in contextu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus XXIX.

Prægnantes (ſeu gravidas) purgabis, ſi materia turgeat, quadrimeſtres, & usque ad ſeptimum menſem, ſed has minus minore vero aut grandiore fœtu abſtinebis.

Nota: *Vide eundem Aphoriſmum Lib. 4. Aphoriſmo I.*

Contentum ſeu Intentio.

De purgatione Gravidarum.

C*Onnexio*: Cum Hippocrates de muliebrium eductione egiſſet in priori Aphoriſmo per ſuffitus. In hoc præſenti Aphoriſmo, agit de mulieribus gravidis, in quibus quidem muliebria educere non expedit, ſed ſi materia turgeat, eandem certo tempore expurgandam eſſe docet.

Hic Aphoriſmus dividitur in duas partes. *Prima* docet purgandas eſſe mulieres à quarto ad ſeptimum menſem: *Secunda* contra negat, id eſſe faciendum, ante vel poſt illud tempus.

Quantumvis autem hunc Aphoriſmum ſcriptum inveniamus iisdem prorſus verbis *Lib. 4. Aph. I.* ita ut multi interpretes cum hoc loco prorſus omiſerint, nos tamen propterea ut ibidem innuimus non fruſtra cum hic repetimus, aut cum Hippocrate tautologiam canimus aut abſolute rem eandem & ſub eadem ratione repetimus, ſiquidem ibi reponitur deſumpta indicatione à purgantium medicamentorum natura, hic vero potius à tolerantia gravidarum, & à tempore geſtationis

tionis earundem; unde dicitur purgari poſſe gravidas, turgente tamen materia, à quarto ſolum menſe ad ſeptimum, at has minus, in reliquis temporibus, tum primis, tum ultimis à geſtatione, cavere omnino oportere.

Gravidas ergo oportet purgare, ſed non ratione graviditatis at morbi. nam ſi gravidæ aliquo morbo afficiantur purgatio nulla instituenda eſt, cum purgans medicamentum, ut indicatum, neceſſario exigat indicans, quod illud exquirat, juxta leges in methodo traditas. Neque vero morbus debet eſſe quilibet, ſed materialis & ab humore dependens, adeoque cum cacochymia, quæ alio leviori præſidio ſit inemendabilis, imo cum turgentia, ut præcipit in hoc Aphoriſmo Hippocrates, cum inquit *turgente materia*, turgens autem materia humoralis eſt, & cum impetu delata huc & illuc, ne ſcilicet in aliquam partem principem decumbat, ut bene Galenus *in Comment. Aphor. 10. Lib. 4.* & præſertim in uterum, quo irruens abortum ſimul afferret, & mortem tum fœtui tum matri.

Sed quo genere medicamenti? communiter practici exiſtimant levioribus ſeu minorativis, ſed Averrhoes, vult cavendum rhabarbarum & aloen, utpote quæ movent per urinam & uterum, & aperiunt facile oſcula venarum & arteriarum, ut manifeſte conſtat in praxi de aloe illud interne datum hæmorrhoides aliaque vaſcula aperire, extra applicatum hæmorrhagiam vulnerum & alia ſanguinis profluvia ſiſtere: Hinc in praxi ſeligunt mannã & quæ ex manna componuntur medicamenta. Sed nec iſta omnino tuta ſunt, niſi exacte caſtigata & correcta, ne flatus & tormina excitent. An etiam vomitoria? Affirmavi *in Comment. mox dicti Aphoriſmi I. Lib. 4.* quia pleræque gravidæ, ſolo vomitu & ſpontaneo præcaventur ab abortu.

Non ſolum autem vult Hippocrates, purgandas ſolum turgente materia, ſed etiam tempus limitat peragendæ iſtiusmodi purgationis nempe à *quarto ad ſeptimum menſem*, tunc enim fœtus tenacius adhærent utero, nec tam facile vi medicamenti purgantis diſſecantur à placenta vaſa illorum umbilicalia. Adjicit autem *has minus*, id eſt eas quæ ſeptimum menſem attigerint, quoniam eo tempore ſolent fœtus motionem in utero ſubire & quacumque de cauſa aboriri; quin & tunc grandiores redditi alimoniam exquirunt abundatiorem, quæ uſu medicamenti vel imminuitur, vel depravatur, atqui ex hoc etiam

clare deducitur voluiſſe Hippocratem incluſas gravidas ad ſeptimum perductas, alias non dixiſſet, *has vero minus*.

Denique recens concepti ſeu juniores fœtus, & ſeniores id eſt adultiores & maturi, vel clarius in primis & ultimis menſibus cavere oportere concludit, quia tum facillime abortus ſuccedere et expurgante medicamento. Fœtus enim à Galeno quam appoſite comparatur fructibus in arbore pendentibus: ſicut enim hi, cum tenelli ſunt, & molli pediculo ramulis adhæreſcunt, facillime quacunque de cauſa etiam ventoſa aeris commotione decidunt, itemque cum maturitati ſunt proximi, ita fœtus pari de cauſa facillime evelluntur & defluunt.

Objectiones partim in contextu partim ſupra *Aph. 1. Lib. 4.* ſolutæ ſunt ibique legendæ.

Aphoriſmus XXX.

Mulierem gravidam (ſeu utero gerentem) morbo quopiam acuto corripi, lethale.

Contentum ſeu Intentio.

De morbis acutis Gravidarum.

C*onnexio:* Cum priori Aphoriſmo explicuiſſet, purgationem valde circumſpecte adhibendam eſſe in Gravidis. Ideo in præſenti Aphoriſmo admonet & docet medicum circumſpecte & provide agendum in gravidis morbo acuto correptis: gravidis enim nihil tam inimicum & fœtui periculoſum quam clauſtra uteri intempeſtive reſerari & hoc ipſum faciunt morbi acuti. Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem unimembris eſt. In apice hujus Aphoriſmi dubitare licet, an acutus morbus utero gerenti ſuperveniens, cauſa graviditatis accidat & in utero ſolum, an vero ſejunctim à cauſis geſtationis & vitio totius; de hoc nihil meminit in hoc Aphoriſmo Hippocrates; & quamvis utrumque ſi accidat, ſemper contingat utero geren-

gerentem periclitati; nihilominus quia *Aphoriſmo 43. hujus libri* dicitur. *ſi mulier gravida in utero fiat eryſipelas, lethale eſt*, ubi uteri affectionem ſpecialius memorat veriſimilius videtur dicendum, voluiſſe hoc loco quemcunque morbum acutum commemorare, qui utero gerenti accidat, ſive ille vitio alicujus partis & uteri, ſive vitio totius fiat, ut propterea non ratione partis affectæ, ſed cauſa acutiei morbi, vitæ periculum contingat, nihil enim magis archeum turbat & ſanguinem rarefacit ut amplius affectet ſpatium & utero excitat quam morbi acuti.

Et quidem ut bene Galenus *in Comment.* vel acutus morbus utero gerenti ſuperveniens eſt cum febre conjunctus vel abſque febre ſi cum febre jungatur, ut phrenitide, pleuritide, cauſo, duplex periculum imminebit, unum ab ipſa febre, quæ ſua vi atque acutie, faciliime fœtum perimit: alterum ex victu illi indicto, qui ſi tenuis & parcus, ratione acuti morbi fœtum deſtruet, cum is talem diætam ferre non poſſit & inedia peribit, Si vero largior, febrem continuam augebit, & gravidam abſque hoc debilem & quaſi exanguem proſternet & fœtum pariter perdet; Si vero morbus acutus abſque febre ſit, veluti morbus comitialis & attonitus, convulſio, tetanus, Apoplexia aut alius, propter magnitudinem morbi, ejusque vehementiam, impoſſibile eſt gravidam inde incolumem evadere.

Sed non tantum ex his, quæ ſcite quidem proponit Galenus, periture videntur gravidæ, gravi atque acuto morbo correptæ, ſed etiam quia multa medicamenta, quæ cæteroquin acutis morbis adverſarentur, admittere non poſſunt, ratione graviditatis, ſic diaphoretica & ſomnifera, itemque diuretica & dejectoria, imo omnis generis evacuantia medicamenta in gravidis periculoſa ſunt, unde vix ac ne vix quidem à medicis præſcribuntur.

Gravidæ præterea ſunt obnoxiæ abortui, qui omni & levi de cauſa non raro accidit, potiſſimum autem ex acuto & gravi morbo, per quem ſanguis indebite fermenteſcit, coctiones interturbantur, excrementa detinentur & cumulantur, quo circa fœtus nutritio & vita graviter afficitur.

Inſuper uteri geſtatio comparatur morbo, quô multoties gravidę nauſea laborant, dolent, vigilant, & in cunctis ſuis operationibus male afficiuntur, unde poſtmodum vires debilitantur: Si igitur his malis acutus morbus adjungatur, vix fieri poterit, ut illæ evadant. Demum acutus morbus gravidæ ſuperveniens, magnam & vehementem cauſam conſequitur, ut quam illæ acutè ægrotant, & ſymptomata quæ eundem comitantur plerumque ſunt vehementiſſima.

Quamvis autem ſimpliciter dixerit Hippocrates *lethale eſſe gravidas acutis morbis corripi*, id tamen non perpetuo ſed ut plurimum intelligendum, poterit enim quandoque ſpei vitæ aliquid ſubeſſe, ſi primis menſibus graviatis illæ acutum morbum incurrant, cùm cæteroquin gravius longè ſit ultimis menſibus ægrotare. Primô enim ſecundo & tertiò menſe graviditatis, ſemper vires ſolent eſſe validiores, alimentum fœtus non exigunt, & ſi fortasſis abortus accidat minus periclitantur quemadmodum idem Hippocrates fatetur *1. Epidemiorum* in hiſtoria *trimeſtris ægræ 13.* at verò in ultimis menſibus iſta omnia graviora fiunt ut patet.

Quid verò in alterutrius periculo agere liceat judicarem expedire, ſervare omnimode matrem, licet fœtus ex accidenti & præter intentionem medici, ſit periclitaturus, de qua re tamen diximus in Inſtitutionibus & Praxi Hoc breviſſimè innuendo ſemper uno oculo ad matrem altero ad fœtum reſpiciendum.

Tandem nec hoc reticendum licet mulier utero gerens ex acuto morbo evadat, nec abortiat tamen difficilem habebit partum ob labores quos ipſa & Infans paſſi ſunt; unde ipſe Hippocrates infra *Aphoriſmo 55.* hujus libri ſcribit, *gravidas* præ febribus corripiuntur difficulter & cum periculo parere aut abortientes periclitari.

Quæres I. Utra utero gerens, magis periclitetur in morbis acutis, an quæ portat marem, an quæ fæmellam? ℞. Obſervamus *in Epidem.* illas plerumque quæ fæmellas gerebant fuiſſe mortuas an quia fortaſſe maſculus plura tolerare poteſt; an quia tot non adſunt impuritates.

Quæres II. Cur gravius periclitentur fœminæ quæ abortiunt mares quàm quæ fæmellas? ℞. Quia major eſt receſſus à ſtatu naturali in abortu maris quàm fæmellæ. fortior enim ventus requiritur ad arborem dejiciendam quàm fruticem.

Apho-

Aphoriſmus XXXI.

Mulier in utero ferens, ſecta vena (ſeu miſſo ſanguine è vena) abortit, eoque magis, ſi fœtus ſit grandior.

Contentum ſeu Intentio.

De vena ſectione Gravidarum.

CONNEXIO : Poſtquam Aphoriſmo vigeſimo nono hujus libri de Gravidarum purgatione & ſuffitu aromatum (quæ ambo ſunt remedia, utero gerentibus bene ponderanda, quia violenta) egiſſet : In hoc Aphoriſmo agit de venæ ſectione, eamque dicit in muliere gravida æque ponderandam, & cum grano ſalis adhibendam, ne vel abortus vel gravis alius affectus cauſa exiſtat , præſertim ſi fœtus ſit grandior.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur.

Veri ſimile ergo nobis admodum videtur, de utero gerentibus, morbo aliquo affectis, Aphoriſmum hunc fuiſſe ab Hippocrate prolatum, nam rationabile haud quaquam eſt, utero gerentes, bene ſe habentes, debere ſanguinis detractione evacuari. Hinc planè dicendum, quod cum antea ſcripſerit, acuto morbo correptas periclitari, ſi fortaſſe quis putaret, ſanguinem illis eſſe detrahendum, nunc monet nulla ratione licere, ob periculum manifeſtiſſimum abortus.

Sed & nullatenus audiendi ſunt, qui diſtinguunt , de ſanguine miſſo ex venis ſuperioribus, & ex venis inferioribus, ut propterea putent abortum futurum, ex venæ ſectione facta in partibus inferis, non ſuperis , contrariam manifeſtam erimus in meretricibus quæ non ſemel ſed ſæpius ad procurandum abortum ſcelerate venæ ſectionem ex pedibus celebrant ſed in caſſum, Ergo an ſupernè an inferne fiat , utraque ſuſpecta habenda eſt ; nam præterquàm quod Hippocrates indefinitè ſcribit *ſanguine miſſo ex Vena*, undè quamcunque intelligit ; neque

Google

neque tamen verum eſt, quod ex venis ſupernis miſſus ſanguis, abortum non ſit allaturus, cum contrarium ex Anatomia deducatur, quæ ſæpius conſtitit, ſectis venis ſuperioribus uterum redditum fuiſſe patentiorem, & non tantum fœtum ſed & catamenia (id eſt menſtrua) depoſuiſſe, cum venæ ſuperiores ſectæ, circulantis ſanguinis motum magis excitent per arterias in uterum ſanguinem ferentes. Cæterum venarum delectus in ſanguine mittendo, vanus quoque prorſus exiſtimatur, cum ſtante ejuſdem circulatione univerſus, brevi temporis ſpatio per omnes partes circumagatur. Sive igitur ſanguis mittatur ex ſupernis, ſive ex infernis venis, ſemper, ſaltem ut plurimum, idem periculum abortus imminebit, niſi tamen (notanter dico) adeo plethorica ſit utero gerens, ut ex ſanguinis miſſione convenienti & moderata, nullum ſit ſenſibile incommodum ſubitura, etenim pleræque ſunt, quæ ad plures uncias detractum ſanguinem bene ſufferunt.

Duo itaque mala timenda erunt, ex ejuſmodi ſanguinis evacuatione, *unum* quidem univerſalis *commotionis*, quæ ſpecialius uterum perturbat; *alterum* vero *detractionis alimenti*, tum matri tum fœtui, utrumque autem abortus periculum minatur, quâ ſane ratione adjectum eſt, *& præcipue ſi fœtus ſit grandior*, quippe tunc abundantius alimentum requirit, quamobrem, quæ fortaſſe detractio foret tolerabilior in primis menſibus graviditatis, omnino nocua eſt ultimis.

Sed cur dixit *ſanguine miſſo ex vena (ſeu ſecta vena?)* forte quia, ſi ex aliis partibus educeretur, non eſſet periculoſa, utpote quæ commotionem in ſanguine, & toto corpore non excitaret, quemadmodum ſi cucurbitulis ſcarificatis ex cute ſanguis educeretur, vel etiam ex naribus, levi perfrictione & titillatione. Verum tamen etiamſi ſanguis ex cucurbitulis ſcarificatis educeretur ea quantitate, ob quam utero gerens poſſet debilitari, vel etiam ex inducto dolore, plurimum commoveri & exagitari, periculoſa quoque foret exiſtimanda præſertim ſi ex partibus infernis, aut in cruribus, ut fieri ſolet, adhiberentur, quippe per eas poſſet facillime gravida abortire. Sic nec narium prorritatio ex data ratione tuta foret ſicut enim prorritatio facilis eſt, ita difficilis perſæpe ſolet eſſe ejuſdem refrænatio & effectus ſanguinis fluentis per eandem concitatus. Pariter ſentiendum, de detractione ſanguinis per hyrudinum appoſitionem, quæ cum æque ex venis fiat, adeoque ſimiliter vituperanda.

Addit

Addit poſtremo Hippocrates, *& præcipue ſi fœtus ſit grandior* id eſt in ultimis menſibus & partui proximis, etenim tunc ex duplici capite periculum abortus immineret, *uno* quidem quia ſubtraheretur ipſi alimentum, quod per idem tempus abundantius requiritur, tum ad nutricationem, tum ad vires, quibus eget pro partu validiſſimus, ad quem promovendum, conatus ſuos, iterato fœtus adhibet, unde Galenus *in Comment.* addit, non modo miſſo ſanguine ex vena, ſed etiam ex longiori inedia, fœtus deſtruitur. Et Hippocrates *Lib. de natura fœtus* dicit: *illum impelli ad ortum ex alimenti defectu*; *altero* vero, quia ut antea dictum, in ultimis menſibus quævis etiam leviſſima commotio abortum affert, propter facilem vaſorum umbilicalium & placentæ, ab utero diſſociationem, ac promptam orificii ejusdem interni dilatationem. ſi ergo tunc uterus prompte hiat, & fœtus parturus ad exitum ſponte ſua ſe accommodat, plane à ſanguinis detractione, commotio in toto corpore inducta, faciliime poterit abortum excitare, is autem, quam ſit eo tempore periculoſus, cunctis notum eſt.

Sciendum autem adhuc eſt, modum & morem veterum venæſectionis longe eſſe diverſum à venæ miſſione recentiorum, veteres enim magnam ſanguinis miſſionem ad tres prope libras; Mediocrem teſte Galeno ad duas libras extendebant, & de his videtur ſcriptus noſter Aphoriſmus ab Hippocrate, & hanc ſi quis quantitatem à prægnante ademerit, non citra periculum abortus faciet. Recentiores vero ad paucas tantummodo uncias, raroque imo vix unquam mediam libram excedendo, idque ſolum in fœminis plethoricis & boni habitus, non autem in gracilibus & exanguibus. proinde modernus praxeos uſus, præcipue in Germania, ubi laute vivitur, & large bibitur, obtinuit, fœminas gravidas valde plethoricas, moderata venæſectione, non læſas, ſed ab abortu liberatas & præſervatas fuiſſe, idque ex ſupernis potius quam infernis partibus. Quamobrem ipſe Hippoc. *2. prædictionum*, dyſenterias ſeu cruentas dejectiones, ad partum melius diſponere ſcripſit, quæ tamen alias ſæpiſſime abortum cauſare aſſolent, verum hæc Hippocratis ſententia, intelligenda eſt, de mulieribus valde plethoricis & ſanguineis, in quibus eſt periculum, ne ob ſanguinis copiam fœtus ſuffocetur, & his equidem dyſenteria benigna opitulari poteſt, ſecus vero iis quæ exangues & debiles

ſunt, quibus ne dum obeſſe ſed valde nocere poſſet quæcumque dyſenteria.

Quæres Utrum venæ ſectio an purgatio gravidis ſit periculoſior? ℞. *Abſolute*, ex purgatione majus oriri periculum, quia eſt remedium valde commovens uterum, fœtum inquietans, adde, quod illius actio pro arbitrio non poſſit reprimi, ſicut ſanguinis miſſio, *Reſpective* vero id eſt ſecundum ſenſum Aphoriſmi 29. purgatio admitti poteſt.

Quæres II. Quando ergo purgandæ ſunt prægnantes & quando vena in iis ſecanda? ℞. Ubi ob cacochimiam adeſt abortus periculum, tunc leniter ſunt purgandæ, à menſe quarto ad ſeptimum: quando autem idem periculum imminet ob Plethoram, tunc primis menſibus, præſertim quarto & quinto ſanguinis miſſio fieri poteſt.

Quæres III. Utrum ultimis menſibus, in morbo acuto mulieri gravidæ periclitanti ſanguis mitti non debeat? Ratio dubitandi eſt, ſi enim facimus, periculum abortus incurrimus, ſi autem non facimus mortem inferimus. ℞. Stante tanto & matris & fœtus periculo, omnino mitti poſſe, neceſſitas enim non habet legem, & præſtat unum ex accidenti perire, quàm duos ex neglectu & neceſſitate, Et ſatius eſt, potius periculo abortus quam mortis prægnantem exponere. Accedit quod in plethoricis, etiam ultimis geſtationis menſibus plurimum ſæpe adſit ſanguinis, qui fœtum ſub partu ſuffocare poſſet.

Quæres IV. Utrum modus hodiernus toties ſub una ingravidatione mittendi ſanguinis, ſit licitus, approbandus & ſequendus? ℞. I. Hunc modum magis ad placitum hominum, præſertim vetularum & domicellarum quarundam, vel ad ſpatras & pecuniam extorquendam, quam ex ratione, authoritate, & experientia, propallatum fundatum atque inventum eſſe. ℞ II. Ex data ratione, non debere mirum videri ulli, ſi ſic procedendo, cum ſanguinis miſſione tot atque innumeræ matres & fœtus aut hebetentur aut ſimul & ſemel aut ſejunctim occidantur ℞ III. Regulariter nulli mulieri utero gerenti, ſine ulla ratione, & cauſa aut ex pura & male inducta conſuetudine, quocunque demum ingravidationis tempore, ſanguinem mittendum eſſe, quod ſi vero plethoricæ & ſanguineæ ſint,

aliæque

aliæque ponderoſæ rationes repletionis, ſuffocationis, oppreſſionis, fluxionis &c intercurrant, ex conſilio fundati medici non veteralæ aut medicaſtri, ſanguinis miſſio primis menſibus, ventilatio autem aliqualis in medio vel fine noni menſis, in pauca quantitate celebrari poteſt quæ nec matri nec fœtui obſutura erit, dummodo, notanter dico, prægnans, apprehenſiva & meticuloſa nimium non ſit, alias enim ex hac ſola ratione, etiam quæcunque leviſſima ſanguinis motio obeſſe poſſet.

Aphoriſmus XXXII.

Mulieri ſanguinem evomenti, menſtruis erumpentibus, ſolutio fit.

Contentum ſeu Intentio.

De vomitu cruento mulierum.

Connexio. Hic Aphoriſmus potius connectitur cum Aphoriſmo 28. quam cum præcedente, cum enim ibidem tractaſſet de remedio ad menſes educendos; In hoc jam agit de ipſis menſibus tamquam remedio vomitus cruenti. Poteſt tamen etiam præſens Aphoriſmus connecti cum præcedenti, cum enim in priori dixiſſet ſanguinis miſſionem artificialem cauſare malum, in hoc è contra monſtrat ſanguinis miſſionem naturalem bonum præſtare. Hic Aphoriſmus ſimplici conſtans concluſione non dividitur. Cum ergo non raro accidat, mulieres diverſis morborum generibus laborare, quorum cauſa male affectus ſanguis, ſuperiora impetat, & præſertim in ventriculum, unde vomitus cruentus, Proinde conſiderans in hoc Aphoriſmo Hippocrates, quo pacto ejuſmodi incommodum deſinere poſſit, citra cujusvis medicamenti exhibitionem, nullaque artis opera ſuffragante, docet ſponte ſua vomitum ſanguinem deſiturum, ſi menſtruæ purgationes, quæ forſan antea ſuppreſſæ fuerunt, erumpant, quippe ſanguis ille, qui interciſo per vaſa uteri curſu, alio

 diver-

diverterat, & in ventriculum irruerat, denuo in conſueta & naturalia emiſſaria delatus, laxatis & reſeratis ductibus, ut decet, per uterum expurgatur.

Quamvis autem effatum hoc ſi generaliter videatur ab Hippocrate pronuntiatum, ut quemcunque ſanguineum vomitum, menſtruorum eruptio ſolvere ſoleat, crederem tamen, eam solummodo ſanguinis vomitionem menſtruorum eruptionem eſſe ſoluturam, quæ a ſola eorundem retentione proveniat, etenim ſi fortaſſe alia de cauſa illa habeatur, difficulter fieri poterit, ut deſinat per menſtruorum eruptionem. Hinc ſi vomitus ſanguinis contingat diſrupta vena aut arteria, per ſplenis aut jecoris parenchima repente, aut etiam e ramulis gaſtricis aut meſentericis, nequaquam ſuffragabitur ſubſequens menſtruorum eruptio, ſed potius morbum morbo addet, fortaſſe ex vitio tali, in ſanguine contracto, ut ex pari cauſa, tam uteri vaſa, quam alterius viſceris, venæ aut arteriæ aperiantur vel erodantur. ſæpe tamen accidit, ut ex menſtruorum retentione, ſanguis utiliter per vomitum aut ſputum egeratur, ob conſenſum quam inter ſe ineunt uteri vaſa, cum mammariis & jugularibus ſubclaviis: modo ſeclusis quibuscunque modis, quibus ſanguis à vitio vel ſui vel viſcerum egrediatur, menſtrua intelligenda hic illius eruptio, ut propterea à ſola uteri obſtructione detentus evomatur. Verum cum dixit, *ſanguinem evomenti*, non ſolum de vomitu propriè dicto, qui peculiaris ventriculi actio dicitur, ſed etiam de capitis ſanguinea deſtillatione vel etiam a pulmone de ſputo & ſimplici ſcreatu, aut etiam cum tuſſi, non tamen admodum moleſta, voluit adnotare Hippocrates, cum per utramque viam plerumque ſanguis ex retentis menſtruis egeri ſoleat.

Apposite etiam plerique exponunt per verbum *erumpere* comprehendi non quamcunque menſtruorum eruptionem, ſed eam ſolum quæ affluenter & confertim provenit, quoniam per hanc ſolam evacuationem, divertitur motus ſanguinis, ad conſueta uteri emiſſaria. Porro ſi menſtruæ purgationes erumpant, neque inde vomitus; aut alia ſanguinis excreatio deſinat, indicium erit, venam aliquam aut etiam arteriam ruptam eſſe vel exeſam.

Perperam autem ſolent hinc plerique deducere, licere medico venam

venam tundere ex venis pedis, quoties ſanguis furſum ejicitur & expurgatur, quaſi vero Hippocrates ex hoc Aphoriſmo edocere voluerit, poſſe arte id ipſum peragi, quod ſponte naturæ pleriſque accidit. Sed longe iſti, lateque falluntur: alius enim omnino diverſus eſt naturæ motus, ab eo, qui arte per venæſectionem peragitur; quippe qui ſponte ſanguis per menſtruorum eruptionem egeritur, non ſolum per loca propria & conſueta fit, per quæ in dicta venæſectione, neutiquam perficitur, ſed ejus etiam humoris fit, qui revera excernendus eſt; atqui ars nequit tam dextere, opportune & ſalubriter naturæ motum imitari, quin plurimum ſæpe ſæpius non fallat. Præterea etiam eſt, quod ſpecialius in menſtruorum eruptionibus advertamus, ipſius ſcilicet uteri, ac totius corporis repurgationem, ſiquidem paſſim experimur, omnia propemodum corporis excrementa, ipſiuſque ſanguinis impuritates una ſimul per uterum deponi, & graviſſimas cæteroqui ægritudines exinde finiri, quemadmodum idem Hippocrates pluribus edocet, & in hiſtoriis epidemiorum ſæpius enarrat. In his itaque caſibus ſolertis naturæ operam duntaxat exquiremus, illamque quoad fieri poterit, per loca præſertim conferentia, id eſt per eundem uterum adjuvabimus ut tuto & ſine ullo dubio & difficultate, illam exoneremus, ac tandem à morbis vindicemus; quod ſi autem illa præter ſpem & opinionem deficeret, ars imitatrix naturæ, & Medicus ejus miniſter, ejuſdem vices cito tuto & jucunde, ratione, judicio & experientia aget & perficiet. Vel ſectione venæ in thalo vel apertione hæmorrhoidum vel cucurbitulis fœmoribus applicatis: vel frictionibus vel aliis hæmagogis menſes provocantibus.

Præterea adhuc animadvertendum eſt; omnem quidem ſanguinis vomitum timoroſum eſſe, juxta effatum Hippocratis *libro quarto, Aphoriſmo 25 ſanguinem ſuperne quidem efferri, qualiscunque ſit, malum* at peſſimum ſi à pulmone, ſed minus timoroſum, ſi appareat in muliere, quoniam cauſam habet manifeſtam, menſtruorum ſcilicet abundantiam, unde ſi quæ ex utero fiat evacuatio, cum rectitudine vaſorum fiat, rejectionem ſanguinis per ſuperiora, ſolvere omnino poteſt: id ipſum non modo ego ſed plures mecum famoſi practici experti ſunt & viderunt ex

Pulmone magna quantitate ſanguinem à mulieribus etiam ad libras, ſine tamen aliquo malo effectu, ob menſium nempe defectum, rejectum fuiſſe, iis poſtea fluentibus, omnem eructationem per ſuperiora evanuiſſe.

Quæres I. Quod ſi mulier prægnans vomitu ſanguinis vel ſputo cruento tentetur in qua parte illi mittendus ſit ſanguis? ℞. Non in pede ut aliis non prægnantibus ſed in brachio.

Quæres II. Si mulieri menſtrua non habenti, ſuperveniat morbus acutus v. g. Phrenitis, pleuritis, peripneumonia, angina &c. Utrum & huic venam in thalo aut in Brachio ſit ſecanda? ℞. Ad quantocius procurandam ſanguinis redundantis & ſtagnantis deplerionem, & impediendam majorem partium inferiorum obſtructionem, primo in brachio, deinde in pede venam ſecandam.

Aphoriſmus XXXIII.

Mulieri, menſtruis deficientibus, ſanguis è naribus profluens bono eſt.

Contentum ſeu Intentio.

De hæmorrhagia narium menſtruis carentium mulierum.

Connexio: Cum Hippocrates in præcedenti Aphoriſmo, dixiſſet vomitum ſanguinis ſolvi per menſium eruptionem. In hoc præſenti Aphoriſmo dicit de effuſione ſanguinis quæ per nares fit, in menſium defectu.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem & ſimplicem concluſionem non dividitur.

Quonam ergo pacto defectus menſtruorum, aliquando innoxius evadat, atque illius ſuppreſſa evacuatio per aliam ſuppleri poſſit, docet hoc Aphoriſmo Hippocrates, ubi narium hæmorrhagiam commendat, ſi fortaſſe menſes in fœminis defecerint.

Quam-

Quamvis autem alibi Aphoriſmo 25. Lib. 4. dixerit: *ſanguinem ſupra ferri, qualecunque ſit, malum.* hanc tamen regulam (ut in præcedenti Aphoriſmo innuimus) ipſe Hippocrates excipit in fœminis, quæ ſuppreſſionem menſtruorum patiuntur, neque enim alia melior ſuperabundantis ſanguinis evacuatio unquam viſa eſt ea, quæ per narium hæmorrhagiam accidit, quippe per eam ſolet ſæpiſſime natura non tantum ab his, quæ uteri ſunt morbis ſed à pleriſque aliis liberari, ſic in febribus ſynochis & ardentibus, internis inflammationibus & cæteris, fluens è naribus ſanguis juvamento eſt, & quidem cum optima conditione & ſecuritate longe majori quam ſi per os effluent, ſic enim nec per viſcera tranſit nobilia, id quod licet videatur factum, per loca diſtantiſſima, ſtatuta tamen ſanguinis circulatione facillime innoteſcit, qua ratione conferat, cum per arterias partium infernatum promptiſſime in venas recurrentes, ad partes ſuperas ſanguis influat. Sic anatomia compertum eſt, ſuctis, contrectatis, aut propter vulnus fortaſſe ibidem inflictum, ſectis venis per uberum ſubſtantiam perreptantibus, ſtatim ex utero retentas menſtruas purgationes produſſe, ut propterea non tantum ob conſenſum mammarum cum utero, ſed etiam ob motum ſanguinis concitatum uterinas arterias promptius relaxari atque aperiri contingat. Modo inter cæteras alias ſanguinis è venis ſupernis evacuationes, ſpecialius proficit, ea quæ è naribus fit, tum quia nullum inde a ſanguine extra propria receptacula exeunte damnum imminere poteſt, ut facile evenit, cum ex ore aut pectore prodit, tum etiam quia venæ in nates deſinentes exiles ſunt, & non niſi guttatim ſanguinem extillant, & nullo impetu quidem aut irruptione, quin imo facile adinotis localibus ſeu topicis ſiſti poteſt, quod ſecus accidit, cum ex aliis venis erumpit, tum denique quia nullius interni viſceris læſionem ſignificat, cui ſpecialius ſuccurrendum ſit, uti cum ex ore potiſſimum excernitur, quoniam vel pectoris vel pulmonis vel œſophagi aut ventriculi vel cerebri meningum gravem noxam arguit. Sed & Hippocrates dixit *bonum eſſe*, deſumpta nimirum ratione ab ipſa menſtruorum ſuppreſſione, non autem à loco: Etenim bonum eſt, gravatum corpus exonerari, ne ſcilicet alicubi reſtagnans excrementitius ſanguis, vel alio fortaſſe tranſuetus, graviorem morbum inferat; ſed tamen non omnino bonum eſt per nares egredi, quia conſentaneum & naturale

non

Digitized by Google

non eſt, menſtruum ſanguinem in fœminis per nares excerni, ſed ſolummodo per uterum, veluti per totius corporis emunctorium; in cunctis ſiquidem evacuationibus, ut alibi diximus, non id ſolum quod excernitur, ſed quantitas, qualitas, tempus, modus & locus rei excretæ conſiderandus quoque eſt, ut omni ex parte ſalutaris excretio illa cenſeatur: fieri enim poteſt, ut etiam per nares ſanguis convenienter excretus ex una proſit, ſed non penitus ex altera conferat, quia non per loca convenientia expurgatur, inducta nimirum interea obſtructione in vaſis uterinis, mox etiam tumore, inflatione, ſcirrho, aliove pejori morbo non tantum uterum ſed & ſolum corpus impoſterum graviter afficiente. Advertit poſtremo Galenus *in Comment.* quod licet, *quæ per nares fit evacuatio, innoxia præ cæteris ſit non tamen ſi aliqua etiam alia evacuatio ſine noxa eſt, propterea Aphoriſmus eſt falſus. neque enim quod ſola per nares evacuatio, deficientibus menſtruis bona ſit, dixit, ſed hanc ſimpliciter laudavit, non adjuncto, quod ſola: ſi quiſpiam igitur alteram, quæ fit per ſedem, dixerit ita affectu mulieribus utilem eſſe, hoc non adverſatur Aphoriſmo; videtur enim aliquando Hippocrates per unum, velut exemplum, de omnibus aliis ſimilibus pronuntiare.* Hæc Galenus.

Sed & hoc quoque animadvertendum eſt Hippocratem in hoc Aphoriſmo ſolummodo intellexiſſe mulieres quæ in tempore ſunt, & non prægnantes, in his enim ratio Aphoriſmi ceſſat.

Objectiones in contextu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus XXXIV.

Mulieri, uterum gerenti, ſi alvus multum fluat, periculum eſt, ne abortiat.

Contentum ſeu Intentio.

De Diarrhœa Gravidarum.

C*onnexio*: Cum Aphoriſmo 31. ex ſanguinis detractione per venæſectionem, utero gerentem abortire dixiſſet. In hoc præſenti Aphoriſmo, de alui profluvio memorat, & dicit, periclitari fœminas

minas utero gerentes, ſi illo corripiantur. Hic Aphoriſmus ſimpliciter concludit, & ideo non dividitur. Quoniam vero indefinite dicitur, *mulieri uterum gerenti*, non erit plane coarctandum tempus uteri geſtationis, unde & *primis* & *ultimis* ac *mediis* menſibus, idem periculum imminebit, ſi alvus immodice profluet, quamvis periculoſiora ſemper ſint tempora poſteriora prioribus & mediis. Eſt tamen quam maxime advertendum, differre plurimum damna imminentia, ex alui profluvio, ab iis quæ ex ſanguinis miſſione proveniunt, ſiquidem id quod aluo profluit, ſæpenumero ſolet eſſe prorſus inutile, excrementoſum, ac præternaturale, ut propterea ſaltem ratione cauſæ, ejuſmodi evacuatio bona cenſeatur, at vero quæ ex ſanguinis detractione fit, omnino mala cenſenda eſt, cum exinde vitæ theſaurus inaniatur & vires manifeſtiſſime deficiant. Verum tamen nocua exiſtimanda ſolum erit evacuatio ſive à natura id eſt humoribus acribus ſalſis ſive arte, ſeu medicamentis vel cibis facta per alvum, ſi immodica ſit ac modum non ſervet, ſubindeque ventriculi jacturam faciat, itemque ſi ab iterato tranſitu humorum per inteſtina, uterum illis attiguum coafficiat. quamobrem jure optimo addidit Hippocrates, *ſi alvus plurimum fluat*, quibus verbis & laxatam plus juſto alvum, & præternaturam fluentem denotat, nam ſi fortaſſe moderate exoneretur, nec exinde ventriculus, tum in appetendo, tum in digerendo fatiſcat, proculdubio malum non erit, quin potius omni ex parte bonum, cum ſæpiſſime experiantur, utero gerentes à talibus moderatis egeſtionibus levari, & ab impuritatibus tum alui, tum totius corporis antea cumulatis, cum euphoria vindicari. Sed de quo fluxu Hippocrates intelligat, dubitari poteſt, nam alui profluvia, ſolent eſſe vel chyloſa, vel humoroſa; Chyloſa in lienteria & cœliaca paſſione, humoralia vero in diarrhœa, dyſenteria, teneſmo. Et quamvis quodlibet ex his malum ſemper ſit utero gerentibus, nihilominus videtur dicendum, ſpecialius hic fuiſſe notatam diarrhœam, nam in diarrhœa potiſſimum alvus ſolet affluentius profluere, quod in hoc Aphoriſmo dicitur, in cæteris autem non item: quippe in dyſenteria, frequens & doloroſa dejectio fit, ſed non copioſa, ſicut neque in teneſmo: In lienteria vero & cœliaca paſſione, cibi indigeſti egeruntur, vel ſemimutati, ſed non

niſi ſemel tantum aut bis in die; at vero in hoc Aphoriſmo dicitur, *ſi alvus multum fluat*, quibus verbis & quantitas excretionis, & modus ejusdem præternaturalis ſignificatur. Verum nocent adhuc ex alio capite utero gerenti, atque abortus periculum minantur, cœliaca paſſio & lienteria, quia per chyli dejectiones, corpus tum matris tum infantis, alimento privantur & viribus deficiunt. In dyſenteria & teneſmo, frequens illa & doloroſa dejectio, moleſtiſſima eſt, ut propterea ab iterato inſeſſu, uterus quam maxime comprimatur & doleat, propter conſenſum & vicinam ejusdem cum inteſtinis affectis. Sed & cum his inteſtinorum morbis fere ſemper conjunguntur febres, ciborum faſtidium, ſitis, inquietudo, Vigiliæ, ſymptomata plane moleſtiſſima & gravidis potiſſimum pernicioſa. Quamobrem malum ſemper erit utero gerentem quocunque alui fluxu moleſtari, cum exinde abortus facile ſubſequatur. Debent autem iſtiusmodi alui fluxus per longum tempus perdurare, ut abortum inferant: nam ſi forte intra biduum vel triduum deſinant, citra abortus periculum ſalubriter non raro contingent; quemadmodum ſæpius in praxi experimur, qua forſan ratione factum, cur Hippocrates dixerit, ſolum *periculum eſſe ne abortiat*; equidem non omnino utero gerentes ex hac duntaxat alui turbatione abortum patientur, ſi modico tempore duret, & cum ſola excrementorum, aut malorum humorum exoneratione conſtantibus & viribus ſtomacho bene valente, ac poſtremo ſponte ſua deſinat, quod ſane quam in omnibus morbis prodeſſe poſſit, claro liquet.

Quæres I. Quomodo ergo intelligendus ſit Hippocrates, cum in *2. prædiction.* dicat dyſenterias gravidis facere ad partum felicem, hic autem dicit alui fluxum periculum facere, ne aboriat? ℞. Hippocratem in *2 prædictionum* loqui de valde plethoricis & cacochymicis ſimul hic autem de non plethoricis, his enim ſi multus alui fluxus accidat, dum multa per alvum rejiciuntur, neceſſe eſt ut pauca fiat anadoſis ſeu diſtributio alimentorum ad ſanguificationem & conſequenter ad fœtus alimentationem unde abortus.

A pho-

Aphoriſmus XXXV.

Mulieri hyſtericæ, aut difficulter parienti, ſternutamentum ſuperveniens bonum. Vel mulieri quæ uterinis moleſtatur, aut difficulter parit, ſuperveniens ſternutatio, bonum.

Contentum ſeu Intentio.

De Ptarmicorum ſeu ſternutatoriorum uſu hyſterico.

Connexio: Cum hactenus de morbis, qui utero contingunt locutus fuiſſet Hippocrates, & quidem in ſpecie Aphoriſmo 28. dixiſſet, ſingulare remedium, ad educenda muliebria eſſe ſuffitum aromatum: In hoc præſenti Aphoriſmo declarat, qua ratione ſe habeat ſternutatio ad muliebria: videtur enim utriusque remedii eadem ad expulſionem ratio.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem non dividitur. In hoc ergo Aphoriſmo ſternutationis vires & Juvamenta, in fœminis recenſet Hippocrates, & quidem in iis, quæ uterinis moleſtantur, quæque difficulter pariunt. Quid autem *pro uterinis* intelligat Hippocrates, pluribus examinat Galenus *in Comment.* quoniam vero in græco codice ſcriptum eſt ὑστερικῶν, videtur congruentius exponendum de uterinis, & hyſtericis affectionibus, potiſſimum vero, quæ præfocationes appellantur, in quibus fœminæ nodum quendam in gutture percipiunt, & videntur quodammodo ſuffocari, ob defectum anhelitus; In his quippe ſternutatio ſumme proficit, ob concuſſionem totius corporis à ſternutamento inductam, ſed præſertim in utero: verum quia multoties vehementi, atque iterata ſternutatione, adhuc quæ in uteri cavo continentur, faciſſime ejiciuntur, veriſimile quoque eſt, in his pariter ſternutationem eſſe profuturam, unde ſuppreſſa lochia, retentæ ſecundinæ, & ſanguinis grumi, aliaque ſimilia promptiſſime expelluntur, vi atque impetu à ſternuendo, quatenus per ejusmodi

concuſſionem non ſolum excutitur uterus, & deponit id, quod intra ſe continet, verum etiam vaſa ejusdem facile dilatantur, ac aperiuntur; cumque ſternutamentum fiat, ab irritatione, mammillarium cerebri proceſſuum & meningum, quæ conantur expellere, quod ipſis infenſum eſt, plane ob uteri cum cerebro conſenſum per nervos, facile etiam is proritatur & expellit quod ibidem congeſtum eſt. Quamvis autem, quæcunque detinentur intra uteri cavum, poſſint ſternutamento superveniente promoveri & expelli, nihilominus magis proprie hoc loco conferens ſternutatio præfocationi uterinæ dicenda eſt: cum enim ex ea fœminæ patientes mente quodammodo abalienentur, & cerebro hebeſcant, ſi his ſternutatio accidat, fieri neceſſe eſt, ut cerebrum ipſum concutiatur, & quodammodo reſipiſcat, atque adeo concutiat, quidquid ex utero male affecto illi in ſenſum evaporaverat, ſive per nervos ſive per arterias. videtur id ipſum recte colligi poſſe ex contextu verborum ipſius Aphoriſmi, quippe in eo dicitur, *quæ uterinis moleſtantur*, modo mulier, tunc potiſſimum toto corpore afficitur, cum hyſtericis affectionibus extorquetur.

Non tantum autem proficere dicitur ſternutatio, in affectionibus hyſtericis & uteri præfocatione, ſed etiam in partu difficili, modo is ex imbecillitate fœtus proveniat: etenim ut bene advertit Heurnius, ſi partus difficultas fortaſſe habeatur ex mala conformatione corporis ipſiusmet patientis, aut ex prava fœtus pariendi diſpoſitione, cum vel in pedes, vel in latus prodit, certe tunc nihilum prodeſſet ſternutatio, imo potius obeſſet: at vero ſi fœtus debito modo ſe aptet ad exitum, ſed præ ſui infirmitate conatus non adhibeat, tunc ſumme proderit ſternutatio, per quam motus expulſivus uteri plurimum ſollicitatur, quia diaphragma ex impetu ſternutationis valde propellit, ac comprimit epigaſtrium, & cum epigaſtrio uterum. Denique licet dicatur in textu *ſupervenientem ſternutationem* id eſt ſponte naturæ contingentem, proficere, nihil tamen vetat, quin etiam arte ſi promoveatur, idem quoque beneficium, non ſit fœminis laborioſe parientibus profuturum. Hinc licebit in partu difficili, vel in fœtu mortuo ſternutamentum excitare, ad adjuvandum uteri conatum, ut utrumque ad exitum facilitet. proſunt ea propter in hanc rem piper, galanga, elleborus albus, nigella, nicotiana, & quodcunque nares impenſe proritare valet. Verum enim vero, ſemper modus

aliquis,

aliquis in his adhibendus, pro patientis habitudine, ut nimirum citra cerebri læſionem id peragatur.

Conferet quoque multum per idem tempus quo ſternutatoria adhibentur, vel paulo ante potionem aliquam exhibere, qua uteri conatus promoveatur & ductus laxentur, ut ex utroque motu facilior habeatur partus propulſio: mire autem in id conferunt, trochiſci de myrrha, rubia tinctorum, caſtoreum, borax mineralis, cinamomum, caſſia, lignea, crocus, dictamnum, valeriana, ſchœnanthum, matricaria, artemiſia, atque ex his eliciti ſales, ſpiritus, ſyrupi, elixiria, vel ſe ſola, vel aliis commixta prout praxis docet. Hæc eadem valent, ad expellendas ſecundinas ac placentam, ſi fortaſſe ab edito fœtu retineantur nec prompte poſt partum exeant. Animadvertendum tamen eſt quod quemadmodum aromatum ſuffitus ſupra Aphoriſmo 28 allatus, educit omnia muliebria menſes, flatus, ſemen, fœtum, ſecundinas &c. ita & ſternutatio, hæc omnia efficiendi vim habet, & ſicut in calidis uteri affectibus, uti inflammationibus non convenit aromatum ſuffitus, ſic neque ſternutatio, ne motus morum intenderet plus ad interitum quam ſanitatem. Cavendum præterea in morbis pulmonum & capitis cavenda ſternutamenta, ne pariter plus obſimus, quam iisdem prodeſſe intendamus, Neque etiam hæc locum habent in prægnantibus, quia licet ratione morbi juvet ſternutatio, tamen impetu ſuo, abortum efficiendi vim habet.

Quæres Utrum illa Platonis mens vel vulgi opinio verificetur uterum quaſi animal, quando non coit & concipit errabundum indignari, moveri & ſuffocationem inducere? ℞. Ex mente veterum & recentiorum, uterum non moveri ad ſuperiora, ſed tantum convelli, ob præſentiam ſeminis ſanguinis vel alicujus alterius rei corruptæ, unde tetri & maligni vapores elevantur, qui cor, pectus & caput graviter afficiunt, hi autem vapores per ſternutamentum diſcutiuntur.

Reliquæ difficultates in contextu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus XXXVI.

Mulieri menſes decolores, nec eodem ſemper modo & tempore prodeuntes, purgationem indicant eſſe neceſſariam.

Contentum ſeu Intentio,

De Menſibus decoloribus & inordinatis.

C*Onnexio*: Cum ſupra Aphoriſmo 28. & 33. hujus libri dixiſſet, aromatum ſuffitus muliebria educere, necnon de ſanguinis vomitione aut per nares eductione menſtruorum, expurgationes reſpiciens, dixiſſet: In hoc præſenti Aphoriſmo, ponit præceptum & medium, perquam proficuum pro mulieribus ad menſium effluvium pertinens.

Hic Aphoriſmus cum ſimpliciter concludat, diviſione non indiget.

Proponit ergo in hoc Aphoriſmo Hippocrates menſtruas purgationes corrigendas, in quibus quidem multa, nempe ſubſtantia, tempus, quantitas, qualitas, & modus aſſolent conſiderari, hic autem præcipue loquitur de iis quæ decolores inordinatæ & irregulares ſunt ſeu quæ in qualitate, modo & tempore peccant. Et quamvis Galėnus dicat in aliquibus locis, loco *menſium decolorum* haberi *menſes tardos*, nihilominus communior lectio videtur magis conſentanea, tum quia tardi menſes non omnino exigunt purgationem, utpote qui etiam attenuante diæta poſſunt promoveri, tum etiam quia tardi menſes quam maxime conveniunt cum inordinatis, quippe qui plerumque etiam tardi ſunt. Sed etſi tardi menſes hic leguntur, neque tamen repugnabit, quod in Aphoriſmo dicitur neceſſariam fore purgationem, cum non raro tarditas evacuationis iſtius, ab humoribus craſſis & obſtruentibus habeatur, vel etiam ab ipſomet ſanguine glutinoſiori, qui non tam facile per uteri ductus meare queat; attamen communior verſio retinenda, qua *decolores menſes* leguntur. Et ſiquidem, cum decolores ſunt menſtruæ purgationes, indicant ſanguinem ſero plus juſto ſcatentem, qui propterea debeat hydragogis medicamentis repurgari, quæ non tantum ſerum ſuperabundans educant, ſed etiam humores, fortaſſe craſſiores, detentos in glandulis uteri, vel meſenterii incidant, attenuent & ſolvant. Verum quia Hippocrates in hoc textu conjunxit menſes decolores cum irregulari eorundem apparitione, ac reditu, proinde crediderim

attrun-

utrumque exigi pro recta purgantis medicamenti exhibitione, etenim cum ejuſmodi purgationes menſtruæ decolores ſunt, & debitam & conſuetam periodum non ſervant, non ſolum ſeri copiam, facile inediâ & potus abſtinentia emendabilem, verum etiam craſſitiem humorum, uteri ductus obſtruentiam arguunt, ut proinde ſeroſiores duntaxat humores permeent, tenaces vero & hærentes retineantur, qui niſi convenienti purgante medicamento diſſolvantur, proculdubio in longius tempus retenti, alia graviora mala inferent, tumores ſcilicet, abſceſſus, cachexiam, hydropem. Dicuntur autem non per idem perpetuo tempus accidere, cum modo præcurrunt ſeu anticipant, modo cunctantur & poſtponunt, & modo in medio curſu intercepti protrahuntur in aliud tempus penitus incongruum, ut propterea inconſtantes & irregulares ſint, certam & ſtatutam periodum non ſervantes. Sed & pro *tempore* legit Heurnius *modum* qui proinde in ſua verſione habet, qui *nec eodem modo bene reſpondeant*: juxta quem Heurnii lectionem comprehenderetur ſub hoc menſtruorum vitio, non ſolum periodicatio varia, ſed etiam modus excretionis aſſiduo differens, ut ſi purgatio menſtrua uno tempore fuerit quinque vel ſex dierum, in alio ſit unius vel duorum, & ubi aliquando modus expurgationis guttatim fuit alias ſit affluentior, & tardius & celerius & continuatim & interruptim, & magis & minus, ſine ullo ordine aut reſpondenti quantitate & qualitate evacuationis.

Cum igitur hæc ita ſe habeant, docet Hippocrates purgandum omnino eſſe corpus ab humoribus vitioſis, ejuſmodi irregularitatem efficientibus, attenta tamen ætate, temperamento & conſuetudine pætientis, num ſcilicet efficaciori, an debiliori cathartico uti debeamus, incidente ſimul & evacuante potius ſeroſos, quam craſſos ſuccos educente, admixtis medicamentis etiam, uterinis & antihyſtericis dictis, auralis, aliiſque pro ratione. Conferunt autem plurimum in hunc uſum pilulæ uterinæ fœtidæ, uterinæ noſtræ, aloeticæ, aloe phanginæ & de rhabarbaro, cum tartaro vitriolato, myrrha, dictamno, gentiana, croco, rubia tinctorum ariſtolochia & ſimilibus, in debita doſi, nempe pro virium & humorum evacuandorum ratione. Cæterum his convenientis diæta ſociari debet, quæ ſimul una attenuet, & incidat craſſos & tenaces humores, ac per uterum, vel per urinarias vias illos deducat: Plura & meliora praxis ſuppeditabit.

Quarta

Quæres Quænam mulieres copioſiora habeant menſtrua & quæ ordinarie anticipent & quæ poſtponunt? ℞. Bilioſæ & intemperatæ, cum valde lubricæ ſint plerumq; copioſius repurgantur & anticipant pituitoſæ vero & cachecticæ ut plurimũ poſtponunt & minus repurgantur.

Quæres II. Quo optime cognoſcimus & diſcernimus colores in menſtruis? ℞. Si illi ſiccentur intinctis vel infectis linteis, vel etiam ſuper arenam ſparſis & ſiccatis, & ſi color fuerit flavus aut ſubpallidus bilis dominabitur, ſi vero pallidus & inſtar muci, phlegma ſeu lympha ſuppetias dabit.

Aphoriſmus XXXVII.

Si Mulieri, uterum ferenti, mammæ ſubito (ſeu repente) extenuentur (ſeu graciles fiant) abortit.

Nota: *Confer cum hoc Aphoriſmum infra numero 52. & 53. hujus libri, qui maximam cum hoc præſente habent analogiam.*

Contentum ſeu Intentio.

De abortus futuri ſignis è mammis.

Connexio Cum Hippoc. multos hactenus ſcripſiſſet Aphoriſmos ad abortum pertinentes: In præſenti modo Aphor. ſignum affert, per quod medicus futurum abortum prædicere poſſit. Hic Aphoriſmus ob brevitatem & unicam concluſionem non dividitur.

Maximum inter uterum & mammas eſſe conſenſum, connexionem, & ſympathiam docet hic Aphor., ſive id fiat per vaſa, quæ ambobus illis communicantur, ſeu ſympathiam, ſive officiorum communionem, ſive ob ſubſtantiæ ſimilitudinem cum teſtibus ſeu ovariis: hinc monitos nos facit Hippoc, fœtum in utero contentum, alias bene valentem, facile aboriri ſeu abortum pati, ſi mammæ in utero gerente *repente gracileſcant, aut ſubito extenuentur* quam diu enim mammæ ſunt robuſtæ, firmæ & ſolidæ, uterus etiam talis cenſeri ſolet & è contra. Dicit autem in textu *ſubito* ſeu *repente*, id eſt nullo præcedente morbo aut ſymptomate, & ſine ulla cauſa manifeſta, ob quam graciles illæ evaſerint, vel extenuatæ fuerint, ſiquidem cum ſenſim graciles fiunt, & poſt longum temporis intervallum, fortaſſe ex morbo, aut extrema diæta, aut alia cauſa conſimili, nihil mirum erit, ſi graciles evadant, tabeſcente paulatim prægnantis corpore, ad cuj' extenuationem illas marceſcere con-

contingat: at vero cum *repente* detumeſcunt, & ubi duræ & turgidæ ut mox dixi, erant, extenuantur & flacceſcunt, omnino ex languore, & à laxitate vaſorum umbilicalium, & uteri morbo, illæ contabeſcunt, unde poſtmodum abortus præſto erit. Attamen hæc potiſſimum accidere ſolent poſt quartum menſem, nam citius vix, ac ne vix quidem turgidæ mammillæ fiunt: provida enim natura per id tempus incipit, alimentum in mammis diſponere, & præparare, ut de futuro extra uterum alimento provideat: quamobrem ſi fortaſſe ex aliqua, vel ejuſdem uteri, vel fætus ibidem geniti, ægritudine contingat, eundem perire, quia ceſſat finis nutricationis illius, deſinit quoque futuri alimenti ad mammillas tranſmiſſio, interrupto ſimul una mutuo vaſorum inter ſeſe reſpondentium commercio.

Sed notandum eſt quod Galenus memorat *in Comment. hujus Aphoriſmi trahere* ſcilicet, *fætum ad ſe id quod in ſanguine dulciſſimum eſt: Simul autem & lactis parte aliqua frui.* Equidem anatomia compertum eſt ultimis menſibus inveniri, in ventriculo infantis, ſubſtantiam quandam albicantem lacti non diſſimilem, quam ore ſugi conſtat, atque ſuppeditari à membrana illa quæ immediate fætum ipſum cingit & græce ἄμνιον appellatur, ſicut autem iſta ſenſim imminuitur in ultimis menſibus, ſic alia conſimilis in mammis adaugetur, ut propterea ſoleant non raro iſtæ, levi compreſſione, vel etiam ſponte ſua, lacteum humorem exſtillare. Atque hinc fit quamobrem fætus in lucem editi, mox fæces, quas meconium vocant, egerant, ac ut notavit Hippocrates *Lib. de Natura pueri* ſtatim à partu lac è mammis ſugant, quia videlicet intra uterum, multo antea ſugere à provida Natura edocti fuerant: de qua re videantur inſtitutiones.

Præterea notandum, admoneri hoc Aphoriſmo Medicos, ne in ejuſmodi mammarum extenuationibus remedia adhibeant. inde enim fiet, ut ſuccedens abortus illis culpa cedat apud ignarum vulgus, quod ſine ulla difficultate & frivole exiſtimabit, ab ejuſmodi importuna medicamenti adminiſtratione promotum fuiſſe negligenter abortum, qui tamen ſponte Naturæ ſuperventurus erat.

Iterum notandum, quod ſicut non ad omnem mammarum extenuationem ſequitur abortus ſed tantum repentinum, ſic pariter impoſſibile eſt in abortu non fieri mammarum extenuationem ſaltem aliqualem.

Quæres I. Cur ubera primis menſibus, ut diximus in contextu non attolluntur ſed potius in ultimis. ℞. Partim ut Natura fœtui penum & futurum alimentum procuret. Partim quia in ultimis menſibus ob magnam prolis molem, ſanguinis pars ſurſum premitur ad mammas, id quod pariter obvenire advertimus in pleno ſtomacho, faciei & frontis venas turgere.

Quæres II. Qua de cauſa fœtus exitum quærat nono v. g. menſe. ℞. Quia ſuo illo alimento contentus amplius non eſt, nam partim multum regurgitat ad mammas, partim etiam ob majorem fœtus aviditatem.

Cæteræ difficultates in contextu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus XXXVIII.

Mulieri geminos ferenti, ſi altera mamma extenuetur (ſeu gracilis fiat) alterum abortu edit (ſeu abortit) & ſiquidem dextra mamma gracilis fiat, marem; ſi vero ſiniſtra, fœminam.

Contentum ſeu Intentio.

De Abortus ſignis è mammis.

Connexio: Hic Aphoriſmus adeo cohæret præcedenti, ut revera pars prioris cenſeatur, imo plures ſunt interpretum, qui ambos ſub uno contextu explicuerunt, pendet enim hic ex præcedente tanquam effectus à ſua cauſa, nihilominus clarioris doctrinæ cauſa nos ſeparatim explicamus.

Hic Aphoriſmus in duas partes ſecundum duplicem concluſionem dividitur. *Prima* dicit, mulieri geminos ferenti, ſi una extenuetur mamma, alterum abortit; *Secunda* vero aſſerit, quod ſi dextra extenuetur, mas perditur, ſi vero ſiniſtra, fœmina.

Quod ergo dixerat Hippocrates, in præcedenti Aphoriſmo de abortu unius infantis, ex extenuatione ambarum mammarum; in præ-

ſen

ſenti Aphoriſmo aſſerit, de alterutro, ſi nempe gemini ſint, cum altera utra pariter mamma gracileſcit, ſed tanto inſuper cum conſenſu, ut ſi fortaſſe dextra mamma gracilis fiat, qui fœtus in dextra uteri parte eſt, abortum patiatur, quique ex ſententia Hippocratis mas erit. Si vero ſiniſtra extenuetur, fœmella, quæ in ſiniſtra quoque uteri parte concepta erit, ſit abortitura.

Sed quamvis id tam clare, & tam certo ſit ab Hippocrate ex veterum ſententia ſancitum, qui ut mox infra dicetur, exiſtimarunt mares in dextra, fœminas vero in ſiniſtra uteri parte generari, apud recentiores tamen, parem aſſenſum non meruit, quoniam ex anatomia, jam conſtitit indifferenter & in dextra & in ſiniſtra uteri parte, tum mares tum fœminas concipi & generari poſſe.

Sed & neque tam facile eſt, ut alter fœtus, altero ſuperſtite abortiatur, quippe ad conatum uteri, pro unius fœtus excluſione, alterius expulſio facillime haberi poteſt, cum non in diverſis cellulis, ut aliqui crediderunt, fœtus in utero contineantur, ſed in una eademque cavitate, qua hiante, quidquid ibidem continetur, facile deponitur. Veri m tamen quia Hippocrati non ſemel innotuit, poſſibilem eſſe ſuperfœtationem, adeoque unum fœtum jam extinctum excludi poſſe, alteri m viventem detineri, plane poterit eadem lege alter abortiri, alter conſervari. at vero quod eadem conditione accidat, ut gracileſcente dextra mamma, mas, gracileſcente ſiniſtra, fœmella excludatur, nullus unquam vidit, unde mirari licet, qua ratione ductus Hippocrates ſcripſerit, ita inter ſeſe mammas cum fœtibus reſpondere, ut non ſolum, qui in dextra uteri parte continetur, ſed etiam qui maſculus eſt, occidat, altero in ſiniſtra ſuperſtite. Sed & nec ex alio capite verum eſt, quod mares ſemper in dextra, fœminæ vero ſemper in ſiniſtra generentur, ut Hippocrates Aphoriſmo quadrageſimo octavo hujus libri innuit; cum indifferenter experiamur, tum in dextra, tum in ſiniſtra geſtari fœtus, alterutrius ſi fuerint ſexus, ejuſdemque maturitatis & roboris.

Hinc decepti plerique fuerunt, qui cum viderent fœminas dextra uteri parte, plus juſto tumefactas, judicarunt de maris geſtatione; id ipſum quoque accidit illis, qui ex documento Avicennæ, conjectarunt de maſculo, quod in prima, & ſpontanea utero gerentis motione pedem, & crus dextrum prius loco moverunt. Quoniam autem ex anatomia compertum eſt, gemellos unica & communi exteriori

membrana, *chorion* dicta comprehendi, licet interiorem, agninam vocatam (vulgo induſiolum) diſtinctam habuerit, unde cadit eorundem opinio, quod in partu gemino, mares in dextra, in ſiniſtra fœminæ ſint progeniti, cum fœtus gemini, unico chorio ſeu ſecundina contineantur. Non tamen penitus negaverim accidere aliquando potuiſſe, ut ex extenuatione dextræ mammillæ, mas perierit, & ex extenuatione ſiniſtræ fœmella, verum id non certa lege ſtabiliendum, ut perpetuo verum ſit & infallibile. quo fortaſſe exemplo motus Hippocrates, quod aliquando ipſe vidit, in Aphoriſmum redegit, veluti rem notatu dignam, & raram, ſuoque tempore communiter receptam. Cæterum quæ raro eveniunt, licet ſint admiratione digna, non tamen in exemplum ducenda ſunt, ut regulam generalem & infallibilem valeant conſtituere: Ita quidem ab Hippocrate dicitur, fœminas podagra non laborare, ut & eunuchos & pueros; hoc licet plerumque verum ſit, falſum nihilominus aliquando eſt animadverſum.

Dices Cardanus hunc Aphoriſmum utpote illegitimum Hippocrati expungit & reiicit. ℞. Cardanum abſolute hunc Aphoriſmum non reiicere, ſed quod Hippocrates, prout & nos jam in contextu innuimus, hunc Aphoriſmum quaſi legem & perpetuam veritatem allegaverit, quæ tamen non eſt, cum ut experientia docet, & abunde demonſtravimus, ſæpius fallat, proinde exempli tantum loco non legis acceptandum eſſe, ſiquidem talis caſus ſicuti noſtro tempore rariſſimus ob magnum mammarum inter ſe conſenſum, (licet forſan tempore Hippocratis frequentior) ita tamen impoſſibilis non eſt: Ideo non raro videmus in paralyſi, in hemicrania, eandem partem ſecundum medietatem pati, ut minus mirum videri poſſet, ſi in duabus veluti mammis, id ipſum quandoque contingat: Non gratis enim Natura, duas fabricavit mammas, duos oculos, duas aures, duos renes, duos teſtes, ut altero affecto, alterius uteremur præſidio: Accedit ad hoc quod expulſiones Naturæ plerumque fiant, per rectitudinem fibrarum, vaſorum & partium, ſicut videmus per hæmorrhagiam dextræ naris, epatis inflammationes critice ſolvi.

Quæres: Quomodo gemelli generentur? ℞. I. Veteres duplici ratione generari gemellos dixere *Vel* in eodem coitu, quod ſæpe fit diviſo amborum ſemine; *vel* in diverſis temporibus ſuperfœtantibus mulieribus ſeu quando fit ſuperfœtatio; non quod plures celluiæ ſint

in

in utero (ut quidam protſus inſenſate ſenſerunt) ſed quod ſemina dividantur in duas vel plures uteri partes, unde vel duæ vel tres vel plures generentur proles. ℞. 2. Recentiores, non attendendo ad veterum prædicta potius figmenta & ſomnia quam documenta, dicunt gemellorum progenerationem rationabilius ovario tribuendam eſſe, utpote quo plura per coitum & ſemen maſculinum activantur ovula & in orificium uteri internum depelluntur, eo plures vel pauciores proles poſſe generari. Sed de his plura in inſtitutionibus. Interim de gemellis ex Praxi.

Nota I. Si gemelli concepti fuerint, facilius per venæ ſectionem & alios errores fieri abortus, quam ſi unus ſolum fuerit fœtus.

Nota II. Fœtibus gemellis conceptis, uno per abortum ſecreto, ut plurimum & alterum, idem fatum manet.

Nota III. Inæqualibus ſignis abortus futuri præſumptio eſt pro maſculi, tanquam robuſtioris conſervatione.

Aphoriſmus XXXIX.

Si mulier quæ nec prægnans (ſeu gravida) nec puerpera eſt, (ſeu neque peperit) lac habet; ei menſtrua defecerunt.

Contentum ſeu Intentio.

De Lacte Virginum.

Connexio: Cum in præcedenti Aphoriſmo de mammarum extenuatione dixiſſet Hippocrates: In hoc præſenti loquitur de lacte, quod in mammis generatur & conficitur. Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non patitur diviſionem.

Quod autem lac gignatur in mammis ex uteri geſtatione, ſaltem in ultimis menſibus, quando nimirum infans partui proximus eſt, cunctis notum, & veluti quotidianis experimentis comprobatum eſt, ut propterea inter indicia geſtationis, præcipuum hoc à quibusdam Medicis afferatur, lac è mammis

erumpere; è contrà, nullum lac apparere, etiamſi uterus, & totus venter tumeat, ut in falſa graviditate ſæpiſſime contingit, manifeſtum indicium ſit, nullum fœtum in utero contineri, atque ex morboſis aliis cauſis illum inflari, unde lac in virginibus & viduis monſtroſum & perquam rarum eſt, cum lac & menſes maximam inter ſe habent ſymboliſationem, ſiquidem plerumque menſibus fluentibus lac minus fluit, lacte vero ſcaturiente menſes (exceptis plethoricis) ſilent.

Quod autem lac inſuper habeatur in his, quæ mox pepererunt, imo quod aliquando ex lactis copia, ad plures menſes & annum, illæ lactare queant, luce meridiana & quotidiana clarum eſt, nullaque proinde eget probatione, quamquam tamen & aliquando viſum fuerit, fœminas tum utero gerentes, tum enixas, nullum omnino lac protuliſſe, idque ſine ullo vitæ incommodo & periculo: Frequentet autem in cæteris omnibus, lac poſt tertium aut quartum diem à partu prodire, illudque ad plures hebdomadas perdurare communius accidit, cum manifeſta mammarum tumefactione. Hinc in hoc præſenti Aphoriſmo conſiderans Hippocrates, quod frequentius utero gerentibus & enixis accidit, inquit, *plerumque* fieri, ut menſtrua defecerint, ſi neque gravida neque puerpera mulier lac habeat; adeoque ſolere lac in mammis comparere, ob ſolam menſtruorum deficientiam, ex inde vero potiſſimum confirmari, connexionem maximam mammarum cum utero, ut ex iſtius purgationibus ſuppreſſis, facile fiat, ut ubera lactificent: & vice verſa ſi hæc vel illa mulier enixa, lactare nolit, obligatis & compreſſis mammis ne lac ad eaſdem tendat illud mox ad uterum declinat & per eundem repurgatur.

Quamvis vero nec exempla deſint virorum & infantum mammas etiam aliquando lactificaſſe, ut videre licet apud Autores. Verum ut hæc accidant, neceſſe primum eſt, ut menſtrua defecerint, neque ſolum per unicum, ſed per plures & plures menſes, ſi enim ſemel tantum menſtrua deficiant, non neceſſario fiet, ut lac in mammis compareat, cum facile poſſit ſanguis, vel ſenſibiliter per alios ductus corporis amandari, vel etiam inſenſibiliter diſſolvi & repurgari: quo fit ut in exercitatis mulieribus, etiamſi menſtrua deficiant, lac nullum habeatur, quoniam per exercitia, præſertim laborioſa, adhuc inſenſibiliter per poros cutis, ſanguinis impuritates diſcuti

&

& reputrari poſſint, quin & ab exercitus ſemper major ſit ſanguinis & partium ſolidarum reſolutio.

Sed & *Secundo* neceſſe eſt, ut nulla alia manifeſta evacuatio per id tempus habeatur: unde ſi fortaſſe ſuppreſſis menſtruationibus, hæmorrhagia è naribus accidat, vel ſanguinis per os excreatio, aut per hæmorrhoides, vel etiam ſudoris & urinæ copia, vel aliud ſimile, procul dubio lactis apparitio nulla ſequetur, excretis nimirum per alios ductus corporis ſuperfluitantibus humorum.

Inſuper neceſſe eſt *Tertio* ut menſtruorum defectus accidat bene ſcaliunde habente fœmina, nam ſi fortaſſe ægrotaret, præſertim acuta febre, aliove morbo ſimili, valente corpus & humores extenuare & abſumere, certe nulla ratione lac è mammis prodire poſſet: Experimur etiam in dies obſtructis, hyſtericis, ſcirrho, aliove tumore affectis, in quibus menſtrua nulla ſunt, lac nullatenus comparere.

Denique neceſſe eſt ut menſtrua omnino deficiant, ſi enim ſolum diminuerentur, vel per intervalla parce prodirent non eſſet cur lac in mammis prodire deberet: Equidem lactis generatio, non aliunde in his provenit, quam ex impedito exitu ſanguinis per vaſa uteri, unde ſecundum ſui partem albicantem poteſt, cum per vaſa mammaria remeat in earundem glandulis deponi, & lactis conditionem induere. Quo pacto poterimus veteres cum recentioribus conciliare, ſuper illa tam diu agitata diſceptatione, de materia lactis, quam illi ſanguinem, alii chylum volvere: cum enim chylus non ſtatim, ſed repetitis circuitibus in ſanguinem vertatur, ac ſenſim ſenſimque repurgetur & perficiatur, plane poterit, cum per vaſa mammaria circuit, & per glandulas prædictas percolatur ſecundum eandem portionem detineri & in lac verti; niſi etiam dicere velimus, recta è canali thoracico, partem illam chyloſam vergere in mammas, ut pleriſque Anatomicis eſt creditum, de qua re præter alios legi merentur Thomas Bartholinus & Iſbrandus Diemebrock.

Eſt tamen advertendum, id facilius contingere poſſe nuptis aut viduis, quam virginibus, etſi defectum menſtruorum patiantur, etenim in nuptis ac viduis, quæ tamen antea peperint, ductus illi longe patentiores ſunt, & ex præcedenti lactificatione, jam conſuevit natura materiam lacti generando accommodam illuc transferre, at vero in virginibus illæ viæ ſunt admodum anguſtiores neque tam prompi excipien-

cipiendo lacti diſpoſitæ, quin etiam ante juventutem majori plane alimento illæ egent, proſumet corporis nutricatu, unde ſi fortaſſe ſanguis exuperet, facilius in carnium incrementum tendit, quam in lactis generationem. Legendus in hanc rem Galenus *6. de Locis affectis C. 5.* ubi Aphoriſmum hunc recitat & examinat.

Optime revera hoc loco ait Cardanus, non eſſe dicendum menſium retentionem abſolute cauſam eſſe lactis, quia ſic omnes lac gignerent, quod falſum ab omnibus habetur. Cæterum obiter notandum hic velim, olim jam Hippocratem, & pleroſque recentiores hodiedum tenere ex anatome, infantes etiam in utero ſugere lac per os, ut nimirum aſſueſcat ad nutritionem futuram extra uterum. de qua re conſule anatomicos.

Objectiones in contextu ſunt ſolutæ & diſcuſſæ.

Aphoriſmus XL.

Quibus mulieribus in mammis ſanguis colligitur, furorem ſignificat.

Contentum ſeu Intentio.

De Deliriis Fœminarum.

Connexio: Cum in præcedenti Aphoriſmo Hippocrates dixiſſet de lacte, quod in mammis colligitur & generatur. In hoc præſenti proponit, quod ſanguis ad mammas delatus & in lac non converſus, præſagiat furorem. Hic Aphoriſmus cum ſimplex ſit, diviſionem non patitur.

De veritate iſtius Aphoriſmi, valde dubitat Galenus *in Comment.* Ideo inquit: *Ego quidem nondum hoc accidiſſe vidi, & ſi quando eveniat, ex iis eſt, quæ raro eveniunt.* Subdit tamen, id fuiſſe ab Hippocrate ſcriptum, quia obſervatum; ſiquidem Hippocrates quod vidit, ſcripſit: Verum quomodocunque res ſe habeat, videamus quo pacto ſententiam hanc rationibus congruentem adaptemus. Credendum quidem eſt, in illis fœminis id accidiſſe quæ menſtruorum diu-

diuturnam paſſæ ſunt ſuppreſſionem; unde poſtmodum ſanguis in mammas feratur, atque in propriis earundem glandulis colligatur: cum enim ut ſuperius dictum, magna ſit inter mammas & uterum connexio, procul dubio cum diuturno tempore uterus ſupprimitur, ut ſanguinem, quem egerere deberet, non fundat, is per totum fere corpus fertur, ſed deinde reſtagnat & colligitur, potiſſimum in illis, propter copiam glandularum, molem mammillarē conſtituentium: diutius autem detentus, fieri nequit, quin ex mora & mala ejusdem habitudine, non concreſcat, aceſcat & tumorem excitet durum de genere ſcirrhomatum. Quamobrem uſus eſt Hippocrates voce *colligitur* quæ ſignificat ex longo tempore congeſtionem ſenſim ſenſimque factam. Ex hac autem acidi & concreti ſanguinis congeſtione, duplici ex cauſa cerebrum afficitur; altera quidem ex circulante ſanguine illud inficiente per arterias, altera vero ex communione nervorum, qui plurimi per mammas diffunduntur a pari vago coſtali, quo circa facillime cerebrum in ſuis operationibus inficitur.

Sed & ex utero quoque male affecto id ipſum magis & magis adaugetur, quippe experimur ex affectibus hyſtericis retentis & vitiatis menſtruis, furorem exoriri, uterinum dictum, quo miſerrimæ mulieres, mente abalienantur, ac furunt veluti maniacæ, manibus & pedibus impetentes, huc & illuc prout multa talium exſtant apud Autores exempla. Dixit autem Hippocrates, ejuscemodi ſanguinis in uberibus collectionem, *furorem ſignificare*, non *efficere*; non enim per id quod ſanguis ſit collectus in mammis furor oritur, quaſi vero is ſit cauſa effectiva furoris, ſed ſolum ſignificat ſanguinem, qui non potuit per uterum evacuari adeoque in mammis collectus, & in tumorem verſus, denotet ſuccedentem in nervis & cerebro læſionem unde poſtmodum furor ac delirium. Sed num verus furor inde oritur, an ſolum mentis motio, absque violento atque impetente motu patientis, licet hic etiam dubitare & quamvis in græco codice ſcriptum ſit *mania* quæ à quibusdam putatur coincidere cum furore, qui delirium dicitur cum impetu & audacia; nihilominus crediderim, larga tantum ſignificatione, delirium hoc loco ſumendum eſſe, & quidem potiſſimum mentale, quo patientes, licet abſurda non loquantur aut agant, mente ſaltem ac cogitationibus vana meditantur, qualia exempla in praxi obſervantur. Sed præterea exponendus videtur Aphoriſmus

 per

per verbum *ſignificat*, quod poteſt accidere, licet non ſemper neceſſum ſit, ut eveniat: nam ſignum iſtud eſt de genere eorum, quæ non ſunt inſeparabilia & propria, ſed ſolũ ut plurimum oſtendentia, ſcilicet cum ſanguis vitioſus cerebrum infecerit: nam forte fœmina ejus ſit conſtitutionis, ut non tam facile mente moveatur aliud quid patitur quam delirium: Sic nobilis quædam fœmina ſcirrho in mammis diu laborans, qui tandem cancroſus factus mortem intulit, cum tamen nunquam mente illa mota fuiſſet.

Tandem etiam bene perpendendum, quod vox iſta (collectio ſanguinis) ſignificat repentinum motum & raptum ad mammas, quia cum paulatim confluit lac gignitur, nihilque mali ſignificatur.

In hac autem affectione per Aphoriſmum adducta Medicus cito remedia adhibere debet, ſanguinem ad infernas partes, reducendo & evacuando præſertim in puerperis, in quibus ſanguis ad generationem lactis, & quidem in tanta aliquando copia fluit & inflammationes inducit.

Dices. Multis fiunt ſimiles collectiones & tumores imo inflammationes & ſuppurationes quæ tamen non delirant minusque in furorem incidunt, ℞. Hanc difficultatem jam in contextu quidem eſſe ſolutam, quod enim Galenus ut in principio Aphoriſmi diximus, talem caſum ſe nondum vidiſſe teſtatus ſit, certe experientiæ & praxi medicæ contrariatur, obſervatæ enim ſunt mulieres, quæ quoties pueros lactabant, toties deſipiebant, ſecus ſi famellas, aliæ rurſum quam diu lactabant, ingentem capitis dolorem ſentiebant alias non. ℞. 2 Intelligendum eſſe hanc ſanguinis quæ ad modum lactis in mammis colligitur, qui haud dubie raro ſaltem caput ferit, non autem de eo qui in ſubſtantia extravaſatus inflammationes & ſuppurationes facit, atque delitia aut ſimilia accidentia inducit.

Quæres. Quodnam lac ſit utilius proli matris, vel nutricis? ℞. Cum *Hippocrate de alimentis* qui dicit: Lac proprium utile lac proprium nocivum, id eſt, ſi cæteris paribus mater bene habeat, proprium ſeu maternum eſt præferendum nutricis: Si vero mater male habeat, alienum ſeu nutricis eſt præeligendum. Plura de hoc vide in inſtitutionibus.

Apho-

Aphoriſmus XLI.

Si velis noſſe, an mulier conceperit, dormitura aquam mulſam potui dato (ſeu potandam da) & ſi ventris (ſeu alvi) tormina patiatur, concepit: ſin minus non concepit.

Contentum ſeu Intentio.

De Experimentis graviditatis per aſſumpta.

Connexio: Cum Hippocrates in antecedentibus Aphoriſmis plura de abortu & partu ſcripſiſſet: In hoc præſenti Aphoriſmo ad conceptionem, & graviditatem accedit quæ abortum ſeu partum præcedere ſolet.

Hic Aphoriſmus in duas partes dividitur: *Prima* pars continet mulſæ apparatum: *Secunda* docet effectum quem mulſa, in hoc caſu conceptionis & graviditatis præſtare ſolet.

Præſens ergo Aphoriſmus, proprie pertinere videtur ad partem Medicinæ diagnoſticam, ad dignoſcendam ſeu dijudicandam graviditatem. Cum enim aliquando fœminæ, vel ex tumefactione, & lactificatione mammarum, de qua mox ante diximus; vel ex ſuppreſſis menſtruis; vel etiam ex alia aliqua ægritudine male ſe habeant, & medicamentis egeant, vel per unam, vel per aliam corporis partem ducentibus, imo, quod ſæpius fieri ſolet per uterum & timor aliunde ſit ne utero gerant, & in abortus periculum incidant, docet in hoc Aphoriſmo Hippocrates, quo pacto Medici dignoſcere poſſint uteri geſtationem, & fœminam jam antea revera concepiſſe, adeoque medicamentis evacuationem promoventibus tractandam non eſſe, ne utero gerenti, damnum, ſibi vero infamiam pariant. Proponit autem leve medicamentum, & omni periculo vacuum, quo fœminæ certæ fiant, an non utero gerant, ac propterea poſſintne tuto medicamentis ſubjacere. Illud vero eſt aqua mulſa, id eſt, aqua melle adjecto medicata, quam vult exhibendam, antequam ſomno ſe diſponat; ſi enim

exinde alvi tormina patiatur, jam concepiſſe judicio eſt, ſin ſecus non concepit.

Vult ergo primo, aquam mulſam eſſe exhibendam, quæ ſciberet ex mixtura mellis flatus valeat excitare: fit autem aqua mulſa græce *μελίκρατον*, ex una parte mellis crudi, cum decem vel duodecim aquæ, & deinde ad convenientem doſim exhiberi debet poſt cœnam, nam cum Hippocrates nullam faciat mentionem de modo hujusce exhibitionis, certe debet intelligi, juxta morem conſuetum hominum, & quoniam dicitur *in textu* cum *dormitura* eſt, procul dubio ſupponitur cœna ante acta. Si vero abſque ulla cœna exhiberetur, profecto etiam abſque graviditate tormina afferret, quia mel crudum cum aqua exhibitum flatus excitat, alii hanc rationem allegant quia flatus per ſomnum minus diſcutiuntur, quam per vigilias quarum motu corporis & ſpirituum flatus efficacius diſſolvuntur.

Sed quo tempore graviditatis velit Hippocrates melicratum hoc exhibendum dubitari poteſt. Et quidem veriſimile admodum eſt, inter initia graviditatis, atque adeo primo vel ſecundo menſe, his enim temporibus dubia videtur poſſe eſſe graviditas, cum tunc fœtus, nulla de ſe prodat indicia; nam tertio, quarto & ſequentibus menſibus, tum motu, tum vomitu, tum uteri agglomeratione manifeſtatur, in principio vero graviditatis iſta vel nulla ſunt, vel ambigua. Itaque primis menſibus, cum de graviditate ambigitur, tentanda hæc ſunt, ſed neque tam certi erimus ex his, quippe fieri poteſt, ut aliis ex cauſis tormina contingant in inteſtinis, cum tamen conceptio nulla facta ſit, vel contra etſi graviditas habeatur, nulla tamen tormina fiant, ex peculiari quadam utero gerentis conſtitutione, vel etiam quia ejuſmodi generis medicamento aut rebus ex melle compoſitis uti conſueverit, ſine ullo ventris incommodo, nam quamvis plerumque his, qua melle & mellitis utuntur, tormina iſta accidant, fieri tamen poteſt, ut in aliquibus nulla fiant. Atqui ex altero capite, periculoſum in aliis eſſe poteſt, ob metum colici doloris, aut fluxus, aut alius mali gravioris, cum plerosque noverim peſſime ſe ab ejuſcemodi rebus mellitis habuiſſe. Ideo prænoſcenda primum eſt cujusque Naturi & conſtitutio, ne in hac melicrati ſeu mulſæ exhibitione Medicus decipiatur, proindeque ſciat, num tormina alvi ſequantur revera uteri geſtationem, ut ex hoc Aphoriſmo dijudicandum Hippocrates proponit. Nam ſicut in ca-

ſibus

lidis mulieribus flatus facile diſcutiuntur ex vi complexionis, ſi enim mulieres alias flatibus obnoxia mulſa pota flatus intenſiores licet non gravida excitari poſſunt, Qua autem de cauſa tormina iſta accidant ex uteri geſtatione? putaverim, quia uterus, poſtquam genituram comprehenderit, undique clauditur, & in molem attollitur, quo fiunt inteſtina præſertim ileon & colon comprimantur, atque adeo nequeant, flatus ex aqua mulſa excitatos per alvum diſcutere, qui retenti tormina excitant. Si autem nihil intra ſe uterus contineat, cavitates inteſtinorum liberiores bene poterunt excitatos flatus protrudere & evacuare, unde nullum incommodum exinde ſuborietur. Efficacius autem mulſa flatus excitabit, ſi anſum addatur, ut dicitur *Lib. de Sterilibus*, ex quo libro, hic Aphoriſmus eſt deſumptus, ibi enim ita ſcribitur *Mel & aniſum tenuiſſime tritum cum aqua diluito & exhibeto poſt dormire ſinito. & ſi tormen circa umbilicum ſit pregnans eſt ſi non, non*

Verum quamvis hæc ab Hippocrate, velut a ſe ipſo obſervata, notentur ut infallibilia, non tamen inconſiderate à Medicis in uſum ducenda ſunt, ob periculum quod imminet acerbioris doloris in inteſtinis, indeque etiam in utero ob conſenſum & viciniam, quam cum illis habet, & eo magis, ſi cæna aliquanto lautior fuerit, & mel non ſit coctum ac deſpumatum, vel ipſa mulſa cruda & non cocta facillime noxa gravior ex doloribus & torminibus orietur. Quo ſane factum, ut in praxi nemo audeat de his periculum facere, cum aliunde nec certum aut infallibile judicium ex eo ſumi poſſit. Potius itaque contenti ſunt Medici, dictis & factis obſtetricum fidem præſtare, quam ejuſcemodi medicamentis fidere, quamquam ſæpe ſæpius, & iſtæ fallant & fallantur. Dignotio enim graviditatum, licet plerumque & à pleriſq; per ſigna eſſentialia & ſecundaria atque ipſa quædam experimenta præſtari ſoleat, attamen ſignis hiſce omnibus, præſertim primis menſibus, maxime vero ſignis per experimenta ſola factis minime in exploranda graviditate eſt fidendum, neque tamen experimenta fundata in re, ex aſſe & omnimode ſunt negligenda aut rejicienda, prout conſtat viſtum plenum quoad cibum & potum ordinarie ferri non poſſe à gravidis, ſic pariter conſtat quod gravidæ & vinum & cibos varios averſentur, præterea dulcia licet ſumme aſſueta, minime ferre poſſe, præprimis à paſtu. Item ſi poſt coitum horror & triſtitia & ſemnis remanentia obſervetur. Signa autem ultimorum menſium ſunt evidentia de quibus nemo dubitat. Ob-

Objectiones in contextu ſunt ſolutæ & plura de hac materia ex inſtitutionibus & praxi noſtra petenda.

Aphoriſmus XLII.

Mulier gravida, ſi marem gerit, bene colorata eſt; ſi fæminam, decolor.

Contentum ſeu Intentio.

De Experimentis graviditatis per colorem.

C*onnexio*: Cum Hippocrates in præcedenti Aphoriſmo expoſuiſſet ſigna graviditatis: In hoc præſenti tradit ſigna ipſius ſexus. Hic Aphoriſmus ob ſimplicem contextum non dividitur.

Non ergo Hippocrates tantum ſigna conceptionis nobis tradere voluit, ſed etiam an marem vel fæmellam mulier conceperit hoc Aph. ſubjungit, quo ex bono, vel malo gravidæ mulieris colore, facile id poſſe dijudicari proponit, nam ſi bene colorata ſit, marem, ſi vero ſit male colorata, fæminam concepiſſe decernit. Attamen ut exponit Galenus *in Comment.* aſſerens, *quod hic ſcribitur, ex eorum numero eſt, quæ ſæpius eveniunt*, etenim aliquando fit, ut etiam quæ marem conceperit, ſit male colorata, & è contra, quæ fæminam conceperit, ſit bene colorata.

Verum ad plenam intelligentiam hujus Aphoriſmi plura notanda ſunt. *Primo* quidem, quod bonus vel malus color mulieris utero gerentis, referendus eſt ad eum, qui conſuetus eidem eſt in ſtatu naturali & ſano, citra graviditatem, quamobrem ſi fæmina in ſuo ſtatu ſano, boni coloris fuerit, neutiquam fieri poterit bene colorata in ſtatu graviditatis & cum utero gerit. præterquam, quod quævis utero gerens ex cauſa geſtationis ſit perpetuo ſe ipſa decoloratior, cum uteri geſtatio ſit ſpecies quædam ægritudinis ex Galeno, ut alibi dictum eſt, per quam ſemper fæminæ à ſuo meliori ſtatu declinant, & non tantum colore, ſed etiam carnibus & operationibus cunctis quodammodo deficiunt, cum utero gerunt.

Com-

Comparatio inſuper facienda eſt inter colorem conſuetum hominis fœminæ, in geſtatione maris, & eum, qui eidem accidit, in geſtatione fœminæ, & propterea quamvis ex ratione graviditatis ſemper utero gerentes decolorentur, nihilominus in geſtatione fæmellarum longe decoloratiores appareant.

Præterea in cæteris omnibus, quæ cum uteri geſtatione contingunt partatio eſſe debebit. nimirum ut iiſdem alimentis utero gerens alatur, eundem aërem & regionem incolat, iiſdem utatur exercitiis, & reliqua omnia æqualiter ſe habeant tam in geſtatione maris, quam in geſtatione fæmellæ. Nam ſi fortaſſe, cum utero gerit fœminam, aërem & regionem inhabitet calidiorem, veſcatur cibis aromaticis, & floridiorem ſanguinem gignentibus, ſeque plus ſolito exerceat, & alia peragat, ex quibus coloratior fieri poſſit, è contra vero cum geſtat marem contrariis omnino rebus non naturalibus utatur, procul dubio indicium huc allatum fallax erit, quippe in priori caſu coloratior apparebit, etſi fœminam conceperit, in poſteriori vero, penitus decolorata videbitur licet marem geſtet. Ita quoque dicendum in reliquis, quæ fœminis utero gerentibus, pro varietate graviditatis accidere poſſunt: aliquando enim marem geſtantes, inappetentia tenentur, evomunt, bibulæ ſunt, acida & acerba appetunt, comedunt cruda & excrementoſa, unde nil mirum, ſi compareant decoloratæ. E contra vero gerentes fœminam, ſi in his omnibus cautiores ſint, & edulis veſcantur melioribus, ſane coloratiores obſervabuntur. Quare remoto quocunque diſpari accidenti, ac ſecluſa quacunque ægritudine, aliave cauſa externa, varietas iſta colorum in gravidis, non niſi ex ipſamet conceptione, & cauſis ad conceptionem concurrentibus perenda ſolum erit.

Ratio autem iſtius varietatis, deſumitur ex varietate principiorum ad maris ac fœminæ generationem concurrentium. mares enim fieri perpetuo dicuntur ex fæcundiore ac robuſtiore ſemine, fæmellæ vero ex debiliori & laxiori, ſanguis etiam, qui ad vitam illorum promovendam à matre tribuitur, in maſculis vividior & floridior eſt, dilutior vero & inefficacior in fœminis, quæ eadem ex cauſa excrementoſiores eſſe conſueverunt. Uterus pariter in conceptione maſculorum calidior & vegetior eſſe ſolet, frigidior vero & imbecillior in formatione fœminarum. Quamobrem ex his omnibus merito coloratiores, videntur utero gerentes maſculos, quam in fœminis praeconceptis.

Porro

Porro ſemper ac iſta omnia ſimul in graviditate concurrunt, fieri nequit, quin etiam totum corpus, utero gerentis floridius, vegetiusque appareat, juxta commune medicorum effatum, ex Galeno & Hippocrate depromptum: *qualis color apparet in facie talis humor abun at in corpore* atqui color floridus, vividus, roſeus in cute, non niſi ex ſanguine puriori & floridiori in venis & arteriis contento, procedit, ut patet; unde communiter fatentur Medici ſanguineos ad purpureum, cholericos ad flavum, pituitoſos ad album, & melancholicos ad nigrum & fuſcum colorem inclinare, ſicut ex adverſo, cute nigricantes, melancholiam albicantes pituitam, flaveſcentes bilem, rubentes ſanguinem, in venis prædominantem ſignificare. Quod hic Hippocrates generaliter dixit de gravidarum colore meliori, vel deteriori, ad dijudicandam maris vel fœminæ geſtationem, alii ad lentigines & maculas in faciei apparentes revocant; dicunt enim fœminas utero gerentes masculos, faciem habere non tantum coloratiorem, ſed etiam nitidam; geſtantes vero fæmellas, lentiginibus & maculis cutaneis eſſe refertas. Alii ex coloribus papillarum in mammis id ipſum præſagiunt, credentes, albicantes vel flaventes papillas, fœminam, rubentes vero vel etiam fuſcos maſculum ſignificare. Vel ſi papillæ ſurſum converſæ fuerint marem, ſi deorſum fœminam geſtare. Item mulier maculam habens ſolarem in facie fœminam geſtare quæ vero colorata bene manet marem fert. Alii accipiunt lac mixtum cum farina & paſtillum formant & ad lentum ignem aſſant et ſi comburatur marem geſtat; ſin hiet & diffundatur fæmellam. Pleriqite his non fidentes, potius ex tumore mammillarum, dextræ vel ſiniſtræ, & motu agiliori vel tardiori utero gerentium, in inceſſu primo inopinanter habito, ac motione dextri cruris vel ſiniſtri: Itemque ex urinis tenuioribus, vel craſſioribus, magis minusve coloratis, crudis vel coctis, nec non ex pulſibus majoribus in dextro, quam in ſiniſtro brachio, aliisque ſimilibus, id ipſum præſagire ſatagunt.

Sed quam vana iſta ſint & futilia quisque bene noverit, quippe quæ ſolidis rationibus non fulciuntur, experimentis non correſpondent, & falſo a vulgaribus hominibus ſunt conficta. Et ſane, ſi verum fateri licet, neque quod hic ab Hippocrate traditur, veritati perpetuo conſonat, & quod ab expoſitoribus adjicitur, longe magis erroneum eſt: Etenim ſuperrimis obſervationibus anatomicorum detectum, alter

prorſus

protſus generationem in viventibus haberi, quam ab antiquioribus Medicis eſt putatum, ubi enim ab his credebatur maſculinum & fæmineum ſemen ſimul una commiſceri, & cum ſanguine menſtruo, in unam maſſam intra uteri cavum coadunari, & pro illorum varietate, atque efficacia majori vel minori, unius quam alterius, maſculum aut fœminam exoriri, magis ſimilem uni, quam alteri, ſed jam ſatis ſuperque innotuit, nullum ſemen revera a fœminis ſuggeri ſed ſolum materiam quandam albugineam, albumini ovi perquam ſimilem, molli ſed duplici pellicula involutam, quæ ex earundem fœminarum ovario per tubas fallopianas, cum fœcunda eſt, in uteri cavum delabitur.

Sed adhuc etiam à nobis alibi eſt oſtenſum, præexiſtere in ovis mulierum rudimenta fœtuum, quare hæc potius referenda erunt ad materiam in ovariis præjacentem, atque ad rudem illam, membrorum diſpoſitionem, quæ multo antea, ibidem congenita eſt, ex varia corporum habitudine, & partium generationi deſtinatarum conſtitutione, ut propterea, quæ diſpoſitio & ſexus & organorum, huic vel illi ſexui addictorum præjacta eſt, ita in marem vel fœminam, procreatio deſinet. Id enim in multiparis animantibus tam patens eſt, ut longa probatione non egeat. In fœminis etiam humanis, quæ geminos vel plures fœtus pariunt, unico chorio contentos, non aliunde fit, ut aliqui mares, aliæ fœmellæ oriantur, quam ex præexiſtente in organis diverſi ſexus diſpoſitione. Sed & gallinæ unico galli concubitu, plurima quoque edunt ova, pari foriniter fœcundata, ex quibus & mares & fœminæ progignuntu , non niſi ex vario præjacentium organorum apparatu, quod etiam in cæteris oviparis evenit,

Neque vero quod fœtus dicatur genitus ex ſemine ac ſanguine calidiori ſequi inde neceſſario debet, fœminam utero gerentem coloratiorem apparere, quin potius contra non raro viſum eſt utero gerentes maſculum, longe admodum ſe ipſis decoloratas ac defœdatas evaſiſſe, imo & nonnullas cœpiſſe ſtatim in primis menſibus, cibos faſtidire, vomere, dolere, & alia plura ac diverſa incommoda pati, unde poſtmodum valetudinarii, & imbecilles mares orti ſunt, quæ ſane in geſtatione fœmellarum non evenerunt Id ergo ſolum in maribus fieri poteſt, quod ſanguis per vaſa umbilicalia, nutricatui eorundem accedens, floridior & vegetior fit, & deſignet, utero gerentem bona valetudine frui, adeoque roſeus ac venuſtus color faciei exurgat. hinc au-

tem robuſtiores ſolum, vel è contra debiliores partus prænoſci poterunt. Verumtamen, ne fidem Hippocrati derogemus, dicere fas erit, id nonnunquam evenire, & quod ipſe aliquando vidit poſteris tradidiſſe cum revera partus fœminei excrementoſiores eſſe ſoleant, ob recollectam in utero, atque in toto fere corpore, crudorum & lymphaticorum humorum ſaburram, unde ſanguis ſeroſior, & minus rutilans in cauſa eſſe poteſt, ut in fœmellarum geſtatione, cutis univerſa, ſaltem in ultimis menſibus, defædata palleſcat.

Objectiones in textu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus XLIII.

Si mulieri prægnanti, fiat in utero eryſipelas, lethale eſt.

Contentum ſeu Intentio.

De Inflammatione uteri in gravidis.

Connexio: Hic præſens Aphoriſmus optime conjungitur cum Aph. 30. hujus Libri, ubi dixit: *mulierem gravidam, morbo quopiam acuto corripi lethale.* Unde præſens Aphoriſmus mox dicti exemplum eſſe videtur. Hic Aphoriſmus ob brevitatem & ſimplicem concluſionem non dividitur.

Cum ergo Hippocrates in hoc præſente Aphoriſmo junxerit cum *eryſipelate* uteri graviditatem, ut de eventu lethali judicium ferri poteſt, anſam præbet dubitandi, an eryſipelas in utero perpetuo lethale ſit. Etenim ſi perpetuo lethale eſſet, profecto non fuiſſet neceſſarium adjicere mulieris graviditatem, cum & citra graviditatem quoque eryſipelas utero contingens lethum afferre poſſit, tum ratione ſui quia morbus acutus eſt, tum etiam ratione partis affectæ, nempe uteri, qui ob conſenſum, quem retinet cum omnibus partibus principalibus corporis, quacunque de cauſa afficiatur, periculoſiſſimos morbos affert. Et quidem *Cardanus* non inutiliter adjecta putat graviditatem, quin tria illa ſimul conjungenda exiſtimat; nempe eryſipelas utero contingens, & quo tempore fœtus geritur; nam ſubinde futurum inquit abortum, cujus cauſa mors poſtmodum ſuccedet.

Crediderim tamen ego, etiam ſine graviditate, ſi revera eryſipe-

las

las internum fiat, & ſubſtantiam uteri occupet, lethale eſſe, nam affecto eryſipelate utero, ſecundum propriam ſubſtantiam, non tantum febris acutiſſima exoritur, verum etiam graviſſimis ſymptomatibus ſociata, qualia præſertim ſunt, in illis morbis, delirium, vel lethargus, difficultas reſpirandi & vomitus, conſentientibus nimirum, cerebro, pulmone & ventriculo. Uterus enim viſcus valde ſenſile eſt, & quod citiſſime ſuas communicat affectiones partibus nobilibus, quia maximum conſenſum, cum corde per venas & arterias; cum capite per nervos habeat. At vero quamvis morbus hic utero contingens lethalis ſit, non tamen neceſſario, & inevitabiliter mortem afferr, cum fieri poſſit, ut ad ſalutem adhuc deſinat, etiamſi uterus peſſime afficiatur: etenim à male affecto utero vivere quoque poſſunt animalia. Cum autem eryſipelas infeſtat uterum in gravidis, non ſolum damna imminent graviſſima ex ipſo met eryſipelate ſed etiam ex abortu, qui procul dubio exinde accidet; utrumque autem difficillime, imo nequaquam ſuperabit utero gerens ut patet. Quod ſi eryſipelas non internam partem ſed cutaneam & externam uteri regionem occupet, facilioris ſemper erit reſolutionis, dummodo in ſuppurationem non deſinat, aut in gangrænam.

Sed quod dictum de eryſipelate, an non idem accidat quoque ex inflammatione, ſi fortaſſe hæc in utero contingat? Galenus quidem dubitat, *inquiſitione enim dignum* hoc *in Comment.* ait, ſed in neutram partem inclinat dubium autem augeri poteſt ex maxima differentia, quæ intercedere ponitur, inter eryſipelas & phlegmonem ſeu inflammationem: illud enim fieri dicitur à ſero ſanguinis acriori; inflammatio vero à ſanguine blandiori & temperatiori.

Verum inflammationem (ſi utero forſan contingat) adhuc periculoſam fore, nemo quidem dubitabit, attentis nimirum non tantum his quæ inflammationem ipſam comitantur nempe ardore, dolore, tumore, febre, cæteriſque ſymptomatibus ſed etiam & potiſſimum ſuppuratione quæ exinde ſuboriri ſolet, unde poſtmodum ulcus. At vero quia inflammatio in utero rarior eſſe ſolet, cum non tam facile ſanguis in ejus ſubſtantia hæreat, ſed prompte per internam cavitatem egeratur, vel ſurſum in alios ductus recurrat, propterea factum eſt, cur Hippoc. eryſipelatis ſolum meminerit, illam vero tacuerit. Cæterum

Ffff 2 ſcirrhi,

ſcirrhi, aliique tumores, in longum tempus protrahi ſolent, & non niſi cum ulcerantur lethales ſiunt.

Hippocrates, ut colligitur *ex Lib. de Natura mulierum*, affert phænomena & ſymptomata eryſipelatis uteri, nempe, tumorem pedum & crurum & ventris, febrem, rigorem, inquietudinem, dolorem pectinis, & lumborum & capitis, ruborem faciei, ſitim, livorem, puſtulas per totum corpus.

In hoc caſu idem Hippocrates ſuadet uti clyſteribus refrigerantibus, crediderim tamen ſanguinis miſſionem non eſſe omittendam, ſed principalem exiſtere, ſuadet pariter Hippocrates *Lib. de morbis mulierum*, ſumptionem lactis aſinini.

Objectiones in contextu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus XLIV.

Quæcunque præter naturam, tenues, utero gerunt, abortiunt priusquam craſſeſcant (ſeu donec habitiores evadant.)

Contentum ſeu Intentio.

De Abortu gracilium.

Connexio. Cum Hippocrates ſuperioribus Aphoriſmis 37. & 38. hujus Libri de mammarum extenuatione ejusque prognoſi locutus fuiſſet: In hoc Aphoriſmo totius corporis extenuationem proponit, & præceptum Medicis valde utile ad generationem tradit.

Non convenit autem inter Autores, quis nam ſit genuinus ſenſus hujus Aphoriſmi, cum variæ Autorum circa hunc Aphoriſmum habeantur commentationes, imo & Galenus ipſe multiplicem ejus referat expoſitionem, ſed anceps deinde in quem deflectat, non explicat. Et quidem num tenues ſeu graciles natura, an potius morbo, ut adjectum illud verbum *præter naturam* indicare videtur; & num ex cauſis externis, puta inedia, exercitiis, vigilia, an vero ab internis, nempe a vitiato ſanguine, graciles evaſerint, non ſatis aperte docet Hippocrates. At quamvis ſub multiplici interpretatione, veritati adhuc conſentaneus poſſit

poſſit explicari, menti tamen Hippocratis conſentiet magis ſi dicamus illum hic locutum de extenuatis & gracileſcentibus, non quidem ex morbo, ſed ex cauſis externis, potiſſimum extrema media ſeu diæta, ut fit v.g. in obſidione, aut publica fame, aut ex aliquo accidente, quod mox a conceptu ſupervenerit. Etenim cum agat de gravidis, quibus aliàs bene valeant, concipere non contingit, profectò ſanas, non autem morbo affectas, ipſe comprehenſas voluit. Et licet Galenus de diebus decretoriis aſſerat, adhuc uteri geſtationem quandam eſſe ſpeciem morbi, id tamen procedente graviditatis tempore ſolum modo intelligendum, non tamen ipſo primo cum conceptura ſunt momento.

Extenuatas itaque hic innuere ſatis eſt quæ à cauſis externis potiſſimum ex longa media marcorem hunc contraxerunt, minime vero ab internis cauſis ægrotare facientibus, quemadmodum recenſentur, humores acres, aciditates & ſimiles, quamvis & ab his quoque illas extenuari & aborari contingat. Cum ergo accidit, fœminas, cæteroquin bene valentes utero concipere, mox vero media, aliave cauſa externa à naturali & convenienti corporis habitudine deficere, & emaciari, ut ſenſim extenuentur & contabeſcant plane fit, ut in longius tempus conceptum fœtum ferre non poſſint, ſed ante tertium geſtationis menſem abortiantur, illumque deponant. Cauſa autem hujuſcemodi depoſitionis, multiplex ſane eſſe poteſt, potior autem erit nimirum uteri coarctatio & contabeſcentia; ſiquidem etſi is primo geſtationis menſe, nullam ſui expanſionem ſubeat, ut conceptui atque embryoni locum faciat, vix tamen fieri poteſt, ut ſuccedentibus menſibus, non undequaque amplificetur, & tumeat, quin etiam habitudine propria pingueſcat & craſſeſcat, ergo reliquum totius corporis non pari mole adaugeatur, quemadmodum experimur in his, quæ nauſea aut ciborum faſtidio, vel etiam iteratis vomitionibus, ad plures hebdomadas, poſtquam conceperint, gracileſcunt, utero interea ſenſim intumeſcente, atque citra noxam fœtum conſervante. At vero cum extenuatio talis eſt, ut etiam illum in macorem deducat, plane fit ne convenienti expanſioni minime cedat, & fœturam ipſam comprimat ac ſuffocet. Compertum autem eſt anatomia, uterum in gravidis, ſenſim & ſenſim non tantum amplificari, ſed evidenti magnitudine craſſeſcere, in ſuis membranis glandulis, ductibus & cæteris. Inſuper poſt unum aut alterum menſem à conceptu, ubi vaſa umbilicalia nexum,

 per

per placentam cum utero ſubierint, neceſſe omnino eſt, ut per arterias ubertim ſanguis maternus, iſque putùs & albidus, in illius incrementum deferatur, qui ſi deficiat in matre jam extenuata, plane nequibit accedens fœtui vitæ favere, unde propterea exareſcet & decidet. Hinc non tam paucus ſanguis, quam malus & ineptus cauſa marcoris exiſtimandus, quippe tunc potiſſimum animalia marceſcunt & extenuantur, cum ſanguis in illis dulci glutine privatus partibus nutriendis minime appingitur, quin potius velut diſſolutus & acris redditus reſpuitur ab iisdem, ut alibi a nobis eſt animadverſum, quamobrem tenello fœtui omnino incongruus cum ſit, abortum patit.

Sed quæret aliquis, quomodo fiat, ut ſanguis gignendo fœtui ſit aptus, nutriendo vero ineptus & omnino nocuus? Verum fallitur, quicunque ſuſpicatur ſanguinem generando fœtui inſervire, cum is ex præjacente ovo, a maris ſemine fœcundato progignatur, & ut obſervarunt cum Harvæo reliqui omnes anatomici, non niſi poſt vaſorum umbilicalium productionem, per placentam in fœtum diffunditur, quod non niſi ſecundo menſe accidit, ut proinde falſum ſit, quod antiquioribus creditum, ſanguinem concurrere ad generationem embryonis, cum ad incrementum illius tantummodo, atque ad motum cordis & vitam conſervandam, conducere, jam ſatis ſuperque perſpectum ſit.

Abortiunt igitur non immerito, quæ in ipſo primo conceptu extenuatæ inveniuntur, cum conſervando atque alendo fœtui pro dignitate ſufficere non poſſint: ſed cur ſecundo menſe, quod incaute fuit à *Leonceno* prætermiſſum? Ratio in promptu redditur, quia vaſa umbilicalia, ut dictum, tunc in eum a matre ſanguis influitur, qui cum quantitate modicus & qualitate nocuus eſſe ſoleat tantum abeſt, ut foveat ac proficiat, quin potius officiat, & vaſa prædicta, ſi fortaſſe per placentam, utero ſint alligata dirumpat ac diſſolvat unde poſtmodum abortus. Neque tamen omnino neceſſe eſt, ut ſecundo ſolum menſe abortus inſequatur, cum & ante & poſt hoc tempus, is accidere poſſit, prout major vel minor, gravior vel levior fuerit mala utero gerentis habitudo: plerumque autem evenit, ut circa hoc tempus iſtiuſmodi fœtus abortiantur, cum primo à matribus ſanguinem per vaſa umbilicalia ſuſcipiunt, niſi tamen recta victus ratione uſæ & meliori ſalubritate potitæ, illæ præcaveantur. Verum tamen Hippocrates non temere

ad-

adnotâvit *priuſquam craſſeſcant*, ſiquidem arduum plane videtur, poſſe tam cito extenuatas gravidas puriori & abundantiori ſanguine refici, & carnibus impleri.

Quamvis autem antea dictum ſit, graciles potiſſimum à cauſis externis redditas, hoc Aphoriſmo comprehenſas videri, ſi tamen à morbo & cauſis internis extenuatas fœcundari & concipere contigerit, eidem incommodo obnoxias fieri procul dubio credendum, cum utraque cauſam abortus ab una emaciatione ſortiantur, neque enim illæ abortiunt aliunde, quam quod plurimum marcuerunt; quare ſi cauſa in utriſque communis eſt, idem periculum timendum, quamvis veriſimilius videatur, quæ nondum ægrotaverint, quam quæ nuper à morbo convaluerint, concipere poſſe.

Omnes itaque valde extenuatæ, ſeu à natura, ſeu cauſis externis, ſeu internis aut à morbo, aboriri poſſunt & poterunt: ideo illud *præternaturam* immodice interpretandum eſt.

Dices: Mulieres præternaturam extenuatæ non poſſunt concipere, Ergo falſum eſt ſuppoſitum. *Prob. Antecedens* eædem cauſæ quæ abortum faciunt, etiam conceptum impediunt, ergo non poſſunt concipere: Reſpondet Fonſeca, faciliorem eſſe conceptum quam retentionem.

Dices II. Multæ hecticæ dantur quæ concipiunt & retinent neque abortiunt: atqui hæ ſunt extenuatæ *præternaturam*, Ergo Aphoriſmus non ſubſiſtit: ℞. 1. Hecticas in primo gradu concipere & retinere poſſe concedo, in ſecundo difficulter, in tertio prorſus nego. ℞. 2. Poſſe fieri ut quædam hecticæ dentur, quæ tamen ſufficiens alimentum poſſint fætui contribuere: quæ autem vere ſunt exangues & extenuatæ præternaturam, ſeu immodice, tales non ſufficiunt. Hinc vulgus ſæpius obſervavit matres debiliſſimas tenues cæteroquin ſanas, robuſtas & ſaginatas fortes & pingues matres debiles & emaciatas proles progenuiſſe. Ratio hujus eventus & affectus facile eruitur, cum infans in tenui matre, nil niſi moderatam ſubſtantiam reperiat, eamque ad ſe trahat, ut pote mater fortior indeque fiat ut proles quidem proficiat, mater autem de die in diem magis deficiat, è contra fortiſſimæ & athleticæ matres, ſuperfluitate alimenti fœtus potius obruunt & debilitant, ut tandem, tanto onere preſſus plus deficiat quam proficiat.

Quæres: Quomodo ergo graciles ſeu extenuatæ poſt conceptionem

nem ſunt tractandæ? ℞. Tales mulieres *primo* à coitu quantum licet & poteſt ſunt coercendæ: *Secundo* arcendæ ab omni labore & violentia corporis & animi, & quies ipſis imperanda: *Tertio* utantur mollibus ſtratis & lectis. *Quarto* cuchimis & ſubſtantifice humectantibus contuſis, deſtillatis, gelatinis conſummatis nutriendæ: *Quinto* emolliendæ & humectandæ balneis atque unguentis reſumptivis inungendæ: *Sexto* umbilico & abdomini apponenda quæ vim habent nutriendi & fœtum roborandi emplaſtris, fomentis ex vino, pane toſto, aromatibus & cotoneis.

Aphoriſmus XLV.

Quæ vero mediocriter corpulentæ ſeu carnoſæ abortum faciant, ſecundo menſe aut tertio, ſine occaſione manifeſta, iis acetabula uteri, mucoris ſunt plena, nec præ pondere fœtum continere poſſunt, ſed abrumpuntur.

Contentum ſeu Intentio.

De Abortu mediocriter corpulentarum.

Connexio. Cum in priori Aphoriſmo de abortu, qui gravidis, emaciatis & gracileſcentibus præternaturam, contingit dixiſſet. In hoc præſenti Aphoriſmo de prægnantibus, mediocriter carnoſis, & in ſequente de obeſis verba facit, cauſamque abortus indagat, in magnam prægnantium & fœtus utilitatem. Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur.

Præliminariter notandum *triplicem* in univerſum eſſe corporis habitum, *gracilem, carnoſum & obeſum*. Et quamvis in hoc textu dicat, *mediocriter carnoſas*, has tamen ita vocat utpote differentes ab *obeſis*, quæ nimirum craſſæ appellantur *ut in ſequente Aphoriſmo*. Itaque ſi carnoſas mulieres contingat concipere, & poſtmodum ſine cauſæ manifeſtæ occaſione, ſecundo aut tertio menſe abortire, illas ait id ſpeciatim pati, quia acetabula uteri plena mucoris ſunt, & non poſſunt ex pondere, fœtum grandiorem redditum diutius continere, ſed diſrumpi omnino neceſſe ſit.

Ve-

Verumtamen debent carnoſæ iſtæ mulieres eſſe aliunde aptæ, tum ad concipiendum, tum ad pariendum, quæ propterea alias conceperint & ſalubriter pepererint: unde ea eſt differentia inter admodum graciles & obeſas, ut illæ non pariant quia fœtum ad maturitatem non perducunt, iſtæ vero non concipiant; & quidem vitio totius & partium generationi dicatarum: mediocriter autem carnoſæ abortiunt ſolum ex accidenti, cum cæteroquin bene conceperint, & conceptum fœtum, cum membrorum exacta diſpoſitione compleverint. Has igitur ai ſi contingat ſecundo aut tertio menſe abortire, & quidem citra quamcunque cauſam manifeſtam, aut morbi aut violentiæ alicujus commotionis, id ſane ad acetabula uteri mucore plena referendum eſt. At quid pro acetabulis uteri intelligere voluerit Hippocrates, non bene conſtat apud interpretes, cum in græco textu ſcribantur Cotyledones. Galenus *in Comm.* autoritate Praxagoræ pro his explicat, *ora venarum & arteriarum quæ feruntur ad uterum*. Cardanus placentulam carneam, per quam vaſa umbilicalia fœtus utero annectuntur. Alii vaſa ipſa umbilicalia, Alii univerſum uteri cavum innumeris glandulis inſperſum. At appoſité magis ex Anatomia cotyledones ſeu acetabula uteri intelligenda ſunt oſcula illa ex glandulis ejuſdem hiantia, aut quæ tempore menſtrua repurgari debent, aut tempore conceptionis, cum placenta utero adnaſcitur, ut umbilicalibus vaſis annectatur pro ſanguinis circulatione in fœtu. Cum enim Hippocrates non tantum in gravidis mulieribus, ſed extra graviditatis tempora, de uteri cotyledonibus meminerit, plane conſtat, neque placentam, neque vaſa umbilicalia, aliave tempore conceptionis prodeuntia intelligere pro illis voluiſſe, quemadmodum deducere eſt ex *primo de morbis mulierum* ibi enim dicitur: *Si acetabula pituita plena fuerint, menſes fiunt pauciores; & ſi utero gerat fœmina, fœtus non corroborabitur, ſed corrumpitur ac defluit &c.* Quin & *libro de locis in homine, & libro de articulis*, in oſſium commiſſuris Cotyledones quoque conſiderat. Verum tamen etiam placenta, vaſa umbilicalia, uterus ipſe & quæcunque ad conceptum & nutritionem fœtus faciunt, ſi quocunque modo infarciantur & tumeant, abortus pari de cauſa ſubſequi poterit. Hinc non tantum mucus, id eſt craſſus, lentus & viſcoſus humor, ſi has partes oppleat, & infarciat, in cauſa erit, ut abortus inſequatur, ſed etiam ſanguis, ſi plus juſto craſſior ſit, & glutinoſior, aliudque vitium contraxerit, quo potius

hæreat quam diffluat; Licet in moderate carnoſis, veluti euſarchis non tam facile iſta contingant.

At unde ſit, ut à Catyletonibus, mucore oppletis, abortus accidat, inquiſitione ulteriori dignum videtur, cum pauci ſint qui ejus cauſam afferant, & Galenus *in hoc Comment* ne verbum quidem facit ejuſcemodi abortus; Nonnulli ad relaxationem ligamentorum aut vaſorum umbilicalium: alii ad gravamen, quod uterus & fœtus ipſe à lentis & craſſis ſuccis patitur: alii rurſum ad defectum alimenti, cum ſanguis propter ejusmodi ſuccorum lentorem, non bene poſſit permeare, & in fœtus nutricationem ſubire, cauſam referunt. Alii tandem cauſam referunt ad uteri parvitatem.

Verum crediderim ipſe non unam ſemper, eandemque in his eſſe abortus cauſam, nam moderate carnoſæ fœminæ, cum conceperint, non eodem perpetuo & ſtatuto tempore aboriuntur, ſed quandoque ſecundo, aliquando tertio aut etiam quarto menſe, ut adnotat Galenus *6 de locis affect. cap 5 & lib. de uteri diſſectione*: unde ſit, ut ab ejusmodi craſſis & glutinoſis humoribus, diverſimode uterum & fœtum incommodantibus, abortiendi occaſio oriatur. Primo etenim & ſecundo menſe impedimento ſunt placentæ (membranæ ſiquidem amnium & chorion, circum veſtientes fœtum, ſunt in ovo, unde fœtus prodit) ne utero veluti fungus adnaſcatur & adnata firmiter hæreat cum ſuis vaſis umbilicalibus; Tertio menſe ne ſanguis convenienter depuratus deferatur per arterias umbilicales in fœtus corpuſculum, aut etiam detineatur & reſtagnet in Placenta ipſa ad ejusdem perniciem, impedita quoque plurimum ſanguinis per venam umbilicalem remeantis circulatione. Quarto tandem menſe præter hæc, etiam alimenti defectus accedet, ob ſuperincumbentis placentæ ab inutilibus humoribus obſtructæ ac tumefactæ gravamen, nec non uteri ad ſui expanſionem, cæteroqui pro grandiori fœtu ſummopere neceſſariam, non exiguam reſiſtentiam, imo evidentem repugnantiam ut ſerte etiam advertit idem Hippocrates *Lib. de ſterilibus & Lib. de natura muliebri*.

Neque vero quis hinc exiſtimet, perpetuo in his futurum abortum uno vel altero ex memoratis menſibus, ab ejusmodi craſſis & viſcoſis ſuccis: nam Hippocrates non niſi ex conditione loquitur *ſi mediocriter carnoſa abortierint* & nulla alia cauſa pateat, ob quam abor-

tus

tus acciderit, ſive externa ſive interna, aſſerit eſſe acetabulorum à mucoſis humoribus oppletionem, ut propterea hoc Aphoriſmo, occultam cauſam talis abortus aperiat, cui prudens Medicus caute oppituletur, & opportune ſuccurrat, vel ſaltem impoſterum ſuccedentibus conceptibus, illam præcaveat, ne ſimili infortunio immature delabantur. Hinc Aphoriſmus quoad cauſam eſt dignoſticus, & quoad abortum prognoſticus.

Mucoſi autem iſti humores, plerumque in gravidis gignuntur à mala victus ratione, qua ipſæ utuntur cum & cibariis non raro veſcantur acerbis & crudis & potionibus largioribus ac gelidis indulgeant.

Quomodo tandem acetabulorum uteri laxitas, ac mucoſitas, dignoſci & curari poſſit, docuit idem Hippocrates *cit. lib. 1. de morbis*, & lib de natura muliebri

Ab acetabulis mucore oppletis aliam deducit, in hoc Aphoriſmo Hippocrates abortus cauſam, quia inquit: *illa non poſſunt ex pondere fœtum continere, ſed dirumpuntur.* Siquidem cum acetabula viſcoſis & lentis humoribus opplentur, non tantum molleſcunt plus juſto & relaxantur, ſed tumeſcunt & gravitant, unde facile ſimul cum placenta diſſociantur ab utero, adeoque fœtum eidem annexum ſuſtinere nequeunt, quin imo nimio pondere ſuperincumbentia, illum jam primis menſibus tenellum, ſuiſque ſecundinis incluſum comprimunt & ſuffocant, adultum vero in cæteris præ mollitie, & nimia laxitate, firmiter utero alligatum continere non poſſunt, ut exemplo fructuum ſuis pediculis arboribus adhærentium perbelle equidem docuit Galenus *4. Aphoriſmorum Comment primo.*

Quæres 1. Quodnam ſit ſignum iſtius mucoris in uteri acetabulis? ℞. Quod circa menſtruorum tempus per aliquot dies prodeat ex utero.

Quæres 2. Quid in tali caſu faciendum ſit Medico? ℞. Gravidam lenibus hydroticis uti jalapa epicratice eſſe expiandam, & lenibus quoque exiccantibus tractandam, purgato enim ante conceptionem corpore cacochimico multa præcaventur gravidarum ſymptomata.

Quæres 3. An adhuc aliquæ præter eas in contextu recenſitas ſint hujus abortus cauſæ? ℞. Cum Galeno *Lib 3. Epidem.* & Hippocrate *lib. de morb. mulierum, morbus gravis* præſertim acutus, lumborum dolor,

lor, eryſipelas uteri, vehemens animi vel corporis motus, ira, timor, mœror, Archeus enim turbatur talibus pathematibus, caſus, elevatio ponderis gravioris, vociferatio, membri diſtenſio, ſaltus, brachiorum nimia elevatio & extenſio, magnæ evacuationes, diarrhææ, diſenteriæ, hæmorrhagiæ, à natura vel medicamento excitatæ &c.

Aphoriſmus XLVI.

Quæ præternaturam craſſæ non concipiunt, iis uteri os ab omento comprimitur, & priusquam extenuentur, non concipiunt.

Contentum ſeu Intentio.

De Sterilitate obeſiorum.

Connexio: Cum de extenuatione corporis, quæ ad conceptionem ſuſtinendam eſt inepta Aphoriſmo quadrageſimo quarto egiſſet: In hoc præſente quadrageſimo ſexto agit de craſſitie alio ſcilicet conceptionis impedimento, eoque longe validiori. Hic Aphoriſmus in duas, partes dividitur. In *prima* dicit craſſas præternaturam non concipere. In *ſecunda* cauſam ejus reddit.

Oſtendit ergo Hippocrates non modo extenuationem immodicam ſed & craſſitiem impedire generationem, unde qui prolem amant, neque nimis extenuatas valde pingues uxores ſeligant, nam ut ſupra diximus, extenuatæ concipiunt quidem ſed perdunt, at valde craſſæ, nec quidem concipiunt, ſaltem ut plurimum.

De his ergo obeſis in hoc Aphoriſmo diſſerit Hippocrates atque in illis cauſam exquirit, ob quam cauſam concipere non ſoleant: Etenim haud quaquam ſimpliciter aſſerit, illas non concipere, cùm & aliquando, ut mox innuimus, concipiant ac ſalubriter pariant: Sed ſolum edocet, unde ſterilitatem in illis conjicere poſſimus, ſi ceteroqui bene valentes, citra quamcunque cauſam manifeſtam ſteriles obſerventur: hinc non abs re addit, *non concipiunt utero*, ut minimum ab utero ſolum hic cauſam deducat. Et quamvis ſterilitatis

tis cauſæ, plures aliæ eſſe poſſint, de quibus idem Hippocrates lib. *de ſterilibus* hic tamen illam duntaxat memorat, quæ ex habitu corporis dependet, pari ratione ac de cæteris habitibus antea memoraverat.

Quoniam verò corporis habitus craſſus ſeu obeſus, duplex eſſe poteſt, ut docet idem Hippocrates *cit. lib. de Sterilibus & de ſuperfœtatione*, atque etiam advertit Galenus *in Commentar.* alter ex propria natura, alter ex vitæ ratione, diſtinguere ſane oportebit, de quo ſpeciatim ſit hoc loco intelligendus Hippocrates. Et quidem à *natura craſſæ ſeu obeſæ*, non ſemel ſed iterato concepiſſe ac vitaliter pepeniſſe viſæ ſunt, ſatagente nimirum natura, ut partes corporis univerſæ convenienti mole ita conſtruantur & increſcant, ut altera alteram in ſuis operationibus non impediat. At verò quæ ſupra modum & citra naturalem conſtitutionem pinguiores evaſerunt, puta a ciborum ingluvie, potibus immoderatis, ſomno, otio & ſimilibus præternaturam obvenientibus, difficulter concipere conſueverunt; quam eamdem ſententiam clarius idem Hippocrates expreſſit *cit. lib. de ſuperfœtatione* his verbis *Mulier quæ præter naturam craſſa eſt ac pinguis, & pituita repleta, non concipit hoc tempore, quæ vero ex natura talis eſt, horum gratia concipit, ſi non aliud quidpiam ipſam impediat.*

Quamvis autem totius corporis obeſitas conceptioni promovendæ impedimento eſſe poſſit, ob nimiam vaſorum exilitatem, & ſanguinis craſſitiem, ſpeciatim autem illi officit, partium in abdomine contentarum, & præcipuè omenti immoderata pinguedo. id enim ſua natura, in cunctis animantibus, multa pinguedine refertum, longe admodum corpulentius & pinguius in obeſis fœminis evadit, unde fit ut ingenti mole, non tantùm tumeat & elongetur, ſed plurimum quoque ſubjecta viſcera aggravet & comprimat; cumque inter hæc uterus ſit, plane præ cæteris, ſi potiſſimum emineat, ejuſmodi patitur incommodum, adeoque ſeminis receptioni, retentioni & conceptioni ineptus evadit, neque ſolum, ut hîc Hippocrates recenſet, ab illius internæ valvæ compreſſione, quaſi vero hac de cauſa fœcundantis ſeminis vim atque efficaciam, is excipere non poſſit, cum & undique comprimatur & coarctetur, ſed etiam ex eo, quod ovarium in ipſis, multa pinguedine obſitum, neque grandeſcere

neque per tubas in uteri cavum elaboratiora ova deponere poſſit, quemadmodum experimur in gallinis, quæ plus juſto pinguiores redditæ, ova nec gignunt nec pariunt. Conſtat inſuper in obeſis ſanguinem, majori ex parte in pinguedinem verti, nec tam vividum eſſe, ut in gracilibus, ita etiam teſtatur Ariſtoteles *Lib. 1 de generatione cap. 8. & lib. 2. de part. animal. cap. 5.* Subdit tandem Hippocrates, idillis accidere, priusquam extenuatæ fuerint, & quidem ſive medicamentorum uſu ſive alimentorum inopia quod late edocuit, lib. de natura muliebri inquiens, *ſi præter naturam craſſa facta fuerit mulier, non concipit in utero, nam omentū multum & craſſum incumbens, uteros deprimit & genituram non ſuſcipit. Hanc igitur attenuare oportet, & medicamentum per inferna purgans bibendum dare, uteris vero apponere, quod illos purget & flatus inducat.* Hinc edocemur fœminas ejuscemodi obeſo corporis habitu præditas, ut ad conceptionem & generationem diſponantur, oportere prius extenuari, atque in meliorem & moderatiorem ſtatum reduci, non ſolum victu frugaliori & vim extenuandi habente ipſis indicto, itemque exercitiis, curſibus, laboribus, lecto duro, vigiliis, curis, conſuetis evacuationibus, ſudoribus & aeris tenuioris incolatu, ſed etiam medicamentis craſſos & glutinoſos ſuccos incidentibus, atque per alvum, & urinam potiſſimum evacuantibus, usque pariter, quæ uterum repurgent & capaciorem reddant: quamvis iſta aliquando etiam opportune præſtita, non ſufficiant nec ſatis eſſe ſoleant.

Verum Hippocrates *Lib. de ſuperfœtatione*, ut obeſæ mulieres fertiles reddantur, hæc etiam à viris exigit, ut non ſint ebrii neque vinum album bibant, ſed quod fortiſſimum ac meraciſſimum eſt, itemque edulia fortiſſima, & calida non lavent, robuſti autem ſint & ſani & à cibis abſtineant ad rem non conferentibus; & ubi marem generare voluerint, menſibus deſinentibus aut defectis miſceantur, & quam penitiſſime intrudant, donec deſæviant, In idem facit quod idem Autor edocet *Lib. de aere aquis & locis*, ubi craſſas mulieres (quales Scythas eſſe ait) non concipere ſubdit, quia os uteri propria pinguedine ita coarctatur, ut nequeat ſuſcipere aut admittere ſemen.

Quæ denique ſint in univerſum ad concipiendum aptiores vel ineptiores, idem Author edocuit *2. Lib. prædictionum*, inquiens *parva ad conceptionem præſtantiores ſunt majoribus, tenues craſſis, alba rubicundis,*

dis, nigra lividis: quæ item venas conſpicuas habent meliores ſunt, quam quibus non apparent: carnem autem uberiorem habere, auscula malum eſt: mammas autem tumidas & magnas bonum. Conferenda his quoque erunt, quæ idem Author late congerit, in pluribus aliis locis, præſertim *vero 1. de morbis mulierum, de natura muliebri, & lib. de ſterilibus,* unde plurima quæ conceptionem retardare, & promovere poſſunt, quisque utiliter deducet.

Objectiones & difficultates in contextu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus XLVII.

Si qua parte uterus coxæ adjacet, ſuppuraverit, linamentis conceptis curetur neceſſe eſt. Vel Si uterus in coxam vergens ſuppuratur, neceſſe eſt linamentum ſeu emmoton fieri.

Contentum ſeu Intentio.

De Abſceſſibus Uteri.

C*onnexio:* Poſtquam in præcedentibus Aphoriſmis Hippocrates multa de affectibus prægnantium dixiſſet; In hoc præſenti Aphoriſmo, peculiare vitium affert uteri, quod ad ipſius uteri inflammationem ſequi poteſt, nempe ejusdem ſuppuratio, ea quidem parte qua alligatur coxæ.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur. Verum non unius, ſed multiplicis diſſenſionis cauſam præbuit expoſitoribus hic Aphoriſmus. Sunt enim, qui volunt, non fuiſſe hoc loco reponendum. Alii nullatenus uterum in coxam vergere poſſe contendunt. Alii rem nimis vulgarem, & lippis & tonſoribus notam continere autumant, veluti ad curationem ſuppurationis ejusdem pertinentem. Reliqui interpretes demum omnes ſenſum illius, in varias & diverſas ſententias ita diſtrahunt, ut non tantum mentem Hippocratis nullatenus aſſequantur, ſed nec quid voluerit, per ipſum edoce-

edocere percipiant, quin potius alter in alterum conviciis & exprobrationibus invehatur, præſertim, ut exponant dictionem illam linamentum quod græce ἔμμοτον ſcriptum eſt: Verum nulla erit in Aphoriſmo difficultas, ſi Anatomiam & experientiam attendamus.

Et quidem licet ipſemet in illorum ſententiam non iverim qui putant uterum loco moveri poſſe, cum ſatis notum ſit, eum quatuor ligamentis, usque validiſſimis alligari, quia tamen ex his, anteriora ligamenta in inguina, adeoque in utramque coxam protenduntur, facile ſit, ut alterutrius oppletione, tumefactione, relaxatione, aliove ſimili morbo procumbat in alterutram partem, & tumorem atque inflammationem ibidem pariat, tranſpoſitis una ſimul exinde diverſi generis excrementis, præſertim ex impuro ſanguine, forſan nec inveniente per menſes repurgato, procedentibus. Quamobrem fieri ſubinde poteſt ut poſtmodum ibidem ſtagnans ſanguis, in fermentationem indebitam deducatur, computreſcat & ſuppuretur, & ſimul etiam uteri ſubſtantiam putreſaciat. Rectè igitur dicit Hippocrates: *Si uterus in alterutram coxam vergat*, a delapſu ſcilicet vitioſorum humorum neceſſe eſt *Emmoton* fieri, à ſuppuratione ibidem contracta.

Sed quid pro *Emmoton* intelligere voluerit, in hoc adhuc graviora ſunt interpretum litigia; ſiquidem inter ſeſe nullatenus conveniunt. Alii aſſerunt, quod vox iſta *Emmoton* ſignificet, aut cavum ulcus & profundum e quo pus emanat. Alii *linamentum* interpretantur medicamentum liquidum quod penicillis conceptum, ſeu ex linteis aliquando raſis conceptis, aliquando tortis quandoque ex Ellychniis (gallicè *de la cherpie* vulgo a Chirurgis corpei dictum) confectum, Seu (ut alii) curationis rationem quâ profunda ulcera curantur. *Linamenta* autem ſeu *Emmota* fiunt in diverſa forma, nam quandoque ejusmodi linamentum ſeu Emmoton eſt rotundum, quandoque oblongum & teres, & hoc medicamentis illito cavitas ulceris vel etiam vulneris ad mundificationem impletur, Quamvis autem ſi abſceſſus ſeu ſuppuratio uteri ſit interna, longe melius ſit, per metrenchyta ſeu clyſteres aut injectiones uterinas eamdem curare; cum vix ullo modo linamenta ad uterum pertingere poſſint ob vaginæ uteri longitudinem & conſtrictionem; Licet alii ſint, qui nis negent ſuppoſitum; quod per vaginam ejuſmodi vomicæ ſeu

abſce-

Digitized by Google

ulcera aut abſceſſus curari debeant, ſed extrinſece quando ad coxam circa inguinis partem fit abſceſſus, qui per vaginam curari non debet, ſed extrinſecè, in qua parte tumores, ſine capitibus, magni ac rotundi, ante omnimodam ſuppurationem aperiri minime debent, quia uteri collum à ſanguine menſtruo retento ſæpius ejusmodi tumores patitur, qui ſi præcociter aperiantur, mulieres in ſummum vitæ periculum præcipitantur.

Verum enim vero auditis & diſcuſſis interpretum noſtrorum ſuper hoc Aphoriſmo ejusque verborum litigiis, nolim tamen ego ulterius Hippocratem cum Hippocrate interpretari, is enim *lib. de Articulis*, & Galeaus *in comment. 3. 55. ejuſdem libri* inquit, qui ulcus cavum & exeſum ex ſuppuratione contraxerunt, quod ſcilicet curationem per linamenta expoſtularet, *Emmotos* appellat, ut propterea hinc deducere fas ſit *Emmoton* fieri uterum, cum in coxam vergens, ſuppurationem ſubierit, quoniam inde neceſſe eſt ulcus cavum & ſinuoſum ſeu fiſtuloſum exoriri, quod non niſi penicillis, ſeu peſſariis, ex concerptis & contortis linteis tractari & curari poteſt, non autem manu aut digito propter profunditatem & uteri ſitum.

Itaque voluit potius Hippocrates hoc Aphoriſmo Medicos docere, cujusmodi ſit ex uteri ſuppuratione futurum ulcus, non autem curationis methodum, aut medicamenti genus, quod pro curatione ipſa ſit adhibendum. nam præterquam quod iſtæ non videntur hic opportunè aut convenienter memorata, ſunt plane omnino indigni, ut inter Aphoriſmos recenſeantur, ut proinde Aphoriſmus dici debeat prognoſticus potius quam curativus aut methodicus. Cæterum iſtiusmodi ulceris curationem proponit idem Hippocrates *libro* de ſuperfœtatione.

Quiscunque demum plura de his litigiis hunc Aphoriſmum concernentibus, interpretum, legere aut audire velit, legat Cardanum, in Commentario hujus Aphoriſmi, qui variis & argumentis & conviciis in illos invehitur, præſertim autem Galenum & Fuchſium, inquit enim, *quinque ſunt, quæ celebrem efficiunt virum; multarum rerum cognitio: Studium aſſiduum: Inventio: Iudicium: & ſæculum felix: Fuchſio duo defuere, inventio & Iudicium, cum & ipſum Principem ſuta Hippocratem lacerare auſus, ſic ut non cauſam ſed homines odiſſe videatur.*

At nos (inquit ulterius) *Galenum arguimus, non ignorantia* (ut fecit Fuchſius) *non mali judicii, non levitatis, non mendacii, ſed negligentiæ atque ambitionis, à quo peccato, nullius, qui res ipſas reſpiciat, judicio, liber eſſe poteſt: Diſſertionem pulſus & Aphoriſmorum commentaria, ſcimus, eſſe potius furta infelicia quam libros ſuos: quæ tria quoniam exigebant peculiare ſtudium, quod ob artis exercitium præſtare non potuit*, &c.

Reliquæ difficultates in contextu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus XLVIII.

Fœtus, mares dextra uteri parte; fœminæ ſiniſtra magis geſtantur.

Contentum ſeu Intentio.

De notis geſtati ſexus in gravidis.

Connexio: Hic præſens Aphoriſmus connectitur cum Aphoriſmo 42 hujus libri, in quo docuit Hippocrates per colorem dignoſcendi ſexum adhuc in utero exiſtentem. In hoc præſenti aliud adhuc ſignum dignoſcendi ſexum in utero declarare nititur.

Hic Aphoriſmus in duas partes dividitur. *Prima* de maribus in dextris: *Secunda* de fœminis in ſiniſtris geſtatis concludit.

Sententiam hanc veluti à vetuſtioribus communiter receptam placuit Hippocrati, inter Aphoriſticas referre, utque illam non perpetuo veram deſignant, non irrationabiliter addidit adverbium *magis*, cum non ſemper mares in dextra, & fœminæ in ſiniſtra uteri parte gignantur. Licet id ratum omnino fuerit Anaxagoræ & Empedocli, quos tamen redarguit Ariſtoteles *Lib. 4. de Generat. animalium cap. 1. & 7. de Hyſtor. earundem cap. 3.* At vero huic ſententiæ conatus eſt Hippocrates adjicere rationem *2. Epidemior. ſect. 6. & 6. Epidem. ſect. 4.* Item Hippoc. *de natura pueri & Galenus 14. de uſu part. cap. 7.* illamque referre in vigorem & calorem partis dextræ, ſiniſtræ præpotentiorem unde etiam ſemen in dextro teſte contentum vividius & efficacius quoque exiſtimavit: quamobrem *Lib. de Superfœtatione* conſulit ad gignendos mares conferre plurimum, ſi ſiniſter teſtis obli-

obligetur, ut totum ſemen in concubitu e dextro, non é ſiniſtro in uterum effluat, quin & cuncta viſcera, in dextra corporis parte poſita, cæteris robuſtiora exiſtimavit: *cit. 2. Epidem.* inquiens, *ſecundum naturam, plurimam vim habet mamma dextra, oculus dexter & quæ intra ſunt hac parte.*

Verum iſta non tanti ſunt, ut contrarium ſæpe numero minime ſucceſſurum evincant, cum ſæpiſſime ſit expertum, & fœminas & mares indifferenter genitos & geſtatos fuiſſe, in alterutra uteri parte, quo factum ut plerique Medicorum in præſagiendis ejusmodi partubus, non ſine eorundem deriſu, falſi fuerint, hoc Aphoriſmo confiſi. Neque præterea verum eſt, fœminas in generatione ſemen effundere, quod cum ſemine maris commixtum, pro varia utriusque vi atque efficacia, modo maſculum, modo fœmellam efformet. Nam ex Anatomia ſatis ſuperque jam conſtitit, illas non niſi ovum ſuis pelliculis obvolutum, in quo rudimenta fœtus prajacta manent in uteri cavum deponere. Mares vero ſuo ſolum ſemine illud fœcundare, atque in motum & expanſionem membrorum adigere, ut alibi jam explicavimus.

Si itaque contingat, ex ovario abruptum & ſemotum ovum in uterum deponi, per dextram & ſiniſtram ejusdem tubam, quod jam maſculini ſexus diſpoſitionem fuerit præſortitum, atque à robuſto ſemine maris fœcundatum, maſculus orietur, contra verò fœmella, nihilum ad hoc conferente loci conditione, dextra vel ſiniſtra, cum utraque & pari calore & non diſſimili venarum ac arteriarum propagatione foveatur. Fortè autem accidit, ut ova vividiora meatus latiores, & dextra uteri pars robuſtior evaſerint, quia universa pars dextra corporis, brachium latus, crus, pes, horumque muſculi, veluti magis exercitata, grandiora, agiliora, & in omnibus operibus efficaciora præ cæteris fuerunt: Hinc levis omnino eſt conjectura illa, quam plerique deducunt, à pondere, motu, calore alterutrius lateris, ut fœtum maſculinum, aut fœmininum in utero geſtari præſagiant, ſicut & aliæ plures ad hoc idem á pluribus aliis adhibitæ, utpote quæ falſo innixæ fundamento ſæpiſſime fallant. Porro non irrationabiliter credere eſt, plurima iſtorum quæ in Aphoriſmis continentur. licet in operibus Hippocratis ſcripta reperiantur, non fuiſſe tamen ab eodem, inter Aphoriſticas ſententias redacta, ſed

ab aliis ſucceſſoribus recollecta, huc illucque ſparſim interpoſita fuiſſe.

Supereſt adhuc quorundam opinio, arguentes quod ob vigorem dextræ partis utpore magis robuſtæ, locatis Gemellis in utero mas dextram, fœmella ſiniſtram occupet, & à natura ita collocetur: Contrarium tamen obſervavit Braſſavolus in propria uxore, quæ mares in ſiniſtra fœminas in dextra tulit. Verum & hæc opinio, uti omnes aliæ non niſi probabiles ſunt, egentes longe majori & experimentali certitudine. Ejuſdem quoque ponderis eſt ſententia eorum, qui ſexus diſtinctionem, è comparato temperamento conjugum aliquando divinare non edicere ſolent. Tandem & illi non niſi probabili innituntur fundamento, qui arguunt, ſi gravida circa hypogaſtrium male habeat, dolore, duritie, tumore, dextro affecto, marem, ſiniſtro fœmellam geri.

Reliquæ difficultates & objectiones ſolutæ ſunt in contextu.

Aphoriſmus XLIX.

Ad ſecundas deturbandas, ſternutatorio immiſſo, nares & os comprimito. Vel ut alii:
Ad pellendas ſecundinas, ſternutationem inducito.

Contentum ſeu Intentio.
De ſecundina retenta.

Connexio: Cum ſupra *Aph. 35 hujus libri* Hippocrates præcepiſſet, bonum eſſe ſignum, ſi mulieribus hyſtericis aut difficulter parturientibus ſternutatio ſuperveniat: Ita nunc ad deturbandas ſeu pellendas ſecundinas, ſeu membranas, quibus fœtus involvitur, ſi quando in utero remanent, eandem ope artis excitandam admonet, & quidem auxilio cunctis obvio ne ſcilicet illæ diutius intra uterum ab edito fœtu detentæ, repurgandis inde recrementis impedimento ſint, ac mox putrefactæ, non tantum gravia inferant ſymptomata ſed & mortem inevitabiliter, niſi penitus depellantur.

Hic Aphor. in duas partes dividitur. In *prima* præcipit ſecundinas

nas eſſe expellendas: In *ſecunda* remedium & modum remedii, id eſt ſternutationem & quomodo ſternutatio facienda ſit edocet, nempe quod immiſſo ſternutamento, os & nares comprimi debeant,

Naturâ autem comparatum eſt, ut ad maturitatem perductus fœtus, jam jam ſe partui accommodet, ac deorſum in uteri valvam procumbens, diſruptis jam ſpolus, proprio niſu, & ipſius parturientis valido conatu efferatur in caput, mox verò ſecundinæ procidant, cum ſanguineis ſuperfluitatibus: quamquam, & non raro accidat, ſimul una fœtum, ſuis obvolutum involucris in lucem prodire.

Sunt autem iſta involucra in hominibus *Ammos & Chorion* cui annexa eſt placenta uterina, vaſa vero umbilicalia ſunt duæ arteriæ, una vena, ſed major, & urachos. Quoniam vero in umbilici, ſeu umbilicalium vaſorum reſectione, non levis error quandoque, ab obſtetricibus committitur, puta, ſi intempeſtivè, ſi inæqualiter, ſi non debito modo aut loco reſecentur, proinde fit ut illa retracta atque contorta in uteri cavitatem revolvantur, aut etiam fortaſſe dirupta, ſecundum partes utero alligata remaneant, unde poſtmodum incommoda plurima, imo manifeſtum vitæ periculum. At vero neque ſalubriter egeruntur, ſi primo loco & ante partum prodeant, exarefacto nimium utero, ab intempeſtiva illarum ejectione.

Cum itaque contingit illas a partu detineri, omnis induſtria adhibenda eſt, ut quo citius fieri poſſit, expellantur, in quam rem plura ſolent a Medicis commendari non tantum ad deturbandas ſecundinas, ſed etiam ad expellendum fœtum mortuum; verum hoc loco ab Hippocrate proponitur facilè efficax & promptum auxilium ab incuſſo ſternutamento deſumptum, etenim per ſternutationem totum corpus vehementer concutitur, ad expulſionem ejus, quod nares & proceſſus mammillares moleſtat, atque proritat, ex cujus vehementi concuſſione uterus non leviter commotus, faciliime deponit, quod interius recoonditum eique alligatum eſt.

Sed quid eſt, quod Hipp. in hoc Aph. vult obſervandum, ut impoſito ſternutatorio nares deinde apprehendantur & os claudatur? Neutiquam plane, ut a pleriſque putatur, quia detentus ſpiritus per œſophagum inferius protruditur, & uterum comprimens, ad ſui exonerationem, & fœtus depoſitionem, eundem compellat:

Hoc enim nullatenus crediderim, cum neque aer per eas partes

 ferri

ferri, neque eo delatus, vim aut impulſum utero tribuere poſſit. Exiſtimaverim proinde potius, impetum ea induſtria aſſerti majorem pectori, ac Diaphragmati, quod propterea majori expanſione comprimat, & impellat ſubjecta viſcera, præprimis autem uterum mole ſua, & a retentis ſecundinis tam turgidus; quin & obturatis naribus & ore, vis medicamenti ſternutationem promoventis penitus ſe inſerit, atque non tantum nervos, per nares diffuſos, ſed etiam qui è vaga conjugatione promanant, vehementius laceſſit, atque motum quendam fere ſpaſmodicum, per ſubjecta viſcera, & uterum ipſum excitat, quo tandem detentæ Secundinæ extrudantur. neque enim ſternutatio levis motus concuſſivus eſt aut naturalis ſed violentus ac præternaturalis, ſaltem a cauſa irritante & vellicante Meninges, ut quod noxium eſt, & cerebro infenſum, expellatur: quamobrem Galeno *2 de Symptom. cauſis cap. 3.* dicitur quidem ſternutamentum promotum a natura, ſed non ſine vi atque irritamento cauſæ morboſæ excitatum, ut præterea aliquando accidit, ex quadam peſtilentia, ægrotantes iteratis ſternutationibus infeliciter periiſſe, quippe quæ deſignabant cauſam illarum adeo malignam & deleteriam ut non ſolum naturæ expellenti minime cederet, ſed cerebrum ipſum, prava contagione depravaret, ac tandem in exitium deduceret, unde exiſtimo non fuiſſe vanam hiſtoriã, ex qua nata eſt conſuetudo, ut ſternutãtibus ſoleamus DEI auxilium imprecari.

Quibus denique medicamentis, id peragi debeat quamvis hoc loco Hippocrates non explicet, alibi tamen illa deſcribit, ex pulveribus naſturtii, Elleborì albi, piperis, ſynapis, pyrethri, nigellæ, & ſimilium acrium medicamentorum, tenellas narium membranas, ac meninges ipſas cerebri proritare valentium; quod nunc noſtra ætate uſu Tabaci paſſim fieri ſolet, adjecto præſertim, ſi libuerit, modico pulveris cyclaminis leni calore ſiccati, atque ad clibanum leniter torrefacti: Sunt etiam ſucci herbarum, qui id ipſum potenter efficiunt: Sed & Hippocrates ipſe potiones quaſdam exhibet ex ſucco artemiſiæ expreſſo cum vino albo, quod efficaciſſimum remedium eſt ad expellendas ſecundinas, fœtumque mortuum, Dictamnum quoque Creticum & album, fæcula Bryoniæ, borax mineralis, extractum granorum chamæactes & alia hujus generis plurima, in idem conferunt ut apud Medicinæ Practicos paſſim legere eſt.

Re-

Reliquas difficultates & objectiones videſis apud Authores; præſertim autem Cardanum, qui variis argumentis impetit Galenum, quæ apud eundem quisque legere poteſt; multa enim affert de ſternutatione & tuſſi, quæ aliis in locis, convenientius & à nobis & ab aliis dicta ſunt.

Aphoriſmus L.

Mulieri ſi velis menſtrua ſiſtere, cucurbitulam quam maximam ad mammas appone.

Contentum ſeu Intentio.

De Curæ menſium immodicorum.

Connexio: Cum Hippocrates in priori Aphoriſmo edocuiſſet remedium educendi Secundinas, illudque commune ad educenda omnia muliebria nempe ſternutamentum: In hoc præſenti Aphor. docet contrarium, nempe remedium ſiſtendi menſtrua & muliebria.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur. Maximum, quod Fautrix natura mulieribus ad ſalutem largita, eſt, auxilium, catameniorum ſeu menſtruorum muliebrium eſt lunari revolutione repurgatio, quæ, non aliter ac in reliquis conſuetis evacuationibus, debitam quantitatem, & convenientem modum ſervare debet, ut juvet & nullatenus obſit, ſiquidem omne nimium Naturæ inimicum eſt, iisque plus juſto fluentibus morbi eveniunt, ut dicitur ab eodem Hippocrate, hoc præſente *lib. 5. Aph. 57.* Et quidem aliquando ita immodice fluunt, ut exanimes non raro deficiant mulieres, vel ſaltem illas in peſſimas ægritudines deducant, putà, cachexias, hydropes, apoplexias, Epilepſias, ſyncopes &c.

Dicuntur autem immodice fluere, vel cum ſingulis menſibus, ſervata temporis opportunitate ad certos dies affluenter erumpunt, vel cum continuatis diebus, nulla vel modica intermiſſione data profluunt, ut in profluvio muliebri, quin & aliquando, non ſine moleſtiis, torminibus, præcordiorum anxietatibus. Verumtamen in utrisque purus & ſyncerus ſanguis egeritur, nam ſi forte ſeroſus aut

Lyni-

Lymphaticus, aut etiam mucoſus & albicans apparet, vel ſi loco ſanguinis perpetim expurgetur ichor, ſanies, aut pallidus humor, ut in fluore muliebri, ſicuti evacuationes iſtæ per uterum nullum ſanguinis veſtigium referrent, ita nec ad immoderatas ejuſdem evacuationes neque ad ſententiam hanc Aphoriſticam pertinerent, in qua ſolum immodica menſium quantitas, non qualitas conſideratur. Præterea, quia multum & paucum ad aliquid referuntur, attendenda quoque erit cujuslibet menſtruantis mulieris conſtitutio & habitudo corporis, itemque conſuetudo, & mos excretionis, vita anteacta & id genus alia: nam ſucciplenis, otioſis, opiparis, vinoſis, largior ſemper eſſe ſolet ejuſcemodi expurgatio, contra vero parcior, excitatis, debilibus & frugalem vitam ducentibus. Hinc pleræque ſolent ad integras hebdomadas menſtruare, citra ullum vitæ commodum, imo ſalubriter, aliæ vero vix uno vel altero die.

Contingit autem iſtiusmodi menſium immoderata evacuatio, aut vitio ſanguinis aut vitio vaſorum uteri, unde is effluit: & quidem vitio ſanguinis, ſi ex propria ſui conſtitutione, ac natura, plus juſto per id temporis quo in motum & exitum adigitur, in ſuis particulis vividioribus, & volatilibus turgeat, & ampliorem locum exquirens, facta in eum impetuoſa irruptione, diffundatur; vel ſi adepta, a non bene repurgatis ſui recrementis, acredine latiorem vaſorum Anaſtomoſim ſibi faciat, ac factam occludi non permittat.

Quam vero veteres inculpabant plethoram & immodicam in vaſis ſanguinis ſuperabundantiam, quis unquam eo modo qua illi admiſerit? ſi præſertim conſideraverit ſagacem naturæ ſolertiam, quæ ſicut in neceſſariis non deficit, ita nec in ſuperfluis abundat, niſi ex accidenti, aut quia vaſa reddita ſunt incapacia, aut quia non mole ſeu quantitate, ſed Euphoria ſeu tolerantia ac orgaſmo ſeu turgentia, ab intruſo chylo fortaſſis energetico ſeu exagitato, & particulis plus juſto mobilibus ſaturo, tumultaria commotio, in eodem excitatur, cum turgentia, ſeu potius vehementiori fermentatione, ut proinde vaſa ampliora fieri neceſſe ſit, & tantum non diſrumpi; quod & aliquando contingit, non ſolum in apicibus ac oſculis arteriarum, aut venarum, verum etiam in ipſis meatibus & glandulis, ſi præſertim aliqua de cauſa flacceſcant, aut laxiorem natura ſortitæ ſint ſtructuram.

Atque

Atque hinc alterum in eruptionibus immoderatis vitium exurgit, ex defectu vaſorum uteri vel ut plus juſto laxa, diſtenta, aut aliter male affecta, facile aperiantur vel etiam ut erodantur & difficulter nimis deinde coarctentur. Seclusa ergo cujusvis alterius humoris, quam ſanguinis evacuatione, undecunque illa proveniat, conſulit hic Hippocrates, in omnibus immodice fluentis ſanguinis vitiis, cohibentia, & ſiſtentia medicamenta eſſe adhibenda, è quorum numero nunc ſpeciatim meminit cucurbitularum veluti quæ externe adhibitæ, citra magnum corporis incommodum, & absque eo quod humores & ſanguis ipſe, interius perturbentur, aut alterentur, prompte ac faciliter fluentem ſanguinem ſiſtere poſſunt. Neque vero verendum eſt, quod vitioſus, acris, aut acidus fortaſſe ſanguis, intra venas & arterias detentus, viſcera ipſa inficere, & alios morbos excitare poſſit; ſiquidem in his longe magis prævalet deſumpta indicatio, ab immoderata ſanguinis evacuatione, unde vires, repente concidunt, ac ſyncope & mors certo certius immiuet, Ab immodica namque ſanguinis effuſione, cujuscunque conditionis ille ſit, aut undecunque effluat, effractis viribus, partes cunctæ corporis collabuntur atque interrupto cordis & arteriarum motu, vita ipſa deficit Ut autem hanc evacuationem, ab aliis excrementorum expurgationibus ſejungeret Hippocrates, illamque non alterius morbi ratione, vi aut violentia inductam ſed conſueto tempore, & cum debitis circumſtantiis prodeuntem, per catamenia ſpeciatim deſignavit, quæ non niſi comprehendunt menſtruam per uterum purgationem, eamque opportunam, convenientem, & ſalubriter à natura inſtitutam, ut corpora fæminarum à ſuis impuritatibus repurgentur, & uterus veluti per ipſam irroratus, & ablutus, ad fæcunditatem, conceptionem & generationem ſit diſpoſitus: unde ſi contingat excedenter fieri, & ultra id quod uſus poſtulet, cum vitæ pernicie, conſulit eſſe cohibendam: quamobrem non immerito inquit, *ſi velis cohibere.* id eſt ſi plus juſto fluant, atque ex immoderato profluvio, expediat prohibere; nam id velle debet prudens Medicus, quod rationabiliter agendum expedit, ne ab evacuatione, quæ cæteroqui ſalutaris eſſe ſolet, in morbum aut vitæ periculum patiens adigatur, quemadmodum in catameniis immoderatis non raro mulieribus accidit.

Ea propter admonet cucurbitulam magnam ad ubera eſſe appo-

nendam, tum quia hoc medicamenti genus, prompte poteſt adhiberi, ne fluenti ſanguini induciæ præbeantur in vitæ perniciem, tum quia apud veteres frequens erat illarum uſus, ut deducitur ex eodem, *Lib. de Priſca Medicina & de Medico*: tum etiam quia medicamentum eſt de genere eorum, quæ extrinſecus adhibentur, & momento fere temporis opitulantur, unde Avicenna 2. 1. 3. tract. 3. cap. 4. *Ventoſam magnam* (inquit) *ſanguinem in una hora retinere*; & licet unius, ſed magnæ cucurbitulæ, hic meminerit Hippocrates, ut exinde maxima ſequatur ad mammas retractio, & vaſorum inde perreptantium compreſſio & constrictio, nihil tamen vetat, quin etiam plures & minores admoveri non poſſint, ſi fortaſſis major & amplior timeatur. atque cum ad mammas, hic dicat & *2. Epidem Sect. 6.* (unde Aphoriſmus hic forſan deſumptus eſt) ſcriptum ſit, mulieribus menſtruis cohibendis, cucurbitulam maximam adhibendam, anſa plerisque data eſt, num ſupra vel infra mammas admovendæ illæ ſint. Et quidem Galenus *in hoc Comment.* & Avicenna *cit. loco* infra & ſub mammas interpretantur, ubi venæ mammariæ cum uterinis conveniunt, & majorem videntur inter ſeſe inire conſenſum.

Verum ex hoc non recte evincitur, quamobrem non etiam ſupra mammas illæ poſſint admoveri, præſertim cum conſenſus hic non per venas, ſed per arterias potius habeatur, ut ex anatome jam ſatis conſtitit, quin imo ſanguis, poſt detectam ejus circulationem, per arterias ad uterum defertur, non per venas quæ deinde in hepar omnes contendunt. Attamen notabilis eſt obſervatio Joannis Ferdinandi Hertodii memorata *in Ephemerid bus Germanicis Anno 1. Obſ. 6.* qua uteri cum mammis conſenſus apertiſſime detectus eſt. Sed & cunctis notum, à mammarum iterata & aſſidua contrectatione, uterum ad ſui repurgationem ſollicitari, unde etiam experimur, emixas à ſuctu lactis, atque à fomentis uberibus applicatis, plurimum juvari puerperiorum evacuationem, indeque etiam exoriri majorem in natos affectum, ac nutricum in ſuos lactantes, etſi non à ſe ipſis genitos, parem matribus amorem ac benevolentiam, à frequenti ac diuturna, per illos mamillarum contrectatione & ſuctione, ob quam voluptuoſam illæ in utero percipiunt ſenſationem. Hinc quoque fit, cur ad unius defectum, altera evacuatio promoveatur, & ſupervenientibus menſtruis lactis profuſio diminuatur aut etiam deſinat. Cæterum cum occaſio tulerit,

ut

ut ad mammas cucurbitulæ ſint apponendæ, convenientius longe erit, atque ſecurius infra non ſupra mammas, illas admovere, ne ſubinde mammæ ipſæ tumefiant aut inflammentur, non ſine graviori periculo, neque inſuper ſcarificentur, ne ulcera exinde oriantur, quæ pectori & coſtis plurimum officerent. Per id temporis vero, quo cucurbitulæ mammis admoventur ſunt qui velint etiam obligandos eſſe poplites cum brachiis, ſubjecta iisdem lana, forte quia per has ligaturas, ſanguinis motus aliquantulum impeditur, ne vehementius per corpus excurrat. Unde idem Hippocrates *6. Epidem. 7.* docuit: *Sanguinis venarum ſuppreſſiones faciunt animi deliquium figura alterata, interceptio, linamentum intortum, appoſitio, ligatura.* Ar utilius erit iis interea medicamentis uti, quæ ſanguinem fluentem ſiſtere valent, quemadmodum ex Galeno eſt ſuccus plantaginis, & in praxi ſunt in uſu pulveres ex Cornu Cerv. uſto, corallis rubris, bolo armena, lapide hæmatite, colchotare vitrioli, croco martis adſtringente, atque ab opiatis innumera.

Quæres I. Cur antiqui antequam cucurbitulas applicabant, tam religioſe prius corpus multoties purgabant? ℞. Tunc temporis, non niſi in ſumma neceſſitate & in deploratis applicabantur, hodierno autem tempore ſæpiſſime. Unde ſi toties corpus purgandum foret, indeſinenter eſſet purgandum: præterea non ſubeſt ratio, imo irrationabile eſſet, ſi quis in ſumma uteri vel narium hæmorrhagia, aut ubi animi deliquia & ſyncopes adſunt, ante cucurbitularum applicationem purgare vellet.

Quæres II. Quot ſint genera cucurbitularum? ℞. Duo: *oblonga* quæ circulum habent anguſtum, ambitum parvum à Gallis *Cornets* dictæ & hæ trahunt à remotioribus partibus ſeu etiam internis: aliæ *latiores* & *concava ventoſa* dictæ & hæ magis ex cute tantum trahunt. & circa muſculos per ambitum operantur: Hæ rurſum ſunt vel *majores* vel minores.

Quæres III. Quod ſi cucurbitula applicata inducat ſpirandi difficultatem quid in hoc caſu ſit faciendum? ℞. Eam ſtatim amovendam eſſe.

Dices: Hippocrates in fluxu menſium immodico ligat poplites & coxas pro ſiſtendo ſanguine, quod huic Aphoriſmo videtur contradicere? ℞. Hoc fieri propter ſanguinis motum præpediendum & avertendum, ut nempe ſanguis, qui ad uterum fluit, ad venas illas magnas,

per os ſacrum & lumbos retrahatur. Hinc peſſime ſibi ſuiſque patientibus conſuluerunt practici, qui venas tali in ſimili caſu & hac intentione ſecuerunt, longe melius & efficacius faciunt, qui venas ſuperiores ſecant.

Aphoriſmus LI.

Quæ uterum ferunt, iis uteri os connivet, (vel ut alii) quæ utero gerunt, iis uteri os comprimitur.

Contentum ſeu Intentio.

De Statu uteri in gravidis.

COnnexio: Cum Hippocrates ſupra *Aphoriſmo 41 hujus Lib.* ex mulſæ potu edocuiſſet cognoſcere gravidam mulierem. In hoc præſenti Aphoriſmo, ad eandem graviditatem cognoſcendam aliud ſignum adfert valde notabile uteri oris conniventiam ſeu compreſſionem.

Hic Aphoriſmus ob nimiam brevitatem non dividitur.

Plura quidem a Medicis ſigna referuntur, quibus conceptio, atque uteri geſtatio dignoſci poſſit, ſed pleraque admodum fallacia. Hoc autem quod ab Hippocrate proponitur hoc loco, quaqua ratione fidelius videtur, eoque ductæ peritæ obſtetrices, de graviditate certius ſolent vaticinari, ſi nimirum os internum uteri occluſum tetigerint, atque univerſam ejus regionem molliter tumefactam percipiant: Ea namque eſt Naturæ in omnibus ſuis operibus ſolertia ut quoad fieri poſſit, quod ipſa molitur, perficiat & ab externis injuriis alterantibus tueatur, atque in ſuo robore cuſtodiat & foveat potiſſimum autem in hominis generatione, unde non ſolum fœtum ſuis involucris obtectum, & utero circumvallatum a quocunque externo alterante tutatur, ſed interno quoque uteri ore occluſo, ab ambientis aeris actuum nis defendere ſatagit. Et quamvis inſuper fætantibus aliquando hiare a pleriſque ſit creditum, id tamen ipſe nulla ratione crediderim, ſed potius quando hoc acciderit, præ nimia delectatione, ex iterato

con-

concubitu leviter aperiri, ut vim prolificam fœcundantis ſeminis ingenuus admittat, pro nova alterius fœtus conceptione, ſi forte alia, quæ à fœminis ſuggeri debent, parata ſint, & bene diſpoſita ut etiam advertit Hippocrates *Lib. de ſuperfœtat ou.* Quod autem à Leoniceno ſcriptum eſt, *uteri os comprimitur*, melius ab aliis vertitur, *connivet, conſtringitur* aut *corrugatur.* Quippe reipſa compreſſio nulla fit, ſed ſola interioris oris corrugatio & coarctatio, ſed adeo ſtricta & occluſa, ut neque ſpecillum admittat ut alibi Galenus adnotavit ex Herophilo 3. de naturalib. facultat. Cap. 3. Quamquam hæc pro varietate muliebrium conſtitutionum ſoleant, ac poſſint, non leviter etiam permutari.

Sed quomodo fit, ut nonnullæ adhuc poſt conceptum ad plures menſes ſoleant menſtruare, ſi uteri os internum occluditur? plane per alios ductus menſtrua, per id temporis prodire manifeſte deducitur ex anatomia, qua conſtat alias venas & alias arterias ad uteri cervicem protendi, unde ſanguis tempore geſtationis, prorumpit, veluti ſunt venæ illæ, quæ hæmorrhoidas uteri non raro excitant, ſi glutinoſiori & craſſiori ſanguine tumeſiant, & in ſuis valvulis diſtendantur, quemadmodum in varicibus; quod tamen rarum eſt. Poſtremo tumefactio iſta uteri, ejuſque oris occluſio in geſtatione, longe admodum differt à tumoribus præternaturam, qui utero contingere ſolent, ut eſt ſcirrhus, phlegmon &c. nam in his tumet uterus cum duritie, & non raro etiam cum dolore, ac ingenti calore; in iis vero cum mollitie, & citra cujuſvis ſenſionis moleſtiam.

Quæres. Utrum fœminæ gravidæ pati poſſint fluorem album? ℞. Eodem modo prout in contextu de ſanguine dixi, qui non ex utero ſed aliis ductibus, ſic pariter latex ſeu ichor in fluore albo, durante graviditate, affluens ex aliis extra uterum contentis ductibus vaſis vel glandulis prodit.

Aphoriſmus LII.

Mulieri gravidæ, ſi lac è mammis copioſe fluat, fœtum imbecillum ſignificat: Si vero firmæ ſolidæque mammæ fuerint, valentiorem fœtum ſignificat.

Contentum ſeu Intentio.

De Signis ſtatus fœtus è mammis.

Onnexio: Cum ſupra *Aphoriſmo 37* de gracilitate repentina mammarum abortum ſignificari dixiſſet. In hoc præſente Aphoriſmo, aliud fœtus debilis & futuri abortus à lacte ipſo, è mammis copioſe fluente argumentum & judicium deſumit.

Hic Aphoriſmus ſecundum duas concluſiones in eo contentas, in duas partes dividitur. Quarum *prima* docet copiam lactis in mammis, indicare fœtus imbecillitatem: *Secunda* vero tradit firmitudinem mammarum fœtus robur denotare.

Adnotat & recte Galenus *in Comment.* non quocunque menſe, ex prodeunte plurimum è mammis lacte, indicium imbecillitatis fœtus eſſe deſumendum, ſed eo tempore, quo ſolet effluere: Lac autem in mammis comparere ſolet, circa poſtremos menſes, cum jam fœtus adoleverit, & licet in nonnullis illud obſervetur circa quartum menſem, forte quia robuſtiores ſunt, & copioſiori alimento fruuntur, plerumque tamen non niſi poſt quintum vel ſextum menſem, lac è mammis prodire ſolet cum jam fœtus per os ſugere incipit contentum illum *in Amnio* liquorem. Hoc igitur tempore, ſi flaveſcentes mammæ lac effundant, fluidum nimis ac multum, fœtum indicant fore imbecillum.

Debet autem lac multum & fluidum ſeu ſeroſum effundi, nam ſi modicum & conſiſtens exprimatur, valentioris fœtus indicium erit; hinc *effluere* dixit Hippocrates, quod eſt ſponte ſua prodire, nulla adigente vi, mammas ad illius exitum comprimente; hac ſiquidem ratione indicatur lac ſeroſum nimium eſſe, adeoque malum, ut ſignum & ut cauſa: ut *ſignum* quidem, quia inde arguitur, ſimili alimento nutriri in utero fœtum, quod cum inutile ſit, & fluidum nimis, ad maturitatem illum perducere non poterit, ut *cauſa* vero quia lac non ex ſanguine, ut antiquioribus creditum, ſed à chylo provenit, hic vero effœtus, vapidus ac ſeroſus plus juſto, veluti ex languidis coctionibus, maliſque ſecretionibus dependens, non tam matri utero gerenti officit, quam fœtui, cui in alimentum cedere debet; is autem ſeroſo hoc & inutili alimento nutritus, neceſſe eſt, ut ſenſim elangueat, imo etiam ſuper

fluita-

fluitatibus aquoſis opprimatur. Perperam autem putarunt veteres lac malum e mammis effluens, indicium eſſe fœtus imbecilli, quia cum non niſi paucum ſanguinem in ſui alimoniam præ imbecillitate attrahat, majorem ejus partem in concoctum deſerit, quæ ad mammas confluens in lac commutetur & effluat; alioquin ſi multum traheret, atque in ſui nutrimentum converteret, modicus remaneret, ad mammas referendus, adeoque multum lac gignere non poſſet.

Hæc ſane commenta ſunt & falſis hypotheſibus innixa, imo Anatomicis obſervationibus omnino contraria.

Cum dixerit præterea Hippocrates, in ſecunda parte Aphoriſmi, ſolidas mammas fortiorem fœtum ſignificare, proculdubio tacite quoque ſubintelligere voluit, non ſolum lac ſeroſum nimis, & ſponte ſua effluxurum, ſed etiam mammas ipſas flaccidas, ac nimium laxas eſſe opportere, fieri enim vix poteſt, ut lac multum ſeroſum effluat, quin etiam glandulæ, quæ majorem in mammis ſtructuram faciunt, laxæ quoque non ſint, ut propterea lac ipſum continere nequeant, quemadmodum etiam in lactantibus iſtius modi experimur: Sed neque *duras* dixit ſed *ſolidas*, nam durities morboſam plerumque tumefactionem, ut in phlegmone & ſcirrho arguit: quamquam Celſus *Libr. 2. Cap. 7.* duras mammas cum ſolidis confundere non ſit veritus, cum hunc Aphoriſmum referens dixit: *Mulieri gravidæ, ſi lac è mammis profluit, imbecillum eſt, quod intus gerit, dura mamma ſanum illud teſtatur.* Atque hinc fit, quamobrem Hippocrates, in hac ſecunda parte, nihilum meminerit, lactis multum fluentis ſed ſolum dixerit, *ſi mammæ ſolidæ* fuerint: ſiquidem in priori Aphoriſmi parte, cum lacte fluente tacite comprehenſam quoque voluit mammarum laxitatem, ac flaveſcentiam; in ſecunda vero parte expreſſit mammarum ſoliditatem, nulla facta lactis fluentis mentione, quia illam implicite intellectam exiſtimavit, nam ſubdit: *fœtum ſignificant ſaniorem*, per comparationem ſcilicet, ad imbecillum antea memoratum, ſiquidem mammæ flaveſcentes & laxæ, lac ſeroſum effundentes, imbecillum ſimpliciter fœtum arguunt; ſolidæ vere licet lac pariter effundant, ſaniorem deſignant: at ſanum profecto oſtenderent, ſi ſolidæ ſimul forent, & lac non niſi expreſſum emitterent, illudque craſſiuſculum, unde robur mammarum lactificantium & alimenti perfectio ac elaboratio ſignificatur. Porro lac, quod primum comparet prope partum,

parum

purum omnino non eſt, ſed coloſtrum dictum, quemadmodum appellavit Plinius & Phavorinus apud Gellium. hinc deducere fas eſt conſenſum uteri cum mammis, non per venas ſed per arterias & nervos haberi, qui per glandulas vim & facultatem ſibi invicem communicant, ut propterea non ſolum liquorum irrorantium energia, ſed etiam partium componentium valida & firma conſtitutione fulciantur, & mutua ac reciproca affectione conſentiant. Unde apprime fieri ſolet, ut lacte è mammis dicto ſupra modo effluente, roborantia fœtum ſollicite propinentur.

Quæres: Quomodo præſens Aphoriſmus differat ab *Aphor. 37.* quia *Aphor 37. hujus Libri* de ſubita mammarum extenuatione agit: Præſens vero Aphoriſmus, de mollitie, quæ ex abundantia lactis fit; ideo ibi neceſſario abortus prædicitur, hic vero non neceſſario, ſed fœtus imbecillitas.

Plures hunc Aphoriſmum concernentes controverſias, ſi quis deſideraverit, legat Cardanum qui fuſe de hoc loquitur, & plures corripit commentatores.

Aphoriſmus LIII.

Quæ fœtum ſunt perditura, iis mammæ extenuantur: Contra vero duræ ſi fiant, dolor aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua fatigabit, nec abortiunt.

Contentum ſeu Intentio.

De Signis fœtus è mammis comparatis.

C*onnexio* Cum de robore aut infirmitate fœtus in priori Aphor. indicaſſet Hippocrates, ex mammarum affectione circa ipſum hic. In hoc Aphoriſmo præſente, ſurſum in iiſdem mammis, alteram aſſumit affectionem, gracilitatis vel duritiei.

Hic Aphoriſmus juxta duas concluſiones in duas partes dividitur: In *prima* dicit, ante omnem abortum extenuari mammas. In

ſecunda

ſecunda vero docet, duritiem mammarum non ſignificare abortum, ſed dolorem vel ad mammas, vel coxas vel oculos, vel ad genua.

Non tantum ergo à lactis fluentis copia & mammarum laxitate, fœtum imbecillum fore præſagiendum, ſed accedente earundem mammarum extenuatione ipſum aborſurum ſignificari hoc Aphor. ſubdit Hippocrates, quemadmodum *Aphoriſmo 38 hujus Libri* quoque dixerat, alterutra mammarum gracileſcente, alterutrum pariter geminorum fœtuum aboriri. Sed expreſſius *Lib. 1 de morb mulier.* edocuit: *quibus in utero habentibus, circa ſeptimum & octavum menſem repente tumor mammarum, & ventris concidit, nec non mammæ gracileſcunt, & lac non apparet, aſſerendum eſt puerum vel mortuum eſſe, vel vivere ſed debilem.* Ex quibus deducere nunc licebit, mammas non ſolum flacceſcere, ſed extenuari, cum abortus imminet, & quidem cum antea intumuerint, & lac in ſe ipſis colligere cœperint, quod non niſi ultimis menſibus graviditatis accidit: Id quod manifeſtius videtur comprobatum ex adjecta ſecunda Aphoriſmi parte, ubi dicitur, *ſi vero rurſus duræ fiant*; quo patet, illas antea ſolidas & duras fuiſſe, aliter qua ratione gracileſcere & extenuari dici poſſent, niſi prius intumuiſſent? unde autem tumor earum & ſoliditas indeque ex mala fœtus & uteri habitudine, laxitas & extenuatio inſequatur, jam ſupra eſt expoſitum. Verum tamen gracilitas hæc & laxitas mammarum, comparanda erit ad ſtatum graviditatis præcedentem, cum pleræque mulieres natura parvas, & graciles ſortitæ mammas, non multum tumidas illas habeant, etiamſi prægnantes ſint, & bene valentes; at vero ex imminenti abortu multo graciliores illæ fient. Parum autem refert, an multo antea ejusmodi mammarum incommodum patiantur, an etiam in ipſo abortu aut prope; quamvis Galenus *in Comment* ſemper illarum extenuationem præceſſiſſe ſe compertum fateatur.

Quod ad *ſecundam* Aphoriſmi partem, putat Galenus veriſimilius dictionem græcam *κάλιν* exponendam eſſe pro *ſecus* aut *contra* ut ſenſus ſit: *Si vero contra mammæ duræ fiant*, ac propterea, ut ipſemet ſubdit: *quod in toto dicitur Aphoriſmo ſit tale: mammæ quidem tenues omnino præcedunt fœtuum* corruptionem, & non poſſunt iſti corrumpi, hinc earum extenuatione præcedente, *duræ vero corruptionem quidem non ſignificant, ſed dolor quidem dictarum partium ad ipſas conſequitur:*

At oportet non ſolum dictionem hanc variari, ſed totius orationis ſenſum, nam ſi ſupra ſcribitur, *mammas extenuari*, procul dubio antea tumidæ eſſe debebant; & ſi ſolidæ ac duræ fiunt, antea flaccidæ erant: Si præterea duræ perſiſterent, in utroque caſu, quomodo ſimul etiam extenuatæ & graciliores fierent, attenta potiſſimum earundem mammarum glandulosa conſtitutione & textura? Quod ſi revera duræ fiant mammæ, duritie penitus morboſa, qualis in tumoribus præternaturam, tunc alia de cauſa, & fortaſſis etiam in mammis particulatim hærente, dolores accident, adeoque utero bene ſe habente, neque abortus conſequetur. Cæterum comparata in univerſum mammarum ſoliditate, cum earundem laxitate, ac extenuatione, gravior ſemper hæc ad partum, levior illa cenſenda eſt.

A recurrente autem mammarum duritie, dolores accident, vel eaſdem infeſtantes, vel coxas, vel oculos, aut genua, ſicque abortus non ſequetur, quoniam pravi humores ab utero in has partes, veluti per metaſtaſin delati, immunem illum deſerunt, & alias partes, ſua corpulentia deturpant, & quidem in eas potiſſimum, quæ ſpecialius cum eodem conſenſum ineunt, vel aliqua ratione cohærent, aut propter languorem excipiendis humoribus conſentientia fiunt, ut experimentis conſtat, atque ex Anatomia palam fit. quamobrem idem Hippocrates pluribus in locis, recenſuit pravorum iſtiuſmodi humorum decubitum modo in coxas ut *1. & 2 de morbis mulierum & Lib. de natura mulíebri* modo in genua, poplites & crura, ut *eodem 2 de morbis mulierum & Lib. de ſuperfœtatione*, quandoque etiam in oculos ut dicitur *eodem Lib. de ſuperfœtatione & de natura mulíebri* & alibi, quæ omnia loca vel apud Hippocratem vel apud Cardanum hoc Aphoriſmo legi per extenſum poſſunt. Ejuſmodi autem reciprocum affluxum è viſceribus naturalibus, ad articulos, muſculos & nervos, ac viceverſa, jam ſatis oſtendunt colicæ, hypochondriacæ & hyſtericæ paſſiones, mutuo cum articularibus doloribus reſpondentes. Porro uterus ſpeciatim per carnoſas fibras peritonæo alligatur, per ligamenta lumbis, coxis & inguinibus, per nervos tum è vago pari, tum è vertebris oſſis ſacri & per arterias & venas, & vaſa lymphatica, cum reliquis omnibus partibus corporis, conſenſum init, ut liquet ex Anatomia.

Cæterum interpretes unanimis ſunt ſenſus, dolorem in mammillis, oculis, coxis, genibus ſed plerumque absque abortu fieri, adeoque me-

liorem.

liorem ſemper eſſe indurationem quam extenuationem mammarum: durities enim eſt ſignum abundantiæ, extenuatio defectus, facilius autem eſt demere quam addere, ſecutiusque replere quam inanire.

Cardanus occaſione hujus Aphoriſmi, ejus potiſſimum partem ſecundam concernendo, invehitur in Galenum, quod eandem tot ambagibus diſtraxerit, quæ aliunde ſimpliciter erat interpretanda; quod ſi nempe cauſæ quæpiam, puta dolores ex caſu vel contuſione, vel febris, vel malum medicamentum, vel media, mammas extenuare ac molles reddere cæperint, inde confirmato fœtu, & cauſa deſinente, mammæ rurſum dureſcant, palam eſt non abortire nec corrumpere fœtum, ſed dolor aut mammas aut oculos aut coxas aut genua infeſtabit, ut mox ſupra dictum.

Plura qui ſuper hoc Aphoriſmo ſcitu curioſa & controverſa deſideraverit, Cardanum legat hoc loco & commento.

Aphoriſmus LIV.

Quibus os uteri durum eſt, iis os uteri coarctetur (vel ut alii comprimatur) eſt neceſſe.

Contentum ſeu Intentio.

De utero præternaturaliter clauſo.

Connexio: Cum ſupra Aphoriſmo 51. de naturali uteri clauſura poſt conceptionem egiſſet: in hoc præſente Aphoriſmo, de clauſura ſeu coarctatione ejusdem oris uteri agit, quæ præternaturam contingit. Hic Aphoriſmus ob brevitatem diviſionem non admittit.

Cum ergo præcitato Aphoriſmo 51. Hippocrates dixerit, in utero gerentibus os uteri internum comprimi ac coarctari; ne quis autem inde putaret ex illius compreſſione & occluſione perpetuum atque infallibile conceptionis indicium eſſe deducendum, ideo in hoc præſente Aphoriſmo ſubdit & declarat, ex oris illius duritie ſolam compreſſionem neceſſario eſſe colligendam, quæ ſi præ exſtiterit, conceptioni potius impedimento erit; quamobrem ut antea etiam eſt animadverſum,

 niſi

niſi uteri occluſio fiat cum ejusdem mollitie,& citra quemcunque dolorem, conceptum fœtum nullatenus indicabit; itaque ſi durum ac renitens admodum illud percipiatur, alia de cauſa occluſio illa procedet, adeoque morboſa eſſe poterit.

Fit autem durū os uteri internum, non raro ex tumore præter naturam ibidem inducto, potiſſimùm autem ab inflammatione & ſcirrho, aut etiam a callo, vel ulcere calloſo ut dicitur in *lib. de Sterilibus*. undè deducere eſt, occluſum uteri os conceptionem deſignare, ſi cum naturali ejusdem partis mollitie conjungatur, citrà dolorem, ardorem, aliudque ſimile ſymptoma, contrà vero cum duritie, & memoratis ſymptomatibus conjunctum tumorem præternaturam, aut etiam callum ſignificare, quamobrem licet compreſſionem & occluſionem ejusdem neceſſario arguat, non tamen perpetuo ab uteri geſtatione oritur; Sed & in obeſis plus juſto, quibus omentum pinguius redditum elongatur, & procidit in anticam uteri Regionem, illius os præcluditur, ut antea dictum eſt; itemque in hydrope uterino affectis aliisque ſimilibus, verùm in his, aut uteri os non omnino occluſum eſt, aut molle nimis, & aquoſa ac fluctuanti humore repletum, ideoque tactui prementi cedens, præter plura alia indicia, morboſam Patientis conſtitutionem atteſtantia, de quibus hic ſermo non eſt. Dignoſcitur autem iſta durities ſuadente Hippocrate contactu, ſed peritam & expertam requirit obſtetricem.

Quæres: Quomodo huic clauſuræ præter naturam medendum ſit? ℞. Per inſeſſus emollientes, injectiones, clyſteres uterinos nempè ex decocto radicis bryoniæ & emollientium factos: poſſunt etiam fieri peſſaria oblonga & unguentis emollientibus inuncta inungi.

Aphoriſmus LV.

Quæ geſtantes uterum febribus corripiuntur, & vehementer ſine cauſa evidente extenuantur, ea difficulter & cum periculo pariunt, aut abortientes periclitantur.

Con-

Contentum ſeu Intentio,

De Prognoſi febrium in Gravidis.

CONNEXIO. Hic Aphoriſmus connectitur vel cum *Aphoriſmo 44. hujus Libri* in quo dixit Hippocrates, extenuatas mulieres præternaturam abortire, donec craſſeſcerent ſeu habiliores evaſerint: vel cum Aphoriſmo 30. in quo docuit, mulierem gravidam, morbo quopiam acuto corripi, lethale. In hoc præſente Aphoriſmo tangit eandem materiam, ſed univerſaliori modo, atque cum aliis circumſtantiis, addendo febres, ſi illis nempe accidant, inquit, difficulter parere, aut abortientes periclitari.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur.

Dixerat ergo Hippocrates in duobus modo citatis Aphoriſmis de abortus & vitæ periculo, quod & in hoc præſente Aphoriſmo confirmat; crediderim tamen ibi, præſertim Aphoriſmo 30. ſpecialius in utero, in hoc vero præſente Aphoriſmo, ex reliquo corpore morbos gravidarum perpendiſſe ab utero remotas. Quoniam vero ibi *lethale*, in hoc autem Aphoriſmo *periculoſum* inquit, unde credo, non de febribus ardentibus, quæ acutiſſimæ ſunt, ſed de aliis levioribus locutum in quibus licet difficultas patiendi, aut abortus timendus ſit, non tamen mors certo immineat, quemadmodum de acutis morbis meminerat, & ab ardentibus febribus procul dubio ſequeretur.

Hinc ſententiam hanc congruentius exponerem cum iis, qui loco *fortiter caleſiunt* (uti quidam in textu ponunt) potius legendum ſuadent *fortiter ſeu vehementer extenuantur*: hac enim ratione melius explicabitur, quamobrem non penitus ſint perituræ, & quomodo abſque manifeſta occaſione incaleſcant, & qua de cauſa diſtinctis dictionibus, excalefactionem immoderatam a febribus ſejunxerit, miror autem unde ſibi perſuaſerit Cardanus, robuſtas mulieres facile Epialas febres ſufferre poſſe, quas inter graviores & periculoſiores recenſuit Galenus *6. Epidem comment. 1. text. 29* Illas cum hæmitritæis & continuis enumerans. Itaque longe rationabilius erit, ſi dicatur, utero gerentes febribus correptas difficulter parere & periclitari,

niſi uteri occluſio fiat cum ejuſdem mollitie, & citra quemcunque dolorem, conceptum fœtum nullatenus indicabit, itaque ſi durum ac renitens admodum illud percipiatur, alia de cauſa occluſio illa procedet, adeoque morboſa eſſe poterit.

Fit autem durũ os uteri internum, non raro ex tumore præter naturam ibidem inducto, potiſſimùm autem ab inflammatione & ſcirrho, aut etiam à callo, vel ulcere calloſo ut dicitur in *lib. de Sterilibus*. undè deducere eſt, occluſum uteri os conceptionem deſignare, ſi cum naturali ejuſdem partis mollitie conjungatur, citrà dolorem, ardorem, aliudque ſimile ſymptoma; contrà vero cum duritie, & memoratis ſymptomatibus conjunctum tumorem præternaturam, aut etiam callum ſignificare, quamobrem licet compreſſionem & occluſionem ejuſdem neceſſario arguat, non tamen perpetuo abuteri geſtatione oritur, Sed & in obeſis plus *juſto*, quibus omentum pinguius redditum elongatur, & procidit in anticam uteri Regionem, illius os præcluditur, ut antea dictum eſt; itemque in hydrope uterino affectis aliisque ſimilibus; verum in his, aut uteri os non omnino occluſum eſt, aut molle nimis, & aquoſa ac fluctuanti humore repletum, ideoque tactui prementi cedens, præter plura alia indicia, morboſam Patientis conſtitutionem atteſtantia, de quibus hic ſermo non eſt. Dignoſcitur autem iſta durities ſuadente Hippocrate contactu, ſed peritam & expertam requirit obſtetricem.

Quæres: Quomodo huic clauſuræ præter naturam medendum ſit? ℞. Per inſeſſus emollientes, injectiones, clyſteres uterinos nempè ex decocto radicis bryoniæ & emollientium factos: poſſunt etiam fieri peſſaria oblonga & unguentis emollientibus inuncta inungi.

Aphoriſmus LV.

Quæ geſtantes uterum febribus corripiuntur, & vehementer ſine cauſa evidente extenuantur, ea difficulter & cum periculo pariunt, aut abortientes periclitantur.

Con-

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi febrium in Gravidis.

Connexio. Hic Aphoriſmus connectitur vel cum *Aphoriſmo 44. hujus Libri* in quo dicit Hippocrates, extenuatas mulieres præternaturam abortire, donec craſſeſcerent ſeu habiliores evaſerint: vel cum Aphoriſmo 30. in quo docuit, mulierem gravidam, morbo quopiam acuto corripi, lethale: In hoc præſente Aphoriſmo tangit eandem materiam, ſed univerſaliori modo, atque cum aliis circumſtantiis, addendo febres, ſi illis nempe accidant, inquit, difficulter parere, aut abortientes periclitari.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur.

Dixerat ergo Hippocrates in duobus modo citatis Aphoriſmis de abortus & vitæ periculo, quod & in hoc præſente Aphoriſmo confirmat, crediderim tamen ibi, præſertim Aphoriſmo 30 ſpecialius in utero, in hoc vero præſente Aphoriſmo, ex reliquo corpore morbos gravidarum perpendiſſe ab utero remoras: Quoniam vero ibi *lethale*, in hoc autem Aphoriſmo *periculoſum* inquit, unde credo, non de febribus ardentibus, quæ acutiſſimæ ſunt, ſed de aliis levioribus locutum in quibus licet difficultas pariendi, aut abortus timendus ſit, non tamen mors certo immineat, quemadmodum de acutis morbis meminerat, & ab ardentibus febribus proculdubio ſequeretur.

Hanc ſententiam hanc congruentius exponerem cum iis, qui loco *fortiter caleſiunt* (uti quidam in textu ponunt) potius legendum ſuadent *fortiter ſeu vehementer extenuantur*: hac enim ratione melius explicabitur, quamobrem non penitus ſint perituræ, & quomodo abſque manifeſta occaſione incaleſcant, & qua de cauſa diſtinctis dictionibus, excalefactionem immoderatam á febribus ſejunxerit, miror autem unde ſibi perſuaſerit Cardanus, robuſtas mulieres facile Epialas febres ſufferre poſſe, quas inter graviores & periculoſiores recenſuit Galenus *6. Epidem comment. 1. text. 29* Illas cum hæmitritæis & continuis enumerans Itaque longe rationabilius erit, ſi dicatur, utero gerentes febribus correptas difficulter parere & periclitari,

ſi ſimul una magnopere extenuentur, & abſque ulla manifeſta occaſione, puta inedia, vigiliis, evacuationibus, aliiſque extenuare valentibus.

Hac quippe ratione plane conſtabit, tum à febre ad plures dies producta, tum à cauſa interna ſeu affectione extenuante, non tantum utero gerentem, ſed & fœtum ipſum vehementer debilitari, unde partus deindè difficilis conſequatur, ac propter virium languorem, non ſine vitæ periculo. Quod ſi fætus ferendo non ſit, ut in tempus partûs producatur, procul dubio aborietur, & ſimul cum illius interitu, patiens ipſa periclitabitur.

Ex his modo deducere licebit, febres hoc loco memoratas, de genere earum exiſtimandas eſſe, quæ à materia humorali dependent, exceptis ſolum Ephemeris ſimpliciter dictis, quæ cum non niſi diem unum & alterum perdurent, profectò ingentem noxam utero gerentibus afferre nequeunt, aut cum extenuatione citra cauſam manifeſtam copulari, quare à pravis humoribus progenitæ, utero gerenti & fœtui detrimento ſunt, unde idem Hippocrates *2. Apher. 28* animadvertit febricitantium corpora, plusquam ratio poſtulat, contabeſcere, malum eſſe quippe quia imbecillitatem, vel, ut aliis placet pravitatem ſignificat; Ideo non quælibet extenuatio, ſed quæ notabilis & vehemens eſt, effectus mox dictos efficere poterit.

Dices Si ex cauſa prægreſſa extenuatio fiat & febris perſeveret ſequi etiam ad cauſas manifeſtas Ergo male dictum ſine cauſa manifeſta: ℞. Non ſequi tunc neceſſario, ſed tantum ſi ſine ea fiat; Rem dabimus clariorem mox in quæſtione ſecunda

Quæres I. Cur tantæ febres in Gravidis ſint periculoſæ? ℞. Quia alimentum quod in lentis febribus concedi debet febrim auget, & media quæ tolerari in iiſdem non poteſt, fœtum debilitat aut necat, præterea vitium humorum indicat evacuationem, fœtus eandem prohibet: unde gravidas curare & difficile & periculoſum eſt

Quæres II. Quomodo ergo hoc: *Sine cauſa ſeu occaſione manifeſta* intelligendum ſit? Reſpondet Cardanus 1. quod etiam, ſi acutæ febres adſint, omnia hæc evenire aut alterum neceſſe erit: Reſpondet 2. ſine occaſione ſeu cauſa manifeſta Hippocratem intelligere ne ob cauſam antecedentem & procatarcticam ſeu occaſionalem

nem aut evidentem febricitet ; tales enim febres diu durare non ſolent & facile remediis depelluntur , cum firmam ſedem non habeant v. g. quales ſunt febres ex caſu, terrore, &c.

Aphoriſmus LVI.

Sit in muliebri profluvio, convulſio, & animi defectus ſuperveniat, malo eſt.

Contentum ſeu Intentio.

De prognoſi menſium immodicorum.

Connexio. Cum Hippocrates ſupra in Aphoriſmo 4. hujus Libri in univerſum vituperaſſet convulſionem & ſingultum in omni fluxione,& Aphoriſmo 50 cucurbitam admovendam eſſe mammis præcepiſſet , ad prohibendam nimiam ſanguinis ſeu menſium effuſionem; In hoc præſenti Aphoriſmo,proponit duo ſympromata, valde periculoſa, quæ ſupervenire ſolent, ad muliebrem fluxum qui ſuperfluus eſt,& ſiſti nequit.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem & ſimplicem concluſionem , nullam patitur diviſionem.

Num autem Hippocrates, revera de fluxu muliebri proprie dicto id eſt fluore albo ; An vero de copioſo menſtruorum fluxu ſcripſerit hunc Aphoriſmum , dubitare contingit apud expoſitores, & quidem in utramque partem propendere, ſuis non caret argumentis, At vero quoniam Aphoriſmo 3. hujus libri dixerat : *ubi ſanguis multus fluxerit,ſingultus aut convulſio ſuperveniens, malum*, probabilius videtur,non hic quamcunque ex Utero ſanguinis evacuationem illum intellexiſſe , ſed eam ſpeciatim quæ non ſynceri ſanguinis, ſed corrupti,ac ſanioſi humoris eſt,qualem deſcripſit Ætius *Tetrabibl. 4. ſerm, 4.cap. 65.* Atque ex Archigenis ſententia uteri deſtillationem appellavit eaque Galenus Boethi Uxorem affectam retulit *Lib de prænotione ad Poſthumum* : Utcunque autem res ſe habeat,plane fit,ut quamcunque immodicam evacuationem , undecunque procedentem,

tem,conſequens convulſio,animi defectus, malum ſit,& longe deterius cenſeatur,ſi ab utero,plurimis nervis referto, atque cum principalioribus partibus corporis conſentiente,proveniat; nam morbi iſti ſuapte natura perniciosi ſunt, ut qui vitæ cuſtodes nempe ſpiritus male affectos arguunt,quin imò vires infringunt, ipſumque vitæ fomitem perdunt recte autem monitum eſt à Galeno *incomment* non ſtatim hæc in recenti fluore advenire, *ſed cum vel vehementior fuerit, vel diu perduraverit.* Unde hæc convulſio ab inanitione ſemper mala,imo ut ſupra diximus peſſima eſt, & ut cauſa & ut ſignum: ut *ſignum* quia ex ſiccitate ſeu inanitione ut *cauſa*, quia corpus angit magis & torquet. Verum non ita animi defectus,quia animi defectus,ut experientia docemur, ſolet eſſe remedium ſanguinis nimii effluxus, niſi vehemens ſit & diu duret,at ut *ſignum* ſemper etiam malus eſt.

Cæterum Hippocrates *Lib 2. de morb mulierum* accidentia & ſigna narrat quæ copioſæ huic effluxioni menſium ſupervenire ſolent: primo enim dolores accidunt clavicularum ac tendinum, & corporis torpor,& crurum perfrigeratio & ſi amplius ſanguis deſcendat, ſudor multus diffunditur; ad hæc ſtomachi morſus fiunt, & perfrigerationes,febres,rigores,convulſiones, dolores ad inguina,quaſi partus,urinæ ſtillicidium,ſitis,lingua aſpera,contractiones digitorum, pedum & ſurarum; deinde diſtenſiones totius corporis, ad quas mors ſuccedit Potiſſimum autem iſtæ ſanguinis effuſiones fiunt ab utero,ex abortu, vel ex partu, aut diuturna menſium retentione, aut ex febribus ut Hippocrates ibidem docet

Quæres Quomodo hic fluxus immodicus, differt à fluxu bene ordinato ſeu menſium ordinario? ℞. Differt materia, colore, qualitate, quantitate, periodo & excernendi modo. Nam materia magis eſt ſeroſa aut bilioſa aut phlegmatica, colore pallido vel albo vel viridi: qualitas toto genere præter naturam, copia excedens, periodus incerta, nullus ordinatus excernendi modus, quia fit cum continuo plerumque dolore & penitus in diſuete.

Apho-

Aphoriſmus LVII.

Menſtruis abundantibus (ſeu ſi menſtrua plura fiunt) morbi eveniunt, & ſubſiſtentibus (ſeu ſi non fiant) accidunt ab utero morbi.

Contentum ſeu Intentio.

De menſibus quantitate peccantibus.

Connexio: Cum Hippocrates in præcedenti Aphoriſmo affectus quoſdam ſuperfluis menſtruis ſupervenientes nempe convulſionem & animi defectum recenſuiſſet; In hoc præſente Aphoriſmo univerſaliter dicit morbos uteri fieri à menſtruis ſuperfluis & deficientibus.

Hic Aphoriſmus duas habet partes juxta duas concluſiones: quarum *prima* dicit ex redundantia menſium morbos cauſari *Secunda* vero ex eorum ſuppreſſione morbos ex utero fieri, Medioeritatem cunctis in rebus laudabilem eſſe, nemo eſt, qui non fateatur, ac magnis laudibus non deprædicet, unde effata illa notiſſima: *Medium tenuere beati* Item *Virtus in medio*. Item Terentii *Ne quid nimis*: Et tandem illud Horatii.

Eſt modus in rebus ſunt certi denique fines,
Quos ultra, citraque nequit, conſiſtere rectum,

Eandem autem pluribus in locis ad naturæ tuitionem ſeu tutelam & ſanitatis incolumitatem ſervandam, paſſim quoque commendavit Hippocrates, ut propterea ſcripſerit, *6 Epidem ſect. 6 labor, cibus, potus ſomnus, venus, omnia mediocria*. Quod & ſæpius repetit in libris Aphoriſmorum. Hic vero ſpeciatim in fœminis menſtruas purgationes conſiderans, illas modum non ſervantes, omnino vituperat, & cum affluenter prodeunt, & cum penitus ſupprimuntur, ea tamen differentia, ut ſi large profluant, morbo indefinite ſuccedere, ſi detineantur, ex utero particulariter provenire decernat.

Eveniunt plane morbi, fluentibus large menſtruis, plerumque

vitio totius, quoniam malam ſanguinis Diatheſim ſæpiſſime conſequantur. Non enim alia de cauſa ſanguis affluenter funditur, niſi quia vitioſus eſt, puta acer, acidus, ſalſus, ſeroſus, qui propterea, impeſſit in vaſa uteri facto, viam ſibi aperit, & quandoque non tantum oſcula vaſorum laxat & dilatat, verum etiam erodit, & tantum non dilacerat; cumque vitioſus ille ſanguis, per univerſum corpus excurrens, impetum deinde ſpeciatim faciat in uterum, proinde eſt quod Hippocrates, indefinite dixerit morbos exinde ſuboriri, nulla de particularis viſceris Dyſcraſia, mentione facta. Verum non hinc uterum quis ab iſtiuſmodi labe, immunem opinetur, cum adhuc, ſolus ipſius vitio, id ipſum haberi poſſit, ſi potiſſimum peculiari aliquo morbo ſit affectus, aut occulta ſui fermenti depravatione contaminatum, quamobrem ſæpius uteri ſcirrho laborantes, aut ex glandulis ejusdem tumefactis, obſtructis, laxatis, & eroſis, male ſe habentes, profluvio ſanguinis ad annos integros vexatas vidi, imo doloribus vehementiſſimis, & ſpaſmodicis affectionibus cruciatas. At vero in menſtruorum ſuppreſſione, defectus hic videtur omnino aſſcribendus utero, aut quia illi ſanguinem non admittit, aut illapſum excipit, & detinet: Non admittit autem, quia in ſuis vaſis obſtructus, aut debito fermento privatus, repurgationi, & ſecretioni ineptus evaſit, cum alioqui velut ſentina totius corporis exitum ſanguineis recrementis debeat, promptiſſime exhibere; quapropter ſi illa recipiet lente & aliorſum reniteant, ejus defectui, tunc optimo, conſequentes morbi tribuuntur: Quod ſi, ille excipiat quidem, ſed præ craſſitie ac lentore deponere poſtmodum non poſſit, procul dubio ibidem hærentia, graves morbos excitant, qua … eodem habentes ab illo male affecto procedere dic … ectionibus,
tumoribus aliuſque uterinis affectibus … anus menſtruorum repurgatio impedita m … ento ſanguinibus poſſit, debet tamen ute … na natura ſit repurgandis menſibus deſtin … defunguntur ejus
culpæ iſtiuſmodi defe …
bet. Deficit autem …
calitate, aut co …
tura, aliave ind …

Quina … tunc ex
… non

non fluentibus menſtruis oriundi, non facile omnino eſt determinare cum & Hippocrates ipſe, licet plurimos recenſuerit, in *lib. de morbis mulíebri m, & 2 Epidem ſect. 3* & alibi, non tamen omnes penitus eſt complexus, nam nulli non ſunt, qui ex ipſis, in codice fluentibus, vel diminutis aut omnino ſuppreſſis orti non poſsint, ut experientia demonſtrat, unde jure optimo ſcripſit ad eundem Hippocratem, Democritus *Epiſtola de Natura humana*, innumerabilium ærumnarum Authorem eſſe uterum, cum & revera dolores capitis acerbiſsimi, Epilepſiæ, Apoplexiæ, Lethargi, Convulſiones, Catalepſes, Phrenitides, inflammationes, cæcitates, ſurditates, angina, Aſtmata, hæmophtiſes, Peripneumonia, Palpitationes, Vomitus, & alia plurima mala, ex illo proficiſci conſueverint, ut hiſtoriis & Anatomicis obſervationibus eſt compertum. At vero quamvis innumera ſint mala, ex utero progigni ſolita, ſpecialiora tamen Hippocrates *citato Lib. de morbis mulíebrium* recenſuit, ſive copioſius quam par ſit, effluant, ſive diutius remorentur, & ſuppreſſi menſes ſiſtant. Ut autem quis de eorundem immoderato exitu judicium ferre poſſit, ſtatuit ibidem in omni muliere ſana, duarum heminarum Atticarum menſurarum id eſt libram unam ſemis, ſeu uncias octodecim, excedere non debere, idque ad duos vel tres dies, longius autem aut brevius tempus morboſum eſſe, Verum tamen hæc plerumque variant etiam ſalubriter, pro varia fæminarum habitudine, ætate, victus ratione, exercitatione & ſimilibus, nam pleraſque videre contingit, quæ ad plures dies abundantius menſtruare ſolent, & cum maxima corporis Euphoria, ut etiam Hippocrates ibidem innuere videtur. Facta autem comp[illegible] inter eas, quibus menſes affluentius prodeunt, ac profluvio [illegible]fici contingit, aut ex adverſo ſuppreſſi ſunt, longe pertgrotant primæ, quippe quæ immodicam evacuationem [illegible]erre nequeuntes, tandem decolores redditæ, cachecticæ [illegible]opicæ, hyſtericæ febricitantes, vel quod gravius ſynco[illegible]ccumbunt, & vita deficiunt, vel ab extra Scir[illegible]s &c. afficiuntur, contra vero, quibus ſanguinis [illegible]pprimitur, licet in eadem & ſimilia mala procidant, in longius tamen protrahuntur, adeo ut [illegible]cubat, famulam quandam *4. Epidem.* ſeptem an[illegible]ie.

Porro mirari ſubit, quamobrem Hippocrates *cit. lib. de morbis mulebr.* ſcriptum reliquerit *detenta per ſex menſes menſtrua incurabilia fieri*, cum cæteroquin ex praxi pluries innotuerit, nonnullas ex adverſo convaluiſſe, alias etiam concepiſſe, & vitales partus edidiſſe, niſi aliunde uterus, in ſua conſtitutione laxatus, ineptus evaſerit conceptioni & graviditati: meminit quidam Author, ſe aliquando obſervaſſe mulierem quadragenariam aſcite laborantem, quæ tamen ſuo fœta matro, non ſolum fœtum maturavit, ſed non ſine admiratione, puellum exacte formatum peperit, licet tandem, non repurgatis ſufficienter lochiis, & aqua in abdomine detenta, poſt plures hebdomadas perierit.

Porro animadvertendum morbos a non fluentibus menſibus tum ſolum evenire, cum alias illi fluere deberent. Incipiunt autem naturaliter fluere, cum mulieres conceptioni, & generationi aptæ fiunt, id quod plerumque accidit, circa decimum quartum annum, & licet aliquibus ante & poſthæc tempora erupuerint, Nam aliquando ſtatim ab incunabulis, quandoque vero poſt vigeſimum primum annum apparuerunt; hoc tamen illis præter morem, atque ex morbo aliquo accidiſſe dicendum: Ita quoque deſinere conſueverunt ſeptimo aut (quod ſummum) octavo annorum ſeptenario, quamvis pleræque ad ſexageſimum annum & ultra menſtruas purgationes ſubiiſſe perhibeantur: Quare pro diverſa fæminarum conſtitutione, prudens Medicus, de ejuſcemodi menſium eruptione, aut defitione, promota nimium, vel impedita conjiciet, num morboſæ ſint, aut proxime in morbos ſint lapſuræ, atque certiora indicia deſumet ab his quæ idem Hippocrates memorat *cit. lib. de morb. mulicbr.* puta doloribus, tumoribus, obſtructionibus, febribus, contra vero ſponte Naturæ deſiiſſe pronuntiabit, ſi citra quamcunque uteri ægritudinem & nulla ſubſequente febri, aliave cordis, cerebri, aut ſtomachi moleſtia, certa præſertim ætate ſenſim ſenſimque defecerint. Quæ denique purgationes à partu fiunt, & proprie lochia aut puerpera dicuntur, longe admodum a menſtruis differunt, adeoque ad præſentem hunc Aphoriſmum nullatenus pertinent.

Mala demum, quæ per ſingulos menſes patiantur fæminæ, explicuit idem Hippocrates *pract. lib. de morb. mulier.* videlicet febres, hor-

horrores, lumborum dolores, ſuffocationes, duritiem ventris, faſtidium cibi, vigilias, anxietates &c.

Objectiones & difficultates in contextu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus LVIII.

Ad recti inteſtini & uteri inflammationem, purulentoſque, Renes ſuccedit urinæ ſtillicidium: Iecori vero inflammatione laboranti ſupervenit ſingultus.

Nota. hic Aphoriſmus repetitur infra Libro 7. Aphoriſmo 17.

Contentum ſeu Intentio.

De Accidentibus inflammationem Viſcerum infimi ventris.

Connexio: Cum in priori Aphoriſmo Hippocrates dixiſſet, morbos fieri ex utero: In hoc præſente Aphoriſmo, captata occaſione, loquitur de ſymptomatibus, quæ ad uteri mala & vicinarum partium ſequi ſolent.

Hic Aphoriſmus duas ponit concluſiones, & ſecundum has in duas partes dividitur. *Prima* docet Stillicidium urinæ ſupervenire ſolere ad inflammationem recti inteſtini & uteri atque ad purulentos Renes. *Secunda* vero dicit ſingultum ſequi ad jecoris inflammationem.

A ſuppreſſis menſtruis ſi fortè ſanguis ita in utero reſtagnet, ut exciter inflammationem, non ſolum inde febres, dolores, anxietates, aliaque id genus communia ſymptomata, inflammatorias febres comitantia orientur, ſed compatientibus vicinis & adjunctis partibus, alia ſpecialiora ſuſcitabuntur, quæ eorundem nexum arguunt, & partem ſpecialiter affectam deſignant, quamobrem hoc Aphoriſmo Hippocrates, ab inflammato recto inteſtino aut utero, urinæ ſtillicidium evenire animadvertit; ſicut

ſicut pariter à purulentis renibus: ab hepate vero inflammato ſingultum.

Et quidem urinæ ſtillicidium advenire, recto inteſtino, aut utero inflammationem patiente, affecta inde veſica, quæ utrique proxima & conjuncta eſt, palam fit ex Anatomia, qua conſtat veſicam uteri cervici ſuperincumbere, atque inteſtino recto alligari, ut propterea ad utriuſque partis læſionem, prompte quoque ipſa compatiatur. Quamobrem experimur in gravidis, à tumefacto utero, veſicam comprimi, atque urinam in illa collectam diutius aſſervari non poſſe, ſed ſtatim egeri, quo circa utero gerentes micturire coguntur. In fæcum autem, præſertim duriuſcularum, egeſtione, ex nimio & frequenti conatu, etiam veſica crebrius ſollicitatur, ut modicam adhuc urinam quantocyus expellat: Si ergo hæc etiam morboſas cauſas, & veſicæ morbos accidunt, ut urinæ ſtillicidium innotatur, quam gravius & moleſtius aſſici continget, cum partes illæ in inflammatione laboraverint, non ſine pravorum ſuccorum acrimonia atque irritatione.

Id ipſum evenire obſervamus, à renibus purulentis, cum nimirum urina inde tranſcolata, & pure ſuapte Natura mordicante, & acribus particulis, muriatico-acidis referta, in veſicæ cavum deponitur, & ſtillicidium excitat. Animadverſione dignum eſt quod Hippocrates, non inflammatos, ſed purulentos renes hic notaverit, ſeu ex contracto ibidem ulcere, ſuppuratos, quoniam ab inflammatione renum, potius dyſuria vel iſchuria fit, quam ſtranguria, quippe ab inflammatis renibus, coarctatis ſcilicet & occluſis ductibus, præterfluenti ſero tranſitus omnino denegari ſolet, unde iſchuria, & ſi fortaſſe adhuc illud effluit, collectum deinde in veſicæ cavo, per urethram commode atque affluenter reddetur, non autem ſtillabit, ut in ſtranguria fit, de qua hic ſigillatim Hippocrates meminit. Quin & rariſſime accidit, utrumque renem inflammari, ut exinde urina tale vitium contrahat, & ſtillicidium pariat; at vero ab alterutro rene ſuppurato ac purulento, urina manabit, multo & craſſo pure ſatura, unde non libere, per anguſtum urethræ orificium ferri poterit, adeoque guttatim educetur, & ſimul ſua acredine ſphincterem muſculum vellicabit, & ad micturiendum laceſſet.

Verum quamvis Hippocrates hic dicat, ab inflammato recto inteſtino aut utero, nec non a purulentis renibus urinæ ſtillicidium exoriri, non tamen deducere licebit, è converſo urinæ ſtillicidium ac ſtranguriam

guriam ab uteri & recti inteſtini inflammatione, aut à ſuppuratis renibus, perpetuo proficiſci, cum illa plures alias cauſas conſequi poſſit, quamobrem ex uno in aliud viciſſim inferre non licet. Hinc ſtranguria veluti ſymptoma ſuperveniens, ob affectæ partis viciniam, non propriè indicabit, annexarum partium inflammationem ſed ſolius veſicæ læſionem, quæ cæteroqui aliis de cauſis haberi poteſt, ut patet ex praxi: Non enim iſta ſigna ſunt pathognomonica propria & inſeparabilia, ſed ſupervenientia tantum.

Sicut à recto inteſtino, aut utero inflammato ſtranguria, ita ab hepatide ſeu hepatis inflammatione ſingultus, qui licet inter ſymptomata eiuſdem minime referatur, præſertim cum fit & recens eſt, ſupervenit tamen cum diu increbuerit, & malum ſignum ab eodem Hippocrate reputatur infra *Lib. 7. Aphor. 17.* Creditur autem fere, communiter id fieri propter conſenſum hepatis cum ſtomacho, cui dicitur ſingultus convenire, cum is veluti convulſivus ſtomachi motus appelletur.

At ipſemet crediderim potius ad diaphragmatis vitium pertinere, quod propter ingentem hepatis inflammationem contrahatur, & in ſuis expanſionibus impediatur quin & irritetur & moleſtetur, non leviter a contactu tumefacti, & inflammati jecoris, quod eidem alligatum, plus juſto præponderans, gravi incommodo eſt. Coafficitur ſimul una pariter ſtomachus, & quia ſub ſepto transverſo ſeu diaphragmate proxime jacet, & quia per pylorum, ab inflammato jecore phlogoſim ſubire ſolet. Cæterum quamvis non audeam inficiari ſingultum ſpeciem quandam eſſe convulſionis, non tamen admiſerim ab inanitione atque adeo ab immodica ſiccitate ſtomachi tunicas contrahente, illum revera provenire poſſe, cum tanta ſiccitas, vivente animali, partibus accidere nequeat, ut alias oſtendimus, quamobrem Galenus ipſe in hoc *commentario* hepati inflammationem patienti propter nervorum communicationem ſingultum ſupervenire, ſubdit: *non quidem ſemper, ſed quando ad maximam attollitur inflammationem.*

Difficultates & objectiones hunc Aphoriſmum attinentes vide Cardani ſuper hoc *Commentarium*, & Lib. Hippoc. *de fiſtula & de natura mulier.*

Apho-

Aphoriſmus LIX.

Si mulier non concipiat, & ſcire placet, an conceptura ſit, veſtibus (ſeu pannis) undique obvolutam (ſeu circumtectam) ſubter (ſeu inferne) ſuffito. & ſi odor corpus pervadere videatur ad nares, & os usque, non ſua culpa (id eſt ex ſe ipſa) ſterilem eſſe ſcito.

Contentum ſeu Intentio.

De Experimentis ſterilitatis exploranda.

C*Onnexio*: Hic Aphoriſmus manifeſtiſſime connectitur cum Aph. quadrageſimo primo hujus Libri, in quo de mulſæ potu, ad cognoſcendam gravidam mulierem ſcripſit Hippocrates: In hoc vero præſenti Aphoriſmo, de cognoſcenda ſterili aut fœcunda muliere agit. Hic Aphoriſmus licet fuſe prolatus ob ſimplicem concluſionem non dividitur.

Demirari revera valde licet, quomodo factum, ut levem hanc explorandæ fæcunditatis in mulieribus conjecturam, inter Aphor retulerit Hippocrates, cum & ſuo nomine penitus indigna videatur, quippe quæ nulla ratione, nulloque experimento videtur ſuffulta. Sed & quis unquam tam arcte poterit, pannis aut veſtibus fœminam explorandam circumtegere, aut ita fortiter cingere, prout Hippocrates intendit, ut ſubter ſuffitum, nares, bonus vel malus odor non feriat, isque ſit totus per corporis meatus interius excipiendus, vel ſaltem nullatenus infractus, retuſus, aut inverſus in tot viarum & viſcerum anfractibus: Sterilitatis præterea cauſæ in fæminis multæ ſunt, quas idem Hipp. recenſuit, *Lib de ſterilibus & morb. mulier.* unde facile eſt, ut ex una & altera ipſarum, ſterilitas proveniat, quamquam impedimento non ſint, quominus per uterum odor, nares aut os pertingat, adhuc in bene valentibus, ut interpretes lucannotarunt. Neque denſitas aut raritas uteri, ut commentatur Galenus, quidquam facit, in conceptione & ſpeciei propagatione, cum ſatis ſuperque conſtet ex Anatomia, non per inconſpicuos uteri poros, ſed per patentes meatus,

&

& Tubas Fallopianas , ex ejuſdem variis albugineam ſubſtantiam, molli putamine obvolutam, in ipſius cavum pro conceptibus deponi; quin & experimentis liquet , duriori & denſiori textura prædita, quemadmodum ſunt exercitatæ , & frigidas & ſiccas regiones incolentes, longe fæcundiores eſſe otioſis, obeſis & laxiorem nactis conſtitutionem. Quamvis inſuper viæ exquirantur patentes, ac liberæ ut ſemen è maribus ejaculatum ab utero excipiatur , & fæcundatum ovum, ab ovario ſepoſitum, in ejuſdem cavum delabatur, non tamen neceſſe eſt , ut reliquum corporis , ita permeabile ſit & reſeratum ut odores inde exceptos admittat, atque ad nares & os evehat, ut exinde judicium certæ fæcunditatis deduci poſſit , quaſi vero fœminæ fæcundæ ſolum illæ ſint, quibus corpus univerſum patulum & pervium eſt. Rectius propterea idem Hippocrates Aphoriſmo *62. hujus libri*, Sterilitatem à particulari uteri vitio deduxit, inquiens: *Quæcunq; frigidos & ſpiſſos uteros habent , non concipiunt &c.* ubi nimirum univerſum fœtationis opus peragitur , ideoque opus eſt ut is ſit optima conſtitutione præditus, in ſuis ductibus patulus, & in graviditate amplificationi facile cedens, atque tuitioni infantis accommodus ac peropportunus.

Quamvis autem ex his plurimum de veritate iſtius Aphoriſmi ſuſpicari fas ſit, quia tamen Hippocrati fuit in animo , eam hic potiſſimum conjecturam , de judicanda in fœminis fæcunditate proponere, quæ unicuique obviam foret, & prompte reducibilis in uſum , quemadmodum mos antiquis erat , propterea hoc loco , illorum rationem ejuſcemodi interuotionis recenſuit, & methodum, praximque exhibuit, ut ſaltem quid ex hac parte educi poſſet, citra grave fœminarum incommodum & ſolum ab extrinſecis conjiciendum edocent: quod & alias *lib. de Sterilibus* allii ſuis exuviis exuti, integri ac purgati, in uteri vaginam inditi beneficio , cum fœmina it dormitum , experiundum admonuit, idque à pleriſque obſtetricibus , non ſemel ipſe factum audivi, nec irrito ſucceſſu, quippe in inutilem mucorum ſeu craſſæ pituitæ ſaburram ſenſim & ſenſim, uterus hac ratione deponere conſuevit. Ut igitur quæ hic proponit Hippocrates , in uſum commode duci poſſint ad internoſcendam fœminarum pro conceptione aptitudinem , conducibilius erit , ut non ſolum illæ pannis circumtectæ ſuffiantur , ne diſperſus odor , nares potius exterius perstringat, quam per uterum, verum etiam ope convenientis infundibuli

ſi ſimul una magnopere extenuentur, & abſque ulla manifeſta occaſione, puta inedia, vigiliis, evacuationibus, aliiſque extenuare valentibus:

Hac quippe ratione plane conſtabit, tum à febre ad plures dies productâ, tum à cauſa interna ſeu affectione extenuante, non tantum utero gerentem, ſed & fœtum ipſum vehementer debilitari, unde partus deindè difficilis conſequatur, ac propter virium languorem, non ſine vitæ periculo. Quod ſi fœtus ferendo non ſit, ut in tempus partûs producatur, procul dubio abortietur, & ſimul cumulus interitu, patiens ipſa periclitabitur.

Exiis modo deducere licebit, febres hoc loco memoratas, de genere earum exiſtimandas eſſe, quæ à materia humorali dependent, exceptis ſolum Ephemeris ſimpliciter dictis, quæ cum non niſi diem unum & alterum perdurent, profecto ingentem noxam utero gerentibus afferre nequeunt, aut cum extenuatione citra cauſam manifeſtam copulari, quare à pravis humoribus progenitæ, utero gerenti & fœtui detrimento ſint, unde idem Hippocrates *2 Apher. 28* animadvertit febricitantium corpora, plusquàm ratio poſtulat, contabeſcere, malum eſſe quippe quia imbecillitatem, vel, ut aliis placet pravitatem ſignificat. Ideo non qualibet extenuatio, ſed quæ notabilis & vehemens eſt, effectus mox dictos efficere poterit.

Dices: Si ex cauſa prægreſſa extenuatio fiat & febris perſeveret ſequi etiam ad cauſas manifeſtas Ergo male dictum ſine cauſa manifeſta. ℞. Non ſequi tunc neceſſario, ſed tantum ſi ſine ca fiat; Rem dabimus clariorem mox in quæſtione ſecunda.

Quæres I. Cur tantæ febres in Gravidis ſint periculoſæ? ℞. Quia alimentum quod in lentis febribus concedi debet febrim auget, & media quæ tolerari in iiſdem non poteſt, fœtum debilitat aut necat; præterea vitium humorum indicat evacuationem, fœtus eandem prohibet. unde gravidas curare & difficile & periculoſum eſt.

Quæres II. Quomodo ergo hoc: *Sine cauſa ſeu occaſione manifeſta* intelligendum ſit? Reſpondet Cardanus 1. quod etiam, ſi acutæ febres adſint, omnia hæc evenire aut alterum neceſſe eſt: Reſpondet 2. ſine occaſione ſeu cauſa manifeſta Hippocratem intelligere ne ob cauſam antecedentem & procatarcticam ſeu occaſionalem

malem aut evidentem febricitet, tales enim febres diu durare non ſolent & facile remediis depelluntur, cum firmam ſedem non habeant v. g. quales ſunt febres ex caſu, terrore, &c.

Aphoriſmus LVI.

Sit in muliebri profluvio, convulſio, & animi defectus ſuperveniat, malo eſt.

Contentum ſeu Intentio.

De prognoſi menſium immodicorum.

C*onnexio*: Cum Hippocrates ſupra in Aphoriſmo 4. hujus Libri in univerſum vituperaſſet convulſionem & ſingultum in omni fluxione, & Aphoriſmo 50 cucurbitam admovendam eſſe mammis præcepiſſet, ad prohibendam nimiam ſanguinis ſeu menſium effuſionem, In hoc præſenti Aphoriſmo, proponit duo ſymptomata, valde periculoſa, quæ ſupervenire ſolent, ad muliebrem fluxum qui ſuperfluus eſt, & ſiſti nequit.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem & ſimplicem concluſionem, nullam patitur diviſionem.

Num autem Hippocrates, revera de fluxu muliebri proprie dicto ideſt fluore albo; An vero de copioſo menſtruorum fluxu ſcripſerit hunc Aphoriſmum, dubitare contingit apud expoſitores, & quidem in utramque partem propendere, ſuis non caret argumentis, At vero quoniam Aphoriſmo 3. hujus libri dixerat: *ubi ſanguis multus fluxerit, ſingultus aut convulſio ſuperveniens, malum*; probabilius videtur, non hic quamcunque ex Utero ſanguinis evacuationem illum intellexiſſe, ſed eam ſpeciatim quæ non ſynceri ſanguinis, ſed corrupti, ac ſanioſi humoris eſt, qualem deſcripſit Ætius *Tetrabibl. 4. ſerm, 4. cap 65.* Atque ex Archigenis ſententia uteri deſtillationem appellavit eaque Galenus Boethi Uxorem affectam retulit *Lib de prænotione ad Poſthumum*. Utcumque autem res ſe habeat, plane fit, ut quamcunque immodicam evacuationem, undecunque procedentem,

tem,conſequens convulſio,animi defectus, malum ſit,& longe deterius cenſeatur,ſi ab utero,plurimis nervis referto, atque eum principalioribus partibus corporis conſentiente,proveniat; nam morbi iſti ſuapte natura pernicioſi ſunt, ut qui vitæ cuſtodes nempe ſpiritus male affectos arguunt,quin imò vires infringunt, ipſumque vitæ fomitem perdunt. recte autem monitum eſt à Galeno *in comment.* non ſtatim hæc in recenti fluore advenire, *ſed cum vel vehementior fuerit, vel diu perduraverit.* Unde hæc convulſio ab inanitione ſemper mala,imo ut ſupra diximus peſſima eſt, & ut cauſa & ut ſignum. ut *ſignum* quia ex ſiccitate ſeu inanitione: ut *cauſa*, quia corpus angit magis & torquet. Verum non ita animi defectus,quia animi defectus,ut experientia docemur, ſolet eſſe remedium ſanguinis nimii effluxus, niſi vehemens ſit & diu duret,at ut *ſignum* ſemper etiam malus eſt.

Cæterum Hippocrates *Lib. 2. de morb. mulierum* accidentia & ſigna narrat quæ copioſæ huic effluxioni menſium ſupervenire ſolent: primo enim dolores accidunt clavicularum ac tendinum, & corporis torpor,& crurum perfrigeratio & ſi amplius ſanguis deſcendat, ſudor multus diffunditur, ad hæc ſtomachi morſus fiunt, & perfrigerationes,febres,rigores,convulſiones, dolores ad inguina, quaſi partus,urinæ ſtillicidium,ſitis,lingua aſpera,contractiones digitorum, pedum & ſurarum; deinde diſtenſiones totius corporis, ad quas mors ſuccedit. Potiſſimum autem iſtæ ſanguinis effuſiones fiunt ab utero,ex abortu, vel ex partu, aut diuturna menſium retentione, aut ex febribus ut Hippocrates ibidem docet.

Quæres. Quomodo hic fluxus immodicus, differt à fluxu bene ordinato ſeu menſium ordinario? ℞. Differt materia, colore, qualitate, quantitate, periodo & excernendi modo. Nam materia magis eſt ſeroſa aut bilioſa aut phlegmatica, colore pallido vel albo vel viridi: qualitas toto genere præter naturam, copia excedens, periodus incerta, nullus ordinatus excernendi modus, quia fit cum continuo plerumque dolore & penitus indiſcrete.

Apho-

Aphoriſmus LVII.

Menſtruis abundantibus (ſeu ſi menſtrua plura fiunt) morbi eveniunt, & ſubſiſtentibus (ſeu ſi non fiant) accidunt ab utero morbi.

Contentum ſeu Intentio.

De menſibus quantitate peccantibus.

Connexio. Cum Hippocrates in præcedenti Aphoriſmo affectus quosdam ſuperfluis menſtruis ſupervenientes nempe convulſionem & animi defectum recenſuiſſet ? In hoc præſente Aphoriſmo univerſaliter dicit morbos uteri fieri à menſtruis ſuperfluis & deficientibus

Hic Aphoriſmus duas habet partes juxta duas concluſiones : quarum *prima* dicit ex redundantia menſium morbos cauſari. *Secunda* vero ex eorum ſuppreſſione morbos ex utero fieri, Mediocritatem cunctis in rebus laudabilem eſſe, nemo eſt, qui non fateatur, ac magnis laudibus non deprædicet, unde eſſata illa notiſſima *Medium tenuere beati*. Item. *Virtus in medio*. Item Terentii *Ne quid nimis* : Et tandem illud Horatii :

Eſt modus in rebus ſunt certi denique fines,
Quos ultra, citraque nequit, conſiſtere rectum,

Eandem autem pluribus in locis ad naturæ tuitionem ſeu tutelam & ſanitatis incolumitatem ſervandam, paſſim quoque commendavit Hippocrates, ut propterea ſcripſerit, *6 Epidem ſect. 6 labor, cibus, potus ſomnus, venus, omnia mediocria*. Quod & ſæpius repetit in libris Aphoriſmorum. Hic vero ſpeciatim in fœminis menſtruas purgationes conſiderans, illas modum non ſervantes, omnino vituperat, & cum affluenter prodeunt, & cum penitus ſupprimuntur, ea tamen differentia, ut ſi large profluant, morbo indefinite ſuccedere, ſi detineantur, ex utero particulariter provenire decernat.

Eveniunt plane morbi, fluentibus large menſtruis, plerumque

vitio totius, quoniam malam ſanguinis Diatheſim ſæpiſſime conſequuntur. Non enim alia de cauſa ſanguis affluenter funditur, niſi quia vitioſus eſt, puta acer, acidus, ſalſus, ſeroſus, qui propterea, impeſu in vaſa uteri facto, viam ſibi aperit, & quandoque non tantum oſcula vaſorum laxat & dilatat, verum etiam erodit, & iam iam non dilacerat, cumque vitioſus iſte ſanguis, per univerſum corpus excurrens, impetum deinde ſpeciatim faciet in uterum, proinde eſt quod Hippocrates, indefinite dixerit morbos exinde ſuboriri, nulla de particularis viſceris Dyſcraſia, mentione facta. Verum non hinc uterum quis ab iſtiuſmodi labe, imm... opinetur, cum adhuc, ſolius ipſius vitio, id ipſum haberi poſſit, ſi potiſſimum peculiari aliquo morbo ſit affectum, aut occulta ſui fermenti depravatione contaminatum, quamobrem ſæpius uteri ſcirrho laborantes, aut ex glandulis ejuſdem tumefactis, obſtructis, laxatis, & eroſis, male ſe habentes, profluvio ſanguinis ad annos integros vexatas vidi, imo doloribus vehementiſſimis, & ſpaſmodicis affectionibus cruciatas. At vero in menſtruorum ſuppreſſione, defectus hic videtur omnino adſcribendus utero, aut quia illabentem ſanguinem non admittit, aut illapſum excipit, & detinet: Non admittit autem, quia in ſuis vaſis obſtructus, aut debito fermento privatus, repurgationi, & ſecretioni ineptus evaſit, cum alioqui velut ſentina totius corporis exitum ſanguineis recrementis debeat, promptiſſime exhibere; quapropter ſi illa receſſerint & alorſum remeent, ejus defectui jure optimo, conſequentes morbi tribuuntur: Quod ſi, ille excipiat quidem, ſed præ craſſitie ac lentore deponere poſtmodum non poſſit, procul dubio ibidem hætentia, graves morbos excitant, quæ ſedem in eodem habentes, ab illo male affecto procedere dicentur, ut in obſtructionibus, tumoribus aliiſque internis affectibus, experimur, & quamvis menſtruorum repurgatio impedita magna ex parte, fæculento ſanguini tribui poſſit, debet tamen utero adſcribi, qui cum ſua natura ſit repurgandis menſibus deſtinatus, quoties hoc munere defungitur, ejus culpæ iſtiuſmodi defectus attribui debet, quia deficit in eo, quod debet Deficit autem ut dictum, vel fermenti ſui inertia, vel vaſorum exilitate, aut compreſſione, vel denique mala conſtitutione, ac textura, aliave indiſpoſitione nobis adhuc inconſpicua

Quinam vero ſint morbi tum ex fluentibus plus juſto, tum ex
non

non fluentibus menſtruis oriundi, non facile omnino eſt determinare cum & Hippocrates ipſe, licet plurimos recenſuerit, in *lib. de morbis muliebrium*, *& 2 Epidem ſect. 3* & alibi, non tamen omnes penitus eſt complexus, nam nulli non ſunt, qui ex ipſis immodice fluentibus, vel diminutis aut omnino ſuppreſſis oriri non poſſint, ut experientia demonſtrat, unde jure optimo ſcripſit ad eundem Hippocratem, Democritus *Epiſtola de Natura humana*, innumerabilium ærumnarum Authorem eſſe uterum, cum & revera dolores capitis acerbiſſimi, Epilepſiæ, Apoplexiæ, Lethargi, Convulſiones, Catalepſes, Phrenitides, inflammationes, cæcitates, ſurditates, anginæ, Aſtmata, hæmophtiſes, Peripnenmoniæ, Palpitationes, Vomitus, & alia plurima mala, ex illo proficiſci conſueverint, ut hiſtoriis & Anatomicis obſervationibus eſt compertum. At vero quamvis innumera ſint mala, ex utero progigni ſolita, ſpecialiora tamen Hippocrates, *citato Lib. de morbis mulibrium* recenſuit, ſive copioſius quam par ſit, effluant, ſive diutius remorentur, & ſuppreſſi menſes ſiſtant. Ut autem quis de eorundem immoderato exitu judicium ferre poſſit, ſtatuit ibidem in omni muliere ſana, duarum heminarum Atticarum menſurarum idest libram unam ſemis, ſeu uncias octodecim, excedere non debere, idque ad duos vel tres dies, longius autem aut brevius tempus morboſum eſſe, Verumtamen hæc plerumque variant etiam ſalubriter, pro varia fæminarum habitudine, ætate, victus ratione, exercitatione & ſimilibus; nam pleraſque videre contigit, quæ ad plures dies abundantius menſtruare ſolent, & cum maxima corporis Euphoria, ut etiam Hippocrates ibidem innuere videtur. Facta autem comparatione inter eas, quibus menſes affluentius prodeunt, ac profluvio ſanguinis affici contingit, aut ex adverſo ſuppreſſi ſunt, longe periculoſius ægrotant primæ, quippe quæ, immodicam evacuationem ſanguinis ferre nequeuntes, tandem decolores redditæ, cachecticæ aut Hydropicæ, hyſtericæ febricitantes, vel quod gravius ſyncope affectæ, brevi ſuccumbunt, & vita deficiunt, vel ab extra Scirrhis, ulceribus, cancris &c. afficiuntur, contra vero, quibus ſanguinis menſtrua purgatio ſupprimitur, licet in eadem & ſimilia mala procedente tempore incidant, in longius tamen protrahuntur, adeo ut idem Hippocrates ſcribat, famulam quandam *4. Epidem.* ſeptem annis, menſibus caruiſſe.

Porro mirari ſubit, quamobrem Hippocrates *cit. lib. de morbis muliebr.* ſcriptum reliquerit *detenta per ſex menſes menſtrua incurabilia fieri*, cum cæteroquin ex praxi pluries innotuerit, nonnullas ex adverſo convaluiſſe, alias etiam concepiſſe, & vitales partus edidiſſe, niſi aliunde uterus, in ſua conſtitutione laxatus, ineptus evaſerit conceptioni & graviditati. Meminit quidam Author, ſe aliquando obſervaſſe mulierem quadragenariam aſcite laborantem, quæ tamen ſuo fœta marito, non ſolum fœtum maturavit, ſed non ſine admiratione, puellum exacte formatum peperit, licet tandem, non repurgatis ſufficienter lochiis, & aqua in abdomine detenta, poſt plures hebdomadas perierit.

Porro animadvertendum morbos a non fluentibus menſibus tum ſolum evenire, cum alias illi fluere deberent. Incipiunt autem naturaliter fluere, cum mulieres conceptioni, & generationi aptæ fiunt, id quod plerumque accidit, circa decimum quartum annum, & licet aliquibus ante & poſthæc tempora eruperint, Nam aliquando ſtatim ab incunabulis, quandoque vero poſt vigeſimum primum annum apparuerunt; hoc tamen illis præter morem, atque ex morbo aliquo accidiſſe dicendum: Ita quoque deſinere conſueverunt ſeptimo aut (quod ſummum) octavo annorum ſeptenario, quamvis pleræque ad ſexageſimum annum & ultra menſtruas purgationes ſubiiſſe perhibeantur: Quare pro diverſa fœminarum conſtitutione, prudens Medicus, de ejuſcemodi menſium eruptione, aut deſitione, promota nimium, vel impedita conjiciet, num morboſæ ſint, aut proxime in morbos ſint lapſuræ, atque certiora indicia deſumet ab his quæ idem Hippocrates memorat *cit. lib. de morb. muliebr.* puta doloribus, tumoribus, obſtructionibus, febribus, contra vero ſponte Naturæ deſiiſſe pronuntiabit, ſi citra quamcunque uteri ægritudinem & nulla ſubſequente febri, aliave cordis, cerebri, aut ſtomachi moleſtia, certa præſertim ætate ſenſim ſenſimque defecerint. Quæ denique purgationes à partu fiunt, & proprie lochia aut puerperia dicuntur, longe admodum a menſtruis differunt, adeoque ad præſentem hunc Aphoriſmum nullatenus pertinent.

Mala demum, quæ per ſingulos menſes patiantur fœminæ, explicuit idem Hippocrates *pract. lib. de morb. mulier.* videlicet febres hor-

horrores, lumborum dolores, ſuffocationes, duritiem ventris, faſtidium cibi, vigilias, anxietates &c.

Objectiones & difficultates in contextu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus LVIII.

Ad recti inteſtini & uteri inflammationem, purulentosque, Renes ſuccedit urinæ ſtillicidium: Iecori vero inflammatione laboranti ſupervenit ſingultus.

Nota: hic Aphoriſmus repetitur infra Libro 7 Aphoriſmo 17.

Contentum ſeu Intentio.

De Accidentibus inflammationem Viſcerum infimi ventris.

Connexio: Cum in priori Aphoriſmo Hippocrates dixiſſet, morbos fieri ex utero: In hoc præſente Aphoriſmo, captata occaſione, loquitur de ſymptomatibus, quæ ad uteri mala & vicinarum partium ſequi ſolent.

Hic Aphoriſmus duas ponit concluſiones, & ſecundum has in duas partes dividitur. *Prima* docet Stillicidium urinæ ſupervenire ſolere ad inflammationem recti inteſtini & uteri atque ad purulentos Renes. *Secunda* vero dicit ſingultum ſequi ad jecoris inflammationem.

A ſuppreſſis menſtruis ſi fortè ſanguis ita in utero reſtagnet, ut excitet inflammationem, non ſolum inde febres, dolores, anxietates, aliaque id genus communia ſymptomata, inflammatorias febres comitantia oriuntur, ſed compatientibus vicinis & adjunctis partibus, alia ſpecialiora ſuſcitabuntur, quæ eorundem nexum arguunt, & partem ſpecialiter affectam deſignant, quamobrem hoc Aphoriſmo Hippocrates, ab inflammato recto inteſtino aut utero, urinæ ſtillicidium evenire animadvertit; ſicut

ſicut pariter à purulentis renibus: ab hepate vero inflammato ſingultum.

Et quidem urinæ ſtillicidium advenire, recto inteſtino, aut utero inflammationem patiente, affecta inde veſica, quæ utrique proxima & conjuncta eſt, palam fit ex Anatomia, qua conſtat veſicam uteri cervici ſuperincumbere, atque inteſtino recto alligari; ut propterea ad utriuſque partis læſionem, prompte quoque ipſa compatiatur. Quamobrem experimur in gravidis, à tumefacto utero, veſicam comprimi, atque urinam in illa collectam diutius aſſervari non poſſe, ſed ſtatim egeri, quo circa utero gerentes nocturne coguntur. In fæcum autem, præſertim diu maſculatum, egeſtione, ex nimio & frequenti conatu, etiam veſica crebrius ſollicitatur, ut modicam adhuc urinam quantocyus expellat. Si ergo hæc citra morboſas cauſas, & veſicæ morbos accidunt, ut urinæ ſtillicidium oriatur, quam gravius & moleſtius affici continget, cum partes illæ inflammatione laboraverint, non ſine pravorum ſuccorum acrimonia atque irritatione.

Id ipſum evenire obſervamus à renibus purulentis, cum nimirum urina inde tranſcolata, & pure ſuapte Natura mordicante, & acribus particulis, muriatico-acidis referta, in veſicæ cavum deponitur, & ſtillicidium excitat. Animadverſione dignum eſt quod Hippocrates, non inflammatos, ſed purulentos renes hic notaverit, ſeu ex contracto ibidem ulcere, ſuppuratos, quoniam ab inflammatione renum, potius dyſuria vel iſchuria fit, quam ſtranguria, quippe ab inflammatis renibus, coarctatis ſcilicet & occluſis ductibus, præterfluenti ſero tranſitus omnino denegari ſolet, unde iſchuria, & ſi fortaſſe adhuc illud effluat, collectum deinde in veſicæ cavo, per urethram commode atque affluenter reddetur, non autem ſtillabit, ut in ſtranguria fit, de qua hic ſigillatim Hippocrates meminit. Quin & rariſſime accidit, utrumque renem inflammari, ut exinde urina tale vitium contrahat, & ſtillicidium pariat; at vero ab alterutro rene ſuppurato ac purulento, urina manabit, multo & craſſo pure ſatura, unde non libere, per anguſtum urethræ orificium ferri poterit, adeoque guttatim educetur, & ſimul ſua acredine ſphyncterem muſculum vellicabit, & ad micturiendum laceſſet.

Verum quamvis Hippocrates hic dicat, ab inflammato recto inteſtino aut utero, nec non a purulentis renibus urinæ ſtillicidium exoriri, non tamen deducere licebit, è converſo urinæ ſtillicidium ac ſtranguriam

guriam ab uteri & recti inteſtini inflammatione, aut à ſuppuratis renibus, perpetuo proficiſci, cum illa plures alias cauſas conſequi poſſit, quamobrem ex uno in aliud viciſſim inferre non licet. Hinc ſtranguria velut ſymptoma ſuperveniens, ob affectæ partis viciniam, non proprie indicabit, annexarum partium inflammationem ſed ſolius veſicæ læſionem, quæ cæteroqui aliis de cauſis haberi poteſt, ut patet ex praxi: Non enim iſta ſigna ſunt pathognomonica propria & inſeparabilia, ſed ſupervenientia tantum.

Sicut à recto inteſtino, aut utero inflammato ſtranguria, ita ab hepatide ſeu hepatis inflammatione ſingultus, qui licet inter ſymptomata ejuſdem minime referatur, præſertim cum fit & recens eſt, ſupervenit tamen cum diu increbuerit, & malum ſignum ab eodem Hippocrate reputatur infra *Lib. 7. Aphor. 17.* Creditur autem fere, communiter id fieri propter conſenſum hepatis cum ſtomacho, cui dicitur ſingultus convenire, cum is veluti convulſivus ſtomachi motus appelletur. At ipſemet crediderim potius ad diaphragmatis vitium pertinere, quod propter ingentem hepatis inflammationem contrahatur, in ſuis expanſionibus impediatur quin & irritetur & moleſtetur, non ſecus a contactu tumefacti, & inflammati jecoris, quod ei demum alligatum, plus juſto præponderans gravi incommodo eſt. Coafficitur ſimul una pariter ſtomachus, & quia ſub ſepto transverſo ſeu diaphragmate proxime jacet, & quia per pylorum, ab inflammato jecore phlogoſim ſubire ſolet. Cæterum quamvis non audeam inficiari ſingultum ſpeciem quandam eſſe convulſionis, non tamen admiſerim ab inanitione atque adeo ab immodica ſiccitate ſtomachi tunicas contrahente, illum revera provenire poſſe, cum tanta ſiccitas, vivente animali, partibus accidere nequeat, ut alias oſtendimus, quamobrem Galenus ipſe in hoc *commentario* hepati inflammationem patienti propter nervorum communicationem ſingultum ſupervenire, ſubdit: *non quidem ſemper, ſed quando ad maximam attollitur inflammationem.*

Difficultates & objectiones hunc Aphoriſmum attinentes vide Cardani ſuper hoc *Commentarium*, & Lib. Hippoc. *de fiſtula & de natura mulier.*

Apho-

Aphoriſmus LIX.

Si mulier non concipiat, & ſcire placet, an conceptura ſit, veſtibus (ſeu pannis) undique obvolutam (ſeu circumtectam) ſubter (ſeu inferne) ſuffito. & ſi odor corpus pervadere videatur ad nares, & os usque, non ſua culpa (id eſt ex ſe ipſa) ſterilem eſſe ſcito.

Contentum ſeu Intentio.

De Experimentis ſterilitatis exploranda.

C*onnexio*: Hic Aphoriſmus manifeſtiſſime connectitur cum Aph. quadrageſimo primo hujus Libri, in quo de mulſæ potu, ad cognoſcendam gravidam mulierem ſcripſit Hippocrates: In hoc vero præſenti Aphoriſmo, de cognoſcenda ſterili aut fœcunda muliere agit. Hic Aphoriſmus licet fuſe prolatus ob ſimplicem concluſionem non dividitur.

Demirari reveta valde licet, quomodo factum, ut levem hanc explorandæ fæcunditatis in mulieribus conjecturam, inter Aphor. retulerit Hippocrates, cum & ſuo nomine penitus indigna videatur, quippe quæ nulla ratione, nulloque experimento videtur ſuffulta. Sed & quis unquam tam arcte poterit, pannis aut veſtibus fæminam explorandam circumtegere, aut ita fortiter cingere, prout Hippocrates intendit, ut ſubter ſuffitum, nares, bonus vel malus odor non feriat, isque ſit totus per corporis meatus interius excipiendus, vel ſaltem nullatenus infractus, retuſus, aut inverſus in tot viarum & viſcerum anfractibus. Sterilitatis præterea cauſæ in fæminis multæ ſunt, quas idem Hipp. recenſuit, *Lib. de ſterilibus & morb. mulier.* unde facile eſt, ut ex una & altera ipſarum, ſterilitas proveniat, quamquam impedimento non ſint, quo minus per uterum odor, nares aut os pertingat, adhuc in bene valentibus, ut interpretes hic annotarunt. Neque denſitas aut raritas uteri, ut commentatur Galenus, quidquam facit, in conceptione & ſpeciei propagatione, cum ſatis ſuperque conſtet ex Anatomia, non per inconſpicuos uteri poros, ſed per patentes meatus,

&

& Tubas Fallopianas, ex ejuſdem variis albugineam ſubſtantiam, molli putamine obvolutam, in ipſius cavum pro conceptibus deponi; quin & experimentis liquet, duriori & denſiori textura præditas, quemadmodum ſunt exercitatæ, & frigidas & ſiccas regiones incolentes, longe fæcundiores eſſe otioſis, obeſis & laxiorem nactis conſtitutionem. Quamvis inſuper viæ exquirantur patentes, ac liberæ ut ſemen è maribus ejaculatum ab utero excipiatur, & fæcundatum ovum, ab ovario ſepoſitum, in ejuſdem cavum delabatur, non tamen neceſſe eſt, ut reliquum corporis, ita permeabile ſit & reſeratum ut odores inde exceptos admittat, atque ad nares & os evehat, ut exinde judicium certæ fæcunditatis deduci poſſit, quaſi vero fœminæ fæcundæ ſolum illæ ſint, quibus corpus univerſum patulum & pervium eſt. Rectius propterea idem Hippocrates Aphoriſmo 62. *hujus libri*, Sterilitatem à particulari uteri vitio deduxit, inquiens: *Quæcunque frigidos & ſpiſſos uteros habent, non concipiunt &c.* ubi nimirum univerſum fætationis opus peragitur, ideoque opus eſt ut is ſit optima conſtitutione præditus, in ſuis ductibus patulus, & in graviditate amplificationi facile cedens, atque tuitioni infantis accommodus ac peropportunus.

Quamvis autem ex his plurimum de veritate iſtius Aphoriſmi ſuſpicari fas ſit, quia tamen Hippocrati fuit in animo, eam hic potiſſimum conjecturam, de judicanda in fœminis fæcunditate proponere, quæ unicuique obviam foret, & prompte reducibilis in uſum, quemadmodum mos antiquis erat, propterea hoc loco, illorum rationem ejuſcemodi internotionis recenſuit, & methodum, praximque exhibuit, ut ſaltem quid ex hac parte deduci poſſet, citra grave fœminarum incommodum & ſolum ab extrinſecis conjiciendum edocent: quod & alias *lib. de Sterilibus* allu ſuis exuviis exuti, integri ac purgati, in uteri vaginam inditi beneficio, cum fæmina it dormitum, experiundum admonuit, idque à pleriſque obſtetricibus, non ſemel ipſe factum audivi, nec irrito ſucceſſu, quippe in inutilem mucorum ſeu craſſæ pituitæ ſaburram ſenſim & ſenſim, uterus hac ratione deponere conſuevit. Ut igitur quæ hic proponit Hippocrates, in uſum commode duci poſſint ad internoſcendam fæminarum pro conceptione aptitudinem, conducibilius erit, ut non ſolum illæ pannis circumtectæ ſuffiantur, ne diſperſus odor, nares potius exterius pertingat, quam per uterum; verum etiam ope convenientis infundibili

Mmmmm exceptus,

exceptus, illas ſolum tendere cogatur, alias fruſtranea eſſet operatio: Sed & horum neſcia neceſſum eſt, ut ſit ſuffienda mulier, utrumque ſimul quæ ſuffumigari debent, ne ſcilicet ſua malitia proprium ſterilitatem tegat, quin etiam oportet, ut odor aromatum, ad fœminæ os delatus, poſt aliquod tempus, ab obſtetrice perita, admoto ejus ori naſo, percipiatur: quod ſane Platoni animadverſum maximum illatum opus dicitur.

Quibus vero fœminæ ſint ſuffiendæ, licet Hippocrates hic non meminerit, refert tamen in *Commentar*, Galenus, oportere eſſe, quæ ejus naturæ ſunt, ut ſuffitui apta ſint, quemadmodum thus, myrrha, ſtyrax & quæcunque ſunt valdé odorata. Inſuper idem Hippocrates *lib. de ſterilib.*, metopum unguentum (ſeu Mendeſium ſeu Ægyptium unguentum Ægypto imitatum) lana exceptum, ut peſſum utero imponendum jubet, ut ſi ſubditi odorem per os mane olfecerit, mulierem fæcundam fore & concipere poſſe ſubdit.

Admirabilius eſt autem, quod idem Author adhoc, id ipſum internoſcendum proponit, illinendos nimirum eſſe oculos mulieris humore aliquo, quem ſi iidem combibant, fæcundam illam eſſe teſtatur, id quod etiam confirmat Plinius lib 7. cap. 16. dum ait: *fæcunditatis in fœminis prærogativam accepimus, in unctis medicamine oculis, ſilivam inficit*: quod & antea Ariſtoteles adnotavit, *2 de generatione animal cap. 5 & 4 ſect. Problem. 2.* juxta expoſitionem Theodori, ut bene etiam advertit Langius *Lib. 1. Epiſtol 49.* ubi aliud ex Galbano, orificio uteri incluſo, experimentum affert, adhuc ex Hippocratis authoritate deſumptum, ut apud eundem legitur. Plura alia, ad hoc idem conferentia Authores hic memorant, quæ unicuique experiri pro arbitrio licebit: neque vero penitus rationi diſſentaneum exiſtimare eſt, quomodo fieri poſſit, ut halitus ac vapores odori ex utero nares & os pertingere poſſint, ſi nimirum conſideremus maximum, quem ille per nervos, cæterosque ductus conſenſum habet cum cerebro, & partibus caput componentibus, quamobrem bene poterunt halitus iſti, imo tenues & volatiles aromatum particulæ, per patentes uteri meatus, nervos ſubire, & ſenſim per fibras & ipſorum ſubſtantiam penitus intromitti & ad cerebrum usque pervadere, ſine ulla earumdem volatilium partium refractione, quippe experimur, moſchum, ambram, zibethum & alia

alia id genus, ita rebus cunctis commiſceri, ac pertinaciter hærere, ut non ſolum diutiſſimè perdureut, atque irrefracta perſevereut, ſed quod majus, adhibita quavis induſtria, difficillime poſtea deleantur: qui præterea alimenta aut medicamenta aſſumpſerunt, ejuscemodi rebus odoriferis confecta, ad longum tempus illa eadem olere ſolent: quin & plurima ſive bene, ſive male olentia, clyſteribus injecta, caput & cerebrum afficiunt: Aliquando etiam eſt obſervatum ex indito clyſtere, in quo opium erat diſſolutum, cerebrum ad longiſſimum tempus fuiſſe ſoporatum, imo ipſe ſum vivus teſtis ex ſimili opiato clyſtere injecto mox Apoplexiam eſſe introductam: unde qua ratione opium per vapores ab inteſtinis cerebrum gravat: & ad ſoporem adducit, non diſſimiliter odorifere ab utero per nervos & os impetere poſſunt.

At vero præter ea quæ hic commemorat Hippocrates, de conjectura a ſuffitu ſubtus admovendo, oportebit peculiarem fœminarum conſtitutionem ac totius corporis ſtructuram, ventris & hypogaſtricæ Regionis habitudinem penitus perſcrutari, quo nimirum modo iſta ſe habeant, in ſuis operationibus, excrementorum repurgationibus, & aliis, & ſi graciles, an obeſæ fœminæ ſint, ſi hypogaſtrion amplum ſpatioſum, an vero anguſtum & arctum, aut exſeccum habeant? Quamobrem ſagax Medicus ex his omnibus ſimul junctis de bona vel mala uteri diſpoſitione, non irrationabiliter deinde conjiciet.

Quibus vero medicamentorum generibus, quæ ſteriles creduntur, fœcundæ fieri poſſint (ſi tamen defectus generationis ab ipſis ſit) pluribus tentare auſi ſunt periti Medici, & induſtriæ obſtetrices: Sunt qui ope pomorum Mandragoræ, de quibus latè inter cæteros meminêre de his Reies, Valleſius, Sennertus, Savanarola, Mercurialis: alii Moſcho Zibetho, ambrâ gryſea & cæteris aromatibus ſæpius iteratis: Nonnulli nuce moſchata: plerique teſticulis animalium & aliis ſimilibus. Verum hos fallere, & falli contingit, niſi prius de re bene perſpecta, ac maturius penſitata conſtiterit, quâ de cauſa infæcunditas procedat, & num vitio formationis & ſtructuræ uteri, ejusque vaſorum, ac potius defectu ſanguinis, & glutinoſæ illius ſubſtantiæ in ovariis adnatæ, & ad formam ovi adultæ, cujus potiſſimum ratione, nuperrimè patuit, infæcundas evadere

mulieres, quibus nimirum datum non eſt, ejuſcemodi ovis abundare, aut ad juſtam magnitudinem illa perducere, vel etiam perducta perficere ſed potius corrumpere, forte quia ab ovariis ſeponi, atque in uterum delabi nequeunt, nimio adipe ſtipata & circumducta, ut plerisque anatomicis diſſectionibus eſt obſervatum. Quamobrem pro varia harum cauſarum conditione, oportebit diverſis auxiliorum generibus, fæcunditatem in illis promovere, fotis nimirum partibus, generationi deſtinatis, aut etiam remotis impedimentis ex quibus fæcundatio & conceptio retardetur, quæ propterea ſagax Medicus, ubi ſedulo perquiſierit, atque in deficientis naturæ auxilium promoverit, procul dubio ſui voti compos fiet. Cæterum de his conſulendi ſunt practici, apud quos magna ſylva horum medicamentorum, pro diverſitate cauſarum proponitur.

Illud tandem ex his omnibus colligere nunc licebit, perperam à quibusdam in praxi, omnem odorum uſum, in affectibus mulierum indiſcriminatim vituperari, cum tamen is, à primis medicinæ proceribus ſummopere multis in caſibus commendetur, neque ſolum externe ſed etiam interne.

Et quidem licere quandoque in affectibus muliebribus, medicamentis uti, non tantum aromatum mixtura conditis, ſed & fragrantibus ac odoris, nempe moſcho, ambra, zibeto, nuce myriſtica, calamo aromatico, &c. doſi tamen convenienti ac moderata, pluris & ab Hippocrate, Galeno, & aliis, non temere educemur. is enim non ſolum cerebrũ, & cor momento fere reficiuntur, & in ſuis vigorib' vigorantur, ſi fortaſſe ſopore, vertigine, apoplexia, ſyncope ac lypothymia fœminæ laboraverint, ſed ſpeciatim uterus exinde ſuaviter allectus, ſe ipſum impuritatibus ſtatim exonerat, ut etiam ſubinde fœcundari facile poſſit. In quam rem legi merentur præ cæteris Sennertus *lib. 4. Prax* & Laurentius *lib. 7. Anatomia.* Langius, *Epiſtola 23. lib. 1* Caſparus à Reiet *in ſuo campo Elyſio jucundarum quæſtionum, quæſt 84 & 93* Vivunt præterea nobiliſſimæ quædam matronæ, quæ diu ſteriles cum forent, & prolium avidæ, tandem impatientes (temerario plane auſu) plura & plura moſchi grana, iterato ſumpſere, atque voti compotes, gravidæ paulo poſt effectæ ſunt & maſculos peperere validos, robuſtos & euſarcos. Notum inſuper eſt de Hiſpanis fœminis, non ſolum nobilibus, ſed plebejis, quibus frequens in uſu eſt acutus & vehemens

moſchi

moſchi & ambræ odor, ut etiam præter veſtimenta & chirothecas, inter Tabaci delicias, quotidie illum indiſcriminatim habeant. Qua de cauſa crediderim, iis ſolummodo frequentes odores ſpeciatim obeſſe, quæ inſuetæ ſunt bene olere, ut de Septentrionalibus fertur.

Moſchi quoque uſum internum, non ſolum approbant, ſed admiranda ex ipſo prædicant Horatius Augenius *lib. 12. Epiſtol. 6.* Solenander *Conſil. 15. ſect. 4.* Riverius *centur. 1. obſ. 63. & lib. 11. Prax.* Rodericus à Caſtro, Mercatus, Zacutus, Montagnana, Platerus, Vorandæus, Chiſneau, aliique plures, quos in unum collegit clariſſimus vir Lucas Schröckius in ſua hiſtoria Moſchi.

Hinc ergo deducere erit, ex mente Hippocratis, non omnino explodendos eſſe odores ab uſu medico in fœminis, cum hoc loco expreſſe præcipiantur; quin contra objurgandi ſint ii, qui indifferenter præfocatas mulieres, & penè exanimes vehementius extorquere, ac affligere admituntur fætidis, ac male olentibus rebus, quæ planè benevalentibus ac robuſtis adhuc infenſæ forent. Et quamvis aliquando experiamur mox à partu enixas odoramentis graviter affici, id tamen iis evenit, ex ſubita illa commotione, quam uterus ab ipſis, tunc temporis patitur, nimium allectus, atque in ſe ipſo corrugatus unde excrementorum repurgationi ſibi obicem facit, ſiquidem tunc ipſius papillæ, & hiantes cotyledones, coacti, atque in ſuis porulis adſtricti, nequeunt lochia & impuritates à partu deponere, quæ detenta, & cum remeante ſanguine commiſta, reliquum corporis inficiunt, unde poſtmodum animi defectiones, nervorum contractiones, ſopores, deliria, febres & alia ſymptomata pernicioſiſſima inſequuntur.

Igitur acutè & ſuaveolentia cerebro ſolum infenſa ſunt per nares olfacta, cum immoderata fuerint, quatenus nimirum nervos & nervorum fibrillas, plus juſto exagitant; & laceſſunt, & quandoque etiam ſtupefaciunt & offendunt. qua ſane ratione, patres quoq, mares, iiſdem plurimum offenduntur, & cephalalgiis, vertiginibus, motibus epilepticis, aliiſque non raro, velut ebrii, vexari ſolent, ut ſæpius expertum eſt. At contra uterus, cum præſertim vacuus fœtura eſt, ipſorū halitu vigoratur potius beneq, afficitur, ut propterea facta ſubindeque quadam expanſione, ſuiq; amplificatione, facile iter, adaperiatur, exultet, & quod in ſui cavo ſuperfluitatum hæſit, prompte admodum

Mmmmm 3 expel-

expellat: quamobrem pleræque mulieres in hunc finem, moſchum, zibethum, aliaque odorata, ſacculis incluſa & coxis internis alligata, geſtare conſueverunt.

Hinc proinde demirari ſubit, unde factum ut ex medicis in vulgus jam abierit, uterum odores percipere, quaſi is olfactus capax foret, adeoque enorme piaculum nunc ſit, in morbis muliebribus odorata quæcunque præſcribere, cum tamen halitibus blande admodum olentibus, ſeu particulis tenuioribus & volatilibus, in ſe ipſo exceptis, hærentes in glandulis, noxius & craſſos ſuccos, fibrarum & glandularum coarctatione, aut laxitate uterus exprimat & deponat. Verum in his cautio aliqua adhibenda, ut odoroſi halitus nares & cerebrum minime pertingant, ne ſcilicet ingenti copia & ſulphurea qua pollent, ac inebrietiva conditione illud aggravent & obtundant, aut etiam vellicent & diſcerpant orgaſmo in humoribus inducto. Cæterum bene olentia etiam ex moſcho & ambra cum aliis commixta, & in bolos vel pilulas redacta ac interius aſſumpta, multum proficient, ad viſcerum, potiſſimum cerebri, cordis ac uteri robur, viresque adaugendas, quemadmodum plurimorum Authorum teſtimonio, late nimis comprobat, præ cæteris *in ſua hiſtoria moſchi* præcitatus Lucas Schrockius Medicus Auguſtanus.

Hunc igitur Hippocrates Aphoriſmum ſano ſenſu & non univerſaliter verum, propè omnes tenent Interpretes, ratio etiam convincit, nam ſi ex ſola penetratione ſuffitus, cognoſci deberet fertilis mulier plura rationi inconvenientia oborirentur, etenim ſi os uteri plusquam decet, licet poterit quidem penetrare ſuffitus, & tamen mulier ſua culpa ſterilis eſſet. Cardanus quidem *in Commentar.* hunc difficultatis nodum ſolvere intendit & aſſerit Hippocratem intelligere de ſanis mulieribus, non de his, quæ morboſæ ſunt, ut ſupra etiam innui, verum hæc ſolutio & reſponſio non placet nec valet, quia mulier, cui ex natura magis, quam decet, hiant menſes, ſana eſſe poteſt, & tamen non concipere, unde potius dicendum non perpetuo neque ut plurimum ſed tantum aliquando, ut mox ſupra dictum, verum hanc eſſe Hippocratis ſententiam. Hunc proinde Aphor. valde celebrem & appoſitum fore Gentilibus & Hebræis, qui fundamento huic innitentes, poſſint facile alias uxores ducere, quod nimirum ſint ſterilitatis inimici capitales, Id vero Chriſtia-

ſtianos non decet, ſed decet potius cognoſcere, cujus culpa malum eveniat, an ex parte mulieris an mariti, quamvis & olim mos erat repudiare mulierem ſterilem, ſed iſte mos dudum evanuit, & vetitus eſt, nemini enim Chriſtianorum licitum eſt per ſe ſolum facere divortium, eſto ut dixi hoc Judæis, idololatris & Turcis uſitatum ſit.

Quæris quot ergo modis mulier ſterilis eſſe & dici poſſit? ℞. mulieres trifariam ſteriles redduntur. *primo vel vitio ſui*, & has fugere omnino convenit, neque enim ex varietate conjugis, fæcundæ unquam evadunt: *ſecundo* vel *comparatione alterius*, & has permutare tempeſtive oporteret, fieri enim poteſt, ut duo viri, duabus fœminis juncti ſteriles ſint, factaque permutatione fœcundi evadant: *tertio*, vel *ex morbo*, qui per ætatem aut curam Medicorum, in viro vel muliere vel utroque ſanatur: undè quædam in juventute non peperêre, in conſiſtente ætate factæ ſunt fæcundæ, in his autem permutatio non eſt neceſſaria.

Aphoriſmus LX.

Si prægnanti, purgationes menſtruæ, curſum ſuum teneant, bene valere fœtum eſt impoſſibile.

Contentum ſeu Intentio.

De Menſibus Gravidarum.

Connexio: Cum ſupra Hippocrates Aphoriſmo 52. 53. & 55. hujus libri, ex præcedente febre, vel valida extenuatione de valetudine infantis, judicaſſet. In hoc præſenti Aphoriſmo ſermonem inſtituit, de valetudine ejusdem, deſumpto ſigno a Menſibus.

Hic Aphoriſmus ob unicam & ſimplicem concluſionem, non dividitur.

Conſuetas ſanguinis purgationes, quæ ſingulo tantùm menſe, fœminis bene ſe habentibus, ſalubriter accidunt, tempore graviditatis deſinere, in fœtus alendi, & vovendi gratiam omnibus notum eſt, ut propterea inter cætera conceptionis & geſtationis uteri ſigna ſpe-

ſpeciatiora illud potiſſimum recenſeatur, ut etiam docetur ab Hippocrate *hoc ipſiſſimo libro, Aphoriſmo ſequente*: Quamobrem ſi utero gerenti, purgationes procedant, jure optimo præſagire licet, impoſſibile eſſe, genitum factum eſſe ſanum, ut autem id omni ex parte verum ſit, neceſſe eſt ut non ſemel, neque modicè, purgationes iſtæ prodeant, ſed iterato & affluenter, cum alias fieri poſſit, ut ex modica nec iterata menſtruorum expurgatione, utero gerens potius relevetur, & melius ſe habeat, depoſita nimirum aliqua ſanguinis portione, in ſuo curſu præpedita, uterum gravante & infeſtante. Hinc non abs te adjectum in *Aphoriſmo* ſub plurali numero *Purgationes*, quæ plane deſignant, conſuetam in ſingulos menſes evacuationem, quemadmodum idem Hippocrates expreſſius edocet *lib. 1. de morb. mulıebr.* cum cæteroqui *lib. de natura pueri* ſcriptum reliquerit, nihil penitus graviditatem incommodare, ſi uno vel altero tantum menſe, modicum ſanguinis profundatur. In hoc Aphoriſmo autem ſpeciatim conſideranda erunt utero gerentis habitudo, ætas, Regio, conſuetudo, victus ratio, quæ præceſſit, atque alia univerſa, quæ graviditati obeſſe vel prodeſſe poſſunt Siquidem plethoricæ, robuſtæ, juvenes, otioſæ, bene alitæ & abundantem menſtruorum evacuationem ſortitæ, nullum plane patientur ab ejusmodi, per primos graviditatis menſes purgatione ſuperabundantis ſanguinis incommodum Contra vero exiles, imbecillæ, exercitatæ, & pravis edulııs nutritæ, & non niſi tenuem ſanguinem expurgare ſolitæ: Sunt enim quæ nihilum in conſuetis menſtruorum expurgationibus perturbantur, ſed potius ſe ipſis leviores & hilariores fiunt; Contra aliæ non tantum utero dolent & cruciantur, ſed & viribus & ſtomacho deficiunt, ut pene langueant, & moleſtiis innumeris affectæ vix non ægrotent. His ergo potiſſimum ſi accidat, à gravitate Catamenia pati, fieri nequit, ut fœtum geſtent ſanum, quippe qui non bene valens, viribus & nutritione deficit vel in poſterum ægrotabit & aborietur.

Sed præterea perpendere oportebit, unde ſanguis immodice & inconvenienter profuſus prodeat, an non ex uteri cavo, an potius ex vaſis uterum circumperreptantibus, aut etiam ab his, quæ hæmorrhoides uteri concitare ſolent; etenim anatome compertum eſt, tria hæc vaſorum genera, uterum pertingere, & ſanguinem profundere ſolere: & quidem in utero gerentibus ſæpe ſæpius

ex

exits, quæ cervicem ambiunt, ſanguis ſponte ſua ac ſalubriter prodire conſuevit, neque ſolum primis menſibus, ſed etiam ultimis, imo per periodos, toto ferè geſtationis tempore, ut hiſtoriæ teſtantur, & à practicis ſæpius obſervatur. Igitur ex vaſis ſolum, quæ uteri cavum pertingunt, ſanguis ſi effundatur, valetudinarum fætum, imbecillum, ægrotantem, & facillimè aborturium indicabit. De qua plane purgatione intelligendus hic Hippocrates, ſi tamen ut dictum, ubertim & iterato profluat, cum cæteroquin levis, & modica quæcunque evacuatio non tanti ſit, ut uteri geſtationem incommodare, & fætum labefactare valeat, præſertim in plethoricis, in quibus etiamſi, ex internis uteri partibus ſanguis prodeat, à conceptu ejusque placenta ſejunctis nihilum planè officere conſuevit, modo non repetat, cum aliunde effluat, quam ex vaſis fætus nutricatui & vitæ dicatus: Siquidem non tam ejus exitu, atque alimenti defectu, infans à fluentibus purgationibus periclitatur, quam orgaſmo & commotione ſanguinis iterum in ejus eruptione concitantis & relaxantis, unde poſtmodum illius imbecillitas diſſolutio & abortus.

Hinc modo tacitè admonentur Medici, quomodo in ejuscemodi expurgationibus, ſive ſinendis, ſive cohibendis gerere ſe debeant, attenta nimirum ſanguinis excreti quantitate, qualitate, tempore & loco, ac potiſſimum, utero gerentis habitudine & conſtitutione.

Quæres Quantum ſanguinis retinetur in puella, & quantum in maſculo, toto geſtationis tempore? Reſpondet Hippocrates *Lib. de natura fœtus*, retineri in maſculo libras 22. in fæmella 30. adeoque mirum non eſt, ſi in partu tantum ſanguinis effluat.

Reliquæ difficultates in contextu ſunt ſolutæ.

Nnnnn Apho-

Aphoriſmus LXI.

Si mulieri purgationes non prodeant (ſeu ceſſent) neque horrore, neque febre ſuperveniente, cibique faſtidia ei accidant prægnantem eſſe putato.

Contentum ſeu Intentio.

De notis Gravidarum.

Connexio: Cum in priori Aphoriſmo Hippocrates dixerit, quemadmodum à fluentibus menſtruis tempore geſtationis procreatum fœtum imbecillum fieri: Ita in hoc præſenti Aphoriſmo ex adverſo, ab iisdem retentis, citra manifeſtum morbum, conceptionem jam factam, atque uteri geſtationem præſentem & firmam fore aſſerit: Connectitur etiam hic Aphoriſmus cum aliis ſuperioribus, præcipue autem cum Aphoriſmo 51. ubi conniventiam uteri pro graviditatis ſigno attulit, ut tempe præſentibus hiſce ſignis medicus graviditatem, affirmare & conſervationi fœtus neceſſaria ordinare ſciat.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur. Quemadmodum autem menſtruæ purgationes, ſi gravidis superveniunt, ſæpe numero minantur abortum, utpote quæ fœtum debiletu, nec bene valentem præſagierint; ita vacuis minimèque gravidis, ſi ceſſent, poſtquam per lunares periodos, rite & convenienter antea fluxerint, conceptionem jam ſecutam portendunt, quamobrem inter ſigna ſpecialiora graviditatis, id præcipuum communiter recenſeatur. At verò ne medici in hoc judicio fallantur, advertit hîc Hippocrates, ejuscemodi deſitionibus menſtruorum, neque febrim, neque rigorem ſupervenire debere, ſed potius ciborum faſtidia, ut certior conjectura uteri geſtationis depromatur.

Et quidem humanis fœminis inditum à natura eſt, ut in ſingulos menſes, à ſecundo annorum vitæ ſeptenario (ſeu decimo quarto ætatis anno) per uterum ſanguinis purgationes ſubeant, quibus

is

iſ convenienter irroratus (non ſecus ac fæcunda Tellus, ab ingruentibus imbribus) ſtatuto quodam tempore fæcundus & fertilis evadat, indeque fœtum concipiat ac edat. Et quamvis nonnullæ referantur, etiam ſine ullo menſtruorum indicio concepiſſe, & ſalubriter quoque ſuo tempore peperiſſe, (ut ipſe in propria mea Amita obſervavi, eam abſque ulla ſanguinis menſtrui viſa guttula quatuor proles maſculas continuo concepiſſe & feliciter peperiſſe, aliamque novi amicam meam, quæ usque ad ſeptuageſimum ætatis annum & ultra, menſtrua ſua ordinatiſſime abſque minima naturæ moleſtia continuavit, tandem octuagenaria mortua eſt) id tamen perrarum plane eſt & inſuetum, atque humanæ conditioni valde diſſentaneum, quod alias non niſi quibusdam brutorum generibus ſolummodo permiſſum eſt. Itaque ut humanæ fæminæ concipere & utero gerere poſſint, menſtruas purgationes ſubire debent, quæ cum ſponte ſua defuerint, nulla præexiſtente morboſa cauſa, nulloque morbo divexante, graviditatis inſtantis, vel præſentis indicia ſunt.

Et quamvis plerique omnes fere morbi, iique potiſſimum, qui ſanguinis vitium & partium imi ventris, ciborum confectioni & chyli diſtributioni dicatarum læſiones conſequuntur, conceptioni & generationi impedimento eſſe poſſint, ſpeciatim tamen, quæ uterum in ſua ſtructura & ductibus afficiunt, illas perturbare conſueverunt, ut cunctis notum. Fluentibus autem menſibus, per ſuas ſtatas & determinatas periodos, fieri nequit, quin cætera quoque ad conceptionem & generationem deſtinata, bene & ſalubriter ſe habeant, ut uteri geſtatio naturaliter contingat; quamobrem non immerito ſolius febris & rigoris hîc duntaxat meminit, quamvis alia quoque accidentia retentorum menſtruorum retulerit 1. *de morbis*. Accidit autem febris à retentis & ſuppreſſis menſtruis (citra graviditatis ſuſpicionem) quia irruens per arterias ſanguis in uteri glandulas, ſive cotyledones, cum non æque à venis plane minoribus & anguſtioribus ſubinde excipiatur (experimento Harvei *exercitat. 64.* enim conſtat, arterias uterinas multo numeroſiores eſſe quam venas, cum advehendi, quam revehendi, major ſit uſus, unde ſanguis menſtruus fluit, ex oſculis arteriolarum, à turgeſcentia ſanguinis dehiſcentibus) ſtatut data mora fermenteſcat, nec per fermentum uterinum,

 quâ

qua decet energia ſubigatur, ut adapertis oſculis foras amandetur, unde remeans per venas, uterum externè ambientes univerſum ſanginem totumque corpus inficiat, & febrim excitet. quæ co-uſque perdurabit, quouſque ſanguis univerſus in debita partium alienarum mixtura exutus & a prædicta commotione liber redditus evaſerit, quod ſi præterea lymphaticis & crudis impuritatibus onuſtus atque ab obſtruente glutine, & viſcoſo ſucco plerumque acido pontico depravatus inde prodierit, & per reliquum corporis recurrerit, planæ cunctæ aliæ ejusdem glandulæ, itenique glanduloſa viſcera contaminabuntur, unde poſtmodum malæ nutritiones, cachexiæ, atrophiæ chloroſis & febris, velut e genere hecticarum exorientur, ſi potiſſimum his conſentiant vitia, quæ ab ovariis turgentibus & male affectis prodire ſolent, de quibus non eſt, ut hic ediſceremus.

Rigor vero, velut aliis placet horror accidit a concuſſione & irritatione ſenſilium uteri partium, ab indebita illa fermentatione laceſſitarum, ut etiam ab excurſu irregulari ſanguinis & lymphæ ſurſum in reliquas corporis partes perreptantis, quin etiam lumbi, quibus ligamenta uteri lata, & poſteriora alligantur, non diſſimiliter percelluntur, & non raro etiam dolent, ut & ſcapulæ, dorſum, pectus mammæ, ſicut experientia docet. Sed & ab uno utero male affecto, cætera viſcera naturalia pariformiter coafficiuntur, & in ſuis operationibus, non leviter ſæpe ſæpius, cum gravi vitæ incommodo collæduntur.

Itaque cum mulieri ceſſant menſtruæ purgationes, nec ſubinde febris, aut horror ſupervenit, ut ex his occulta ſaltem cauſa morboſa, vel morbus aliquis, ob quem illæ deſierint, conjectari poſſit, atque ex alio capite ciborum faſtidia superveniant, procul dubio de uteri fætatione, atque adeo de conceptu præſente, vel inſtante judicandum erit.

Ceſſare autem ſeu penitus deſinere illas oportet, veluti in alium uſum deſtinatas, nam ſi per aliquod tempus detineantur, mox vero redeant, haud quaquam deſiiſſe, & ceſſaſſe dicendæ erunt, idque ſive eodem ſive ſubſequente menſe. Fieri enim poteſt, ut ex aliqua externa cauſa, potiſſimum verò ab animi pathematibus, timore atque moleſtia, repente affecta mulier, iſtiusmodi ſuppreſſionem patiatur, ut de Phætuſa & Nannyſia meminit Hippocrates *a, Epidem ultimo.*

timo. Superveniunt præterea gravidis ciborum faſtidia ob conſenſum uteri cum ventriculo, qui propterea vel cibos conſuetos nauſeat, vel penitus inſuetos appetit, unde morbus ille malacia & pica dicitur.

At vero quo pacto utero gerentes, & variis ſeu non gravidis, internoſcendæ ſint, commemorare hic haud inutile erit, ne ſcilicet hac in re, quæ plerumque magni negotii eſſe ſolet, Medici fallantur.

Et quamvis pleraque fallacia ſint, ac peritos in arte non raro etiam decipiant, probabiliora tamen eſſe conſueverunt, quæ mox referuntur. Primum autem ex his, quæ ſenſim utero gerentibus accidunt atque citra quamcunque cauſam manifeſtam ſuperveniunt, eſſe ſolet, ut cibos quoſdam conſuetos faſtidiant & nauſeent, vel etiam evomant, alios vero inſuetos & malos avide appetant & comedant, puta Carbones, calcem, corium, cretam, ceram, carnes crudas &c. id quod ſub nomine Malaciæ ſeu Cittæ, morboſæ nimirum famis, appellatur, ut aliquando toto tempore geſtationis, aliquando vero ad primos, tres, vel quatuor menſes, durare ſolet. Mammæ etiam plerumque ipſis obtureſcunt, extuberant, atque impenſe dolent, etiamſi leviter contrectentur, illarumque papillarum color e purpureo in fuſcum mutatur pectoris venæ ampliores redditæ nigricant. Cervix calidior obſervatur, nec non colli venæ & arteriæ attolluntur ac turgent, ſed & aliquibus maculæ ruffæ, veluti lentigines, in facie apparent, quin imo vultus ipſe paulatim à ſua ſpecioſitate demittitur, conniventibus nonnihil oculorum palbebris, cum albugine eorundem permutata, præter capitis gravitatem aut hebetudinem, totiusque corporis gravamen, pulſuum celeritatem, atque frequentiam, cum ex doctrina Galeni graviditas, temporanea quædam ægritudo appelletur. Quod ſi poſtremo menſtruæ purgationes penitus detineantur, citra manifeſtam, ſenſibilemque ægrimoniam, atque ſubinde ilia tumeant, venter ſenſim ſenſimque attollatur, ac retundetur, cum naturali mollitie, haud quaquam de graviditate amplius vereri licebit.

Quibus igitur à recentis conſuetis menſtruationibus in fœminis ſalubriter degentibus, hæc ſigna accidunt, plane de uteri geſtatione, veriſimiliter judicare fas erit, at vero ſi poſtea menſes prodeant, iniimque curſum ad longum tempus ſervent, impoſſibile ait Hippocrates,

tes, fœtum in utero genitum ſanum eſſe: Et quidem fieri nequit, ut fœtus ſanus ſit, cui uteri os internum hiat, & vaſa ſanguifera cum placenta ipſa laxantur & ſanguinem fundunt. Conſtat enim ex Anatomia, placentam uterinam, ita tenaciter utero adhærere, ut univerſum ſanguinem per vaſa umbilicalia, in vitam & nutritionem fœtus transferat, cum ergo ſanguis ex his funditur, procul dubio ipſum laxari, aut etiam diſcindi neceſſe eſt, quod ſine ejus interitu fieri nequit.

Neceſſe eſt autem, ut ſanguis affluenter atque ad longum tempus prodeat; quamobrem ſi modice tantum, & non diurius effluat, citra periculum detineri fœtus poterit. Sed & ab internis uteri venis cavum ipſius pertingentibus profluere ſanguis debet, nam ſi fortaſſe (ut non raro in praxi obſervatur) è collo uteri, atque ex venis vel arteriis ejusdem externis emittatur, citra ullum incommodum geſtationis, imo & utiliter prodibit, quemadmodum & à Galeno, ceterisque vetuſtioribus Medicis eſt animadverſum utpote ex venis, quas crurales appellant, quæ non raro in quibusdam ſucciplenis mulieribus, ac ſedentariam vitam ducentibus, varicoſæ etiam fieri ſolent.

Cæterum intelligendus Aphoriſmus de his quæ menſtruas purgationes, juxta conſuetam naturæ legem in ſingulos menſes ſubeunt; nam ſicut in plerisque brutis animantibus, illæ nullæ ſunt, ita in nonnullis humanis fœminis accidiſſe memoratur, quod nunquam menſtruas evacuationes paſſæ (ut mox ſupra conteſtatus ſum) nihilominus conceperint, & ſanos & vegetos pepérint Filios, quamvis ut dixi id perrarum eſt.

Reliquæ difficultates circa hunc Aphoriſmum moveri ſolitæ, in contextu ſolutæ ſunt, aut apud Cardanum legi poſſunt.

Aphoriſmus LXII.

Quæ frigidos & denſos (ſeu ſpiſſos) uteros habent, non concipiunt: Et quæ prahumidos uteros habent, non concipiunt: extinguitur enim in ipſis genitu-

ræ

ra: & quæ plus æquo ſiccos & adurentes (ſeu præcalidos) nam alimenti defectu ſemen corrumpitur: quæ vero ex utriſve moderatam (ſeu mediocrem) nactæ ſint temperiem eæ fœcundæ evadunt.

Contentum ſeu Intentio.

De Pathologia ſterilitatis fœmininæ.

Connexio: Cum pluribus in præcedentibus Aphoriſmis oſtendiſſet ſignis Hippocrates, qua ratione ſterilitas dignoſcatur. In hoc præſente Aphoriſmo de cauſis ſterilitatis agit.

Hic Aphoriſmus duas ponit concluſiones, quarum *prima* dicit, Intemperatos uteros ſteriles eſſe; *ſecunda* vero fœcunditate valere. Prima autem concluſio tres rurſum continet concluſiones de intemperatis uteris.

Quandoquidem autem uterus, locus continendo fœtui deſtinatus, plurimum confert ad illius conceptionem, & ſi bene vel male conformatus eſt, illam vel promovet & adjuvat, vel contra impedit & extinguit, propterea Hippocrates conſiderans ejusdem aptitudinem vel ineptitudinem inquit, *frigidos & ſpiſſos ſeu denſos uteros habentes non concipere, ut & neque præhumidos & laxos, aut ſiccos & adurentes, bene vero fortitas moderatos, & medios inter utroique.*

Et quidem præprimis frigidos ineptos eſſe generationi palam eſt, cum vita in animantibus, potius calore ſeu vi & ſpiritu quodam calorifico fermentante, inſeratur, & conſervetur cordis motus, a frigore vero & frigorificis, vel nullus fit conceptus, vel factus torpet & emoritur, unde dicebat Ariſtoteles *2. de generatione animal cap. 3. ineſt in ſemine omnium, quod facit, ut fœcunda ſint ſemina, videlicet, quod calor vocatur, idque non ignis, non talis facultas aliqua eſt, ſed ſpiritus.*

Spiſſos vero ac denſos intelligere oportet, non tantum quos plerique in ſuis ductibus impervios, ac impermeabiles interpretantur, quique ſcilicet genituram, tum maſculinam tum fœmineam admittere nequeant, ſed præterea qui in ſuis poroſitatibus, glandu-

lis

lis ac textura, patenter molles atque expanſioni & amplificationi faciles non ſunt, ſiquidem non ſolum per arterias ac venas ſed multo magis per tubas Pallopianas dictas per cotyledones & glandulas ac per hiantes porulos, & convenientem texturam fœminarum uteri ad conceptionem conferunt. Nuperis namque obſervationibus Anatomicorum, ad peragendam conceptionem, debent primum ova ab ovariis abrupta, atque fœcundo maris ſemine fœtata, per alterutram Tubarum, in cavum uteri deponi, ibique per molles, ſed turgentes ejusdem glandulas alligari, ut ope placentæ uterinæ fœtus intra propria involucra, ſeu ſecundinas efformatus, alimentum ut incrementum ſuſcipere poſſit. Quare niſi hæc omnia in utero convenienter adaptata ac diſpoſita pateant, conceptio & efformatio proculdubio nulla fiet. Itaque cum uterus ſpiſſus ac denſus eſt, ut mollem & patulam, in ſuis vaſculis texturam, & facilem adhæreſcentiam non habeat, nullatenus conceptioni promovendæ aptus erit.

Sic pariter ſiccos & exſuccos & multo magis adurentes ſeu præ validos uteros habentes, idem infortunium ſortientur, cum ab ariditate & ingenti calore, longe majora & graviora incommoda ſuboriantur, præter ea, quæ de defectu alimenti, & ſeminis corruptione hîc ab Hippocrate memorantur, ut liquet.

Oppoſitis vero de cauſis, quibus uteri præhumidi ſunt, & mucoſitatibus oppleti, infæcundæ fiunt, etenim non ſolum in his (ut notat Hippocrates) genitura extinguitur, verum etiam ova, aut utero non coaleſcunt, aut mollia & flaccida diſſolvuntur, aut etiam multo humore obruta, ſuffocantur, aut interno uteri cavo non adhæreſcentia, exſoluta diffluunt & evacuantur; unde frequens in iſtiusmodi fœminis a primo conceptu defluxus

Accidit quod ſemen iſtius virile ob hujuscemodi præhumidis impuritatibus oppreſſum, adeo retunditur & hebetatur, ut inefficax deinde redditum non ſolum ovum fœcundare, non valet, ſed ſimul cum eo dilutum effluit & foras educitur, hinc in univerſum conceptum vel adimunt vel recuſant uteri imbecilles, frigidi, extenuati, adipoſi, præhumidi, diſtorti, occluſi, anguſti, laxi, torpidi, inſenſiles, plorantes, nimiumque aridi, præfervidi, exſucci, ſemperque patuli, aut facile dehiſcentes.

Me-

Mediæ igitur & moderatæ conſtitutionis uteri eſſe debent, ut conceptui promovendo, itemque ſuſtinendo, fovendo & alendo ad maturitatem uſque habiles ſint beneque valentes. Quare quæ ejuſmodi beneficium ſortitæ ſunt, & mediocrem in omnibus conſtitutionem & temperaturam adeptæ, hæ fæcundæ ſunt, id eſt fæcundari aptæ concurrentibus ſimul una cæteris aliis ad conceptionem requiſitis jam antea memoratis.

Cæterum notas uteri bene vel male affecti, exactè præ cæteris inveſtigat, peculiari quodam opuſculo Marcus Antonius Ulmus, & quidem frigidi inquit, eſſe pubem raram, menſtrua tarda, ingratam venérem, difficilem conceptionem, uterum parvum, pudendum molle, frigidum & exile, lac modicum & facile coagulabile: calidi vero ex adverſo.

Quæres 1. Quæ ergo fœminæ in genere ad cõceptum ſint aptiores? ut parvæ magnis, graciles craſſis, albæ rubicundis, nigræ lividis, &c.

Quæres 2. An omnis ſterilitas curari poſſit? R. omnis accidentalis curari poteſt excepta ea quæ vitium à natura contractum habet. Bene tamen advertendum an vitium ex muliere an marito proveniat.

Quæres 3. Quo pacto gubernanda ſit mulier, ut concipiat ac genituram & genitum contineat &c. hoc late & diffuſe docet & explicat Hippocrates *Lib. 1 de morbis mulierum num 26.*

Aphoriſmus LXIII.

Par eſt de maribus ratio: aut enim propter corporis raritatem, ſpiritus foras diſſipatur (ſeu extra fertur) ita ut genituram (ſeu ſemen) ejaculari nequeat (ſeu non transmittat ad os) aut propter denſitatem humor foras non proſilit, aut propter frigiditatem non accenditur, ut eo loci coacervari (ſeu concreſcere) poſſit: aut propter caliditatem hoc idem ipſum uſu venit.

Contentum ſeu Intentio.

De Pathologia ſterilitatis ratione Marium.

Connexio. Cum in antecedente Aphoriſmo Hippocrates, de cauſis ſterilitatis in muliere dixiſſet. In hoc præſenti Aphoriſmo

riſsimo de illis cauſis ſterilitatis quæ viris obtingunt ſermonem inſtituit.

Hic Aphoriſmus cum aliquot concluſiones contineat, ſecundum illas etiam in quatuor partes dividitur. *Prima* de raritate corporis: *Secunda* de denſitate humoris: *Tertia* de frigiditate: *Quarta* de caliditate ejusdem agit.

Sive autem hic Aphoriſmus inter genuinos Hippocratis referri debeat, ſive inter ſpurios, non multum hic intererit diſceptare. Galenus quidem hunc Aphoriſmum, ab Aphoriſmis genuinis Hippocratis expungit, quippe inquit, ſi ad verbum intelligatur falſus ſit, neque ſapiat Hippocratis doctrinam, quem & alii Interpretes ſecuti, eum quoque vel plane omiſerunt, vel cum priore junxerunt, vel inter ſpurios retulerunt, verum licet in eo memorata Hippocraticam doctrinam ſapere non videantur, utile tamen quid continent, & ſaltem medicos admonent, ſolere nonnunquam ſterilitates non à fœminis, ſed à maribus provenire, & quidem non ſatis eſt ad conceptionem & formationem fœtus peragendam, uterum in fœminis apte diſpoſitum, beneque eſſe conformatum juxta ea, quæ præcedenti Aphoriſmo explanata ſunt, ſed præterea neceſſe eſſe, ut ſemen, quod à maribus ſuggeritur, prolificum & fæcundum ſit, valeatque fœmineum ovum, & rudimenta fætus, in eo prædiſpoſita in motum deducere, atque ad nutricatum & debitum incrementum ſuſcipiendum habilitare, ut inde vitalis fætus exoriens, cunctas operationes exercere, ac tandem in lucem prodire queat; Quamobrem ſana ratione, quicunque is fuerit, qui ſententiam hanc Aphoriſmis interſerendam exiſtimavit, marium vim & facultatem conſiderans, ſimiliter in generatione, deficientem eſſe poſſe, adjicere voluit, illamq; in ſterilitate conſiderandam, pari ratione, ac de fœminis dictum eſt, & præſertim in vitio ſeminis, quod, vel ob defectum ſpirituum, fæcundum & prolificum non eſt; vel ob craſſitiem & ſpiſſitudinem ejaculari nequit in uterum; vel quia ob frigiditatem in concoctum & dilutum vel denique quia ob validitatem facile extenuatur & evaneſcit. quippe ſemen, ut fæcundare ac generare valeat, debet eſſe ſpumoſum ac ſpiritibus redundans, tenax & conſiſtens, ut hæreat; non vero craſſum, ſpiſſum ac durum, ut torpeat ac lapideſcat, neque frigidum, ut crudum & dilutum ſit, neque adeo calidum & acre, ut exolvatur in auras, & uterum vellicet potius,

potius, quam alliciat. Attulit autem hic Author has ſpeciatim ſeminis conditiones, veluti magis proprias, & magis ad generationem promovendam requiſitas, omittens alias has conſequentes, vel ad iſtas facile reducibiles, eo potiſſimum ductus argumento, quo cunctis notum, ſemen virile, ut generationem promoveat, debere omnino in uterum primo ejaculari, deinde retineri, mox diffundi, ac tandem fœcundare; quæ plane conditiones, in adjecto Aphoriſmo comprehenduntur, ut conſideranti patet. Cætera quæ ad pudenda pertinent, ſive ejaculantia, ſive præparantia, & perficientia, ſive conſervantia ſemen, veluti inſtrumenta eidem gignendo, vel immittendo prærequiſita, tacite ſub illis comprehenduntur, ut propterea ad conficiendum ſemen, prædictis conditionibus præditum, facile quis præſuppoſita credat.

Quamvis autem Lucretius *Lib. 4. de natura rerum* dicat diſſentanea cæteroqui ſemina, poſſe tamen conſentanea fieri, atque adeo generationi idonea & per opportuna, ſi nimirum quod in ſemine fœmineo frigidum & torpidum eſt, a maſculino incaleſcat, & vigoretur, cum ſæpe ſæpius viſum ſit, ſteriles creditas, fæcundas ex aliorum concubitu evaſiſſe, atque vitaliter peperiſſe, ſi ovum nihilominus, quod ab ipſis ſuggeritur, apte temperatum, & in rudimentis fœtus rite & recte prædiſpoſitum non ſit, procul dubio à virili ſemine, cujuscunque conditionis illud ſit, fæcundari non poterit, ac propterea frigus illius, nulla ratione ab alterius calore, foveri ac vigorari, vel contra acritas & fervor, oppoſita virtute temperari; ſiquidem facilitas, vel difficultas utriusque, in conceptione neutiquam dependet à ſeminum tenuitate, vel craſſitie vel alia qualitate, ſed ab aptitudine vel ineptitudine, partium in iisdem conformatarum, atque ab invicem agentium & ſubigentium promptitudine & habilitate, qua propemodum ratione fit, quamobrem aliquorum animalium ſemina, mutuo inter ſeſe commixta, concipiant & generent, aliorum vero minime: quod & in plantarum inſitione, atque in vegetabilium omnium ſeminum ſatione ſimiliter experimur, ubi ſcilicet plantæ ipſæ inter ſeſe, vel earundem ſemina, cum Tellure conſentiant vel diſſentiant, uti apud Philologicos legere eſt.

Vitium ergo præterea in maribus (quoad generationem) vel ad conformationem vel ad dyſcraſiam pertinet vel ad utrumque: quo ad

conformationem attinet, membrum brevius quam decet, ſemen intra uterum ejaculari nequit, unde non ſtatim colligere & determinare oportet, ſi ſemen ex utero foras exit, clauſum eſſe, cum ex brevitate membri id provenire poſſit, ſed & ex obliquitate meatus. Verum ſi longior ſit meatus quam decet, non concipit mulier, quia ſemen refrigeratur in illa longitudine, & non ita ab utero comprehenditur. At vero ſi magnum admodum fuerit membrum virile, ut dolorem inducat mulieri, dolens uterus ſemen amplecti nequit: & ſi vaſa ſint admodum lata, per quæ ſpiritus meat, genitura, quo minus penem erigat, impeditur, quia antiquam penis ſemen fundat, deprimitur, quod diſſipentur ſpiritus ob raritatem, & ſic ad erectionem penis in opere venereo continuandam non ſufficit, id quod maxime & ordinarie obvenit ſenibus & ad actus veneris jam effoetos.

Objectiones & difficultates de hac re in contextu hujus & aliorum antecedentium Aphoriſmorum ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus LXIV.

Lac præbere (ſeu dare) capite dolentibus malum; malum vero & febricitantibus & quibus hypochondria elata (ſeu ſuſpenſa) murmurantia, & ſiticuloſis; malum item quibus biliosæ dejectiones, febres acutæ, & copioſa ſanguinis evacuatio facta eſt. Convenit vero tabidis, non admodum valde febricitantibus lac præbere, & in febribus longis & languidis, dum nullum, ex ſupradictis ſignis adſit, & præter rationem extenuatis (ſeu conſumptis.)

Contentum ſeu Intentio.
De Lactis noxa & utilitate.

CONNEXIO: Cum in antecedentibus Aphoriſmis Hippocrates de affectibus prægnantium & quæ ad uterum pertinent, egiſſet, & de mammis quoque multa ſcripſiſſet & docuiſſet, nunc in hoc præſente

ſente Aphoriſmo agit, quod mammis familiare eſt, explicans lactis commoda & incommoda, juvamenta & nocumenta.

Hic Aphoriſmus duas habet concluſiones ſeu in duas partes dividitur: In *prima* docet, nocumenta lactis, ſeu quibus nocet in *ſecunda* vero juvamenta, ſeu quibus lac convenit & prodeſſe poteſt.

Lactis ergo uſum conſiderans in hoc Aphoriſmo Hippocrates ea potiſſimum commemorat, quæ ab illo abſtinendum ſuadent, ne ſcilicet pro beneficio, quod ſubinde ab eodem ſperatur, grave damnum corpori accidat, & majora mala aſſumentibus inducat. Quippe ejus eſt lac conditionis, ut quemadmodum ſalubre admodum eſt, & conducibile ſatis iis, qui bene ſtomacho valent, nulliſque pravis humoribus ſunt referti, ita ex adverſo, maleficentiſſimum evadit, quibus malus ineſt corporis apparatus, & ſtomachus in alibilem ſuccum commutando non eſt idoneus. Sic planè experimur in lactentibus puellis, ſalubritati, nutritioni & augmento ipſorum facile conferre, ſi ventriculus omnino repurgatus inveniatur; at contra penitus officere, imo corrumpi, aut aceſcere, & mille alia prope modum mala deinde afferre, ſi is alienis aut degeneribus ſuccis infarctus ſit, cum cibis potiſſimum heterogeneis veſci ceperant, unde poſtmodum tormina ventris dolores, febres, alvi fluxus, vomitus, lumbrici, morus Epilepticus, idque genus alia iisdem ſuper accidant. Quoniam vero frequentiſſimus apud veteres erat lactis uſus, & conſuetus innumeris propemodum morbis adhiberi, ut ex eodem Hippocr. deducitur, ne proinde damna ex temeraria atque importuna ejusdem exhibitione imminentia provenirent, admonet hic, quibus in corporibus evitari debent & ſpecialius recenſet capite dolentes, febricitantes, hypochondriis affectos, crudos, flatuoſos, ſiticuloſos & longa hæmorrhagia divexatos. Commendat vero, tabidis, neque multum febricitantibus, ſed potiſſimum in febribus diuturnis & parvis, minime vero acutis & vehementibus, & denique in omnibus, qui præter rationem conſumpti; & extenuati facti ſunt.

At ſtatim quis hic dubitabit, quomodo fieri poſſit, ut lac innocuæ propemodum, & temperatæ naturæ, blandæ & ſuavis conditionis, atq; in alimentum primum, cunctis animantibus conceſſum, facilis digeſtionis, & promptiatq; conſentanei alimenti tam malum & omninò nocuum, his omnibus evadat, qui cæteroqui iſtiusmodi cibis indigent,

ut ciro reſiciantur, humectentur, temperentur, citra ullam ventriculi valida in actionem, & paſſionem, præſertim quia ipſe Hippocrates 1. *Aphor.* 16. edocuit febricitantibus omnibus victum humidum convenire, qualis profecto lac eſt. Inſuper quamvis lactis natura, materia, & generationis modus nondum ſatis perſpecta ſint, cum veteribus ſit creditum a ſanguine; aliis cum Proſpero Martiano ex chylo, Warthono & aliis, ex commixtione chyli cum liquore nervorum illuc corrivantium, & Barbaro ex ſanguinis ſero proficiſci, Undecunque tamen illud oriatur, nil videtur mali quicquam in ſe continere, quod iſtis in Aphoriſmo memoratis nocere poſſit, cum conducibilius ſemper ſit alimentum præparatum concoctum & bene diſpoſitum, quale lac eſt, quam impræparatum & indigeſtum.

Analyſi prætereà (id eſt demonſtratione lactis anatomica aut medicâ inſtitutâ, cunctis paret, in tres partes diſſolutum illud abire, nimirum in ſeroſam, butyroſam & caſeoſam, quarum quælibet ſummo cunctis commodo eſſe ſolet; ſed & febricitantibus ipſis ſeroſa humectando ac temperando, butyroſa nutriendo, plurimum conferre poteſt, quibus plane tria hæc neceſſaria videntur; quin & Diarrhæas, dyſenterias, aliaſque ſimiles morboſas dejectiones in Epidemiis curare pluries ſatagit idem Hippocrates lactis beneficio, & quod majus 2. *Epidem. ſect.* 5. ad aurium dolores lacte utendum inquit: *& lib. de internis affectionibus* ad alios plures morbos adhibet; ut cætera hic omittam, quæ à pleriſque aliis experimenta referuntur lactis ope utiliter & ſalubriter diverſis in morbis obſervata, ut propterea non mirum, ſi illud veteribus tantopere fuerit in uſu, quemadmodum ex eodem Hippocrate pluribus in locis colligere eſt: quin imo ſolo lacte, plurimos totam vitam ſuſtinuiſſe ſcribunt Athenæus & Plutarchus, Strabo &c. unde Ovidius 4. *faſtorum.*

Lacte mero veteres uſi narrantur & herbis.

Galenus etiam ruſticum quendam memorat, qui plus quam centum annos vixerat, lacte uſus, fuere & alii Getæ, Scythæ, Nomades, ob id Galactophagi dicti, ut & nunc Belgæ, Helvetæ & Septentrionales populi, qui in deliciis illud habent, & cum omnibus fere cibariis commiſcent.

Verum per hoc idem, quod lac temperatæ naturæ eſt, atque pri-

primum animantium alimentum, facile ſubigibile & alterabile, cum magna præmeditatione eſt exhibendum, & non miſtis, quibus omnis metus abeſt, ne aceſcat corrumpatur, atque in deleteriam naturam abeat, juxta vulgatum illud Philoſophorum, *corruptio optimi peſſima evadit*, quocirca ſcite admodum ſcripſit Hippocrates *lib. de alimento*, ſanis corporibus alimentum fieri, at vero morboſis ex adverſo, venenum evadere. Atque hinc animantibus omnibus in prima ætate pro alimento à natura conceſſum, quoniam per id temporis mandendo inhabilibus, ventriculi fermentum, lene admodum eſt & temperatum, & durioris texturæ cibos diſſolvere potens non eſt, & ubi primum, editis dentibus, illos conterere valent, lacte deſtituuntur? quæ vero animalia ſtatim, ac in lucem edita, hos capere & conficere poſſunt, lactificatione privantur.

Neque alia de cauſa infantes & nuper editi, cruditatibus ac vermibus obnoxii fiunt, adeoque ventris torminibus, dejectionibus, motibus epilepticis afficiuntur, cum nondum ab uberibus depulſi, alterius conditionis alimenta aſſumere incipiunt, niſi quia ex mala eorundem cum lacte miſcela utrumque corrumpitur & aceſcit, ut ex praxi ipſa ſatis clare patet. Hippocrates autem victum humidum ſeu liquidum febricitantibus commendavit, ſed neutiquam tam facile corruptibilem, atque in pravos humores tranſmutabilem qualis lac eſt, ſed potius qui febrili cauſæ, atque indebitæ ejusdem fermentationi convenienter adverſetur: Auribus vero dolentibus lac extrinſecus admotum aut inditum, non vero aſſumptum is commendavit, quemadmodum Galenus ipſe utendum admonet 3. *de compoſit. medicament. ſecundum loca.* Atqui coctum lac pluries exhibitum invenitur, non crudum apud veteres, niſi ſolum ad alvum ſubducendam, & in iis, qui febre caruiſſent: lac etenim decoctum, tepore ſuo ſero orbatum, vim quandam adſtrictoriam adipiſcitur, unde fluenti alvo plurimum opitulatur. Qui vero lacte à prima ætate paſti ſunt, ac pro cibo uſi ex conſuetudine contracta, nullum planè incommodum perceperunt: & ô utinam lac ſolummodo in cibum ſumere cuncti homines contenti forent, profecto non tam facile tot, tantisque morbis, à multitudine & varietate ciborum laborent: quamquam Galenus *Cap. 5. de ſanit. tuenda cap. 7.* quidam alios memoret, Agricolam illum ſub ſpe longævitatis prorogandæ mu-

imitatos, ab uſu ejusdem graviter affectos. Cæterum etſi lac ex chylo, aut ſanguine oriatur, longe tamen ab illis differentem ſortitur conditionem, ut ex mita eorundem analyſi ſatis notum eſt, præterquam quod ab his, quæ intra corpus fiunt, ad ea, quæ foris accidunt, aut peragi poſſunt, non valet illatio, mutatis & variatis ſubinde componentibus, aut concomitantibus corporis cujuscunque compagem id quod perſpicuum in lacte eſt, nam è mammis elicitum, atque aeri expoſitum ſtatim alkalinum ſpiritum amittit, cæterarum lactis partium moderatorem, ut in ſanguine educto quoque accidit.

Hinc modo facile deducitur, quare capite dolentibus, nocuum lac eſſe dicatur, quia cum dolor plerumque fiat, ab acri acido, pungenti & vellicante humore, qui ſæpe ſæpius è ventriculo, & cæteris viſceribus naturalibus male affectis dependet, is procul dubio uſu lactis augeretur potius quam retunderetur. Lac inſuper ſua natura ſomnoſum, vaporibus caput & cerebrum plus juſto replet, imo & ſopore aggravat & inebriat; unde recte Lucretius lac vino comparans *1. de natura rerum ait* Hinc nova proles.

Ludit, lacte mero mentes percuſſa novellas.

Quamobrem ex mora, contracto ibidem acore graviora procul dubio damna inferet. Neque diſtinguere hic licebit, num caput Idiopathice & ſympathice doleat, nam cum indifferenter ab Hipp. ſcriptũ ſit, *caput dolentibus*, plane de utrisq; intelligendum erit, cum in utrisq; cauſa, dolorem excitans, æque foveatur & increbeſcat, ab acore ſcilicet in humoribus excitato, unde Galenus *3. de aliment. facult. cap. de lacte*, ſumpturos lac, dixit indiſcriminatim oportere capite præſtare, ac præpotentes eſſe, nulla facta eorundem diſtinctione. Non tamen inficias iverim, longe magis lædi eos, qui idiopathice capite dolent, quam qui ſympathicè, quia illis præter dolorẽ, caput imbecille eſſe ſolet, & malarum impreſſionum promptius ſuſceptivum. Etſi præterea de capite dolentibus ſpecialiter meminerit, non tamen aliis morbis capitis affectos excluſit unde delirantes, lethargicos, epilepticos, vertiginoſos, adhuc vigiles, eandem ob cauſam hoc loco comprehenſos, ſub capite dolentibus, intelligere oportebit: ſiquidem his quoque contingit, nimiis vaporibus caput gravari & offendi, atque humorem acredine compungi & vellicari Porro licet lac univerſum & ſecundum omnes ſui partes acorem contrahat, & ejusmodi mala inferat, magis tamen per butyroſam & caſeoſam nocet, quia ex his concreſcit, atq;

par.

partibus adhæret, aut in deleterios humores corruptum abit. Quamobrem quod ſeroſum magis eſt, quale aſininum ab authoribus, ubi in ægris convenit, commendatur, ad eluendum ſcilicet, detergendum & laxandum, nitroſa qua pollet conditione. Obeſſe quoque lac dicitur febricitantibus, & quidem us, qui humoralibus & putridis, ut vocant febribus corripiuntur, cum infra dicat illud tabidis convenire & non multum febricitantibus, quales hectici & maraſmo affecti, ex longis & diuturnis puſillis febribus; in illis etenim tum ob febrilem nulebriam & excedentem fermentationem, tum ob ſanguinis vitioſam diatheſim, qua digeſtivum ſtomachi fermentum, pari vitio affectum eſt, tum ob excrementorum & pravorum humorum apparatum, coctiones & ſecretiones nullæ vel malæ fiunt, idcirco prompte admodum lac in nidorem aut acorem vertitur, adeoque corruptum, ac in alienam naturam degeneratum, præter febris & febrilis cauſæ augmentum, nullo alia ſymptomata parere poteſt, vomitus, cardialgias, ſingultus, diarrhoeas, dyſenterias, inteſtinorum tormina, aliaque febricitantibus perniciosiſſima.

Malum præterea dicitur lac iis, *quibus hypochondria ſuſpenſa murmurant* nomine autem hypochondriorum, intelligenda ſunt omnia viſcera in uno ventre utrinq; poſita, jecur, cyſtis, lien, pancreas, pylorus, ventriculus, uterus, inteſtina; ab his enim male affectis, tumidis, elatis, tenſis, duris, obſtructis, aut inflammatis, plane conſtat lac aſſumptum facile vitiari, & vel aceſcere & coagulari, vel corrumpi & putreſieri, unde poſtmodum mala innumera. Signanter autem hic meminit eorundem *ſuſpenſorum & murmurantium*, quia hæc duo ſolent eſſe ſpeciatiora male affectorum hypochondriorum ſymptomata, de quibus latè ex Diocle Galenus; *de loc. affect. cap 7.* & ante ipſos Hippocrates *lib. 2. de morbis* & alibi. Siticuloſis pariter lac obeſſe ſolet, ſed non quibus ſitis ex abſumptione humidi orta creditur, nam his ut infra conſtabit, ſuapte natura convenit & confert, ſed quibus vel à febre, vel à corruptis cibis & pravis ſuccis in ventriculo congeſtis, ſaliva craſſiore, & ſalſa reddita, cæteriſque ſimilibus, frequens ac diuturna ſitis infenſa eſt, hi etenim revera vocantur Siticuloſi, ſiti equidem morboſa & moleſta, quæ nec largis potationibus, nec frigefacientibus & humectantibus remediis infringitur aut ſedatur niſi cauſa illam efficiens ac fovens penitus fuerit prius abolita. Neque quis putet ſupervacaneè adjectum [illegible] etiam ſiticuloſis lac [illegible] eſſe

eſſe nocuum, quod fortaſſe poterat implicite ſub febricitantibus contineri: Nam adhuc ſine febre moleſtiſſima ſitis non raro urget, ut in Hydropicis & Scorbuticis, Picrocholis & bilioſis, ſicuti Hippocrates ipſe *Lib. de rat. victus in acut.* dulcia omnia inimica eſſe dixit & ſitim movere, ita quoque lac interdictum credere eſt, quod facile in his amareſcat, acrem & felleam induat conditionem, quare his ſitim potius auget, quam minuit.

Eadem de cauſa obeſſe dicitur his, qui febricitantes bilioſas patiuntur dejectiones: adjunxit autem febribus acutis bilioſas dejectiones, non quod acute febricitantibus conveniat, quibus malum jam antea dixerat, ſed quod magis noceat, ſi bilioſæ dejectiones illis conjungantur. Verum bilioſas hic dejectiones intelligere erit, non quæ ſolo croceo colore tales videntur, quales in lactentibus, ſed quæ re ipſa acres, & acedo-muriaticæ ſunt, ventriculi & inteſtinorum labem indicantes; quibus vero ob peculiarem ciborum, aut medicamentorum qualitatem flaventes dejectiones accidunt, ut ex malis perſicis, peponibus, croco, rhabarbaro, & cæteris paſſim experimur, vel etiam ex ſpeciali quadam ventriculi conſtitutione à natura inditum, fæces croceas, aut aliter coloratas egerere, lactis uſus obeſſe non poterit, ſi cætera non diſſentiant, & ſtomachus bene ſe habeat: at vero vomitus qualiſcunque ille ſit, lactis uſum prohibet, & languente præſertim ventriculo.

Non tantum autem cum bilioſæ inſeſtant dejectiones, lac dare malum, ſed etiam ubi ſanguinis multa dejectio facta eſt, ſiquidem à ſanguinis immodica evacuatione, non ſolum languent vires, & digeſtivum ſtomachi fermentum hebeſcit, unde facile lac aceſcere poteſt, ſed multo magis illud acidum & depravatum indicatur, veluti a ſanguine vitiato & male affecto proveniens, qui planè talis erit, ſi hæmorrhogiam inteſtinalem excitat, de qua proculdubio intelligendus hic Hippocrates, multi ſanguinis dejectinnem memorans, ab apertionitum ſanguifero vaſe ut in fluxu hæmorrhoidali dicto; cui inhærens Celſus *lib. 3. cap. 22.* Lac his pro veneno eſſe ait.

Hactenus quibus lac noceat, nunc quibus conveniat exponitr. Et quidem iis primum, qui Tabidi ſunt, ſed non tamen multum febricitant. At qui pro Tabidis hic intelligendi ſint, prænoſſe primum oportebit, nam Tabidos multifariam intelligi ſolere, apud Medicos palam

palam eſt; quin & plerique Atrophia, Maraſmo & ſimili emaciatione confecti, non raro tabidi quoque appellari conſueverunt; quamobrem non immerito Mercurialis *variæ Lectionum lib. 6. cap. 22.* etiam ex Hippocratis doctrina, indiſcriminatim pro Tabe, inſignem quamlibet corporis emaciationem ac conſumptionem apud Græcos & Latinos Scriptores acceptam interpretatur. Sed & multo antea Celſus C. lib. 3. cap. 22. ad tabem retulit quoque Atrophiam & Cachexiam. Verum ex græco Codice Phthiſi laborantes ii intelligendi ſunt, quibus ex pulmonis ulcere Tabeſcere contigit: nam Phthiſis ſtrictè ſumpta communiter à Medicis deſcribitur, totius corporis extenuatio, cum febre lenta, ex ulcere pulmonis proveniens, quam & ſpecialius Athenienſes Phthoen appellaſſe teſtatur Galenus *7. Aphor. comment. 16.* Quanquam non me lateat etiam generalius acceptam ſignificare conſueviſſe, quamlibet corporis extenuationem, á quacunque cauſa, & cujusvis partis affectione procedentem, unde multoties confuſa ponitur cum maraſmo, marcore, atrophia, & tum ab aliarum partium ulcerationibus, tum ab immoderatis evacuationibus, quorumcunque humorum, aut inutilium excrementorum retentionibus, obſtructionibus, tumoribus, oſſium luxationibus &c. quemadmodum præ cæteris nuperrime collegit, Morton lib de Phthiſi, quin & Galenus ipſe, non ſolum totius corporis, ſed & ſolius pupillæ oculi corrugationem, & anguſtiam cum exiccatione, Phthiſim appellare non eſt veritus *10. de uſu partium Cap 5. & 3. Aphoriſ. comment. 16.*

At mirum quomodo Hippocrates Phthiſicis, ex pulmonum ulcere, lactis uſum commendet, cum cæteroqui ulcus quodlibet, non humectatione ſed exiccatione egeat, ut ſcilicet pus inde emergens detergatur, & pars ulcerata conſolidetur, ut pluribus oſtendit Galenus in *methodo medendi:* Quamobrem & plurimos novi, à lactis uſu copioſius pus exſpuiſſe & ulcus pulmonis fordiuſſe magis, cum citiori ægrotantium internecione. Verum commendatum veteribus lac in Phthiſicis crediderim, non quod omnino profuerit, ſed quod creditum iis ſit, deſumptis ex phthiſi indicationibus convenienter ſatisfacere poſſe, cum alia per id temporis medicamenta ſimul una iis conferentia minime innotuerint: cum enim Phthiſim ab ulcere, pulmonis tria comitentur, Pus, Ulcus & Marcor: Indé

 fit,

ſit, ut tria quoque ad illius curationem expoſtulentur: nimirum pus detergentia, ulcus conglutinantia, & marcorem reſtaurantia, quæ plane ope lactis, ſpecialius conſequi poſſe videntur. quippe ſeroſa ſui parte, pus in pulmonibus collectum abſtergitur, parte caſeoſa ulcus conglutinatur atque ad cicatricem perducitur, & parte butyroſa marcore confectum corpus reficitur & impinguatur; quemadmodum lactis uſum, ad Phthiſin curandam, non immerito ſummis laudibus extollebant, atque unicum ejusdem remedium exiſtimabant, ut & ad uſque noſtra tempora actum & putatum eſt. At nunc cum vulnerariis, balſamicis, reſumptivis propemodum innumeris abundemus, ex vegetabilibus, animalibus & mineralibus petitis, ſub forma elixiriorum, electuariorum, extractorum, pulverum, pilularum & ſimilium, quibus citra quamcunque noxam empyicis & phthiſicis opitulamur, lactis uſus, non bene apud recentiores audit, eo quod majora ſemper incommoda ferat, nec re ipſa in ſalutem ægrotantium cedere obſervetur, Hinc ergo moverint, qui ne quidem latum unguem à vetuſtioribus rei medicæ cultoribus recedere audent, quam fuerit illis curta ſuppellex, cum jam noſtris temporibus, ſagaci recentiorum induſtria, tot & tantorum medicamentorum ſimplicium & compoſitorum, numeroſa acceſſione, nimium locuples medicina evaſerit.

Quod ſi unquam lac Phthiſicis videatur exhibendum, ſit illis ſtomachus bene valens, omni impuritate vacuus, ætas patiens puerilis, alvus adſtricta potius quam laxa, ſputum purulentum, vel nullum, vel modicum, nulla febris, vel leviſſima, citra viſcerum obſtructionem, duritiem vel tenſionem, præter ea, quæ in his conſideranda notavit Hippocrates *Lib. 2. prædictionum.*

Cæterum inter lactis ſpecies (licet Authorum variæ & differentes ſint opiniones) præcellit humanum, utpote naturæ noſtræ conſentaneum, quod cum etiam proxime à mammis exugatur, procul dubio conducibilius eſt, nulla ſcilicet evolante parte volatili & alkalina, quæ cæteras moderatur & temperat, imo ab acore & putrelactione tuetur, & ventriculo concoquenti, mirum quantum opitulatur. neceſſe autem eſt, ut lactans mulier, non tantum optimis & conferentibus edulus veſcatur, verum etiam omni

omni animi pathemate libera ſit, juvenis, cathameniis libera, ſanæ conſtitutionis, & quæ a tribus vel quatuor ad ſummum menſibus pepererit. Quamquam Helmontius, non irrationabiliter contendat, illud præ cæteris, non tantum adultis, ſed & recens natis, valde nocuum exiſtimandum eſſe, eo quod magna incommoda ſubeat, & inferat, ob varias nutricum animi perturbationes. Humano lacti ſuccedit aſininum, quia ſeroſius, poſtea caprillum, aliquanto conſiſtentius, conferente in id quoque plurimum loci conditione, tum ob aeris, tum ob paſcuæ ſalubritatem, quemadmodum de Stabiis ſpeciatim meminit Galenus *5 methodo cap. 12.*

Ovillum denique, vaccinum, bubulum, equinum, inferioris nota ſunt, licet ob caſeoſæ partis abundantiam magis nutriant, & impinguent, unde priſcis temporibus Athletas caſeo ex ciliciis victitatos refert Pauſanias, ad robur & corporis nitorem augendum; & Scythas equorum lacte coagulato & in caſeum redacto (Hippacen vocant) uti tradit Hippocrates *Lib. de aere, aquis & locis.* Camelorum vero lac, omnium dulciſſimum & ſuaviſſimum eſſe, ſcribit Plinius *lib. 28. cap. 9. & lib. 11. cap. 41.* Addit inſuper Hippocrates, convenire lac tabidis dare dummodo non valde multum febricitent: equidem ſi ii vehementi febre corriperentur, lac prodeſſe non poſſet, quia ex gravi illa febre, procul dubio lac ejuſcemodi beneficio detergendi & conglutinandi ulcera orbaretur, cum vix in ventriculo receptum, vi febris & fermenti febrilis, in nidorem vel acorem penitus abiret. non raro enim fit ut phthiſici, non tantum febre lenta & puſilla, quam habitualem vocant, ſed etiam acuta & gravi, quam dicunt humoralem & putridam, afficiantur, ob cumulata potiſſimum excrementa, ex malis coctionibus & ſecretionibus ſubortis, vel etiam ex intruſo pure in pulmone coacervato, per arterias in ſanguinis maſſam, unde is plus juſto fermenteſcit & exolvitur: quamobrem ſana ratione, antea dictum eſt, purulentum ſputum vel nullum, vel modicum illis ineſſe oportere, ut lac prodeſſe poſſit. Ita pariter conjectabimus, ulcus neque magnum & profundum, neque ſordidum eſſe adeoque facile in conglutinationem redire, & ſanguinem in ſuam naturalem craſim, lactis beneficio revocari poſſe.

Similiter in febribus longis & parvis adjecit, lac conducibile eſſe in quibus ſc. ob diuturnitatem corpus extenuari atq; ob tumorum tenuitatē, & virium languorē, puſillas febres evadere contingit. in his enim

deſumpta indicatione à corporis marcore de quo alias ſcripſerat, *quæ longo tempore extenuata ſunt corpora, lente reficere oportet Sect. 2. Aphor. 7.* Lac videtur omni ratione convenire, nihilum ex adverſo repugnante ſebris conditione, quæ puſilla & parva ponitur. At quoniam non raro, cum his diuturnis febribus jungi ſolent obſtructiones, & viſcerum tumores, propterea non temere addidit, *ſi nullum ex ſupradictis ſignis adfuerit*: nam ſi fortaſſe hypochondria tumerent, obſtructa aut inflata forent, lac nulla ratione conveniret; itemque ſi ingens ſitis, bilioſa dejectio aut ſanguinis evacuatio conjungeretur ut antea jam dictum. Sed & idipſum non inutiliter repetendum exiſtimavit, ut nimirum oſtenderet, quam cautè lac exhibendum ſit, ut ſi fortaſſe unum vel alterum illorum contraindicantium adſit ab illius uſu penitus abſtineamus, unde non ſatis eſſe putavit, illa antecedenter recenſuiſſe, niſi etiam id ipſum nunc denuo rememoraſſet. Hinc monitos nos voluit, & cautos eſſe in lactis exhibitione, quia indebite & inconvenienter epotum plurimum nocet & officit, quamobrem rectè Galenus advertit, *non ſemper Hippocratem ſervare brevitatem, ſed in quibus magnum aliquod periculum imminet, ſi negligentius, quod ab ipſo docetur, audiatur bis terve repetere eadem non vereri.*

Poſtremo ceteris quibuscunque præter rationem conſumptis, lac utile eſſe docet, quemadmodum ſunt atrophia, maraſmo frigido, tabe dorſali, aliave ſimili ægritudine affecti, citra febrim, aut aliam evidentem conſumptionis & extenuationis cauſam. quo fortaſſe motus argumento Galenus, uſum lactis approbat, ſenibus maraſmo frigido laborantibus *Lib. de Maraſmo & 7. Meth. cap. 5.* quin & plures legimus ſolo lacte vitam incolumem conſervaſſe, ut de Agricola ſuperius memorato ſcribit Galenus *Cap. 5. de ſanit. tuenda cap. 7.* & de aliis narrant Athenæus, Plutarchus, Plinius, Leo, Africanus & alii.

Coronidis tandem loco ſubjungere non erit incongruum, ad prohibendam lactis coagulationem conferre plurimum, ſi eidem admiſceatur ſaccharum aut mel, ſed & Galenus, *in hujus Aphoriſmi comment.* Serum lactis, ſale & melle conditum, ſe etiam flatuoſis exhibuiſſe teſtatur: attamen ut lac minus noceat, imo ut melius nutrire valeat, ſit recens mulctum, album, medium inter tenue & craſſum, ſa-

ſapore dulciſſimum, omni aſio ſapore liberum, ab animante eſſectum florentis ætatis, & plantis, in opportunum uſum conferentibus, enutrita.

Verum de hac re conſulantur fuſius Claudinus, Primeroſius aliique plures, qui de lacte ejusque commodis & incommodis ex profeſſo ſcribunt.

Quæres, quot modis ergo exhibetur lac? ℞ breviter 1. vel ut nutrimentum, veſut medicamentum, vel aliquando utroque modo. ℞ 2. vel ſimplex vel cum aliis ut jam dictum, mixtum nempe ſaccharo, melle &c. ℞. 3. vel crudum & frigidum, vel coctum & calidum.

Plures difficultates, de materia, uſu & abuſu, commodis & incommodis lactis lege Cardanum ejusque ſuper hunc Aphoriſmum Commentarium.

Aphoriſmus LXV.

Quibus ſunt cum ulceribus Tumores conſpicui ii non admodum convelluntur neque inſaniunt: his vero repente evaneſcentibus ſiquidem poſtica parte (ſeu à tergo) factum ſit, convulſiones & Tetani accidunt: Si vero à fronte, inſania, aut lateris dolores acuti. aut Empyema (ſeu ſuppuratio) aut dyſenteria (ſeu difficultas inteſtinorum) ſi rubicundi fuerint Tumores.

Contentum ſeu Intentio.

De tumoribus, doloribus, ulceribus, & vulneribus conjunctis, & recurrentibus.

Connexio: Quam dependentiam habeat hic Aphoriſmus cum antecedentibus, non eſt facile conſequi, cum valde differentem in eo tractet materiam à prioribus longe diverſam, niſi forſan cum media-

mediate ſaltem aliquis referre velit, vel ad 22. in quo ultimo de ulceribus, vel ad 21 in quo de Tetano egit, & poſtea de affectibus mulierum continuo tractavit, & nunc iterum ad ulcera & Tetanum revertitur.

Hic Aphoriſmus ſecundum duas concluſiones, in duas partes dividitur: In *prima* aſſerit non admodum inſanire, neque convelli eos, quibus ſunt cum ulceribus tumores conſpicui. In *ſecunda* vero ex tumorum receſſu, ſi ad partem poſteriorem ſit, ulcus convulſionem & tetanum minari. Si ad partem anteriorem, inſaniam, pleuritidem, empyema, & dyſenteriam. Aphoriſmus hic ad partem medicinæ chirurgicam pertinens totus eſt prognoſticus, eoque Hippocrates futura & imminentia ex ulceribus mala, prædicenda docet, & Medicos quoque præcautos eſſe oportere admonet, ut internoſcere ſimul & illa præcavere valeant. Deſumptus autem ille eſt ex *2 Epidem. ſect. 3.* Licet paulumper immutatus, ſed tamen ita, ut facile unus alterum exponat. Solent equidem ulceribus, ab inflictis potiſſimum vulneribus, tumores ſupervenire & præſertim Phlegmonodes dicti, ab impedito nimirum remeantium humorum circuitu, eo quod interruptis atque intercilis viis, diſcurrentis ſanguinis & lymphæ ſic ſponte ſua ad labia vulneris hæreant & reſtagnent, unde poſtmodum tumores & licet Hippocrates in textu dicat *œdemata*, iſta tamen ut interpretatur Galenus, omnem tumoris ſpeciem apud veteres comprehendebant, quamobrem ſive ſanguis ſive lympha, aliusque humor præter naturam ibidem congeſtus, ex mora facile fermenteſcens, acore atque irritatione, non tantum partem ipſam ulceratam tumefacit, & extorquet, verum etiam membranas & nervos circumjacentes tum corpulentia tum acredine coarctat, comprimit, vel etiam inflat & dilaniat, indeque convulſiones & abalienationes mentis exoriuntur. Hæc autem eſto indiſcriminatim quibuscunque partibus vulneratis accidere poſſint, ſpecialius tamen plurima & varia nervorum ramificatione refertus, afficiunt, & ubi extrema muſculorum ſunt ſiucrata talia enim vulnera & ulcera parva ſunt ut dicetur *Aph. ſeq.* Si igitur ejusmodi vulneribus, aut ulceribus tumores ſupervenient, inquit Hippocrates, neque convelli, neque inſanire. Tunc enim verendum de convulſione aut inſania, cum humores commoti, & per corpus debachantes ad cerebrum aſſcen-

runtur, atque nervorum principium occupant, & divexant; at vero in partem vulneratam delati, illud indicant immune ab ejusmodi læſione manere, adeoque nec convulſioni neque dementiæ obnoxium fieri, quas procul dubio intuliſſent, ſi in cerebri meditullium decubuiſſent. Atqui dixit Hippocrates, *non convelluntur maxime* quia fieri poteſt, ut etiam cum ejuscemodi humorum depoſitione & tumorum in ulceribus apparitione, convulſiones & inſaniæ habeantur, vel ob conſenſum earundem partium ſauciatarum cum cerebro, aut cum ſpinali medulla, ut contigit ſutori illi qui pupugit acu genu qui ex dolore & inflammatione convulſus inſanivit ut refert *5. Epidem* vel quia non integre mali humores, in ulceratam partem deponuntur, ſed alii in hanc, alii in cerebrum ſunt translati; vel quia aliunde contingit cerebrum, & nervos una ſimul affici, ſed profecto magis & magis læderentur convulſione & inſania correpti, ſi à depoſitis pravis humoribus in partem ulceratam, tumores non apparerent. Etſi igitur alia de cauſa delirium aut convulſio accidat, non maxime nec vehementer & continuo moleſtabunt, ſi ulcerata pars tumida apparebit, & ea mole & magnitudine, quæ proportionem ſervare viſa fuerit, ad humorum copiam & ulceris amplitudinem ac profunditatem

Quoniam vero humores iſti, in ulceratam partem depoſiti, facile loco moveri poſſunt & alio transferri, promptius plane in cerebrum, velut in partem ſuâ natura debiliorem, & magis cum vulnerata conſentientem eſſe tenrur id quod cum acciderit, convulſiones & diſtenſiones nervorum evenire palam eſt; quamobrem recte idem Hip. ſubdit, tumoribus hiſce repente evaneſcentibus, quibusdam à tergo convulſiones & diſtenſiones fieri: aliis vero inſanias, laterum dolores, aut inteſtinorum difficultates, prout humores ipſi commoti, in hanc vel aliam partem decubitum fecerint; quod oppreſſius idem Hipp. declaravit *cit. 2. Epid ſect. 3.* ubi: *His autem*, inquit, *evaneſcentibus repente, quibus quidem in poſteriores partes, convulſiones cum doloribus; quibus autem in anteriores, aut inſ.niæ aut dolores lateris acuti, & dyſenteria rubra:* Siquidem ad poſteriorem cerebri partem ſpinalis medulla, ejusdemq; nervi potius afficiuntur, ad anteriorem vero, mens ejusq; phantaſmata, etſi inferius adhuc deferantur ac decumbant & thoracem aut imum ventrem petant, lateris dolores aut dyſenteriæ exorientur,

 unde

unde habemus ægrum illum famoſum ab Hipp. *5. Epid.* deſcriptum, cui cum ſcriptum transverſum jaculo percuſſum eſſet, & ipſe rideret, ex eo riſu prædixit Hippocr. convulſionem, quæ illum paulo poſt corripuit & interfecit.

Quin Galenus, reprehenſus tamen à Cardano *in comment. hujus Aphoriſmi*, ab ulceratis partibus poſterioribus vel anterioribus, deducit convulſiones, vel manias & cæteras affectiones fore ſecuturas. *Si vero*, ait, *tumores derepente evaneſcant, convulſiones aut Tetani, quando in partibus poſterioribus, hoc eſt in dorſo, ulcera fuerunt: quæ vero deinceps dicuntur, ſi in partibus anterioribus fuerint, conſequi dicit*: & rationem addit, *poſteriora ſiquidem nervoſa ſunt, anteriora venoſa & arterioſa*: At hiſtoriæ duæ relatæ *hoc loco* ab Heurnio de vulneratis in humero & ſcapula, nullo interea apparente Tumore, in inſaniam potius ductis, quam in convulſionem, contrarium evincere videntur. quamobrem hæc indiſcriminatim quoque exoriri poſſe eſt fatendum.

Sed ut hæc mala eveniant, non ſatis eſt, ut tumores diſpareant & evaneſcant, ſed neceſſe etiam eſt, ut repente & citra manifeſtam & evidentem cauſam. Ita enim fit, ut certo judicare liceat, humores alio fuiſſe delatos, non autem revera evanuiſſe aut fuiſſe reſolutos ac diſſipatos: Siquidem quæ reſolvuntur, aut certa ratione diſſipantur, ſenſim & ſenſim fiunt, præcedentibus ſignis attenuationis, coctionis & evacuationis: hinc jure optimo idem Hippocrates *eodem 2. Epidem. ſect. 3.* docuit: *quæcunque ſine ſigno judicationis judicatorio diſparent, male judicata ſunt, velut Eryſipelas ancillo Polemarchi* & quemadmodum contigit Calvo Lariſſæo *3. Epidem.* Sed ne quis ambigat, quo pacto humores á partibus ulceratis ſubito ac repentè diſpareant, alioque ferantur, quia corpulenti ſunt & plerumque craſſi. Siquidem id ope circulantis ſanguinis & lymphæ, facile accidere poteſt, reſumptis nimirum iis per venas, aut lymphaticos ductus, qui non raro plus juſto, vel repellentium medicamentorum molimine, vel laxantium linimentorum amplificatione, hærentes cæteroqui humores excipiunt & diducunt, circumpellentibus undique partibus annexis. Quod ſi fortaſſis tenues & ſeroſi illi fuerint, adhuc promptius per poros partium atque per ſubſtratas & adjacentes glandulas abſorbentur, & in ordinarios & proprios canales, adja-

cen-

centium partium, & præſertim muſculoſarum niſu, coadjuvante plurimum calore, & fermentatione ibidem excitata, alio adiguntur & profluunt. Verumtamen, neque ſolum in cerebrum poſſunt loco moti, à tumefactis partibus, humores transferri & convulſionem aut maniam excitare, ſed alias quoque conſimiles morbos, juxta partium affectarum conditionem. Quare non tantum morborum cerebri & nervorum meminit hîc Hippocrates, verum etiam Pleuritidis, Peripneumoniæ, Empyematis, ſi id ad pectus atque etiam dyſenteriæ, ſi ad imum ventrem & inteſtina, humores illi transferantur & decumbant. Adjecit autem in textu, *ſi tumores ſint rubicundi*, quia pleuritis & peripneumonia, de genere inflammationum ſunt, & non niſi à ſanguine, vel cum ſanguine teſtagnante contingant, atque ab iſtius putrefactione empyema. Dyſenteria autem hic intelligitur cruenta quam rubicundam *crt 2 Epid.* appellavit, cujus etiam meminit *lib. de natura humana 3. Epid. & lib. de artic.* & Galenus *3 de ſymptom. cauſis cap 8. & 5. de locis affect. cap ult.* imo lienoſis ſupervenientem ſalutarem cenſet *6. Aph. 48.* veluti ſine inteſtinorum ulcere, & nullo alio gravi ſymptomate ſociatam, imo criticè, natura malum a bono ſanguine ſeparante promotam. Quod ſane ſi pari modo contingat, ex tumoribus ſubito evaneſcentibus, translatis interea pravis humoribus, in patentiores ductus, unde facilius poſſint evacuari, vel ſaltem in ignobiliores corporis partes deponi, cum virium levamine & ſymptomatum remiſſione, procul dubio, neque penitus ejusmodi translatio vituperanda erit, ut non raro Podagricis accidit. Obſervatum etiam aliquando eſt in quadam muliere, cui tumor ingens ad clunes acciderat, ex ulceribus ibidem antea contractis, illo repente evaneſcente, atque ex arefactis omnino ulceribus ſubortum ad femora latum & oberrans eryſipelas, non ſolum permiſiſſe ulcera breviſſime ſanari, ſed etiam febrim, cum adjunctis ſymptomatibus deſiiſſe. Hinc pariter deducere eſt (ut etiam advertit Mercurialis) non modo hæc quæ retulit in Aphoriſmo Hippocrates mala, ab evaneſcentibus repente tumoribus exoriri ſed & ſurditates, lippitudines, aſtmata cardialgias, dyſurias, iſchiades, idque genus alia, quæ fortaſſe reticuit contentus generaliora tantum modo attuliſſe, quæ fortaſſis frequentius obſervaverat. Denique ſi tumores iſti, à lympha aliiſque humoribus, præterquam à ſanguine

 orti

orti ſubito evaneſcant, ab illorum in aliis partibus depoſitione, congeneres morbi excitari poterunt, qui ſcil. analogiam, cum iisdem retinebunt, ut patet ex praxi.

Plures difficultates & litigia ſuper materia hujus Aphoriſmi, legi poſſunt apud Cardanum *in commentar.*

Aphoriſmus LXVI.

Si in magnis vulneribus, & pravis, tumores non appareant, ingens malum.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi vulnerum ex tumore.

Connexio: Cum in priori Aphoriſmo Hippocrates, de evaneſcente ſeu retrocedente tumore dixiſſet: In hoc præſente Aphoriſmo agit de tumore non fiente, nec umquam comparente, unde pendet hic Aphoriſmus à præcedente, tanquam effectus à ſua cauſa.

Hic Aph. ob brevitatem & ſimplicem concluſionem non dividitur.

Ut ergo Hipp. oſtenderet, ſolere fere ſemper, vulneribus & ulceribus tumores ſupervenire, proinde non inutiliter, ut mox diximus, præcedenti Aphor. dixit, malum eſſe, ſi illi repente diſſolvantur & evaneſcant, unde in ejus argumenti confirmationē nunc addit, oportere iisdem tumores ſupervenire, ſi præſertim fortia illa ſint & prava. Atqui autem parum refert, num vulnera recentia ſint, aut antea contracta, aut in ulcus degenerata, cum iſta ab Hippocr. non raro confundantur, dummodo ab externa cauſa proceſſerint, ut deducitur *lib. de ulcerib.* Et licet hoc loco ſcriptum ſit per τρῶμα, quod proprie continui ſolutionem, à re incidente factam ſignificat: nihil tamen repugnat, quin etiam ad ulcera inde progenita, id ipſum extendamus, & ſive punctim ſive cæſim, & ſive a re contundente, ſive frangente & ſecante ſint inducta: Igitur, ubi in vulneribus & ulceribus, vehementibus & magnis, tumor nullus apparet, qui cæteroqui ad vulneris magnitudinem conſequi deberet, ingens malum ſignificatur, ſaltem imminens & futurum.

Vo-

Vocantur autem vulnera fortia, quæ magna & hiantia ac profunda ſunt, vel in partibus principalibus inflicta, ut docet Galenus *4. method. cap. 6.* 6. ejuſdem operis cap 4. Quamobrem vel ob partis præſtantiam, vel ob receſſæ carnis nimiam molem, fieri nequit, quin multa & ingentia vaſa ſanguifera, ſint pariter vulnerata & reſecta, unde ſanguis inde præterfluens, cum nequeat ſuum circulum, recta peragere, neceſſe eſt, ut in adjacentes partes effundatur, itaque ſtagnet & hæreat, proindeque tumorem ingentem pariat & magnum, quare ſi fortaſſe nullus compareat, indicio erit, vel introrſum, in partes ſcilicet corporis intimiores excurriſſe, ibique corruptionem ſubiturum, vel ſanguinem ipſum adeo effœtum, & ineptum evaſiſſe, ut lente admodum moveatur, ſibique remoram faciat, neque partes ut decet irriget, & denique tantam fuiſſe factam ex vulnere illius effuſionem, ut vix reliquus ſuperſit qui cordis motum & vitam tueatur.

Quod ſi præterea, non tantum magna & fortia ſint vulnera, verum etiam prava obſerventur, hoc eſt maligna & cacoethica, longe magis deteriora erunt, & vitium in ſanguine, ex partibus vulneratis, deleterium denotantia, prout in Gangræna & Sphacelo Iſtius autem conditionis eſſe ſolent vulnera capitis & finibus muſculorum maxime nervoſorum inflicta, ut obſervat Galenus *in comment.* quippe illa non ſine ingenti dolore, inflammatione, convulſione, virium diſpendio, & cæteris peſſimis ſymptomatibus contingunt, quæ cerebrum, cor, & alias principes partes collaſas & male afflictas arguunt, unde ſi forte in his tumor nullus appareat, quia ex vulneratarum partium, earumque fibrarum, coarctatione & corrugatione, affluens ſanguis excipi nequit, ſed ad alias partes principes, & mutuo conſentientes, impetu quodam effertur & irruit, vel ex virium languore, in ſuo motu præpeditur & hæret, procul dubio ingens malum ſequitur & ſæpe etiam mors; atqui & idipſum non raro imperitia chirurgorum accidit, prout ſcite hic etiam adnotat Galenus, cum ſcilicet, in fluxus ſanguinis in partem vulneratam, valde infrigitantibus aut adſtringentibus medicamentis reprimitur, repugnante interea ex adverſo nervearum partium natura & conditione, quæ ut idem Galenus ſubdit, *medicinas calefacientes atq; exſiccantes deſiderant.*

Ex his ergo nunc ſequitur, ingens malum ſubinde portendi, ut

etiam edocuit allegato *2. Epidem. ſect 3.* quod ſuo more complexus Celſus *lib 5 cap 26* eleganter ſcripſit: *Nimis intumeſcere vulnus, periculoſum: nihil intumeſcere, periculoſiſſimum eſt. illud indicium eſt magnæ inflammationis, hoc emortui corporis.*

Quamvis autem hæc in univerſum vera comperiamus, accidit tamen aliquando, ut in corporibus ſalubri conſtitutione potitis, & recta victus ratione uſis, ob quam pravos aut excrementoſos humores, nullatenus cumulari contigerit, inflicta vulnera, licet magna, nullum vel levem admodum tumorem adjunctum habuerint, ſine ullo tamen vitæ periculo.

Quamobrem confert plurimum, bonus corporis habitus, & humorum puritas, ad evitandum ejuſmodi in vulneribus incommodum: contra vero novi pleroſque cacochymos, eachecticos, aut labe venerea infectos, qui etiam ex levibus vulneribus & ulceribus, à ſupputatis tumoribus ſubortis, vitæ periculum ſubiêre & difficulter, & non niſi poſt diutiſſimum tempus convaluere. Juvat pariter in his attenta Medicorum aſſidentium cautio & animadverſio, qua ſcilicet præcaveatur, per convenientia & opportuna medicamenta, pravorum humorum, ad partem vulneratam affluxus, ut propterea nullus, vel ſaltem levis, aut inſenſibilis tumor ſit compariturus. Cum igitur hæc ritè, & rectè peracta ſunt, nihilum de tumoribus, non apparentibus pertimeſcendum.

Quæres: Quot modis vulnus magnum dici ſoleat? ℞. Duplici modo, vel communiter vel propriè. *Propriè* magnum dicitur, quod ſecundum omnem dimenſionem extenditur. *Communiter* magnum dicitur vulnus, vel quod malignum eſt, licet parvum ſit, vel quod in aliqua parte principali factum eſt. de utriſque ut in contextu dictum intelligendus eſt Aphoriſmus.

Aphoriſmus LXVII.

Molles Tumores, boni, ut crudi mali.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi tumorum.

Connexio: Evidens eſt non modo connexio ſed & dependentia præſentis Aphoriſmi cum prioribus. cum enim de tumoribus, in vulne-

vulneribus apparentibus, in duobus antecedentibus Aphoriſmis ſermonem habuiſſet; in hoc præſente Aphoriſmo de Tumorum Natura agit.

Hic Aphoriſmus ob ſummam brevitatem non dividitur.

Quandoquidem ergo ad ingentia & magna vulnera tumores conſequi bonum ex jam dictis præcedentibus Aphoriſmis dictum ſit, proinde plane conveniens viſum eſt Hippocrati in hoc Aphoriſmo docere, quales tumores eſſe oporteat, atque illos molles eſſe debere, nam crudi & duri alia de cauſa mali cenſendi ſunt. Molles autem, ſive, ut ſcribitur eodem *2. Epidem. ſect. 3, Laxi tumores* intelliguntur, qui prementibus digitis prompte cedunt, veluti oppoſiti crudis, duris ac renitentibus dictis, ut colligitur *exprime in primum Epidem.* & quidem tripliciter tales eſſe poſſunt, *Vel* ex conditione humoris tumorem facientis, unde qui ex phlegmate aut lympha mollis eſt, qui ex terreo & concreto humore durus: *Vel* ex ejuſdem humoris cruditate vel coctione, quia tumores omnes inter initia, ob humorum cruditatem duri obſervantur, cum vero coctionem ſubierint, molles fiunt: *Vel* denique ex partibus affectis; quæ enim partes natura ſua molles ſunt, laxæ & ſpongioſæ, ut adenes ſeu glandulæ, ſæpe ſæpius cum tumefiunt, molliorem quoque & laxiorem retinent conditionem. Modo, molles hic tumores in vulneribus apparentes, cujuscunque generis ſint, relati ad crudos & duros ſemper meliores exiſtimandi ſunt, quia molles ex ratione materiæ lymphaticæ aut pituitoſæ, utpote nullum vel levem dolorem aut irritamentum inferentes, minoris ſunt malitiæ, quam ſi à materia magis conſiſtente & acidiori ſint progeniti, molles vero ex prompta, & facili coctione, procul dubio meliores ſunt, quam ſi illa contumax & rebellis foret & denique molles ex natura partis affectæ glanduloſæ, utpote ſenſus expertes, moleſtia quoq; carent dolorifica & vellicante, cujus rationem ſpecialem habendam voluit Hippocrates, in vulneribus & ulceribus quibuscunque, ex quibus ſupra convulſionem, maniam & cæteros morbos, acutiem præſeferentes, metuendas dixit.

Porro perperam egiſſe videntur illi qui Aphoriſmum hunc de tumoribus univerſim indiſcriminatim ſunt interpretati, in quibus etſi nonnunquam mollities longe admodum melior ſit, duritie & cruditate, cum ſcilicet ille ab imminenti, & facili coctione humorum procedit,

cedit, multoties tamen Medicos curantes ſallit, & multo gravior & periculoſior obſervatur, quemadmodum palam fit, in œdemate, atheromate, ſteatomate, meliceride, vomica, & cæteris tumoribus flatulentis & aquoſis, potiſſimum in corporibus cachecticis & ad hydropem diſpoſitis, cum cæteroqui phlegmon, durus ac renitens tumor, facilius ſubigatur & curetur. Atque hinc etiam facile exponitur quod *2. Epidem ſect. 3.* de iisdem tumoribus, ſub alia phraſi, ſcripſit Hippocrates, ubi ſurſum repentes contra poſuit mollibus & laxis. ſurſum autem repentes intelliguntur, non ſolum qui circa vulnera comparent & partem vulneratam tumefaciunt, ſed aliorſum, ac præcipuè ſurſum attolluntur, atque vel ob multitudinem humorum, & eorundem pravitatem, aut propter partis affectæ contractionem & compulſionem, nobiliores partes petunt & introrſum repunt.

Cæterum crudi tumores, id eſt coctionem minime admittentes nec à natura ſubigibiles, ſemper mali ſunt, & periculum vitæ minantur, quales ſcirrhi, ſtrumæ, carcinnomata, exoſtoſes, ut ex praxi chirurgica cunctis notum, ſicut contra molles ad ſuppurationem vergentes, minus mali, imo plerumque ſalutares exiſtimantur, ita & illi qui in acutum tendunt, in pyramidem, quique non bifidi ſunt, ſed æqualiter matureſcentes.

Dices: Humores œdematoſi ſunt molles, & tamen crudiſſimi, diuturni & rebelles ergo mollities nil facit ad bonitatem tumorum. ℞. Si ſimpliciter molles ſic accipiamus & crudos concedo, ſi molles & coctos aut digeſtibiles nego: præterea poteſt dici, quod tumores œdematoſi poſſint adhuc dici boni, reſpectu tumorum ſcirrhoſorum, quia illi quandoque concoctionem ſuſcipiunt, hi vero nunquam, præſertim ubi malum eſt confirmatum.

Aphoriſmus LXVIII.

Parte capitis poſteriore dolenti, in frontem, recta recurrens vena inciſa prodeſt.

Con-

Contentum ſeu Intentio.

De venæſectionis uſu in cephalalgia.

CONNEXIO. Hic Aphoriſmus therapeuticus, connecti videtur cum *50. hujus libri*, ubi ſimiliter ſanguinem ab una parte ad alteram, nempe ab utero ad mammas, non per venæſectionem ſed per cucurbitulas retrahit; Hic autem per venæſectionem, à parte capitis poſteriore ad anteriorem retrahit ſanguinem & evacuat, & dolorem occipitis demit. Aphoriſmus hic ob brevitatem ſuam non dividitur.

Quod ergo experimento juviſſe compererat *6. Epidem ſect. 2.* Hippocrates in eo, cui *dolente capitis parte poſteriore, recta vena in fronte ſecta profuit*, in Aphoriſmum redegit, & hic appoſuit, ut vel hinc certo nobis conſtaret, ab experimentis, & iteratis obſervationibus, ſententiarum iſtarum ſeriem compilaſſe, ac ſicuti in memoriam caderent, ſtato quodam ordine, diſpoſuiſſe, non tamen ea lege ut præcepta poſteris traderet irreſragabilia, ſed ut potius moneret, qua methodo ſibi medicam facultatem comparâſſet, eademque poſteri poſſent ſuis obſervationibus, illam magis & magis confirmare & locupletare, juxta illud Manilii:

> Per varios uſus, artem experientia fecit,
> Exemplo monſtrante viam;

Quippe non ex uno aut ex altero experimento ſed ex pluribus & iteratis, atque eodem modo contingentibus, oritur experientia, quæ propterea ſcite admodum deſcribitur à Galeno *Lib. de optima ſecta cap. 11. ad Traſybulum*; *memoria ejus, quod ſæpius & eodem modo viſum eſt*; at vero experimentum proprie dicitur; *ejus, quod nondum conſtat opere, attentatum, ſeu alicujus medicamenti, dubia attentatio*: Unde experiri idem eſt, ac rei alicujus periculum facere & tentare, quod ſane eventus ambiguitate & periculo non caret.

Id itaque proponere videtur in hoc Aphoriſmo Hippocrates, ſe nimirum aliquando expertum, juviſſe venæ frontis ſectionem in vehementi occipitis dolore, ut hinc cæteri, ſi prudenter viſum fuerit,

duci, ut vena illa turgeat, & intumeſcat, ne pro vena arteria incidatur, & citra periculum punctionis & vulneris pericranii. A devinctis autem jugularibus vaſis, facile Hydrocephalon, & à puncto & vulnerato Pericranio, convulſio non raro accidit. Hinc propterea factum, ut jamdiu ejusmodi venarum ſectiones ab aula medica exulaverint, paucique ſint qui eas in praxim deducant.

Quæres: Utrum iſta venæ ſectio poſſit fieri reciproca, & dolenti partem anteriorem, vena in ſyncipite ruſa proſit? ℞. Affirmativè, ſed cum ob partem capillatam venæ hactenus non paruerint, hinc experientia inde nulla habetur, in tali tamen occaſione, cucurbitulas, veſicatoria, canteria &c. applicamus.

Aphoriſmus LXIX.

Rigores incipiunt mulieribus ex lumbis magis, & per dorſum perveniunt in caput; Viris vero parte corporis poſteriore magis quam anteriore veluti ex femoribus & cubitis, ſed & cutis rara eſt, id quod pilus indicat.

Contentum ſeu Intentio.

De Fontibus rigoris.

Connexio. Cum in antecedenti Aphoriſmo, occipitis conſenſum cum ſyncipite detexiſſet: In hoc Aphoriſmo præſente, aliarum partium conſenſum enumerat, dum originem & diſtributionem rigorum in utroque ſexu demonſtrat.

Hic Aphoriſmus plures habet conclusiones, juxta quas dividi poteſt, & omnes probare intendunt propoſitionem præſcriptam.

Quamvis plerique expoſitores, memoratos hos rigores, nolint de veris rigoribus, febres præcedentibus interpretari, ſed ſolum de refrigerationibus, aut horripilationibus, ab externa cauſa inductis, veluti à gelu & à borea, ipſe tamen non video, cur illis nequeat hæc ſententia adhuc rationabiliter adaptari, imo nullo magis

 quam

quam aliis, cum experimentis compertam habeamus, rigentes à febribus, ſecundum poſteriora potius conqueri ac moleſtari, imo quoſdam etiam febre tertiana affectos, noverim qui integumenta multa ac lanea, etiam adhuc ponderoſiora, & excalefacta, ad eas partes exquiſierint, ut levamen aliquod atque adjumentum, à concutiente & moleſtante frigore perſentirent; Advertit pariter Galenus, nullibi Hippocratem rigoris meminiſſe à febre ſejuncti, ut propterea illum ſine febre, novum & peregrinum ſymptoma ſuo tempore fuiſſe ſcribat, *Lib. de rigore, tremore & palpitatione cap. 7.* Verum utcunque ſe res hæc habeat, & ſive rigores propriè dictos, ſimplices refrigerationes à frigido ambiente illatas intelligat Hippocrates, docet hic à lumbis magis in fæminis per dorſum in caput excurrere; in viris vero etiam partes poſteriores, potius quam anteriores, atque ex his magis extremas; quod & repetitum bis adhuc invenitur ſcilicet *2. Epidem ſect. 3. & 6. Epidem ſect 3.*

Et quidem, quod in febricitantibus, rigores incipiant à partibus poſterioribus, atque in fæminis magis à lumbis, clarè deducitur, ex nupera recentiorum anatomicorum doctrina, qui multis rationibus atq; experimentis evincunt, rigorificam illam concuſſionem ab indebita ſucci pancreatici, cum felleo ſeu bile, fermentatione proficiſci, adeoque circa lumbos & glandulas lumbares perſentiri, unde poſtmodum ſpinalis medulla, ductus thoracicus, pulmo, cor, totumque corpus inæquali frigore contremiſcat. In fæminis inſuper, ligamenta uteri rotunda, ad eaſdem quoque partes protenduntur, ac proinde major afflictio, ex tot nervorum, & partium nervearum compaſſione; ſiquidem inter cæteras iſtæ magis à frigoribus, ſive internis ſive externis, afficiuntur ex eodem Hippocrate Aphoriſm. *17. & 18 hujus libri.*

Dixit autem *magis*, non quod omnino ex lumbis, ſed quod præcipuè ab his, oſtenderet rigores incipere ſolere, cum tamen reliqua etiam partes extremæ corporis, manus, pedes, ingenti frigore moleſtentur, rigore vero id eſt inæquali illa concuſſione cum ſenſu intenſi frigoris, ſolum internæ partes nerveæ ad lumbos & præcordia ſitæ divexentur. In maribus quoque poſteriora magis, quam anteriora frigere incipiant, cum rigor illos invadit, non quod impari ratione hic illis accidat, cum idem ſit in utriſque febris fomes & locus, unde *6. Epidem. 5.* dicitur, rigorem *omnem, à ſuperiore ventre inchoari*,

choans

cheare; ſed ſolum quia in fœminis, frigus ex lumbis per dorſum ad caput fertur; in maribus vero extimas potius partes pervadit: halitus enim ex fermentantibus præter naturam ſuccis, in regione lumborum, per nervos potiſſimum in maribus divexant, qui ex lumbis & oſſe ſacro atque adjacentibus imi ventris partibus, ad inferiora protenduntur, & per fœmora excurrunt, cum in fœminis, ob eorundem cum utero & cerebro conſenſum, per dorſum, caput potius feriant, quod ſane in illis mollius eſt & imbecillius. Verum tamen etſi hoc pictum que feminis accidat, non eſt, ut omnino immunes inde mares ab ejusmodi moleſtiis exiſtimemus; quamobrem oppoſitè adjecit Hippocr. adverbium *magis*. Nonnullos equidem novi, è claſſe illorum, qui affectione hypochondriaca laborant, idipſum omnino, ex rigorificis febribus paſſos, quod de fœminis hic memorat Hippocrat. ut propterea etiam mente titubarent, & ſecum ipſis obloquerentur; & alios qui aliquantulum convellerentur ac contremiſcerent. Adjecit tandem, *veluti femorum & cubiti*, loco exempli, ut cum poſterioribus, poſtremas quoque & exteriores partes intelligamus, quod clarius expreſſit, *cit. 6. Epidem. ſect. 3.* inquiens. *Horremus enim magis exterioribus, quam interioribus corporis partibus, veluti cubitis, femoribus.* Porro ſi hæc manifeſta ſunt in rigoribus & horroribus, multo ſane patentiora ſunt, in refrigerationibus extrinſecus inductis, aut in defluxionibus humorum præſertim lymphaticorum, per ſpinam & artus; quippe partes poſteriores corporis frigidiores ſunt anterioribus, quoniam illæ magis oſſeæ & nervoſæ, iſtæ vero majoribus & numeroſioribus venis ac arteriis ſunt refertæ, ſicut etiam interiores exterioribus ut cuiq; patet. Quod denique anteriores partes calidiores ſint poſterioribus, indicare ſubdit cutem illarum partium raram atque facilem pilorum generationem: rarior enim cutis & facilis pilorum generatio, caloris ſeu rei calidæ, unde pilus oritur, abundantiam indicat. At vero raritas cutis debet eſſe moderata, quæ ſcilicet ſatis ſit, ad halituoſa excrementa excipienda, atque in pilum prolonganda, non autem tanta, quæ laxior nimis & multum patula, illa retinere & concreſcere non ſinat, ſed potius evolare ac diſſipari permittat; ſiquidem, quemadmodum adſtricta nimium, & denſa cutis pilorum generationi impedimento eſt, ita ex adverſo rarior & patentior plus juſto glabra remanet, igitur moderate raram eſſe oportet.

Plures difficultates ſuper hoc Aphoriſmo legi & trutinari poterunt apud Cardanum hoc loco *in commentario.*

Aphoriſmus LXX.

Qui quartana corripiuntur, non admodum convulſionibus tentantur: ſi vero prius tentati fuerint, ſuperveniente quartana, liberantur.

Contentum ſeu Intentio.
De Quartana Medica.

Connexio: Cum in antecedente Aphor. Hippocrates, mentionem feciſſet de Rigore, inter febres autem rigorificas quartana maxime connumeretur. Ideo nactus in præſenti Aph. occaſionem, præceptum de quartana tradit, ad prognoſim & curam valde proficuum.

Hic Aphoriſmus in duas partes dividitur. *Prima* concluſionem continet, quæ præcautionem ſeu prophylaxim facit, *Secunda* quæ curat. Si umquam licuit, à contextu Aphoriſmorum, mentem Hippocratis explicare, & clariorem reddere, certe ex hoc luculenter patet, rigores antea memoratos, febriles potius intelligere voluiſſe, quam alios, quia nunc de quartanis febribus verba facit, quæ rigoribus, aut potius horroribus moleſtiſſimis ægrotantes cruciant, iiſdem veluti ſignis pathognomonicis ſociantur. Sed iſta utcunque ſint, docet Hippocrates, quartanis febribus correptos non admodum convulſionibus affici, imo his fortaſſis antea correptos, ſuperveniente quartana liberari. Multum autem allaborant Interpretes, num proprie de convulſione, græcè σπασμὸς, an de convulſione epileptica, ac de ipſamet Epilepſia exponendus ſit, Siquidem Galenus in *comment.* excipit convulſionem factam ab inanitione, (in hac enim ſuperveniens quartana citius occideret, quam ut ſalvaret) & illam ſolum quæ à repletione fit, atque ab humoribus lentis pituitoſis progenitam intelligit, qualis in morbo comitiali: cui ſententiæ inhærentes plerique alii in comprobationem adjiciunt eundem Hippocratem *6. Epidem. 6.* dicentem. *à quartana correpti magno morbo non corripiuntur; ſive-*

ſivero corripiantur prius, & ſuccedat quartana, liberantur. Pro magno autem morbo epilepſiam intelligi nemo eſt qui ambigat. Et quamvis nonnulli, inter quos Cardanus, de omni magno morbo, illum interpretentur, id tamen veritati atque experimento non cohæret, ſiquidem nulla ratio ſuppetit, quamobrem quartana correpti, à cunctis aliis magnis malis præſerventur, aut liberentur; quin imo experimentis pluries conſtitit apoplexia, aſthmate, cordis palpitatione, hydrope, & cæteris magnis morbis eos laboraſſe, ut taceam ſcirrhos, obſtructiones lienis, renum calculos, iſchurias, ſtrangurias, aliosque quibus obnoxii ſiunt. Sed & Hippocrates ipſe *3. Epid. 3.* complures quartanarios memorat in conſtitutione illa peſtilenti ſimul cum aliis periiſſe. Hinc falſum quoque dicere eſt Celſum, hac ductum Hippocratis authoritate, qui quartanam febrim docuit ab aliis magnis morbis liberare. Verum tot ambagibus & tricis exſolventur, ſi juxta recentiorum dogmata & obſervationes, conſiderentur omnes iſtius modi nervorum morbi, à vaporibus aut humoribus acidis provenientes, qui cum ſedem ſuam in imo ventre habeant, a vitio viſcorum naturalium male affectorum, præſertim vero pancreatis, lienis, ventriculi, & glandularum circumjacentium, propterea fit quod illis per indebitam, cum cæteris ſuccis, potiſſimum bile, in gracilibus inteſtinis fermentationem febrilem ſubactis, ut ſpeciatim in quartana febre fit, deſinat in nervorum & muſculorum fibris protritatio & convulſio, ut alibi quoque dictum eſt; Viciſſim enim acidum quodcunque felleo & amaro liquore retunditur ac domatur: cumque quartanæ febres ceteris longiores eſſe ſoleant, inde etiam ſequitur, ut iteratis invaſionibus, tum per vehementes illarum horrificas concuſſiones tum etiam a diuturna perduratione, omnis acor ex humoribus abſumatur vel infringatur & removeatur cauſa irritationis & convulſionis nervorum. Huc etiam facit quod idem Hippocr. *6. Epid 7. circa finem* ſcribit, *Melancholicos fere epilepticos, & è converſo*, quia humor melancholicus acidus, utriuſque morbi cauſa, ſi in cerebrum & mentem feratur, melancholiam, in principium vero nervorum, & nervos ipſos epilepſiam excitat, atqui febre ſupervenient, id eſt per febrilem fermentationem ſubacto iſtiusmodi humore, uterque vel deſinit, vel remittit. Denique advertendum ſupereſt, Hippocr. non penitus dixiſſe quartanis captos convulſionibus nullatenus corripi, ſed *non admo-*

dum

dum ſolum; ſiquidem fieri poteſt, ut alia de cauſa illis afficiantur, vel etiam eâdem non penitus per febrem diſcuſſâ, potiſſimum cum convulſiones & epilepſiæ fuerint inveteratæ, adeoq; diutius protractæ, languorem in nervis conſequantur. quo caſu, etſi omnino non deſinant, ſatis tamen eſt, ſi admodum, aut violentius non affligant, ſed rarius ſolum & mitius quam conſueverant. Hinc demum quartana de qua hic loquitur Hippocr. non eſt illa, quæ ſymptomatica aut accidens eſt alicujus viſceris male affecti, quoniam ipſe non agit de ea, quæ eſt cum periculo, aut quæ in ſenibus accidit, in quibus ratione ætatis, periculoſa eſſe ſolet; proinde aliquando deſinit in paralyſim aut alium magnum morbum, ut docet Hipp. *4. Epidem.* Servus quartana correptus ſtupidus factus eſt: at hæc non contradicunt Aphoriſmo, tum quia de quartana loquitur, non aliis affectibus conjuncta, tum quia non dixit in univerſum & ſemper liberare ſed ut plurimum. Sic pariter, non omnis epilepſia à quartana ſolvitur; nam quæ poſt 25. annum extenditur, comitari ſolet uſq; ad mortem, ut docet *Aph. 7 hujus lib.* Nec abs re erit hoc loco eſſe memorem Aph. 26 *lib. 2* ubi ſcribit: Febrem convulſioni ſupervenire melius eſt, quam convulſionem febri. Tandem breviter ſciendum quartanam febrem, ratione febris, adverſari frigori ſeu cruditati qualiscunq; illa ſit, convulſionem producenti, ratione ſiccitatis ſeu ariditatis, humidi ſeu cacochymiæ.

Plures difficultates & quæſtiones vide apud Cardanum hoc loco *in commentario.*

Aphoriſmus LXXI.

Quibus arida & dura cutis obtenditur, ſine ſudore moriuntur, quibus vero laxa & rara, cum ſudore vita defunguntur.

Contentum ſeu Intentio.
De Modis moriendi.

Connexio: Si ut putant commentatores, hic Aphoriſmus intelligendus ſit, de convulſivis morientibus, facilis illius eſt connexio cum antecedente Aphoriſmo in quo de convulſione egit.

Hic

Hic Aphoriſmus duas habet concluſiones & conſequenter partes: *Prima* dicit, quibus arida & dura cutis oſtenditur, ſine ſudore moriuntur. *Secunda* vero ait, eos cum ſudore mori, quibus cutis laxa & rara eſt.

Tranſcriptus eſt hic Aphoriſmus ex *5. Epidem. ſect. 6.* ubi per eadem ſcribitur, niſi quod clarius ibi, cutes aridæ ac duræ, pro aridis & ſiccis memorantur. Notat autem cutes aridas & duras quæ ſcilicet ſimul una exſiccæ ſint & denſæ, quemadmodum in coriis animalium ad ſolem exſiccatis, ut nimirum pororum conſtipationem & coarctationem deſignet, & cujusvis humoris abſumptionem, unde tactu duræ, diſtentæ & aridæ, adeoque etiam ſcabræ percipientur. Neque ſolum unius aut alterius partis meminit, ſed univerſalis integumenti, totum circumambientis & circum veſtientis corpus, id enim ſignat verbum iſtud *obtenditur* vel *circumtenditur*, qua ſcilicet cute univerſum corpus circumtegitur & inveſtitur. Quibus igitur cutes tales ſunt vel natura vel temporis progreſſu, forſan ex morbo, veluti ex Maraſmo, ſudor nullus fieri poteſt, etiamſi febribus afficiantur, quoniam vel humor deeſt propter ariditatem, vel extramitti atque exſudare nequit, propter cutis denſitatem, ex arefactis præſertim glandulis ſubcutaneis dictis, unde lympha ſudoris materia, proximè ſolet exſtillare, quemadmodum eveniſſe ſcribit idem Hippocrates Dealcis uxori, & adoleſcenti in Meliboea ægrotis XV. & XVI. *3 Epidem. ſect. 3.*

At vero qui cutem ſortiuntur laxam & raram nimio ſudore perfuſi in febribus, aliisque ſimilibus morbis decedere & mori ſolent; quia ſcilicet qui humores pravi per coctionem ſubigi non potuerunt, & criticè protrudi, ſponte ſua inter mortis confinia, inutiliter imo etiam maximo cum virium diſpendio, erumpere ſolent, & ſudores pariunt, diaphoreticos (vulgo mortales) dictos præſertim ſi cacoethiam conjunctam habent, ut in malignis & peſtilentibus febribus, & ſudore Anglico, nam laxitas & raritas cutis nimia, ad ſudorem ſunt aptiſſimæ, laxitas enim redundantiam humoris ſignificat, raritas vero ad ſudorem viam parat, proinde quibus talis cutis ineſt, cum ſudore moriuntur colliquatis & diſſipatis ſpiritibus & humoribus ſeu ſuccis.

Dices: Hic Aphoriſmus videtur prima fronte totus alienus ab arte medica, & doctrina Hippocratis, cum ipſemet juſſerit *in lib.*

de arte à morituris abſtinendum ℞ non ita eſſe, ſed Hippocrates ibidem docet, prædictionem ſemper & diligenter diſtinguere debere, id quod *in lib. de ratione victus in acutis* repetit. Imo *6. Epidem. ſect. 7.* varios modos mortis prædicere docuit.

Quares: cur quidam paulo ante mortem melius ſeſe habere videantur, nam febris & ſymptomata videntur remittere? ℞ cum Fonſeca id multifarie contingere, quia febris remittere videtur, vel dum calor partes externas deſerit, & neceſſitatis, vel imminentis agoniæ cauſa, ad internas recedit, ita ut partes ad tactum apyrexiam mentiantur, pulſu tamen in pejus ruente. vel ob virium debilitatem, dum natura victas dat manus, & cum morbo, ejusque cauſa ceſſat dimicare: vel ob extremum naturæ conatum, quo natura omnes ſuas vires & facultates, ad corporis centrum, pro morbo ejusque cauſa vincendis retrahit, omnia in melius vergere putantur, ſed latet anguis in herba, nam brevi malum pejus quam ante redit, hinc una viciſſitudo aliam, & tandem mors ſequitur, hinc eſt declinatio vitæ, non morbi.

Aphoriſmus LXXII. & ult.

Icterici (ſeu æruginoſi ſeu regio morbo laborantes) non admodum flatulenti (ſeu ventoſi ſunt.

Contentum ſeu Intentio.

De Ictero flatibus carente.

Connexio: De cute arida & laxa egit Hippocrates in antecedenti Aphoriſmo. In hoc præſenti Aphoriſmo de tincta cute colore flavo ſeu æruginoſo ſermonem facit.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem non dividitur, cum ſimplicitet non eludat.

Icterum alibi diximus, vel à veneno ſanguinem & lympham corrumpente, vel a craſſis & lentis ſuccis fellei humoris, in tenuia inteſtina transpoſitionem, ex ductu cyſtico & cholidocho impedientibus exoriri. Primum, plerumque malum, itemque opitioſum, experimen-

menta plurima conteſtantur, de quo etiam Hippocrates, pluries in hiſce Aphoriſmis, præſertim, ſiante ſeptimum apparuerit, aut tumido ac duro exiſtente Jecinore *lib. 4. Aph. 62. 64.* Alterum diuturnum quidem, ſed minime periculoſum, paſſim experimur, & ſæpiſſime etiam ſine febre. Cujus autem hic meminerit, ut eo affectos, non admodum ventoſos eſſe dicat, vereri ſubit. At de primo effatum hoc veritati non conſonat, repugnante quoque eodem Hippocrate, qui Apollonium ægrotum *XIII. ſect. 3. 3. Epidem.* æruginoſum ſimul & flatulentum ſimul fuiſſe memorat: a tumefacto præterea jecore facile ſubſequi ſolet Tympanitis, in qua flatus prævalent, adeo ut univerſum ventum diſtendant & inflent.

Ictericos itaque ab impedita bilis ſeu fellei humoris in gracilia inteſtina depoſitione, hic intelligere oportebit, quibus nimirum alvus ſtiptica eſſe ſolet, & fæces ſi quæ excernuntur albicantes ac cineritiæ obſervantur: quoniam enim in his bilis conſiſtentior ac interior ſen effœta reddita, minimeq; in tenue inteſtinum deducta, nequit ſuo ſale volatili viſcoſam pituitam, & hærentes in inteſtinis ſuccos, etiam ab acido pancreatis forraſſe auſteriori, itemque ex ventriculo delabentem chylum, convenienter diluere & moderari; propterea fit, ut flatus vel nulli, vel tenues admodum progignantur, ſed & fæces inde mucoſæ plus juſto, & felleo iſtiuſmodi liquore privatæ, diu retinentur, atque poſtmodum non niſi ingenti conatu egeſtæ, cineritiæ obſervantur: conſtat autem felleum hunc humorem pancreatici vim retundere, chylum ab inutilibus partibus repurgare, tenaces & hærentes ſuccos ab inteſtinis incidendo, detergere, necnon clyſteris vicem gerendo flatus diſcutere, & alvi experimenta ad exitum provocare. At vero adjecit Hippocr. *non admodum* cum fieri poſſit, ut aliquando leviter ſaltem, flatus aut ructus ab ictericis emittantur, cum ſcil aliqua ex parte, felleus humor ad inteſtina dejicitur, forte quia non omnino cholidochus ductus obſtruitur, & omnem ejus partem remoretur, vel etiam, quia ab oleoſa, & tenaci bile cyſtis ipſa ſola infarcitur, indeque Icterus exſurgit, libero interea cholidocho ductu remanente. Sed & contingit pariter nonnullos flatibus vexari, ventris murmura excitantibus, & inflantibus inteſtina, illos autem nequaquam depellere poſſe, his equidem facile accidit, ut Ictero corripiantur, & præterea Tympanitici fiant. Novi quendam optima,

 cære-

Digitized by Google

cæteroqui ſanitate fruentem virum, qui tum ingentes flatus, magno ſane imperu, per tempus, cum luberet edere conſueviſſet, mox factus Ictericus, flatus ipſos per ventrem obmurmurantes diſcutere nequivit, & poſt aliquod tempus Tympanitico · Aſciticus periit: Contigit & pariter experiri Ictericum quendam in convenienti tamen methodo tractatum, flatuoſum & ructuoſum per totum fere morbi decurſum extitiſſe, ſed tandem ſtomacho & viribus exolutum, cum nihil amplius retinere nec digerere potuiſſet, ultimum clauſiſſe diem, tumefacto interea jecore, & ictero in hepatidem ſcirrhoſam commutato.

Dices I. Icterici nigri ſeu qui laborant ictero nigro ex liene, maxime abundant flatibus. ergo Aphoriſmus hic locum non habet, ℞. Hippocratem de hoc ictero in hoc Aphoriſmo non loqui, qui ex lienis duritie vel aliter affecti prodit, ſed de eo, qui ex hepate ſeu potius vitio humoris fellei oritur.

Inſtabis: Hippocrates 2. *Epidem.* fere adjungit Ictero Hydropem & flatum ergo loquitur de Ictero hepate & ſucco felleo affecto ℞. Hippocratem hoc loco loqui dè Ictero nigro, quia ſide quidem hepate & bile affectis, verum tamen ut dictum in contextu, illum non abſolute in hoc Aphoriſmo docere, Ictericos nullatenus eſſe ventoſos, ſed revera aliquando eſſe poſſe ſupra monſtravimus, & ideo adjecit illud *non admodum*: Vel etiam dici poteſt, Hippocratem per Ictericos hîc intelligere eos, qui colores habent flavos, & ſucco felleo vehementer abundant, tales enim ob bilis copiam flatus abſumunt, nec ructuoſi ſunt, ſicut lienoſi. Et ſic eſto hujus utiliſſimi & laborioſi libri.

FINIS.

LIBER

LIBER SEXTUS

SEU

SECTIO SEXTA

DE

ACCIDENTIUM PROGNOSI IN MORBIS.

Aphoriſmus I.

In diuturnis levitatibus inteſtinorum, ſi ructus acidus ſuperveniat, qui prius non extiterit, bonum eſt ſignum.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi lienteriæ.

Connexio: Cum in ultimo *libri quinti* Aphoriſmo egerit, Hippocrates de flatibus, In hoc præſente Aphoriſmo, continuat eandem materiam flatuum, qui per ructus acidos ſurſum rejiciuntur, hocque utile Medico præceptum proponit.

Præliminariter autem neminem lateat *Sextum* hunc *librum* Aphoriſmorum Hippocratis, varium eſſe, & proinde utilem ſimul & maximè recommendabilem: continet enim ſententias ad praxim medicam ſummopere conferentes, præſertim in his, quæ acciden-

tium morborum proprietates & ſignatum ad prædictionem, tum ad curam utilia comprehendunt; ſumptoque initio ab infima corporis regione naturali primum conſiderat Hippocrates *acidum ructum* ex ventriculo provenientem, in diuturnis lævitatibus inteſtinorum, dicitque ſi is, velut ex inſpirato ſuperveniat, qui prius nunquam extiterit, bonum ſignum eſſe.

Hic Aphoriſmus propter ſimplicem concluſionem non dividitur. Eſt autem lævitas inteſtinorum, græce *Lienteria*, morbus ille in quo aſſumpti cibi celeriter & præpropere nimis, omniſque coctionis expertes ac nullatenus immutati rejiciuntur, nullo tamen exiſtente ulcere in inteſtinis, & quamvis inter *Lienteriam* & *cæliacam paſſionem* ea ab authoribus differentia ſtatuatur, ut in Lienteria ſtatim ac nullimode immutati, in cælica vero paulumper detenti, & ſolum aliquantulum diſſoluti dejiciantur, non tamen illa tanti eſt, ut ſub nomine lævitatis inteſtinorum, hoc loco prior ſolum, & non etiam poſterior affectio comprehendi poſſit, cum unam eandemq; cauſam, utriſque commune ſortiri ſoleant. Quæ enim à veteribus, de ejuſcemodi ciborum dejectionibus ſunt excogitata, de debili coctione, ſeu *atonia* aut languore ventriculi, aut imbecilla retentrice, vel plus juſto laceſſita expultrice, quarum culpa ingeſti cibi, debito tempore non retinerentur, vel ante neceſſarium tempus expellerentur, ideoque coctionem non ſubirent, moderna anatomia facilius explicantur, per compreſſionem & coarctationem tunicarum ventriculi, ſuis fibris intertextatum, & diſſolutionem ciborum, à ſuccis & glandulis lenticularibus earundem in ventriculi cavum exudantibus, quamobrem cum ejuſdem tunicæ delaxentur, & ſucci ipſi digeſtivi hebetes fiunt, aut in alienam naturam degenerant, coctio nulla fit, vel admodum imperfecta, unde poſtmodum facilis eorundem delapſus ad inteſtina, & ſubita depoſitio cumq; iiſdem tunicis ventriculus & inteſtina conveſtiantur, atque humores ſecretionibus addicti, ſcilicet Felleus & Pancreatic⁹, parem ſortiantur in hoc affectu conditionem, à naturali ſtatu degenerem; proinde fieri ut quod in ventriculo diſſolui & concoqui non potuit, multo minus dilui & ſecerni queat in inteſtinis, potiſſimum gracilibus, Quin & hæc tum vitio & inefficacia eorundem humorum, tum defectu ac laxitate glandularum miliarium, quibus interius reficiuntur, tum denique lactearum venarum excipere nequeuntium obſtructione, plerumque

enim

enim male affecta in cauſa ſunt, ut quatocyus pariter ad alvum inconcocti cibi deturbentur & expellantur. Hinc lienteria, non tantū lævitas inteſtinorum, ſed & cibarius fluxus ſeu diarrhœa ſtomachica plerique appellatur, quia ſtomachus ſeu ventriculus & inteſtina cum ſuis tunicis, fibris & glandulis, nec non cum liquoribus, in eorum cavum extillantibus, ſimul una in hoc affectu læſa, conſpiciuntur.

At vero, non ſolum hic conſiderat Hippocrates lienteriam, ſeu lævitatem inteſtinorum quamcunque, vel ex modico tempore inductam, ſed ſpecialiter adjecit, ex longo tempore moleſtantem, ſiquidem *in diuturnis* dixit *lienteriis*. Si enim lienteria recens foret, profecto quod de acido ructu ſuperveniente recenſet, foret inſidum, quia fortaſſe ſemper adfuit, & ſicut is à principio lienteriam concomitans, non magni æſtimandus, ita nec lienteria ipſa plurimum eſſet magni facienda, utpote quæ non altas fixerit radices. Jure merito hæc ambo animadvertenda ſcribit, *in longis ſeu diuturnis lienteriis* in quibus gravius de vita verendum, *& ructus acidus superveniens*, qui longe magis utilis exiſtimandus eſt. In his enim ructus acidus ſuperveniens recuperatum iri ægrotantem portendit, ob reſtauratæ coctionis indicia, quippe ſucculi digeſtivi, ciborum diſſolutionem promoventes amiſſum acorem referunt naturali ſtatui debitum, quo antea orbati inidonei evaſerant & ventriculus ipſe, ad priſtinam fibrarum texturam & ſui coarctationem quadantenus revocari prædemonſtratur. Atq; hinc palam ſit, quam longe aberraverint veteres interpretes, ex ructu acido coctionem renovari exiſtimantes ex eo, quod ructus acidus indicium foret inchoatæ coctionis, vi caloris perfici conſuetæ; cum tamen ructus acidus ex Galeno frigidam intemperiem conſequi dicatur, & coctio ex eodem à calore moderato fieri putetur. Equidem ructus acidus inchoatæ coctionis indicium eſt, ſed ex reſtauratione ac reditu ſuccorum chylificationi inſervientium, quia ſucci iſti, ſua natura acido-acres eſſe debent, & ubi antea per lienteriam hebetes ac inertes, omnique acore diſſolvendi vim habente orbati fuerant, cum in priſtinum inſtaurari & exacui cœperint, futuram imposterum meliorem ciborum coctionem pollicentur.

Addidit præterea tunc ructum acidum ſignum eſſe bonum, cum antea non extiterit, (ructus enim acidus utcumque ciborum reſolutorum & fermenti ventriculi reintegrationem inchoantem arguit,)

forte

Plures difficultates ſuper hoc Aphoriſmo legi & trutinati poterunt apud Cardanum hoc loco *in commentario.*

Aphoriſmus LXX.

Qui quartana corripiuntur, non admodum convulſionibus tentantur: ſi vero prius tentati fuerint, ſuperveniente quartana, liberantur.

Contentum ſeu Intentio.
De Quartana Medica.

Connexio: Cum in antecedente Aphor. Hippocrates, mentionem feciſſet de Rigore, inter febres autem rigorificas quartana maxime connumeretur: Ideo nactus in præſenti Aph occaſionem, præceptum de quartana tradit, ad prognoſim & curam valde proficuum.

Hic Aphoriſmus in duas partes dividitur: *Prima* concluſionem continet, quæ præcautionem ſeu prophylaxim facit; *Secunda* quæ curat. Si umquam licuit, à contextu Aphoriſmorum, mentem Hippocratis explicate, & clariorem reddere, certe ex hoc luculenter patet, rigores antea memoratos, febriles potius intelligere voluiſſe, quam alios; quia nunc de quartanis febribus verba facit, quæ rigoribus, aut potius horroribus moleſtiſſimis ægrotantes cruciant, iisdem veluti ſignis pathognomonicis ſociantur. Sed iſta utcunque ſint, docet Hippocrates, quartanis febribus correptos non admodum convulſionibus affici, imo his fortaſſis antea correptos, ſuperveniente quartana liberari. Multum autem allaborant Interpretes, num proprie de convulſione, græcè σπασμὸς, an de convulſione epileptica, ac de ipſamet Epilepſia exponendus ſit; Siquidem Galenus in *comment.* excipit convulſionem factam ab inanitione, (in hac enim ſuperveniens quartana citius occideret, quam ut ſalvaret) & illam ſolum quæ à repletione fit, atque ab humoribus lentis pituitoſis progenitam intelligit, qualis in morbo comitiali: cui ſententiæ inhærentes plerique alii in comprobationem adjiciunt eundem Hippocratem *6. Epidem. 6.* dicentem. *à quartana correpti magno morbo non corripiuntur,*

ſive-

ſi vero corripiantur prius, & ſuccedat quartana, liberantur. Pro magno autem morbo epilepſiam intelligi nemo eſt qui ambigat. Et quamvis nonnulli, inter quos Cardanus, de omni magno morbo, illum interpretentur, id tamen veritati atque experimento non cohæret, ſiquidem nulla ratio ſuppetit, quamobrem quartana correpti, à cunctis aliis magnis malis præſerventur, aut liberentur; quin imo experimentis pluries conſtitit apoplexia, aſtmate, cordis palpitatione, hydrope, & cæteris magnis morbis eos laboraſſe, ut taceam ſcirrhos, obſtructiones lienis, renum calculos, iſchurias, ſtrangurias, aliosque quibus obnoxii ſiunt. Sed & Hippocrates ipſe *3 Epid. 3.* complures quartanarios memorat in conſtitutione illa peſtilenti ſimul cum aliis periiſſe. Hinc falſum quoque dicere eſt Celſum, hac ductum Hippocratis authoritate, qui quartanam febrim docuit ab aliis magnis morbis liberare: Verum tot ambagibus & tricis exſolvemur, ſi juxta recentiorum dogmata & obſervationes, conſiderentur omnes iſtiusmodi nervorum morbi, à vaporibus aut humoribus acidis provenientes, qui cum ſedem ſuam in imo ventre habeant, a vitio viſcorum naturalium male affectorum, præſertim vero pancreatis, lienis, ventriculi, & glandularum circumjacentium, propterea fit quod illis per indebitam, cum cæteris ſuccis, potiſſimum bile, in gracilibus inteſtinis fermentationem febrilem ſubactis, ut ſpeciatim in quartana febre fit, deſinat in nervorum & muſculorum fibris proritatio & convulſio, ut alibi quoque dictum eſt, Viciſſim enim acidum quodcunque felleo & amaro liquore retunditur ac domatur: cumque quartanæ febres cæteris longiores eſſe ſoleant, inde etiam ſequitur, ut iteratis invaſionibus, tum per vehementes illarum horrificas concuſſiones tum etiam a diuturna perduratione, omnis acor ex humoribus abſumatur vel infringatur & removeatur cauſa irritationis & convulſionis nervorum. Huc enim facit quod idem Hippocr. *6. Epid 7. circa finem* ſcribit, *Melancholicos fere epilepticos, & è converſo*, quia humor melancholicus acidus, utriusque morbi cauſa, ſi in cerebrum & mentem feratur, melancholiam, in principium vero nervorum, & nervos ipſos epilepſiam excitat; atqui febre ſuperveniente, id eſt per febrilem fermentationem ſubacto iſtiusmodi humore, uterque vel deſinit, vel remittit. Denique advertendum ſupereſt, Hippocr. non penitus dixiſſe quartanis captos convulſionibus nullatenus corripi, ſed *non admo-*

dum

dum ſolum, ſiquidem fieri poteſt, ut alia de cauſa illis afficiantur, vel etiam eâdem non penitus per febrem diſcuſſa, potiſſimum cum convulſiones & epilepſiæ fuerint inveteratæ, adeoq; diutius protractæ, languorem in nervis conſequantur. quo caſu, etſi omnino non deſinant, ſatis tamen eſt, ſi admodum, aut violentius non affligant, ſed rarius ſolum & mitius quam conſueverant. Hinc demum quartana de qua hic loquitur Hippocr. non eſt illa, quæ ſymptomatica aut accidens eſt alicujus viſceris male affecti, quoniam ipſe non agit de ea, quæ eſt cum periculo, aut quæ in ſenibus accidit, in quibus ratione ætatis, periculoſa eſſe ſolet; proinde aliquando deſinit in paralyſim aut alium magnum morbum, ut docet Hipp. *4. Epidem.* Servus quartana correptus ſtupidus factus eſt. at hæc non contradicunt Aphoriſmo, tum quia de quartana loquitur, non aliis affectibus conjuncta, tum quia non dixit in univerſum & ſemper liberate ſed ut plurimum. Sic pariter, non omnis epilepſia a quartana ſolvitur; nam quæ poſt 25. annum extenditur, comitari ſolet uſq; ad mortem, ut docet *Aph. 7 hujus lib.* Nec abs re erit hoc loco eſſe memorem Aph. 26 *lib. 2* ubi ſcribit: Febrem convulſioni ſupervenire melius eſt, quam convulſionem febri. Tandem breviter ſciendum quartanam febrem, ratione febris, adverſari frigori ſeu cruditati qualiſcunq; illa ſit, convulſionem producenti, ratione ſiccitatis ſeu ariditatis, humidi ſeu cacochymiæ.

Plures difficultates & quæſtiones vide apud Cardanum hoc loco *in commentario.*

Aphoriſmus LXXI.

Quibus arida & dura cutis obtenditur, ſine ſudore moriuntur, quibus vero laxa & rara, cum ſudore vita defunguntur.

Contentum ſeu Intentio.
De Modis moriendi.

Connexio: Si ut putant commentatores, hic Aphoriſmus intelligendus ſit, de convulſivis morientibus, facilis illius eſt connexio cum antecedente Aphoriſmo in quo de convulſione egit.

Hic

Hic Aphoriſmus duas habet concluſiones & conſequenter partes: *Prima* dicit, quibus arida & dura cutis oſtenditur, ſine ſudore moriuntur. *Secunda* vero ait, eos cum ſudore mori, quibus cutis laxa & rara eſt.

Tranſcriptus eſt hic Aphoriſmus ex *6. Epidem ſect. 6.* ubi per eadem ſcribitur, niſi quod clarius ibi, cutes aridæ ac duræ, pro aridis & ſiccis memorantur. Notat autem cutes aridas & duras quæ ſcilicet ſimul una exſiccæ ſint & denſæ, quemadmodum in coriis animalium ad ſolem exſiccatis, ut nimirum pororum conſtipationem & coarctationem deſignet, & cujusvis humoris abſumptionem, unde tactu duræ, diſtentæ & aridæ, adeoque etiam ſcabræ percipientur. Neque ſolum unius aut alterius partis meminit, ſed univerſalis integumenti, totum circumambientis & circum veſtientis corpus; id enim ſignat verbum iſtud *obtenditur* vel *circumtenditur*, qua ſcilicet cute univerſum corpus circumtegitur & inveſtitur. Quibus igitur cutes tales ſunt vel natura vel temporis progreſſu, forſan ex morbo, veluti ex Maraſmo, ſudor nullus fieri poteſt, etiamſi febribus afficiantur, quoniam vel humor deeſt propter ariditatem, vel extramitti atque exſudare nequit, propter cutis denſitatem, ex arefactis præſertim glandulis ſubcutaneis dictis, unde lympha ſudoris materia, proximè ſolet exſtillare, quemadmodum eveniſſe ſcribit idem Hippocrates Dealcis uxori, & adoleſcenti in Melliboea ægrotis XV. & XVI. *3 Epidem. ſect 3.*

At vero qui cutem ſortiuntur laxam & ratam nimio ſudore perfuſi in febribus, aliisque ſimilibus morbis decedere & mori ſolent; quia ſcilicet qui humores pravi per coctionem ſubigi non potuerunt, & criticè protrudi, ſponte ſua inter mortis confinia, inutiliter imo etiam maximo cum virium diſpendio, erumpere ſolent, & ſudores pariunt, diaphoreticos (vulgo mortales) dictos præſertim ſi cacoethiam conjunctam habent, ut in malignis & peſtilentibus febribus, & ſudore Anglico, nam laxitas & raritas cutis nimia, ad ſudorem ſunt apertiſſimæ, laxitas enim redundantiam humoris ſignificat; raritas vero ad ſudorem viam parat, proinde quibus talis cutis ineſt, cum ſudore moriuntur colliquatis & diſſipatis ſpiritibus & humoribus ſeu ſuccis.

Dices; Hic Aphoriſmus videtur prima fronte totus alienus ab arte medica, & doctrina Hippocratis, cum ipſemet juſſerit *in l b.*

de arte à morituris abſtinendum. R. non ita eſſe, ſed Hippocrates ibidem docet, prædictionem ſemper & diligenter diſtinguere debere, id quod *in lib. de ratione victus in acutis* repetit: imo *6. Epidem. ſect. 7.* varios modos mortis prædicere docuit.

Quares: cur quidam paulo ante mortem melius ſeſe habere videantur, nam febris & ſymptomata videntur remittere? R. cum Fonſeca id multifarie contingere, quia febris remittere videtur, vel dum calor partes externas deſerit, & neceſſitatis, vel imminentis agoniæ cauſa, ad interna recedit, ita ut partes ad tactum apyrexiam mentiantur, pulſu tamen in pejus ruente. vel ob virium debilitatem, dum natura victas dat manus, & cum morbo, ejusque cauſa ceſſat dimicare: vel ob extremum naturæ conatum, quo natura omnes ſuas vires & facultates, ad corporis centrum, pro morbo ejusque cauſa vincendis retrahit, omnia in melius vergere putantur, ſed latet anguis in herba; nam brevi malum pejus quam ante redit, hinc una viciſſitudo aliam, & tandem mors ſequitur, hinc eſt declinatio vitæ, non morbi.

Aphoriſmus LXXII. & ult.

Icterici (ſeu æruginoſi ſeu regio morbo laborantes) non admodum flatulenti (ſeu ventoſi ſunt.

Contentum ſeu Intentio.

De Ictero flatibus carente.

Connexio: De cute arida & laxa egit Hippocrates in antecedenti Aphoriſmo: In hoc præſenti Aphoriſmo de tincta cute colore flavo ſeu æruginoſo ſermonem facit.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem non dividitur, cum ſimpliciter non cludat.

Icterum alibi diximus, vel à veneno ſanguinem & lympham corrumpente, vel a craſſis & lentis ſuccis fellei humoris, in tenuia inteſtina transpoſitionem, ex ductu cyſtico & cholidocho impedientibus exoriri. Primum, plerumque malum, itemque opinioſum, experimen-

menta plurima conteſtantur, de quo etiam Hippocrates, pluries in hiſce Aphoriſmis, præſertim, ſi ante ſeptimum apparuerit, aut tumido ac duro exiſtente Jecinore *lib. 4. Aph. 62. 64.* Alterum diuturnum quidem, ſed minime periculoſum, paſſim experimur, & ſæpiſſime etiam ſine febre. Cujus autem hic meminerit, ut eo affectos, non admodum ventoſos eſſe dicat, veteri ſubit. At de primo effatum hoc veritati non conſonat, repugnante quoque eodem Hippocrate, qui Apollonium ægrotum *XIII. ſect. 3. 3. Epidem.* æruginoſum ſimul & flatulentum ſimul fuiſſe memorat: a tumefacto prætereà jecore facile ſubſequi ſolet Tympanitis, in qua flatus prævalent, adeo ut univerſum ventum diſtendant & inflent.

Ictericos itaque ab impedita bilis ſeu fellei humoris in gracilia inteſtina depoſitione, hic intelligere oportebit, quibus nimirum alvus ſtiptica eſſe ſolet, & fæces ſi quæ excernuntur albicantes ac cineritiæ obſervantur: quoniam enim in his bilis conſiſtentior ac interior ſeu effœta reddita, minimeque in tenue inteſtinum deducta, nequit ſuo ſale volatili viſcoſam pituitam, & hærentes in inteſtinis ſuccos, etiam ab acido pancreatis fortaſſe auſteriori, itemque ex ventriculo delabentem chylum, convenienter diluere & moderari; propterea fit, ut flatus vel nulli, vel tenues admodum progignantur, ſed & fæces inde mucoſæ plus juſto, & felleo iſtiuſmodi liquore privatæ, diu retinentur, atque poſtmodum non niſi ingenti conatu egeſtæ, cineritiæ obſervantur: conſtat autem felleum hunc humorem pancreatici vim retundere, chylum ab inutilibus partibus repurgare, tenaces & hærentes ſuccos ab inteſtinis incidendo, detergere, necnon clyſteris vicem gerendo flatus diſcutere, & alvi experimenta ad exitum provocare. At vero adjecit Hippocr. *non admodum* cum fieri poſſit, ut aliquando leviter ſaltem, flatus aut ructus ab ictericis emittantur, cum ſcil. aliqua ex parte, felleus humor ad inteſtina dejicitur, forte quia non omnino cholidochus ductus obſtruitur, & omnem ejus partem remoretur, vel etiam, quia ab oleoſa, & tenaci bile cyſtis ipſa ſola infarcitur, indeque Icterus exſurgit, libero interea cholidocho ductu remanente. Sed & contingit pariter nonnullos flatibus vexari, ventris murmura excitantibus, & inflantibus inteſtina, illos autem nequaquam depellere poſſe, his equidem facile accidit, ut Ictero corripiantur, & præterea Tympanitici fiant. Novi quendam optima,

cæte-

cæteroqui ſanitate fruentem virum, qui tum ingentes flatus, magno ſane impetu, per tempus, cum Juberet edere conſueviſſet, mox factus Ictericus, flatus ipſos per ventrem obmurmurantes diſcutere nequivit, & poſt aliquod tempus Tympanitico - Aſciticus periit: Contigit & pariter experiri Ictericum quendam in convenienti tamen methodo tractatum, flatuoſum & ructuoſum per totum fere morbi decurſum exitiſſe, ſed tandem ſtomacho & viribus exolutum, cum nihil amplius retinere nec digerere potuiſſet, ultimum clauſiſſe diem, tumefacto interea jecore, & ictero in hepatidem ſcirrhoſam commutato

Dices I. Icterici nigri ſeu qui laborant ictero nigro ex liene, maxime abundant flatibus. ergo Aphoriſmus hic locum non habet, ℞. Hippocratem de hoc ictero in hoc Aphoriſmo non loqui, qui ex lienis duritie vel aliter affecti prodit, ſed de eo, qui ex hepate ſeu potius vitio humoris fellei oritur.

Inſtabis: Hippocrates *2. Epidem.* fere adjungit Ictero Hydropem & flatum ergo loquitur de Ictero hepate & ſucco felleo affecto ℞. Hippocratem hoc loco loqui dè Ictero nigro, quia fide quidem hepate & bile affectis; verum tamen ut dictum in contextu, illum non abſolute in hoc Aphoriſmo docere, Ictericos nullatenus eſſe ventoſos, ſed revera aliquando eſſe poſſe ſupra monſtravimus, & ideo adjecit illud *non admodum*: Vel etiam dici poteſt, Hippocratem per Ictericos hîc intelligere eos, qui colores habent flavos, & ſucco felleo vehementer abundant, tales enim ob bilis copiam flatus abſumunt, nec ructuoſi ſunt, ſicut lienoſi. Et ſic eſto hujus utiliſſimi & laborioſi libri.

FINIS.

LIBER

LIBER SEXTUS

SEU

SECTIO SEXTA

DE

ACCIDENTIUM PROGNOSI IN MORBIS.

Aphoriſmus I.

In diuturnis lævitatibus inteſtinorum, ſi ructus acidus superveniat, qui prius non extiterit, bonum eſt ſignum.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi lienteria.

Connexio: Cum in ultimo *libri quinti* Aphoriſmo egerit, Hippocrates de flatibus; In hoc præſente Aphoriſmo, continuat eandem materiam flatuum, qui per ructus acidos surſum rejiciuntur, hocque utile Medico præceptum proponit.

Præliminariter autem neminem lateat *Sextum* hunc *librum* Aphoriſmorum Hippocratis, varium eſſe, & proinde utilem ſimul & maximè recommendabilem. continet enim ſententias ad praxim medicam ſummopere conferentes, præſertim in his, quæ acciden-

enim male affecta in cauſa ſunt, ut quatocyus pariter ad alvum inconcocti cibi deturbentur & expellantur. Hinc lienteria, non tantũ lævitas inteſtinorum, ſed & cibarius fluxus ſeu diarrhœa ſtomachica plerique appellatur, quia ſtomachus ſeu ventriculus & inteſtina, cum ſuis tunicis, fibris & glandulis, nec non cum liquoribus, in eorum cavum extillantibus, ſimul una in hoc affecta læſa, conſpiciuntur.

At vero, non ſolum hic conſiderat Hippocrates lienteriam, ſeu lævitatem inteſtinorum quamcunque, vel ex modico tempore inductam, ſed ſpecialiter adjecit, ex longo tempore moleſtantem, ſiquidem *in diuturna* dixit *lienteria*. Si enim lienteria recens foret, profecto quod de acido ructu ſuperveniente recenſet, foret inſiduar, quia fortaſſe ſemper adfuit, & ſicut is à principio lienteriam concomitans, non magni æſtimandus, ita nec lienteria ipſa plurimum eſſet magni facienda, utpote quæ non altas fixerit radices. Jure merito hæc ambo animadvertenda ſcribit, *in longa ſeu diuturna lienteria* in quibus gravius de vita verendum, *& ructus acidus ſuperveniens*, qui longe magis utilis exiſtimandus eſt. In his enim ructus acidus ſuperveniens recuperatum iri ægrotantem portendit, ob reſtauratæ coctionis indicia, quippe ſucculi digeſtivi, ciborum diſſolutionem promoventes amiſſum acorem referunt naturali ſtatui debitum, quo antea orbati inidonei evaſerant & ventriculus ipſe, ad priſtinam fibrarum texturam & ſui coarctationem quadantenus revocari prædemonſtratur. Atq; hinc palam fit, quam longe aberraverint veteres interpretes, ex ructu acido coctionem renovari exiſtimantes ex eo, quod ructus acidus indicium foret inchoatæ coctionis, vi caloris perfici conſuetæ; cum tamen ructus acidus ex Galeno frigidam intemperiem conſequi dicatur, & coctio ex eodem à calore moderato fieri putetur. Equidem ructus acidus inchoatæ coctionis indicium eſt, ſed ex reſtauratione ac reditu ſuccorum chylificationi inſervientium, quia ſucci iſti, ſua natura acido-acres eſſe debent, & ubi antea per lienteriam hebetes ac inertes, omnique acore diſſolvendi vim habente orbati fuerant, cum in priſtinum inſtaurari & exacui cœperint, futuram impoſterum meliorem ciborum coctionem pollicentur.

Addidit præterea tunc ructum acidum ſignum eſſe bonum, cum antea non extiterit, (ructus enim acidus utcumque ciborum reſolutorum & fermenti ventriculi reintegrationem inchoantem arguit,) forte

ſorte quia ſucci illi digeſtivi hebetes, & effœti, vel propter commixtionem aliorum ſuccorum præſertim phlegmaticorum, vel ob mucorem in tunicis & glandulis ventriculi hærentem, vel propter eorundem inertiam ac inefficaciam, veluti a ſanguine vapido dependentem, vim & actionem nullam, in cibos aſſumptos exercere potuerint, qui mox repurgato per iteratas egeſtiones corpore, actiones & efficaciores redditi deinceps valeant eorumdem diſſolutionem & chylificationem peragere; quamobrem, qui ſucci ciborum diſſolutioni dicati, nulli, vel inefficaces erant, comparente ructu acido, illoque perſeverante reſtituti deſignantur, unde ſignum bonum neceſſe eſt autem ut perſeveret, nam ſi momentaneus fortaſſe foret, infidele ſignum eſſet.

Sed quid ſi ructus acidus adhuc antea per initia lævitatis inteſtinorum extiterit? Certe ex mente Hippocratis nil boni exinde præſagiri poſſet, tunc enim ructus acidus, potius à cibis ipſis malè digeſtis proveniret, quam à ſuccis digeſtivis, in meliorem ſtatum redeuntibus; quamobrem non immerito lienteriam ipſam comitaretur, & non ſuperveniret; atqui fieri etiam poteſt, ut ſucci ipſi talem ac tantum acorem nanciſcantur, ut longe admodum á naturali conditione declinent, adeoque referant vim & acutiem aquæ ſtygiæ, proxime ad veneni naturam accedentes, quo circa non tantum cibos diluant, ac plus juſto extenuent, ſed & tunicas ipſas ventriculi ac inteſtinorum proritent & compungant, unde poſtmodum citiſſima ac præpropera nimis in alvum depoſitio, quemadmodum ex vehementioribus catharticis & venenatis quibusdam liquoribus experimur. Sed & inſuper à nimia atque immoderata tunicarum & fibrarum ventriculi laxitate, id ipſum evenire poterit, qua ſcilicet fiat, ut aſſumpti cibi nec comprehendi, nec debito tempore retineri queant, ſed ſponte ſua per pilorum ſe corrugare nequeuntem in inteſtina delabantur, quæ pariformiter affecta aut premente & inepta ejusmodi mole gravata, foras protrudant.

Hinc autem facile deduci poteſt, evenire quandoque poſſe lienteriam vitio ſolius ventriculi male concoquentis, aliquando ex defectu gracilium inteſtinorum & ſuccorum illuc corrivantium, non ſecernentium partes chyli alibiles ab excrementitiis, ſed una ſimul permiſtas ac cõnfuſas, ex irritamento ſtatim ad alvum

pro

protrudentium, itemque ſi a tumida & villoſa glandularum ſubſtantia quodammodo lævigata, atque à fibrarum & nervorum laxitate, ad debitum tempus continere nequeuntium, indeque fieri cur aliquando gravior, quandoque vero mitior lienteria exoriatur, ut exempla teſtantur. Quoniam vero ſimilem ſententiam ſcriptam reliquit Hippocrates *2 Epid ſect. 2* his verbis *Diuturnis levitatibus inteſtinorum acidum ructum fieri, antea nunquam factum ſignum utile, ut Demaneti accidit, fortaſſe autem eſt & arte facere, etenim turbationes hujusmodi alterant; fortaſſe autem & acidi ructus levitatem inteſtinorum ſolvunt*; anſam nobis præbet dubitandi, an non æque expediat Medico ructus acidos excitare, imo & vomitum, cum alioqui nihil de hoc memoratum ſit in præſenti Aphoriſmo. Verum Hippocrates *cit. 2 Epidem* hæſitanter ſolum ſub particula *fortaſſe* illum commendat, deſumpta ratione ab illa turbatione ſeu commotione ventriculi qua in eructatione ſe ſubvertit & efflat, ut inde fortaſſis calor (cujus defectu lienteria fieri creditur) ſuſcitetur ac vigeat, & frigidi & tenaces humores Ventriculi fundo hærentes ſubmoveantur & expurgentur. Quamobrem cum certum omnino non ſit, ex ructu arte promoto, lienteriam fore deſituram, proinde factum cur in Aphoriſmo nil tale retulerit, veluti nondum experimentis comprobatum. Sed & in diuturna lienteria affectis, adeoque toto corpore languentibus, nec videtur tam facile ructum acidum, & vomitum tuto excitari poſſe, niſi duntaxat ex accidenti, quatenus per medicamenta aromatica & roborantia Ventriculum, vigor in fibris & tunicis ejusdem ſe quodammodo corrugantibus promoveatur. Et licet vomitus in alvi fluxibus ex eodem Hippocrate à plerisque Authoribus commendetur, is tamen non niſi inter initia convenit, valente nimirum Natura ejus impetum ſuſtinere, quæ cum ex adverſo valde imbecillis eſſe ſoleat in diuturnis lienteriis, propterea nullatenus tutum erit ad ejusmodi commotionem illam laceſſere. Quod autem ex anguſto alicujus vaſis orificio potando, creditur promotum ructum prodeſſe poſſe (ut Galenus *comment. 2. in 6. Epidem text. 32. referens Sabinum ita conſuluiſſe*) vanum omnino exiſtimaverim, cum non niſi ab interna cauſa excitatos ructus, isque ſimiliter acidus in lienteria commendabilis ſit, & ſignum bonum eſſe poſſit, Sed dantur quandoque medici, qui naturæ vices ſupplere intendentes, & ſequentes Conſi-

 lium

lum Celſi inquientis, quæ per rationem fieri nequeunt per temeritatem facienda: Verum hos ſequi, caſibus paucis exceptis periculoſum.

Quæres: Cur vinum citius aceſcat in ventriculo quam alii liquores? ℞. Quia vinum majorem habet ad aciditatem diſpoſitionem quam alii liquores; præterea vinum plerumque in majori quantitate ſumitur quam cæteri liquores. Sed

Quæres II. Cur vinum tam facile in ventriculo aceſcat? ℞. Non quia calidum eſt, ſed quia non poteſt ſuperari a virtute ventriculi aliud eſſe cum aqua ſimplici, cruda vel cocta, hæc enim facile digeritur neque tam facile aceſcit.

Quæres III. Quot modis ergo lienteria obtingere poteſt? ℞. Triplici modo: 1. Quando non concoquit ventriculus, licet debito tempore contineat: 2. Quando concoquit, ſed non tamdiu retinet, ut perfecte concoqui & immutari poſſit. 3. Quando nec concoquit, nec retinet.

Aphoriſmus II.

Quibus nares humidiores natura, & Genitura humidior ii minus proſpera valetudine fruuntur: Quibus vero hiſce contraria adſunt, ſalubrius degunt.

Contentum ſeu Intentio.

De Temperie humidiori comparata.

Connexio. Magnam habet hic Aphoriſmus cum præcedente convenientiam. In priori enim de acido fructu egit, qui humiditatis ſeu redundantis ſeri ſignum eſſe ſolet. In hoc de mucco narium & ſemine ſermonem facit quæ pariter humiditatis & ſeri notæ eſſe conſueverunt.

Hic Aphoriſmus duas continet concluſiones & quidem contrarias. & ideo etiam in duas partes dividitur; *Prima* dicit nares humidio-

midiores Natura, & Genitura humidior, ſigna ſunt culpatæ ſanitatis. *Secunda* vero aſſerit contrarium.

Colligit ergo in hoc Aphoriſmo Hippocrates, ab humidiori vel ſicciori narium & genituræ conditione, meliorem & ſalubriorem: vel contra deteriorem & inſalubriorem, totius corporis conſtitutionem; ſimili fere modo, ac de totius anni tempeſtate ſcripſerat *Libro 3 Aphoriſ. 15. ex conſtitutionibus anni ſiccitates, ſunt Imbribus ſalubriores & minus mortiferæ*. Equidem ab humidiori corporum conſtitutione, major excrementorum præſertim craſſorum & phlegmaticorum proventus deſignatur, quæ partes omnes aggravent ac hebetant, & ſanguinem vitæ theſaurum, ſuſtinendo & fovendo corpori ineptum & effœtum reddant, quamobrem majora & pejora nobis ſemper accidunt mala ab his, quæ plus juſto humefaciunt ac delaxant, Humidum enim in viventibus moderatum, balſamicum & oleoſum dictum, minime vero aqueum & excrementoſum eſſe debet, quale per mucum & fluentem lympham narium deſignatur.

Scriptum eſt autem *Natura* id eſt à Nativitate, atque ex naturali & inſita corporis habitudine, ad excludendas humidas illas ſuperfluitates, quæ ex cauſis externis, vel a morbo aliquo inducuntur, quemadmodum ab aere auſtrino, cibis excrementitiis, & potibus gelidis ac immoderatis, itemque ex catharris & aliis: In iis præterea arguitur mala & laxa nimis Cerebri (quod pituitæ Metropolis Hippocrati dicitur) conſtitutio, quæ ad lymphaticas, & ſeroſas ſanguinis ſuperfluitates facile ſuſcipiat, & ſuſceptas moderari nequeat, ſed per nares & cæteras adiacentes partes ſponte ſua defluere ſinat. Idipſum quoque indicat genitura humidior; Illa quippe tenax, ſpumoſa, ut conſiſtens eſſe debet; unde cum humida & fluida nimis eſt, a conſimili ſanguinis conditione progenita deſignatur: modo ex utriusque partis humida & laxa conſtitutione, cæteras quoque omnes pari vitio affectas conjicere licebit, adeoque coctiones omnes, & cunctas operationes inertes & languidas fieri, ex quibus nec integra nec perfecta ſanitas exoritur, ſed valde debilis & contrahendis morbis multum obnoxia; quandoquidem cerebrum & teſtes videntur eſſe præ reliquis præcipuæ ac prævalentiores partes, ad vim & vigorem toti corpori impertiendum, quippe quia ex Cerebro Spiritus a-

nimales, atque ex Teſtibus maſculinum robur, cunctis aliis communicatur.

Hinc experimur ſpadones, & illos omnes, qui ejuſcemodi aqueis humiditatibus, atque ſeroſis humoribus abundant, eſſe perpetuo valetudinarios, ingenio hebetes, ſenſibus obtuſos, languidos, excrementoſos, & ad quæcunque opera, aut exercitia, tum mentis tum corporis minus idoneos. Cæterum comparate ſolum illos his minus ſalubres eſſe dixit, cum & non minus ſicciori conſtitutione prædıti, ſuis quoque ſubjiciantur morbis.

At vero animadvertendum hic eſt, quod junctim Hippocrates dixit. *Nares & Genituram humidiores*, ut ex utriuſque complexu de totius corporis ſalubritate, rectum judicium ferri poſſit, nam ſi una vel altera ſolum pars humidior foret, non de toto, ſed ſolum de illa parte male affecta ac debili judicabitur; unde ſi nares ſolum humeſcant, cerebrum male affectum, & imbecillum deſignabitur, ſi vero genitura duntaxat fluxilior ac ſeroſior obſervetur teſtes ſolummodo, & aliæ pariter circumjacentes languidæ & laxæ ſignificabuntur. Debent igitur hæc duo ſimul jungi, unde totius corporis conſtitutione conjicere poſſimus. Id ipſum quoque per eadem fere verba ſcriptum eſt *6 Epidim ſect 6.* unde excerptus videtur præſens Aphoriſmus, niſi quod genitura non tantum humidior ſed copioſior quoque adjiciatur, non minimum ſcilicet ad cauſariam valetudinem conducente copia. Hac etiam de cauſa idem Hippocrates *2 Aphor. 44* adnotavit, craſſa atque obeſa admodum corpora citius interire quam gracilia; quia facilius in graviſſimos & lethales affectus incidunt, quales ſunt Apoplexia, Lethargus, Carus, Paralyſis, oculorum Suffuſio, Aſtma, Hydrops, Lienteria, Diarrhæa, Dyſenteria & alii ſimiles; Contra vero ſicciori & ſolidiori corporis conſtitutione potiti, ſalubriorem vitam degunt, utpote qui puriori & floridiori ſanguine ſunt præditi & partes ad robur & operationes vitæ deſtinatas, ſolidiores & firmiores nacti ſunt, quod pariter confirmat Celſus, *Lib. 2 Cap. 1.* Licet autem negari non poſſit tales ſiccioris corporis homines ad acutos morbos, Phrenitidem, ardentem febrem, eſſe quoque proniſſimos.

Dices Hippocrates *lib. de locis in homine* contrarium ſentire videtur: & *Lib. 3. Epidem.* dicit eos quibus humidæ ſunt nares, & genitura

natura humidior, facilius vivere, Ergo ſibi contradicit. 32. Licet extricandæ huic difficultati varie ſtuduerint Firolivius, Alarſilius, Hugo Senenſis & alii.

Dico ad Primum, Hippocratem loco illo citato nil aliud intendere, quam quod morbi ſicci & firmati in corporibus ſiccis, ſint difficiliores & diuturniores; in humidis autem, quod facilius diffluant & curentur.

Dico ad Secundum: Humidos dici ſaniores, quia vivunt diutius & melius nutriuntur, non tamen inde ſequitur, eos minus ægrotare.

Aphoriſmus III.

In longis inteſtinorum difficultatibus, cibi faſtidium malum, & cum febre pejus.

Contentum ſeu Intentio.
De Prognoſi Dyſenteria.

C*onnexio*: Hic Aphoriſmus connectitur cum primo, cum enim in illo de lævitate inteſtinorum egiſſet, & ibidem poſtmodum ſignum apparens ad prædictionem declaraſſet: In hoc præſente Aphoriſmo agit de Dyſenteria, quæ altera eſt ſpecies alvi fluxus, & pariter ſignum deducit ſuperveniens ad prognoſim.

Hic Aphoriſmus duas habet partes ſeu concluſiones: quarum *Prima* malam ponit inappetentiam in longa dyſenteria: *Secunda* vero perniciem, ſi cum febre jungatur.

Hippocrates *Lib. 2 Aphor 33* dixit: *In omni morbo, bene ſe corpus habere, ad ea quæ offeruntur bonum eſſe contra vero malum.* at hic ſpecialius in dyſenteriis, ciborum faſtidium adnotat, veluti ſignum proſtratæ virtutis appetitivæ, atque adeo malum, & cum febre pejus.

Verum animadvertere oportet, non dixiſſe Hippocratem in dyſenteriis ſeu difficultatibus inteſtinorum ſimpliciter, ſed notanter adjecit *in longis ſeu diuturnis*. etenim incitantibus dyſenteriis, ex malo

forre corporis apparatu, atque ex humoribus acribus aut oleoſis, quales plerumque ſunt, qui bilioſi vulgo vocantur, non raro fit, ut ſtatim appetitus langueat, & ciborum faſtidium ac nauſea infeſtarit: illud tamen non tanti exiſtimandum, ut ſpes omnis abſit recuperandæ impoſterum appetentiæ, poſtquam ſcilicet humores illi acres & oleoſi, domiti vel evacuati fuerint. At vero cum inter initia dyſenteriæ, appetitus non eſt omnino proſtratus, ſi deinde temporis proceſſu, morbo nimirum increbreſcente, ille penitus deficiat, & ciborum omnium faſtidium inſequatur, procul dubio peſſimum indicium erit, veluti non à ſolis humoribus, ventriculi tunicas laxantibus progenitum, ſed à labefactata ejuſdem actione, atque ab emortuis & exolutis ſuccis eidem addictis, dependens. Neque enim tam facile deinceps eſt, exolutos ejuſcemodi ſuccos reſtaurare, & labefactatas vires reficere, poſtquam diu cum torminibus alvus egeſſerit, & inteſtina tam male affecta fuerint; unde & ſanguis & vita ipſa proxime eſt, ut tandem deficiat. Accedit, quod ad reficiendam conſumptam ex immodica egeſtione ſubſtantiam, neceſſaria omnino eſt ciborum ingeſtio, & pariter conveniens eorundem digeſtio, & chylificatio, quæ, niſi ventriculus bene ſe habeat ad appetendum & concoquendum nullatenus haberi poterit, quamobrem de omnimoda virium deficientia, ſubinde adhuc verendum erit.

Sed quomodo fieri poteſt, ut in dyſenteria, etiam ab initio appetitus ciborum habeatur, procedente vero tempore deficiat? Ratio petenda videtur ab ipſiſmet inteſtinis male affectis, ſive ſuperioribus & gracilibus, ſive inferioribus & craſſis & potiſſimum tecto beneque ſe habentibus ſuperioribus & gracilibus, facile eſt ut appetitus ciborum habeatur, qui tamen nullus vel valde imminutus erit, cum ſuperiora & gracilia inteſtina, quibus ventriculus proximus alligatur, afficiuntur. & quia procedente & producta dyſenteria, eroſiones aut ulcuſcula, adhuc in inteſtinis craſſis contracta, ſenſim & ſenſim repere poſſunt in partes ſuperas, & non tantum inteſtina gracilia, verum etiam ventriculum ipſum contaminare: propterea fieri poteſt, ut dyſenteria inter initia appetentiam non lædat, progreſſu vero temporis illam inferat. Adde quod morbi omnes initiantes debiliores ſemper ſint, ſenſim vero invaleſcentes praviores fiant, attritis viribus & langueſcente Natura.

Quod

Quod diuturnis dyſenteriis ciborum faſtidium ſuperveniens malum hactenus dictum ſit, longe pejus erit, ſi cum febre conjungatur, & quidem ſive febris a principio dyſenteriam comitetur, ſive in ejusdem decurſu ſuperveniat: etenim ratione febris, vitium quoque in ſanguine inductam deſignatur; atqui longe gravius erit, ſi febris, quæ à principio deerat, vel levis admodum videbatur, mox cum ipſo ciborum faſtidio ſupergrediatur, aut increbreſcat, quippe tum vel inflammationem vel mortificationem ibidem factam deſignat. Id quod etiam notavit Hippocrates *6. Epidem. 7.* his verbis: *In longis dyſenteriis cibi faſtidia mala, tum alias, tum ſi inſuper febrierint*: ubi duo notabiliora commemorat: *primum* quod ciborum faſtidium non ſemel ſed plures & diu perſtiterit, nam uſus eſt plurali numero, *cibi faſtidia*: *alterum*, quod tum alias, tum ſi in ſuper febrierint, ubi per particulam *inſuper* ſupervenientem febrem deſignat.

Neque hoc novum in praxi, qua pluries conſtitit, dyſenteriam citra febrem accidiſſe, ſed & non tantum absque febre, verum etiam absque cruentis egeſtionibus viſam graviſſimi Doctores atteſtantur, illamque epidemicam & populariter graſſantem, de qua præ cæteris meminere Williſ. Syndenham, Bonetus *in ſuo ſepulchreto* & alii; ut propterea mirum non ſit, cur Hippocrates dixerit, in diuturnis dyſenteriis, cum tamen dyſenteria inter morbos acutos reponatur: etenim fieri poteſt, ut illa potiſſimum incruenta, in longius tempus protrahatur, utpote in recto inteſtino craſſiori excitata, quemadmodum etiam in teneſmis experimur.

Sunt ergo, cibi faſtidium & febris in longa dyſenteria, ægro jam num debilitato peſſima ſigna, maxime vero ſi conjungantur, ut jam ſupra dictum.

Cibi autem faſtidium ſeu inappetentia paſſim tripliciter intelligitur vel cum nihil poteſt deguſtare homo abſolute; vel cum appetit, ſed admovens alimentum non poteſt deguſtare; vel cum alimenta peregrina & prava deſiderat: quocunque modo ſumpta mala eſt inappetentia, ſed peſſima prima, inde ſecunda, poſtea tertia. ita Hippocrates *3 Epid. Sect. 2.*

Plures qui deſiderat, hunc Aphoriſmum concernentes difficultates, eas apud practicos ſparſim inveniet titulo de dyſenteria.

Apho-

Aphoriſmus IV.

Circumglabra ulcera, maligna, (ſeu prava.)

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi ulcerum.

Connexio: Cum ſuperiori Aphoriſmo egiſſet, de ulcere inteſtinorum, in hoc præſente agit de aliis ulceribus malignis & pravis. Hic Aphoriſmus ob nimiam brevitatem non dividitur.

Ulcera ergo circumglabra dicuntur ex quorum ambitu, & circa illorum labia pili decidunt, ac deciſi nullatenus renaſcuntur. Sive autem ulcera iſta a cauſis externis fuerint inducta, ſive ex præcedenti vulnere relicta, perinde erit, modo ab affluxu pravorum humorum, circumjacentes pili è ſuis radicibus abradantur & ſponte decidant. Hinc ubi Leonicenus, aliique interpretes ſcribunt *ulcera* Fuchſius mavult legendum *vulnera*, quæ tamen in ulcus deſierint, ut proinde non ex vi vulneris, ſed ex pravo & maligno humore in labiis vulneris reſtagnante, radices pilorum erodantur. Addit etiam Cardanus, præter pilorum caſum, cutis deſquamationem, ut ab iiſdem humoribus malignis & erodentibus, nedum radices pilorum, ſed etiam cutis, & caro ſubjecta depravetur & inficiatur.

Ab ejuſmodi igitur pilorum defluxu, & cutis deſquamatione, clariſſime deducitur, ulcera ipſa evaſiſſe maligna & cacoethica, vel à vitio ejuſdemmet partis ulceratæ corrumpentis alimentum, vel à toto, malos humores in eandem partem deponente, prout obſervare ſolemus in corporibus Gallica lue infectis Hinc autem edocemur, pro talium ulcerum curatione, corpus omnino eſſe repurgandum, à pravis & deleteriis ſuccis, ulcera ipſa inficientibus, ac præterea alexipharmacis & ſpecificis oppugnandum, niſi enim pravi illi humores eliminentur, & alimentum, quod parti affectæ ſuggeritur, purum & temperatum fiat, procul dubio ulcus nunquam ad cicatricem perducetur.

Hanc

Hanc eandem ſententiam ſcriptam etiam invenies 5 *Epidem. ſect.* 7 ſub his verbis: Ulcera circumglabra maligna ſunt, quare hic Aphoriſmus deſumptus exinde videtur.

Dices: Pili decidunt ob diſcraſiam ſiccam, ut in Calvitie, ob defectum ſucci alentis, Ergo non ſemper ob malignitatem. ℞. Hanc pilorum ruinam non tantum dependere à diſcraſia ſeu intemperie, quoniam ſatis apparet, quod non ſit ſola, Ergo neceſſe eſt, ut pravitas adſit, quæ ulceri jam cacoethico juncta eſt.

Quæres I. Quotuplex eſt putredo in ulceribus? ℞. Duplex, ſicca & humida, ſicca eſt in ulceribus calloſis de qua Hippocrates 2. *Epid.* humida in ſordidis.

Quæres II. Cur Hippocrates non alia ſigna, nempe corroſionem, rotunditatem, ſerpentiam, deſquammationem, labiorum inverſionem & pravitatem, ſed tantum pilorum decidentiam adduxit? ℞. Hippocratem hoc ſignum adferre, tanquam quod oculis ſtatim occurrit, ut Medicus ex hoc ſtatim de ulceris malignitate poſſit pronuntiare.

Quæres III. In quibus maxime ulceribus depilatio hæc apparet? ℞. In Elephantiaſi, impetigine & ulceribus a lue venerea ortis, item in carcinomate & aliis. Quemadmodum herbæ in prato aqua ſalſa, fluvio, urina aut cœnoſa illuvie irrigato non creſcunt, ita pili in talium ulcerum circumferentia creſcere non queunt.

Aphoriſmus V.

Dolores laterum & pectoris, cæterarumque partium, an multum differant, conſiderandum.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi dolorum.

Connexio. Cum præcedenti Aphoriſmo, facile connectitur præſens Aphoriſmus, ſiquidem in priori ex glabritie docuerit facere differentiam inter ulcera. In hoc præſenti Aphoriſmo monet, ut Medicus

Uuuuu

dicus inter partium dolores, bene diſtinguat, & videat, utrum unus alteri ſit omnino ſimilis an diſſimilis & ex hoc facile veniet in cognitionem partis affectæ, ipſius morbi & ejus cauſæ. Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur.

Quo pacto hunc Aphoriſmum vertit Leonicenus, obſcuritatem parit; quare melius legendum cum Fuchſio & Cardano, quorum alter ex Græco Codice transfert: *Dolores, qui fiunt in latere, & pectore aliiſque partibus, num multum prævaleant differantve, conſiderandum.* Alter vero ita ſcribit. *Dolores qui ſunt in lateribus, & pectore, atque aliis partibus, an multum varient, perdiſcendum* cui conſentit etiam Mercurialis. Et quidem utraque hæc verſio clarior eſt, per quam Hippocrates Medicos conſulere videtur, ut partem affectam in doloribus, prout mox diximus, internoſcere curent. niſi enim partes affectæ, ſuis indiciis diſtinguantur, curatio nequaquam proſpere inſtitui poterit; etenim in doloribus, non ſolum diſtinguenda erit doloris ſpecies, num ille acutus & pungens, an vero obtuſus & gravans ſit, num tendens aut inflans, num pulſans aut convellens; verum etiam a quibus cauſis potuerit produci; in qua ſpeciatim parte, cum quo morbo conjunctus, quo anni tempore, qua ve tempeſtatis conſtitutione contingat. Siquidem ab horum accidentium & circumſtantiarum varietate, partes affectæ & illatum ſpeciales morbi, cum ſuis cauſis facilius diſcerni poterunt.

Et quidem *pungentes* dolores, ab humoribus acribus; *gravantes* a craſſis & pituitoſis; *inflantes* à flatibus oriri ſolent. Sicut pariter *pulſans* fit in arteriis, *convellens* in nervis & membranis: *acutus* in partibus ſenſitivis; *obtuſus* in glandulis & viſcerum parenchymatibus. Qui contingunt *æſtate* plerumque ab humoribus tenuioribus, qui in *hyeme* à craſſioribus, ita de cæteris. Modo, pro iſtorum varietate, varianda quoque curatio erit, ut docet methodus medendi. Dat autem exemplum Hippocrates in hoc textu, de doloribus laterum & pectoris, & pro lateribus intelligit coſtas, cum adjunctis muſculis meſopleuris, & intercoſtalibus dictis, prout utrumque latus, dextrum & ſiniſtrum occupant: pro pectore autem intelligenda eſt, pars anterior ejuſdem, ubi coſtæ ſterno, adnectuntur, & non ſolum ſecundum partem internam, ejuſdem pectoris, nam non eodem modo dolor, in utriſque contingens, pectus ipſum afficit, cum pars interior & membrana

brana illa, quam pleuram vocant, ſenſu exquiſitiori communita, acutius dolet, pars vero extima maſculis contecta, non adeo acuto ſenſu torqueri ſolet. Ita quoque dolor aliter afficit pulmonem ac pleuram, aut muſculos intercoſtales: quamobrem bene conſtat, pro diverſitate partium affectarum curationem diverſimode eſſe inſtituendam.

Neque ſolum qualitas doloris, ſed ejuſdem *Magnitudo* conſideranda eſt, num ſcilicet exiguus & levis ſit, an vero magnus & excedens, Inde enim deſignabitur cauſa dolorem faciens, vel levior, vel gravior, vel abundantior, vel paucior, vel tenuior, vel craſſior, vel tenacius infixa & recondita, vel ſuperficietenus duntaxat adhærens, vel intenſivus vel extenſivus nempe ad plures partes, conſiderandum inſuper eſt, num in longius tempus dolores ſunt proceſſuri, ideoque diuturniores; An vero ſint citius deſituri; & num per ipſam eandem qua incæperint, anni tempeſtatem, puta, qui hyeme intra hyemale quoque tempus finiri poſſint, an potius ad aliam ſequentem, nempe vernalem, vel æſtivam protrahendi ſint, ut ex eodem Hippocrate colligi poteſt *6 Epidem* ubi de conſtitutione quadam in Perintho vagata ſermonem habet Quare non irrationabiliter quis conjectabitur, ex dolorum varietate, diverſam morbi cauſam, & morbi *magnitudinem, motum & morem* cum parte ſpecialiter affecta, ut fuſius declarat Galenus *2 de locis affectis cap 2*. Hinc quod Hippocrates hic exempli cauſa, de doloribus pectoris & coſtarum protulit ut inter ſe invicem diſtinguantur, nimirum peripneumonia, pleuritis, ſuppurationes, tabes, venarum ruptiones &c. aptandum quoque erit cæteris partibus, ſi dolore afficiantur, ut ex iiſdem ſignis diſcerni poſſint, puta, cum dolor divexat Ilia, num internæ an externæ partes ventris afficiantur, & num Renes, an inteſtina, an etiam reliqua viſcera adjacentia: procul ſit in Nephritide ut colica quæ ſane ſæpe difficulter diſcernuntur: quæ ſane, ex documento ejuſdem Galeni *cit. loco* a quinque fontibus deducuntur; nimirum à Natura & conditione doloris, à ſitu, ab accidentibus adjunctis, ab excrementis, & ab actionibus læſis.

Poſtremo advertit Galenus *in comment.* etiam in pluribus individuis dolores, iiſdem in partibus inductos, ex ſupra dictis indiciis poſſe diverſificari; ſi nimirum conſiderentur doloris ſpecies a vehemen-

mentia: Etſi enim duo individua coſtarum dolore crucientur, ſi fortaſſe tamen in uno dolor ſit pungens, in altero tendens vel gravans; aut in uno vehementior ſit, levior in altero. Equidem in illis & cauſa doloris & pars affecta variabit, pro eorundem diverſitate.

Tandem neque prætereunda differentia corporum, Temperamentorum, craſeos, habitudinis, ætatis, conſuetudinis, victus rationis, quæ ubique locorum quoque conſideranda & diſcernenda ſunt tum ad dignotionem & ad prognoſin, tum maxime ad remedium in genere, ſpecie, quantitate, qualitate modo, tempore recte adhibendum. Qui ampliorem ſuper hujus Aphoriſmi contextu, deductionem anhelat, legat Cardanum, qui fuſe eundem exponit.

Aphoriſmus VI.

Renum & veſicæ vitia in ſenibus, difficulter curantur.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi vitiorum Urinæ in Senibus.

Connexio: Cum in præcedenti Aphoriſmo, dolorum mentionem feciſſet & docuiſſet, illorum differentias eſſe conſiderandas: In hoc præſenti Aphoriſmo ad dolores renum & veſicæ, earumque partium morbos ſe convertit, quibus dolores ut plurimum ſunt connexi. Hic Aphoriſmus propter brevitatem & ſimplicem concluſionem non dividitur.

Animadvertendum præliminariter, Leonicenum, ſimul una renum & veſicæ vitia, in hoc Aphoriſmo conjungere, alios vero interpretes, & præſertim Fuchſium & Cardanum disjunctim legere, unde Aphoriſmum hunc è Græco Codice ita vertunt *Vitia Renum, & quæcunque dolores Veſicæ*: Quaſi vero ſenibus morbi quidem accidant, ſed non cum magno dolore, quia illorum ſubſtantia parum ſenſitiva eſt, at vero multum ſenſilis ſubſtantia veſicæ, utpote membranoſa.

Ve-

Verum enim vero, iſta non multum faceſſunt ad ſententiam Aphoriſticam explicandam; etenim ſive alter afficiantur, renes & veſica, ſive etiam diverſis morborum generibus divexentur, non tamen Hippocrates ex illorum varietate, eorundem viſcerum inſanabilitatem, vel difficilem ſanationem deſumpſit, quippe qui ſolum, morbos ipſis contingentes conſiderans difficulter ſanabiles in ſenibus recenſuit, reſpectu ipſiuſmet ætatis, & quamvis iidem Authores, pro ſenioribus intelligant, qui in prima ſenectutis ætate ſunt, ut videtur deduci poſſe ex eodem Hippocrate 6 Epidem 7. ubi renum affectiones, poſt annos quinquaginta ſe non vidiſſe ſanatas ſcribit, nihilominus quia ibi de ulcere renum & veſicæ verba facit, non autem de reliquis renum & veſicæ morbis, & aliquando etiam viſum ſenes inter initia ſenectutis, à quibuſdã renum & veſicæ affectibus fuiſſe vindicatos, veriſimilius propterea credere licet, hujuſmodi morborum curationem, in provectioribus ſenibus omnino difficilem aut etiam impoſſibilem exiſtimaſſe modo etiam inter homines in ſenio conſtitutos, magna differentia facienda eſt, nam quidam poſt ſexageſimum annum & ultra, robuſti, atque multis aliis etiam minoris ætatis fortiores ſunt; contra vero alii ante quinquageſimum adeo imbecilles & languidi obſervantur, ut non tantum à renum vitiis, ſed ab aliis multo levioribus morbis liberari nequeant

Sed unde eſt quod ſenes à morbis renum & veſicæ difficulter liberentur? Omnes fere vetuſtiores interpretes, cauſam ad excrementorum multiplicationem, ad expultricis languorem & ad meatuum anguſtiam retulerunt, Sed & Galenus, & cum Galeno Cardanus quæ Hippocrates indefinite de renum & veſicæ vitiis ſcripſit, ad ulcera duntaxat contrahunt, pro quibus curandis, quiete inquiunt, opus eſſe, quæ nulla eſſe poteſt in renibus & veſica, perpetuo addictis ſecretioni & expurgationi urinariæ ſeroſitatis. Verum hæc cunctis ætatibus communia ſunt, quinimo multitudo excrementorum, & meatuum anguſtia, longe manifeſtior eſt in ætate puerili, quam in reliquis, Ego vero judico ideo, curationis difficultatem, in ſenibus ſpecialiorem eſſe, a vitio acoris muriatici in ſanguine, lympha, cæteriſque liquoribus, temporis progreſſu, ſenſim ſenſimque contracti cujus cauſa urina ipſa, acriori ſale prædita, & ſerum quod à ſanguine repurgatur, acidius effectum, continuam excitant, muri-

nariis partibus proritationem & moleſtiam unde quidquid vitioſi in corpore exuperat, ad eas partes delatum, morbos reddit difficiliores, ut propterea nequeant ab iiſdem ſenes ullatenus vindicari. Renum autem & veſicæ morbi ſenibus contingentes, ſunt, dolor Nephriticus à calculis vel arenulis, urinarum ſuppreſſio, ſtillicidium ant ardor, veſicæ ſcabies & urigo, qui ſane pro cauſa viſcoſos & acidos ſuccos recognoſcunt difficulter emendabiles, atque inducta ſemel vitia aſſiduo foventes, prout alibi a nobis oſtenſum eſt. Porro ſi hæc omnia in cæteris quibuscunque cujusvis ætatis & conſtitutionis, difficulter emendantur, quanto magis in ſenibus incorrigibilia fient, in quibus omnia languent, & ex ipſa per ætatem mutatione, ſemper in pejus ruunt, cum & fermenta viſcerum in acidum degenerent, ac ipſe ſanguis ſenſim & ſenſim vappeſcat, coctiones omnes infirmæ fiant, excrementa cumulatiora, crudi & lenti ſucci in cunctis viſceribus contrahantur & hærcant: quamobrem idem Hippocrates *Lib. 2. Aphoriſ. 40.* dixit: *Raucedines & gravedines in valde ſenibus difficulter concoqui & maturari.* Sed & Articulorum dolores, abſceſſus, obſtructiones, calculi, ulcera, ſanguinis mictus, Paralyſes, Tuſſes, alvi fluxus, aliique morbi inſanabiles in ipſis obſervantur difficulter quoque irremediabiles. Meminit autem ſpeciatim hoc loco, de renum & veſicæ vitiis, quia ab his præ cæteris, ſenes gravius affici ſolent, tum ob ſeri urinarii acredinem, tum ob tubulorum renalium laxitatem, & ſphinctoris veſicæ muſculi languorem, tum demum quia per hos ductus potiſſimum, cuncta corporis recrementa, quæ in illis abundantiſſima ſunt, perpetim deducuntur, unde illos experimur aſſiduis mejendi ſtimulis infeſtari, & micturiendo plurimum cruciari.

Cardanus non inepte declarat quando à medicis interpretibus dicitur hos in Aphoriſmo mentionatos morbos, aut prorſus eſſe inſanabiles, aut difficulter ſanari, tres modos eventuum intelligit; aut quia non omnino ſanantur, aut raro aut cum magna difficultate.

Dices: Illi morbi qui magis congruunt ſeu proprii ſunt ætati, ſexui &c. facilius curantur ſecundum Hippocratis *Aphoriſmum & 5. Epidem. ſect. 2.* Sed morbi renum & veſicæ magis congruunt, & magis proprii ſunt ſenibus, ergo facilius curantur. ℞. 1. Negando minorem, nam etiam pueri & juvenes ut mox dictum his morbis frequentiſſi-

tiſſime laborant : 2. Non curantur in ſenibus ob rationes paulo ante allatas : 3. Dicitur *in Aphoriſmo*, quod *diffi ulter* & non impoſſibiliter ſanentur , multi enim obſervati ſunt curati , licet raro & difficulter : 4. Non quia curatu ſunt difficiles , ideo ſunt periculoſi , talis enim eſt febris quartana ; quæ poteſt eſſe ſalutaris & tamen difficillimæ curationis ; quoniam cum ejuſmodi morbis, vitam licet ærumnoſam diutiſſime producunt.

Plura ad hunc Aphoriſmum explicandum qui deſideraverit , adeat Cardanum ubi multa reperiet, quæ nos brevitatis amore omiſimus.

Aphoriſmus VII.

Dolores ventris ſublimes , leviores; non ſublimes fortiores.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi dolorum è Situ.

C*onnexio*: Cum in Prioribus Aphoriſmis docuiſſet Hippocrates , conſiderandas eſſe dolorum differentias , In hoc præſenti Aphoriſmo, unam aſſumit differentiam eorum, quæ ad ſitum ipſius doloris pertinent.

Hic Aphoriſmus duas habet partes, quarum *Prima* de levioribus & ſublimibus : *Secunda* de non ſublimibus & fortioribus doloribus agit.

Hippocrates ergo in hoc Aphoriſmo diſtinguit dolores ventris in ſublimes, & non ſublimes, illosque ait leviores eſſe, hos vero non tantum graviores ſed fortiores, quid autem intelligat per dolores ſublimes ventri contingentes , num ſcilicet ſecundum corporis longitudinem, an vero ſecundum ejuſdem profunditatem, controvertitur apud interpretes, & communior ſententia eſt, locutum hic Hippocratem, de doloribus ſecundum corporis profunditatem conſideratis, ut qui ſubter Peritonæum fiunt, longe graviores & vehementiores ſint, leviores vero qui ſupra.

Ve-

Verum Cardanus, ſolito ſui contradicendi animo, cæteris omnibus ſe opponit, & contendit, debere intelligi ſecundum corporis longitudinem, ut nimirum quin parte ventris ſupera, ubi ventriculus, jecur, lien duodenum inteſtinum, & pars coli latior continentur accidant, non ita graves ſint, prout ſunt qui fiunt in parte inferiori, & in inteſtino Ileo, Cæco, renibus & veſica. Sed mirari valde licet Cardanum, virum alioqui ſolertiſſimum, voluiſſe in re tam clara cæcutire, & Galeno, cæteriſque interpretibus contradicere, & ſeipſum graviſſimis difficultatibus implicare, quas profecto caviſſet, retenta communi explicatione. Quis enim unquam leviores putaverit dolores ventriculi & ſtomachi, itemque Pylori & Duodeni, quæ ſane partes ſunt atrociſſimis doloribus quam maxime obnoxiæ, & non ſine gravi vitæ periculo contingentes; unde Hippocrates 2. *Epidem. in Prognoſt.* dixit dolores & tumores ſupra umbilicum periculoſiores eſſe. Qua inſuper ratione voluerit, renes inter partes inferiores collocare, non ſatis bene conſtat, cum ex Anatome habeatur, ſiniſtrum renem inteſtino colo adhærere. Quæ inſuper objicit, de partibus ſupra Peritonæum ſitis, leviſſima ſunt, cum tam Muſculi abdominis, quam cutis ipſa, quæ ibidem craſſior ſane eſt, doloribus ſæpius afficiuntur acutiſſimis, & non tantum tumoribus œdematoſis, verum etiam inflammatoriis moleſtantur, quam aliæ partes interiores, cæterum facta comparatione partium ſupra Peritonæum, cum illis quæ infra ipſum ſunt, quis ignorat, quod longe graviores accidant dolores inteſtinis meſenterio, ventriculo, utero & cæteris viſceribus hinc inde ſitis? Verumtamen pro *fortioribus* doloribus, congruentius *graviores* ſeu *periculoſiores* ſubrogare licebit, cum gravius & periculoſius ſit, in interioribus partibus laborare, quam in exterioribus, etiamſi dolor hebetior & obtuſior in his percipiatur. Quod ſi præter dolores adjiciamus quoque tumores, ut plerique expoſitores, ex Græco Codice addendos volunt in Aphoriſmo, plane cuique perſpectum erit *ſublimes* id eſt ad ſuperficiem ventris poſitos intelligi oportere; niſi etiam verbum ΜΕΤΕΩΡΟΝ quod in textu Græco eſt, ſuſpenſum, elatum, pendulum interpretemur, ut dolores hic voluerit Hippocrates, intelligendos, qui fixi non ſunt, nec partibus tenaciter adhærentes, veluti ab humoribus tenuioribus & facile exhalabilibus progeniti, ut contra diſtincti ab his, qui tenacius hærent, nec tam facile reſolvuntur.

Quod

Quod præterea de ventre dixit, ſi ad alias omnes partes corporis concavitates extendamus, procul dubio à veritate alienum non erit, ut ſenſus fiat dolores ſublimes, ſeu ſuperficiarios, leviores ſemper eſſe, minusque periculoſos ab his, qui in profundioribus partibus maxime nobilioribus & inſignioribus accidunt, quippe qui principaliores corporis partes illi non afficiunt, ſicuti iſti ſuapte Natura graviores, unde ſcripſit Hippocrates *in Prognoſtico* dolores ventris inferni, ſi ad ſeptum transverſum tendant & ſupra ventrem, cum aliquo ex malis ſignis eſſe lethale; è contra *2 Epidem* ait, rupturas circa pubem innocuas eſſe. Sic etiam coxendicis dolor quo profundior fuerit & ad os ipſum, eo gravior eſt, qui vero extra magis vergit, eo levior, ita teſtatur Hippocrates *5. Epidem* Polemum coxæ dolore profundo laborantem mortuum eſſe: Lyconem autem non ita profunde dolentem evaſiſſe.

Quæſtiones & Difficultates in contextu ſunt ſolutæ, quæ alias obſervatu dignæ fuerant.

Aphoriſmus VIII.

Aqua inter cutem laborantibus, exorta in corpore ulcera, non facile ſanantur.

Contentum ſeu Intentio.

De ulceribus Hydropicorum.

Connexio: Hic Aphoriſmus connectitur cum quarto hujus libri, cum enim ibidem ex glabritie ulceris collegiſſet, ſi non incurabilitatem, vel ſaltem curandi difficultatem. In hoc Aphoriſmo præſenti, oſtendit ex alio ſigno, tanquam ex cauſa ulcera difficilis curationis.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem & ſimplicem concluſionem non dividitur.

De duobus hic Hippocrates Medicos monet: *Primo* quidem, quod ulcera in Hydropicorum Corporibus enata difficillimæ ſint

curationis, atque adeo omnino vitanda, ne fiant etiam ſponte adigente Natura, *Secundo* ut exinde Medici caveant, ne ulcera in ipſis excitent, forte ad totius corporis repurgationem, inde ſperantes, ab humoris aquoſi per cutim evacuatione, fore illos ab Hydropſi liberandos in id ipſum convenit etiam Celſus *lib. 2 cap. 2* hanc eandem ſententiam ab Hippocrate mutuatus.

Sed ſtatim ſeſe exhibet difficultas enodanda, de quibus Hydropicis hanc ſententiam ipſe protulerit. Et quidem de ea Hydropis ſpecie qua Anaſarca vocatur, locutum hic teſtantur, tum rationes, tum experientiæ; quam obrem ſummo judicio peritiores interpretes exponere ſtuduerunt è Græco Codice, non Aſciticos, quibus ſubcet aqua in abdominis cavo collecta eſt, ſed Anaſarca aut Hypoſarca affectos, in quibus aqua per totum corpus diffuſa, ſub cute reſtagnat, ut propterea *aqua intercus* morbus hic a latinis appelletur. Cum enim Hydropicorum aqua, ſub cute conſiſterit, & univerſum corporis habitum tumidum effecerit, non tantum humiditate & ædomatoſa craſſitie cutem ipſam inficit, verum etiam ſalſilagine muriatica & acore maligno, circumjacentes partes infeſtat, unde cum præ nimia diſtenſione cutim extenuaverit, concurrente prava ejuſdem humoris conditione ulcera excitabuntur vix ac ne vix quidem ſanabilia: Atque hinc quotquot hactenus Anaſarca laborantes viſi ſunt, cum enatis ulceribus in tibiis aut cruribus, in mortem tandem conceſſerunt, omni prorſus curationis ſpe destituti, imo in aliquibus, ulcera ipſa verſa ſunt in Gangrænam & Sphacelum, non ſolum ex languore vitalis caloris, ibidem contracto, verum etiam ob virulentam humoris conditionem irrumpentis in cutem. Cæterum etſi in aſcite ac tympanite, ſolus imus venter tumeat, ab aqua vel a flatu cum aqua permixto, cæteris partibus corporis pene exareſcentibus ſi tamen aliquando fiat, ut reliquæ etiam partes, præſertim inferna, tractu temporis intumeſcant & aqua ſcateant, idem ab exorto in illis ulcere præſagiendum. Porro quod in Aſcite & Tympanite raro accidit, frequentius fieri ſolet in Hydrope pectoris, aut pulmonis, in quo pedes & Tibiæ ſenſim ſenſimque intumeſcunt & attolluntur, ut exinde procedente morbo ulcera etiam erumpant & enaſcantur, pari profecto de cauſa inſanabilia, Idipſum quoque accidere non raro conſuevit ex diruptione vaſorum lymphaticorum, quæ plurima per articulos pedum di-

diſpergantur, ſi tamen lympha ipſa acorem muratico ſalſum contraxerit, ſiquidem tumores è ſimplici & in nova lympha procedentes tale quid haud inſerunt, & ſæpiſſime cum laborantibus conſeneſcunt, à prava itaque & maligna humoris lymphatici conditione, hujuſmodi ulcera inſanabilia exoriri dicendum, non vero á ſola humiditate, quæ niſi gravitatem adjunctam habeat, facile abſumi, corrigi & exſiccari tandem poterit.

Hinc igitur clare admonemur, non poſſe tuto in Hydropicis ulcera excitari nam ſi ſponte Naturæ inducta, inſanabilia fiunt, quanto magis difficillima evadent & periculoſa, ab arte facta. Perperam propterea agunt, qui ſibi Tibias cauteriis inuri permittunt, ſperantes exinde omnem ſeroſæ ſuperfluitatis maliciam iri evacuatum; nam præterquam quod nil peccantis humoris, ſed ſolius particularis laticis, aut alibilis ſucci portio inde deduci ſolet, etiam imminenti vitæ periculo ſe ſubjiciunt, a Gangræna mox mox ſucceſſura, ut in plerisque obſervatum. Qui vero referuntur Hydropici, ab erumpentibus ſponte veſiculis, atque ex affluente ab illis ſero aliquantulum levati, adhuc etiam poſtea periêre, ſed & nonnullos quoque obſervavimus, etiam abegeſta & abundanter evacuata per alvum aqua etſi ventre detumuerint, ac de recuperata ſalute certam ſpem conceperint, mox tamen congeſta denuo aqua irreparabiliter interiiſſe.

Denique quamvis dictum ſit ulcera in Anaſarca laborantibus difficillime ſanari, ac de his potiſſimum mentionem feciſſe hoc loco Hippocratem, & quod ſub cute lympham craſſam acido ſalinam teſtagnantem habeant; non tamen inde deducendum in cæteris Hydropis ſpeciebus, licet cutis externa non tumeat, nec ullam ſub ſe ſtagnantem aquam contineat, ulcera forte ibidem contracta ſanabilia reddi, cum cunctorum Hydropicorum corpora, malam in ſanguine Diatheſim, & pejorem in ſolidis partibus habitudinem ſortiantur quo circa, partes omnes imbecillæ redditæ, & ſuccus alibilis effœtus atque inidoneus effectus, nutritioni facile deinceps, quam non habent, ſubire poſſunt inſanabilitatem; Sed & tumores illi, qui craſſam lympham, & glutinoſam materiam, præſertim folliculis concluſam, continent, inter difficulter ſanabiles recenſentur, quales ſunt Strumæ, Meliceriдes, Steatomata, Atheromata, & œdemata, eoque magis cum diuturniora atque inveterata evaſerint.

 Ma-

Manifeſtum tandem eſt apud Medicos, omne ulcus exigere, abſterſionem, mundificationem, exſiccationem, & cicatrizationem ut nempe 1. ab excrementis repurgetur à ſanie & exſiccetur; cum autem Hydropici multis humiditatibus abundent, ulcera reſiccari non poſſunt, adeoque nec curari; 2. Neque repleri carnibus, cum acredo laticis, ſanguinis effœti & panci Balſamicam vim eludat. 3. Nec partis conſtitutio & temperatura quæ in hydropicis peſſima eſt, atque omni virtute deſtituta, noxiisque abundans coroſivis humiditatibus, nimium quid ad ulceris curationem contribuit, Sic docente Galeno 4. *De medicamentis ſecundum genera & 3 & 5. methodi*, nihil enim plus facit Medicus, quam prohibere, ne humore ſuperfluo impediatur naturæ opus aut ſolida pars colliquetur, nam ut Cardanus inquit, *generatio carnis non medici ſed naturæ opus eſt*

Quæres: Utrum vera ſit Cardani opinio, quod Hydrops Aſcites, plerumque oriatur à cauſa calida? ℞. Mediata transeat, immediata negatur: Vel ℞ cum Fonſeca licet à ratione non ſit aliena ſententia Cardani, dicendum tamen videtur melius, hydropis cauſam ut plurimùm frigidam ſaltem ſecundum diſpoſitionem, fieri enim poteſt Hydrops ex acuto morbo aut Dyſcraſia viſcerum caliditore, calorem homogeneum diſſipante frigus & humiditates inducente & ſic cauſa mediata erit calida, immediata frigida. Rectè itaque inquit Fonſeca, facient Medici, ſi in cura Hydropis, non ſtatim calida exhibeant medicamenta cum ſub frigida & roborantia, magnum adjumentum afferre poſſint, ubi fervidiori ex cauſa, morbum ortum compertum habuerint, uti ſunt cichoracea & alia à Cardano recenſita. Plures controverſiæ de hoc Aphoriſmo legi poſſunt apud Cardanum hoc loco.

Aphoriſmus IX.

Lata puſtula non admodum pruriginoſa; Seu non admodum pruriunt.

Con-

Contentum ſeu Intentio.
De Pruritu puſtularum.

Connexio: Cum de dolore ventris ſublemi aut non ſublimi Aphoriſmo 7. mox ſupra determinaſſet: In hoc præſenti Aphoriſmo ad puſtulas ſermonem dirigit, cum puſtulæ aut ulcus ſint, aut in ulcus deſinere ſoleant.

Hic Aphoriſmus ob nimiam brevitatem & ſimpliciſſimam concluſionem non dividitur.

Hanc eandem ſententiam ſcriptam legimus *6. Epid. Sect. 2.* ſub hiſce iiſdem verbis *Latæ puſtulæ non valde pruriginoſæ.* Exemplum adducens ibidem de Simone, qui latas habens puſtulas, non admodum pruriginoſus erat. Inde ergo deſumptus videtur hic Aphoriſmus, quo edocemur non eodem modo ſe habere puſtulas ſublimes & in altum ſive acutum ſe attollentes, ac ſunt puſtulæ latæ, & juxta cutis ſuperficiem expanſæ. Quamquam enim in cute erumpere ſoleant, varia tuberculorum & papularum genera, ut ſunt exanthemata, maculæ & efflorescentiæ, cutaneæ, utpote pſora, lepra, impetigo, lentigo, herpes &c. conſiderat nihilominus hic Hippocrates puſtulas (ſub nomine græco exanthematum indigitatas) quæ ad tubercula quidem referuntur, ſed haud quaquam, in ſaniem purulentam deſinentia, etenim puſtulæ potius in ſquamoſa quædam & furfuracea excrementa commutantur, fierique ſolent, ex humoribus tenuioribus, vel acido-acribus, aut acido-ſalſis.

Facta autem comparatione inter eas, quæ *latæ*, & eas quæ *elevatæ* & *acutæ* ſunt, minus quidem pruriginoſæ obſervantur illæ, quam iſtæ. In latis enim & expanſis puſtulis, humor peccans ad cutim delatus, craſſior eſſe ſolet, quamobrem non multum attollitur; in montuoſis vero & ſublimibus, humor eſt tenuior, quo circa veriſimile admodum eſt, in prioribus lympham, in poſterioribus ſerum ſanguinis vitioſum ad corporis habitum extrudi. Id ipſum paſſim quoque experimur in variolis & morbillis, quippe hi anguloſi & pyramidales, a tenuiori humore progeniti dolorem & pruritum excitant moleſtiorem; illæ vero veluti a lympha aut craſſiore parte ſanguinis procedentes, ſicuti

ſina

ſua corpulentia in latum expanduntur, ita minus pruriginoſæ obſervantur. Sic ſcabies & pſora, cum in exiguas eminentias, ſed acutas erumpit, moleſtior fit, ſecus vero cum in latas ſeu expanſas, quod ſane non aliunde provenit, quam a varietate humoris erumpentis tenuioris vel craſſioris. Quod autem humores acres, acidi ac ſalſi pruritum iſtiusmodi excitent, palam fit, attenta conditione iſtorum humorum ſimul erodentium, & cutim ipſam vellicantium, ea tamen differentia, ut ſi acritas prævaleat, præter pruritum inducatur quoque cutis eroſio aut ulceratio, niſi præ nimia tenuitate & pororum laxitate, ſenſim diſſolvatur & evaneſcat; at vero ſi prævaleat ſalſedo præſertim muriatica, pruritum ſquamulæ ſurfureæ comitabuntur. Cæterum in utriſque acidum ſemper exhibitat, cujus cauſa humores concreſcunt, & cuti adhærent.

Quamquam autem pruritus ab humoribus acribus aut muriaticis plerumque proficiſcatur, obſervatum tamen aliquando eſt, in cutaneis hiſce eruptionibus præſertim in ſcabie, herpete miliari, variolis & aliis, ope mikroſcopii, vermiculos, pediculorum inſtar innaſci, atque ab his moleſtiſſimum pruritum illum excitari ut patet in pſydraciis ſeu ſyconibus infantum vulgo Mitteſſer/ de hac re legi poteſt tractatus meus de variolis & Kircherus de verminulatione, aliique. Atque hinc factum crediderim, non quibusvis medicamentis cutem ſordidam, mundificantibus cutaneas iſtas ægritudines & moleſtos pruritus cedere ſolere, ſed iis ſolum quæ vermiculos iſtos enecant, qualia ſunt quæ ex mercurio tum crudo, tum dulci componuntur, licet ab aliis quoque, puta ſulphure, elleboro albo, ſtaphiſagria, calce, minio & ſimilibus, vitioſi iſti humores corrigi & emendari poſſint

Animadvertendum adhuc eſt, quod Hippocrates Simonis exemplo ſupra allegato, Medicis oſtendere & docere voluerit, curam morborum & febrium in quibus puſtulæ aut maculæ apparent aut apparituræ ſunt, non conſiſtere in aliqua evacuatione, quæ per ſanguinem ſeu ſanguinis miſſionem, vomitum, aut alvum fiat, ſed in propulſione humoris ad partes externas; ideo quocunque tempore appareant exanthemata aut ejusmodi ſymptomata, attrahere & propellere licet, quia melius eſt materiam venenoſam & malignam, ad extra non ad intra movere: juxta illud Hippocrates *ab intro ferri foras bonum è contra malum 6. Aphor. 25.* Sed de his vide fuſe tractantem librum meum de variolis & morbillis.

Dices

Dices I. Eryſipelas ſeſe late diffundit neque in conum faſtigiatur & tamen eſt ab humore fervente nempe bile, Ergo etiam latæ puſtulæ fiunt à calido & fervente humore. Præterea herpes exedens maximum excitat pruritum qui tamen eſt valde latus, ergo latæ puſtulæ non ſunt minus pruriginoſæ. ℞. cum Fonſeca, hunc Aphoriſmi ſententiam eſſe comparativam, ita ut inter eryſipelata & exedentes herpetes, alii aliis ſeſe magis vel minus dilatent, & majorem vel minorem excitent pruritum. Certum enim eſt autopſia ipſa, quod dolor in anguſto conſiſtens omnis acutior quàm minus in tumorem ſolvi amat, ex. emplo otalgiæ, clavi pedis, &c. ille vero qui in tumorem aut latitudinem ſolutus remiſſior.

Inſtabis. Latæ puſtulæ deberent majorem pruritum excitare, quia majus ſpatium occupant, ac per conſequens plures partes ſenſibiles. ℞. Latas puſtulas ideo minorem pruritum excitare, quia liberiorem per plures porulos nanciſcuntur tranſpirationem, quam parvæ & faſtigioſæ, quæ plures magis ſufflaminationem quam tranſpirationem ſequi ſolent. Præterea latæ puſtulæ, minus profundæ eſſe ſolent & ſi ſcalpantur mox totus humor exit & pruritus ceſſat, non item in parvis & faſtidioſis.

Dices II. Petechiæ non pruriunt, cum tamen valde ſint anguſtæ puſtulæ. ℞. In principio non pruriunt, tranſeat. in declinatione nego.

Dices III. Succus acidus, ſeroſus, viſcoſus aut ut veteribus placuit pituitoſus aut melancholicus, non habent acredinem & ſunt frigidi, Ergo minime queunt pruritum facere. ℞. Hos humores non niſi per accidens pruritum facere poſt fermentationem cum aliis acrioribus ſuccis factam, ut patet in ſcabie, lepra, pſora &c.

Quæres: An variolæ morbilli, præcipue autem petechiæ, ſint morbus novus & veteribus non cognitus? ℞. Hanc quæſtionem ſuſe reſolvimus in citato meo libro de variolis & morbillis quo lectorem remitto; hic breviſſime. ℞. Hos affectus non eſſe novos ſed & veteribus notiſſimos. ipſemet enim Hippocrates, harum macularum mentionem in pluribus ægris fecit, aſſimilans illas pulicum morſibus; ſic primus locus eſt mox ſupra citatus Simonis; ſecundus *5. Epid.* in filio Eufranoris; tertius *7. Epid* in Temonactis filio; quartus *2. Epid Sect.*

Sect. 3. & aliis in multis. Ergo clarum patet hos affectus vetus, non novum quid eſſe.

Aphoriſmus X.

Caput dolenti, & vehementer laboranti, pus vel aqua vel ſanguis per nares, aut os, aut aures effluens, morbum ſolvit.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi doloris Capitis.

C*onnexio*: Cum Hippocrates, conſiderandas eſſe doloris differentias monuerit Aphoriſmo quinto; atque etiam Aphoriſmo ſexto, dolores renum conſideraverit: In hoc Aphoriſmo præſente de dolore capitis, ſuam profert ſententiam & utiliſſimam prognoſim. Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non eget diviſione.

Animadvertendum bene eſt, in hujus etiam Aphoriſmi expoſitione alienum eſſe Cardanum, a communi reliquorum verſione, etenim ubi cæteri legunt, *Caput dolenti & vehementer dolenti*, ipſe exponit *circum dolenti*, (quod etiam tenet Mercurialis) nec male, ita ut velit, intelligendum eſſe, non ſolum de dolore capitis interno, ſed etiam externo, qui ſcilicet totius capitis ambitum occupet. Sed tamen ſi præter capitis dolorem ſimplicem & tolerabilem, dicamus voluiſſe Hippocratem vehementiorem deſignare, non erit cur communem quoque verſionem, retinere non debeamus, quippe cum dolor capitis vehemens eſt, cauſam arguit materialem, corpulentam ſimul & copioſam, quæ non tam facile diſcuti & reſolvi poſſit, quemadmodum à tenui humore, halitu, & vapore proveniens: quamobrem vehemens capitis dolor, acutiem ſimul, & magnitudinem deſignat, qui propterea manifeſta curatione curari debeat, de hoc itaque ſcribit Hippocrates: *Si*

ſanguis,

ſanguis, pus, vel aqua, è naribus, auribus & ore effluat, morbum ſolvit; evacuata nimirum materia, quæ tanti doloris cauſa erat.

Sunt autem hic duo potiſſimum advertenda: *unum* ex parte cauſæ materialis, inducentis dolorem, quæ non una & ſimplex ponitur, ſed varia & multiplex, puta vel pus, vel ſanguis, vel aqua: *alterum* ex ratione loci, unde humores ipſi effluere poſſunt, videlicet ex naribus, auribus aut ore, etenim hi ductus patentiores ſunt, ut per ipſos, quæ continentur intra calvariam, educi poſſunt. Et quidem cauſa, hujusmodi doloris poteſt eſſe *primo* ſanguis, ſi perplexus choroidem & reticularem non bene circuire queat, ſed forte alicubi reſtagnans, potiſſimum in meningibus, in cauſa ſit, ut in exilibus illarum venulis, & arteriolis circumquaque diffundatur, & dolorem afferat vehementiſſimum, tum ratione ipſiusmet ſanguinis, ob impeditam circulationem, indebite fermenteſcentis, tum etiam ratione earundem membranarum exquiſitiſſimo ſenſu præditarum. Quod ſi forte, *ſecundo* reſtagnans ibidem ſanguis, ex indebita fermentatione computreſcat & in pus vertatur, idem & gravius certe malum afferet. Si denique ſimile vitium in lympha inductum fuerit, ut ex præpedito ſui motu hæreat, & acritatem contrahat, procul dubio vehementem quoque dolorem inferet. Humores ſiquidem iſti per univerſum fere cerebri corticem diffunduntur, quo circa in ſuo circuitu impediri, acredine & ſalſilagine contracta, meninges divexant, & dolorem vehementiſſimum excitant, totius capitis ambitum occupantes.

Loca vero per quæ humores iſti, exitum habere poſſunt, non niſi aures, nares & os ſunt, quia per iſta veluti emunctoria cerebri, ſolet Natura, omnes illius ſuperfluitates craſſiores repurgare, quemadmodum Anatomia etiam detectum. Excreto autem ſanguine, pure, aut lympha, non tantum dolor capitis deſinit, verum etiam alius quicunque morbus, qui exinde poſſet imminere protinus ſolvitur; at vero ex adverſo ipſis detentis, & per cerebri ſubſtantiam diffuſis, apoplexia, convulſio, lethargus, phrenitis, aliique graviſſimi morbi ſuboriuntur, & ſæpiſſime cum patientis interitu: Quare jure optimo dixit Hippocrates, ſanguine, pure vel aqua effluente, non ſolummodo dolorem ſed morbum ſolvi, quia ex his non ſolum dolor, ſed alius morbus capitis evenit, vel imminet, qui ſimul cum dolore deſinet, quandocunque detenti illi humores fuerint excreti. Excipiuntur autem oculi, quoniam

niam minime conſentaneum Naturæ foret, tam corpulentos humores, nempe ſanguinem, pus, aut lympham, per anguſtiſſimos oculorum canaliculos expurgari, niſi cum maximo eorundem detrimento; quin & neque oculi ipſi tantam humorum colluviem excipere poſſent, cum cæteroqui glandulæ in eorundem angulis ſitæ vix, ſeroſiores & tenuiſſimos liquores admittant. Cæterum craſſiores alii humores ſi fortaſſe in eas partes deferantur, damnum potius quam levamen afferunt. Id ipſum pariter accideret, ſi in ſpinam, in guttur, in gulam, palatum & venas deponerentur, in quas etiam partes, ex doctrina ejusdem Hippocratis Lib. *de Glandulis*, ſolet natura cerebrum à ſuis ſuperfluitatibus repurgare, quandoquidem ut evacuatio quælibet ſalutaris ſit, non tantum totius vitioſi humoris neceſſe eſt ut fiat, ſed per ea quoque loca, quæ conferentia ſunt, quemadmodum idem Hippocrates alibi docuit. Ex quibus omnibus nunc admonemur, naturam ejusmodi evacuationes, in vehementibus doloribus capitis tentantem, vel ſollicitandam, vel adjuvandam eſſe, diſſolventibus, & per eadem loca educentibus medicamentis, ſi nimirum illa tarda vel imbecilla ſit. Certum autem eſt, nullum membrum eſſe, quod difficilius evacuari poſſit quam caput, medicamenta enim ut, inquit Cardanus, epota, evacuant totum corpus non autem caput, unde convenientibus id præſtandum medicamentis, partibus hiſce accommodatis ut methodus docet.

Dices: Non dantur abſceſſus aquoſi, Ergo id præpoſtere eſt afferrum. ℞. Non dantur proprie dicti & perfecti, tranſeat, impropne & imperfecti nego· Experientia & praxis profert quam plurima.

Plures controverſiæ videantur apud Cardanum.

Aphoriſmus XI.

Melancholicis & nephriticis, hæmorrhoides ſupervenientes bono ſunt.

Con-

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi melancholiæ & nephritidis.

CONNEXIO. Cum in antecedente Aphoriſmo, dixiſſet de materia, quæ in capitis doloribus, per nares, os vel aures effluit: in hoc præſenti Aphoriſmo, ſermonem habet de materia, quæ ex partibus inferis nempe per hæmorrhoides effluit.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem & ſimplicem concluſionem non dividitur.

Qua ratione nephritici & melancholici ſolius naturæ beneficio juventur, docet in hoc Aphoriſmo Hippocrates, idque aſſerit commode & ſalubriter accidere, ſi hæmorrhoides illis ſuperveniant.

Quinam autem intelligi debeant nephritide aut melancholia laborantes, dubium eſſe poteſt, nam melancholia aliquando ſumitur apud veteres pro ipſo humore melancholico; & aliquando pro ſpecie cujusdam delirii, in quo timent & mœrent ægrotantes, citra cauſam manifeſtam, ut idem Hippocrates *hoc eodem Libro Aphor. 23.* Nephritis vero proprius renum morbus eſt, qui cum eorundem inflammatione contingit. At cohærenter rationi & experientiæ dicendum, melancholiam hic ſumi pro morbo, & nephritidem, pro ea duntaxat renum affectione, quæ ab affluxu acidorum ſuccorum in eas partes provenit, quemadmodum ſpeciatim eſt dolor nephriticus à calculis, arenulis, atque a tuberculis in renum ſubſtantia, aut in canaliculis eorundem progenitis. Hinc non immerito plerique interpretes legere maluerunt *vitia renum* quam nephritidem, ut ſcilicet comprehenderent, non ſolum renalis ſubſtantiæ affectiones, ſed etiam quæcunque alia accidentia renibus inducta.

Qua autem de cauſa ſupervenientes hæmorrhoides, melancholicis, & renum vitio laborantibus, conferant, ratio in promptu eſſe poteſt, quia per ejusmodi ſanguinis malancholici, & craſſi profuſionem, vel minuitur, vel omnino evacuatur acidus ille humor cum ſanguine commixtus, cujus cauſa melancholicum delirium contingit, & prædicta vitia renibus accidunt. Conſtat enim ex Anatome, ſanguinis impuritates tartareas, & acidas per hæmorrhoidales, ſive

venas ſive arterias (potiſſimum externas) feliciter repurgato ... iſtæ conſentiant, cum arteriis ſplenicis & meſentericis, ... acidi ſicci, tartarei & melancholici, in inferiores partes ... à provida natura deducuntur. Hinc experimur male affecta & cacochyma corpora per laxatis ejuſmodi venas hæmorrhoidales, nedum à præſentibus, ſed etiam ab imminentibus graviſſimis morbis præſervari, ſicut contra à ſuppreſſa illorum evacuatione, peſſimos morbos tum cordis tum capitis exoriri, ut de Aleppo retulit Hippocrates *5 Epidem.* qui à ſuppreſſis hæmorrhoidibus inſanivit & periit, quin imo ſequenti Aphoriſmo dicitur tabem vel hydropem ſuccedere, niſi una ſaltem adaperta ſervetur.

Verum debent hæmorrhoides melancholicis & nephriticis ſupervenire, ut ſubinde proficiant, nam ſi forſitan illos ab initio comitentur, tantum aberit, ut conferant, ut potius noceant & peſſimum ſignum ſint, alterius gravioris mali, quippe indicabunt tantam acralem pravitatem, tantumque acorem in ſanguine exorbitare, ut una ſimul melancholicum delirium, aut renum vitia foveat, & hæmorrhoidales venas vel arterias proritet, ac reſeret. Quare tum ſolum conferet, per hæmorrhoides evacuatio cum per acidi humoris repurgationem ſubtrahitur, vel divertitur vitium læſionis cerebri, aut renum quod ſane non contingit, niſi fluxus iſte ſupervenerit. Cæterum dixit Hippocrates *bonum eſſe*, deſumpta nimirum bonitate, tum ex parte humoris excreti, qui, uti dictum eſt, ut evacuetur, tum ex parte viſcerum, firma & valida conſtitutione præditorum, quæ ſcilicet à ſe ipſis vitioſos humores repurgent, & ad alvum, veluti ad totius corporis ſentinam, depellant.

Quamquam autem hic melancholicis & nephriticis ſolum hæmorrhoides ſupervenientes utiles & conferentes referantur, alibi tamen ab eodem Hippocrate, aliis quoque morbis proficere memoratur, *6. Epid. Sect. 3* dicitur *qui hæmorrhoides habent neque pleuritide, neque peripneumonia, neque phagedena, neque furunculis, neque tuberculis therebin[illegible] figuram habentibus corripiuntur fortaſſis autem neque lepris neque vitiligin[illegible]* quin & nonnulli pro nephriticis phrenetic[illegible] ...unt, imo ... etiam generaliori *inſanientes*, cum ... omnibus ejuſmodi fluxus prodeſſe ſoleat, quemadm[illegible] ... *Libri* ſubnectitur *Inſanientibus ſi varices, vel hæ*...

des ſupervenerit, inſania ſolutio fit Morbi ſiquidem iſti ab acido coagulante ac figente ſanguinem & lympham, ſui originem recognoſcunt, quod plane per hæmorrhoidas, jam reſeratas, magna ex parte exiliens egeritur, unaque corpus univerſum repurgatur & revaleſcit.

Pro coronide tandem advertendum, hæmorrhoides ſponte naturæ tantummodo ſupervenientes utiles eſſe, ſecus vero ſi aliter proritatæ, arte quavis promoveantur. Unde male quis ex hoc Aphoriſmo colligeret, poſſe etiam tuto medicos ejusmodi evacuationem per Hyrudinum appoſitionẽ aut alia ſimili induſtria excitare; nam evacuatio iſta ſponte Naturæ promota, nõ tantũ ejus humoris fit, qui melancholiam aut Nephritidem fovet (repurgato per eandem convenienter Sanguine) ſed etiam opportuno tempore, & ea quantitate, qua congruit, cum conferentia ac tolerantia ægrotantis, hæc enim non bene quis licet ſolertiſſimus artifex, internoſcere, & diſtinguere valebit, ut quid, quantum, & quando evacuandum ſit, recte peragat. At vero poterit ſolum, inchoatum in eas partes de fluxum adjuvare, ſi fortaſſis remoretur & hæreat, laxantibus & emollientibus medicamentis, quibus ſcilicet Natura ipſi allicitatur ſolum, neutiquam vero irritetur & concidat. Ita quidem ſæpe experti ſumus, tumefactas hæmorrhoides, leniter laxatas ſanguinem fudiſſe, ope emollientium plantarum, malvæ, althææ, chamomillæ, parietariæ & aliarum ſimilium, quibus oſcula venarum reſerantur, & acidi, ſalſi, tum ſeroſi & ſanguinei, tum lymphatici humores, ſua malitia retuſi, ſalubriter effunduntur, alii quidem hæmorrhoides aperiunt, ficubus inverſis, glandibus acribus, hirudinibus applicatis &c. Sed monet Cardanus, ut appareat vena & tumeat, alioqui ulceratur locus cum damno ut dixit Hippocrates *5. Epidem* de Eudemio. Verum tamen profuſio iſta ſanguinis moderata eſſe debet, & quouſque vires patientis tulerint; nam ſi immoderata fuerit, ut patulas perpetim venas ſanguinem, quocunque levi conatu fundentes habeat, pernicioſa fiet, & cauſa evadet aliorum morborum, longe graviorum, *cum omne nimium Naturæ ſit inimicum*

Hæmorrhoides autem venæ vel arteriæ ſunt quæ ad anum tendunt, & ſunt duplices internæ ſeu cæcæ, & externæ ſeu patulæ aut manifeſtæ, illæ in conſpicuæ & ideo cæcæ dictæ; hæ conſpicuæ & ideo manifeſtæ nominatæ.

Quæres: Utrum melius ſit aſſueſieri, ad hæmorrhoidum apertiones vel non ? ℞. Homines nonniſi maxima urgente neceſſitate hæmorrhoidum apertioni, aſſueſaciendos eſſe, nam ubi ſemel, bis vel pluries id factitatum fuerit, continuandum eſt, alias mala in ſequenti Aphoriſmo contenta timeri poterunt.

Aphoriſmus XII.

A diuturnis Hæmorrhoidibus curato, (ſeu ſanato) niſi una quæpiam ſervetur, periculum aquæ intercutem, vel Tabis impendet.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi Hæmorrhoidum.

Connexio: Cum dixerit in præcedenti Aphoriſmo Hippocrates ex hæmorrhoidalium venarum fuſione, morbos quoſdam & præprimis Melancholicos & nephriticos temperari, nunc ſi forſaſſis illæ diutius fundendo perduraverint, admonet non ſine gravi periculo poſſe in totum ſupprimi, & fluentem per intervalla ſanguinem vitioſum cohiberi, ſiquidem aut aquam intercutem ſeu Hydropem, aut tabem ſucceſſuram prædicit.

Hic Aphoriſmus duas habet partes: ***Prima*** docet curandas eſſe diuturnas Hæmorrhoides · ***Secunda*** vero cauſam addit, cur non omnes curandæ ſint.

Verum ad exactam hujus Aphoriſmi intelligentiam, plura ſcitu digna ſunt animadvertenda.

Primũ, ***diuturnas*** debere eſſe hæmorrhoides, hoc eſt ex longo tempore ſanguinẽ fundentes, ſed cum certa moderatione, tũ quantitatis tũ temporis, ſecus enim ſi recens ſanguinis profuſio, ex illarum reſeratione ſit, & neque debita quantitas nec conveniens modus, nec quantitas moderata, in ejuſmodi evacuatione ſervetur, procul dubio accurata Medici diligentia poterit immodica hæc boni ſanguinis evacuatio, ſenſim ſenſimque cohiberi: quippe immoderatæ omnes eva-

cua-

cuationes,etiamſi ratione exereti, bonæ videantur, ſollicite ſiſti poſſunt,in gratiam virium conſervandarum. Solum igitur fluentes hæmorrhoides ſiſti non debent,cum ex diuturno tempore vitioſum ſanguinem,& glutinoſos ac acidos ſuccos emiſerint potiſſimum per intervalla: Tunc enim vitioſis humoribus exitum impedire, atque fluentes hæmorrhoides, omnino cohibere, periculo non vacat, jure optimo proinde Hippocrates adnotavit, à diuturnis hæmorrhoidibus ſanato vel curato, Tabem vel Hydropem facillime accidere poſſe,retentis nimirum intra corpus, pravis illis humoribus, qui per venas & arterias illas infernas convenienter & ſalubriter repurgabantur.

Dixit inſuper *ſanato ſeu curato*, hoc eſt non ſponte Naturæ conſtrictis & occluſis,hæmorrhoidalium venarum oſculis, ſed ab arte & ope medicamentorum adſtringentium ac ſiſtentium ſanguinem. Unde Medicos profecto monitos voluit ne ſtatim cohibeant, ex longo tempore fluentem ex hæmorrhoidibus ſanguinem; quemadmodum a pleriſque incaute nimis fieri conſtevit, ut fortaſſe importunis ægrotantium exactionibus gratificarentur. Oportebit namque primum,acorem ſanguini inductum emendare, medicamentis potiſſimum chalybeatis, ut deinde tuto & ſine ullo patientis incommodo poſſit ſanguis detineri. Sed nihilominus conſulit Hippocrates,neque omnes ſimul venas,ſanguinem fundentes, adſtrictoriis medicamentis debere ſanari, ſed tutius eſſe unam ſaltem adapertam relinquere,per quam reliquiæ vitioſorum humorum, ſi fortaſſe è toto corpore illuc deferantur,repurgari poſſint. Prudentis itaque & ſagacis Medici erit, unam poſt alteram, aliquo temporis intervallo occludere, & quam poſtremo reſeratam agnoverit, aut fortaſſe tumidiorem viderit,apertam & fundentem relinquere,& cum tandem univerſum corpus,tum vivido colore,tum ſolidis carnibus, & naturali vigore fuerit reſtauratum,detumeſcentibus interea hæmorrhoidibus poterit ex integro ſanare: Sed & adhuc in his conſiderandæ erit propria cujusque patientis conſtitutio, ætas & habitus, num deinceps ferendo ſit,ejuſcemodi venarum recluſionem aut occluſionem.

Et quidem,niſi iſta exacte perpendantur, & juxta traditas leges methodice ſerventur, verendum valde erit, ne Tabes vel Hydrops ſub-

ſubſequatur, etenim detentis acidi & tartarei ſanguinis recrementis, non tantum cæteri liquores paulatim inficientur, ſed etiam partes ſolidæ corporis, & viſcera, tum naturalia tum vitalia: unde vel Hydrops vel Tabes progreſſu temporis ſuborietur. Hydrops quidem ex mala chyloſi ab obſtructione à tuberculis ingenitis, & a vaſorum lymphaticorum diſruptione. Tabes vero ab infecto liquore nutritio, & à pulmone, vel croſo vel flaccido.

Neque vero dixit Hippocrates omnino futuram exinde Tabem vel Hydropem, quaſi quod neceſſe ſit, alterutram ex his inevitabiliter ſucceſſuram, ſed ſolum periculum eſſe, ne Tabes vel Hydrops ſubſequatur. Siquidem fieri poteſt, ut ob exactam victus rationem & ope medicamentorum ad id conferentium, uterque affectus præcaveatur, plerique enim temperatiores facti, poſt diuturnam hæmorrhoidum profuſionem, ab uſu medicamentorum, præſertim ex chalybe, non tantum ab hæmorrhoidibus convaluiſſe viſi ſunt, ſed etiam cachexiam quam incurrerant, evaſiſſe; Secus vero alii diætam non ſervantes, poſt mille propemodum incommoda, tandem Hydropici atque etiam apoplectici perierunt, à ſuperabundanti ſero, ſeu lympha in cerebrum effuſa, in quem ſane ſenſum audiendus Ætius, qui *lib. 14. cap. 5* dictum Hippocratis, *niſi una ſervetur*, de ſervanda Diæta interpretatur, quæ niſi exacta ſervetur, Hydropem vel Tabem ac poſtremo mortem certo ſubſecuturam prædicit; Hinc denique credere fas eſt, Hippocratem in hoc Aphoriſmo duos tantummodo morbos Tabem & Hydropem, & quidem ob brevitatem Aphoriſticam numeraſſe, non autem quod multi alii morbi fieri non poſſint plenitis, Phagadænæ, tubercula, lepræ atque varii abſceſſus, nec non alii graviſſimi morbi & interitus.

Quæres. Utrum etiam præter antiquas hæmorrhoides fluentes, neque alii abſceſſus utpote fiſtulæ & varices aut alius antiquus effluxus ſint curandi? ℞. Cum Hippocrate *6. Epidem ſect. 4.* multos intempeſtive etiam in his & ſimilibus morbis curatos, pernicioſis morbis non modo correptos, ſed & interiiſſe.

Quæres II. Quot modis vulgo curentur à Chirurgis hæmorrhoides? ℞. Sectione & uſtione, præmiſſa tamen totius corporis curatione, & recta victus ratione inſtituta. Ita pariter ... tius; tutius tamen eſt procedere eo quo diximus modo in co...

Apho-

Aphoriſmus XIII.

Singultu detento, ſi ſternutamenta (ſeu ſternutatio) ſupervenerint, ſingultum tollunt (ſeu liberant.)

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi ſeu Remedio ſingultus.

C*onnexio*. Mirantur multi quod divus noſter Hippocrates, ab impuro podice ad ſtomachum, qui eſt ſingultus ſedes devenerit, ſicque non niſi impuram connexionem quidam arguunt, Nos tamen, ſalva divi Senis omnimoda authoritate & judicio, hunc præſentem Aphoriſmum connectimus cum *Prima hujus Libri*, in qua de ructu, curæ lævitatis inteſtinorum prodromo egit: Ructus autem cum ſit ventriculi ſymptoma, ita & ſingultus, proinde prona utique eſſe poteſt connexio.

Hic Aphoriſmus ob ſummam brevitatem & ſimplicem concluſionem non dividitur.

Comparat ergo in hoc Aphoriſmo Hippocrates, duos motus præternaturam factos inter ſeſe; unum ventriculi, alterum cerebri, etenim ſternutamentum cerebri, ſeu mammillarium proceſſuum & meningum motus eſt expulſivus, ab irritante humore excitatus. Singultus vero commotio ventriculi, eſt conantis expellere ea, quæ ſibi infenſa ſunt, & unus alteri iuvamento eſt, nam ſi ſingultienti ſuperveniat ſternutatio, bonum, deſinente nimitum ſingultu per ſternutationem.

Quod nonnulli interpretes fieri dicant ſternutationem ab exucto aere per nares in cerebrum, unde pulmones illo quodammodo priventur: Licet hæc in ſternutatione contingant, non proinde cauſam excitantem, aut efficientem ſternutationem, ſed tantummodo concomitantem exponunt, quippe cum pars anterior cerebri, ſeu proceſſus mammillares, meningibus obvoluti à cauſa vel interna vel externa proritantur, quodammodo contrahuntur, ut ſeipſos tuean-

rur, & proritantem ſimul cauſam expellant, per idem tempus aer, uberius per nares in partes, ſe contrahentes infertur, atque ea de cauſa pulmones attolluntur, mox vero conſequente rei irritantis expulſione, ſicuti partes anteriores cerebri, in priſtinam amplificationem reducuntur, ita quoque pulmones deprimuntur, & ſimul una ſternutamentum contingit.

Quod autem a re irritante, illud accidat, palam fit in his, qui catharris obnoxii, quia humor ſeroſus aut lymphaticus per nares exſiliens ſua acredine olfactum proritat, & tunicam narium internam laceſſit, ſtatim ſternutamentis vehementibus, & iteratis moleſtantur. Qui pariter à pulveribus acribus uti ſunt Peri Euphorbii, Sampſuchi Beronicæ & ſimilium, pari modo naribus vellicantur, ſternutationes ſubeunt. Singultus vero, licet ex mente Hippocratis fieri dicatur, quomodo fit convulſio, cum ille motum convulſivum referat, non tamen ſine irritamento accidit, nimirum ab humoribus, fibras & tunicas ventriculi proritantibus, quemadmodum experimur ab aſſumptis cibis acribus, vel à crapula, quamobrem facillime ſingultiunt, heluones, ebrii, & qui piperata alimenta, aut etiam allium, cæpam, ſinapin, raphanum & alia ſimilia aſſumpſerunt. Sed & a glutinoſis & conſtipantibus, idipſum, plerique patiuntur. Etenim quoſdam novimus, qui tam certo a caſtaneis, præſertim elixis & melleis rebus ſingultirent, ut ab illis fuerit opus, penitus abſtinere. Hac eadem de cauſa contingit, cur in his ſedetur illico ſingultus, epota mox aqua, vino, vel alio liquore, cujus ſcilicet beneficio dilutis cibariis, & laxatis fibris ventriculi, vellicatio deſinat & ſingultus.

His breviter præmiſſis, facile nunc ſolvitur, quamobrem à ſuperveniente ſternutamento ſingultus ſit deſiturus. Etenim cum per ſternutamentum fiat motus expulſivus, proceſſuum mammillarum & meningum cerebri, indeque concutiatur thorax, & cum thorace vehementer quoque compellatur ſeptum transverſum ſeu Diaphragma, fit proinde, ut etiam ſtomachus & ventriculi fundus, violenter etiam concutiatur, ad quam concuſſionem mox conſequitur, dimotio rei illius moleſtantis, & ſingultum efficientis in tunicis ventriculi, quapropter illa in ejuſdem cavo innatans non ſolum ab irritatione deficit, ſed etiam facile per pylorum ad inteſtina transferri poteſt: niſi etiam dicere velimus, ſingultum illum, hic ab Hippocrate

no-

notari, ex ſupervenientè ſternutatione deſiturum, qui ſolum fit à vaporibus acribus aut acidis, qui ubi prius tunicas ventriculi infeſtabant, mox rurſum elati, ac per palatum ad nares deducti, in cauſa ſint, ut ſternutatio superveniat, facta interim à ventriculo, in nares eorundem tranſlatione. Quod ſi non ventriculus, ejusque orificium ſuperius, propriè in ſingultu pati dicatur, ſed potius Diaphragma, ea quidem in parte, qua ab œſophago perforatur, facilior iſtius Problematis reſolutio patebit, ob conſenſum nervorum, qui plurimi per Diaphragma diſperguntur, cum nervis vagæ illius conjugationis, quæ per muſculos intercoſtales & vocales diffunditur, quippe poſſunt hi nervi per ſeptum transverſum, & ſtomachum diſperſi, ſola proritatione commoti, internam narium membranam, & meninges cerebri pariformiter contorquere, & ex mutua & reciproca concluſione, halitus & vapores proritantes excutere ac ſternutamento ſingultum & ſingultiendi occaſionem auferre.

Cæterum ſingultus factus ab ingluvie ciborum, procul dubio ſuperveniente ſternutamento tolletur, ſi ex vehementi illa concuſſione liberatur ventriculus ab illa moleſtia quam percipit, ab oppletione & gravamine, non quidem in fibris & liquore nervorum, ſed in poris & membranis eorundem; nam nullatenus fieri poteſt, ut ex iteratis & vehementiſſimis ſternutamentis, id quod internam nervorum ſubſtantiam occupaverit extrudi queat. Quare non videtur Galenus bene explicaſſe Aphoriſmum hunc de ſingultu ex plenitudine ſeu repletione facto, pari modo ac evenit in convulſione: Si quidem in convulſione bene poſſunt filamenta nervorum, & liquor nerveus à re aut humore replente contrahi & convelli, minime vero in ſingultu ope ſternutamenti excuti & evacuari, quod certo neceſſarium foret ad liberandum illos à ſingultu.

Poſtremo ſicut ſingultus hic memoratus ab Hippocrate, frequens, iteratus ac moleſtus intelligitur, ita ſternutatio quoque, ut illum ſolvat, debet eſſe repetita & vehemens ac valde concuſſiva, qua ſcilicet poſſit tenax & hærens humor à partibus ſemoveri & extrudi; quamobrem non immerito plerique *ſternutamenta* plurali voce ſcribenda voluerant, ut nimirum plura & frequentia illa ſint superventura, quæque iteratis concuſſionibus, rem tenaciter adhærentem excutiant & exturbent; Hac de cauſa Hippocrates 5. Aphoriſ 35. dixit

dixit *mulieri hyſterica aut difficulter parienti ſternutamentum ſuperveniens bonum.*

Quares I. Cum ſingultus ſit ſpecies convulſionis, utrum a repletione an inanitione in hoc Aphoriſmo intelligatur. ℞. Hanc quæſtionem videri ſuperfluam, quoniam in contextu res abunde de eo potiſſimum qui ex repletione fit, declarata ſit. Unde bene dixit Cardanus *in comment. hujus Aphor nec eſt* (inquit) *ut excipiamus eum qui ab inanitione fit, cui non supervenit, ſternutatio enim motus eſt vehemens, hic autem debili ægro non poteſt ſupervenire: at debilis eſt æger, quicunque à ſingultu ob inanitionem corripitur.* Ergo maxime ſingultus ex repletione fit.

Quares II. Utrum Ariſtoteles *3 problem 1.* ſingultum bene referat ad pulmonem, quod itidem docuit Galenus *in comment. ſternutamentum* inquit, *fit attracto ſpiritu à* Pulmonibus magnaque compreſſione facta? ℞. Licet Ariſtoteles magnus Philoſophus, ut Philoſophus, conceptu Philoſophico id ſtatuerit, Medici tamen inſtructi Anatome fundamentis ſingultum ad ventriculum referunt, quemadmodum ſternutationem ad cerebrum & ruſſim ad Pulmonem, ſimilis enim propemodum eſt omnium trium vehemens motus; Interim negari non poteſt, etiam per conſenſum à Pulmone & alio membro, ſingultum exoriri poſſe. Galeni Doctrinam autem hoc in paſſu carpit Cardanus, *fallitur in hoc*, inquit, *Galenus quoniam putat eum aerem attrahi à pulmonibus, ut fiat ſternutatio, ſane bene fecisset ſi hunc modum docuiſſet.* Docet enim Hippocrates *in lib. Prognoſticorum gravedines & ſternutationes, in omnibus circa pulmonem morbis antecesſiſſe & ſuccedere malum eſt; at in aliis morbis letaliſſimis ſternutationes proſunt quia robur cerebri ſignificant.*

Quares III. Utrùm ſingultus ab inflammatione hepatis aut aliarum partium per ſternutationem ſolvatur? ℞. Negative quia per hanc ſingultus cauſa tolli non poteſt, ſicut & ſingultus mortis Prodromus non ſolvitur.

Quares IV. An præter ſternutationem dentur alia remedia ſiſtendi ſingultum? ℞. Quod ſic: uti eſt ſpiritûs ſeu halitûs retentio & compreſſio: acetum calefactum: frigidæ aquæ collutio & potatio: caſtoreum ſumptum aut ejus oleum Stomacho inunctum. Plura vide apud Practicos.

Dicet

Dices: Galenus *in Comment* ſingultum à frigore ortum (ut in pueris ſæpe fit) refert ad repletionem, quod videtur à ratione alienum. ℞. Ad ſalvandam autoritatem Galeni dicendum, illum intellexiſſe per frigus intemperiem cum materia & ſic æque à repletione.

Aphoriſmus XIV.

Hydrope detento (ſeu corrupto) ſi aqua è venis in ventrem confluxerit, ſolutio fit (ſeu, morbus ſolvitur.)

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſt Hydropis.

C*onnexio*: Dixit in præcedenti Aphoriſmo ſingultum ſternutatione ſolvi. In hoc præſenti ſolutionem Hydropis proponit, quando aqua à venis in ventrem confluit.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem & brevitatem non dividitur.

De qua autem ſpecie Hydropis ſcriptus ſit hic Aphoriſmus, non levis eſt hujus loci difficultas. Etenim ſi de aſcite exponatur, quia aqua in imo ventre collecta eſt, non bene toti ſententiæ Aphoriſticæ cohærebit, qua è venis dicitur aquam in ventrem, & conſequenter in alvum defluxam, morbum ſolvere, utque è venis aqua in ventrem, id eſt, in alvum deflueret, per totum corpus diffuſum prius eſſe oporteret, adeoque anatarcam primo conſtituere, & deinde in alvum deponi & evacuari pro totius morbi ſolutione. Per ventrem autem non intelligit capacitatem abdominis, ſed tantum inteſtina ſeu alvum.

Et quidem in hac ſolum Hydropis ſpecie, poterit aqua ſenſim per occultos canaliculos, aut etiam per communes ductus, in ventrem effluere, indeque critice evacuari, ut proclivius ſane intelligendus erit Aphoriſmus de laborantibus anaſarca, hypoſarca ac leucophlegmatia, non vero de aſcite aut tympanite. id quod clarius explicans idem Hippocrates *7 Aph. 29 & Lib. de internis affectionibus* ſub nomine leuco

cophlegmatiæ, hanc eandem ſententiam protulit inquiens: *Si à leucophlegmatia habito, alvi fluxus ſuperveniat, liberatur.*

Sed quomodo fieri poſſit, ut lymphaticus humor & aqua intercus ex habitu corporis in ventrem transferatur, alia eſt gravior difficultas: & quidem crediderim non ex venis aut arteriis illam poſſe reſorberi, & in alvum deduci, etenim per arterias, potius humor defertur ad partes, quam è partibus referri poſſit, ut patet ex circulatione ſanguinis. Neque deduci poteſt ex venis, quia iſta reducunt humores in partes interiores, per hepar in cor, unde ſi aqua in ventrem effluxura è venis deduceretur, procul dubio deberet prius per cor meare, & ex corde poſtmodum in arterias transferri, atque ex arteriis denique in alvum, id quod non ſine gravi vitæ periculo peragi poſſet, cum ex hoc transfluxu cor ipſum & arteriæ, à tanta humoris ſeroſi colluvie inficerentur, & ſanguis univerſus labem fere inemendabilem contraheret; quare potius è vaſis lymphaticis, aqua illa intercus in alvum deferri debebit. Vaſa enim lymphatica per univerſam cutim perreptantia, bene poſſunt reſorbere, ac reaſſumere lymphicum illum humorem, qui in glandulis ſubcutaneis continetur, citra ſanguinis & viſcerum infectionem.

Quoniam vero locutus eſt Hippocrates, ſub conditione *ſi aqua è venis in ventrem effluat.* id profecto tum accidet, cum lympha ſub cute nondum concreverit, ſed adhuc fluida manens, per prædicta vaſa lymphatica remeare poteſt. Cæterum poſtquam diutius hæſerit ſub cute, & glutinoſam induerit conditionem, nulla ratione poterit è vaſis lymphicis in ventrem defluere, niſi tamen non eam, quæ extra vaſa, in glandulis ſub cute jam ſubſtiterit, ſed, quæ adhuc in vaſis lymphicis continetur, fluxuram in alvum intelligere velimus. Id quod facilius ſemper eveniet intra initia incipientis Hydropis, ſecus vero in Hydrope jam confirmato, cum ſcilicet craſſior & glutinoſior reddita, lympha nequibit per vaſa lymphica in alvum deferri.

Sed cur eſt, quod Hippocrates hic venarum meminerit, inquiens: *Si è venis in ventrem ſeu alvum defluxerit?* forte quia ſub venarum nomine, omnia corporis vaſa humores deducentia comprehenſa intellexit: quo fit ut etiam arterias, is aliquando venas appellaverit; vel etiam quia, cum nondum illi vaſa lymphica innotuiſſent, plane cum vidit aquam, ex habitu corporis, in alvum deductam Hydropicos judi-

caſſe,

caſſe, ex ſola venarum notitia, arbitratus eſt, non niſi per illas potuiſſe, aquoſum humorem in ventrem effluere: quandoquidem ipſe, quæ vidit, ſcripſit, & quæ iteratis obſervationibus expertus eſt, in Aphor. redegit; obſervavit autem ex habitu corporis aquam in Hydropicis in ventrem effluxam, illos judicaſſe, exiſtimavit, juxta communem veterum Medicorum ſenſum, per venas illuc fuiſſe delatam.

Quamquam autem id in Anaſarca laborantibus veriſimilius exiſtimem accidere poſſe, non tamen omnino impoſſibile putandum, quod id ipſum in aſciticis contingere nequeat: etenim licet aqua in aſcite, inter peritonæum & muſculos abdominis colligatur, unde difficile admodum eſt, in alvum effluere poſſe, fieri tamen aliquando poteſt, ut per ductus nobis incognitos à provida natura in inteſtina deferatur & expurgetur: quandoquidem ut alias dicebat Galenus ex eodem Hippocrate *6. Epidem. Sect. 5. mille ſibi natura parat vias, per quas ſe ipſam exoneret*: attamen perrarum hoc plane eſt, nec tam facile, ut propterea non niſi paracentheſi aquam in abdomine collectam abducere admittantur peritiores Chirurgi, neque tamen perpetuo ſucceſſu felici.

Poſtremo dicitur morbum ſolvi, effuſa in ventrem aqua, non quod in ventre detinenda ſit, ſed quod per ventrem in inteſtina & alvum delata prompte evacuetur, & quidem tota quanta eſt. ſiquidem ex eo quod aqua Hydropicorum, veluti res præternaturam egeritur per alvum, tanquam per locum convenientem, contingit ipſum morbum ſolvi, ut quæ totum corpus occupaverat, in ventrem effluens, aditum ſibi faciat apertum, adeoque non quia in ventrem effluxerit, conferat, ſed quia in alvum translata, poſſit ſponte ſua evacuari & extra mitti. Hinc deſignavit Hippocrates ventrem, veluti locum facilis & promptæ expurgationis, ut exinde corpus univerſum a leucophlegmatia, & aqua intercute vindicetur; quamobrem tota pariter, & quanto citius fieri poſſit, educatur, viribus interea conſtantibus, ſicut ſalutaribus criſibus evenit. Porro non quia hic ab Hippocrate ſolius per alvum evacuationis mentio facta eſt, excluſa credenda omnino erit, quæ per vias urinæ alias ab eodem velut conducibilis commendatur in tumore lienis, qui prodromus eſt Hydropiſis, *ut 2 Epidem. Sect. 2.* de Bione fertur, ex animadverſione Mercurialis: nam hoc loco eam potiſſimum memoratam voluit, quæ citior, facilior, liberior ac ſecurior

rior eſſe ſolet, in comparationem ejus, quæ per urinam fit, longe tardioris, difficilioris ac moleſtioris eventus. Animadvertendum præterea an hydropiſis ſit inveterata & viſcera deſtructa aut corrupta, neque enim hoc in paſſu morbus debite ſolvi poterit, quin denuo malum ſuccreſcat, neque de hoc caſu ſententia Hippocratis intelligenda eſt, quemadmodum ſcripſit Hippocrates *de internis affectionibus*.

Quæres I. Utrum ad curandum hydropem, ſemper temperata an intemperata remedia requirantur? ℞. Si hydrops proveniat a colliquatione ut fit poſt ardentes febres colliquatis carnibus & in lympham converſis, temperata ſunt adhibenda: Si vero hydrops ſit a lympha cruda vel poſt longum balneorum aquæ frigidæ uſum, vel poſt longam hæmorrhagiam &c. (ſalvo judicio doctiſſimi Fonſecæ) non puto temperata ſufficere, ſed etiam ad intemperatiora, felici cum ſucceſſu aliquando tranſeundum eſſe.

Quæres II. Utrum ergo in hydrope præparandi ſint humores? ℞. Affirmative, nam qui ſtatim ad purgationes in hoc morbo properant, potius ægrum perdunt quam ſanant: unde craſſities humorum attenuanda prius, quoniam qua talis educi nequit.

Quæres III. Utrum extenuatio in hydrope æque mala ſit ac in aliis morbis? ℞. 1. Negative maxime in hydrope initiante, niſi enim corpus hydropici aliqualiter extenuetur, non poteſt præ copia materiæ, debite nutriri aut refici, Ergo aliqualis extenuatio minime ſuſpecta eſſe poteſt. ℞. 2. Si autem extenuatio talis ſit extrema, qua hydropem confirmatum ſequitur, ea non modo ſuſpecta ſed deſperata credatur.

Plures difficultates *in Commentario* movet Cardanus, quæ ibidem legi poſſunt.

Aphoriſmus XV.

Longo alvi profluvio laboranti, ſponte vomitus ſuperveniens, ſolvit alvi profluvium (ſeu morbum)

Contentum ſeu Intentio.

De Vomitu Diarrhææ Remedio.

Connexio: Cum Hippocrates de acido ructu, in primo Aphoriſmo hujus Libri verba feciſſet, longo alvi profluvio ſuperveniente: In hoc præſente Aphoriſmo de vomitu eidem alvi profluvio ſuperveniente, verba facit.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem & ſimplicem concluſionem non dividitur.

Hippocrates etiam in hoc Aphoriſmo, memorat unius morbi ſanationem per alvum, ſed cum morbificæ cauſæ evacuatione conjunctum. At vero non ut præceptum curativum tradat, ſed ſolummodo ut prognoſim proponat ſalutaris exitus diarrhææ inveteratæ, à vomitu ſpontaneo ſuperveniente, ac propterea non exinde deducant & arguant Medici, id ipſum arte tuto poſſe promoveri, quod ſponte naturæ utiliter accidit, nam ut ſuperius quoque monuimus, non æque bene, nec unde quaque poteſt ars naturam imitari, ut in humoris excernendi quantitate, conditione, tempore & modo pari ſortiter ſe habeat, & valeat id ſolum, quod vitioſum eſt, & morbum facit, ſalutariter educere: eum & nec ipſa natura perpetuo atque indiſcriminatim quocunque morbi tempore, & qualibet ejuſdem circumſtantia rite & recte ſe gerat. Signanter autem notavit in hoc Aphoriſmo Hippocrates; *diuturnum alvi profluvium per ſpontaneum vomitum ſupervenientem terminari*; quia tria ſpeciatim conſideranda voluit, *diuturnitatem*, in alvi profluvio; *vomitum ſupervenientem*, & *ſponte naturæ* excitatum non ab arte.

Et quidem, ſi alvi profluvium recens fuerit, quia tunc peccans materia ſeu humor multus & pravus eſſe ſolet, non tam facile proficiet nec utiliter continget. Inter initia etiam vomitus diarrhææ ſuperveniens, malus, non bonus cenſendus erit, veluti inductus ab irritata natura vel gravata a multitudine vitioſorum humorum, quæ nequeat illos eſſetos regere, & emendare, unde & per inferiora & per ſuperiora indomiti feruntur. Quare non ſolum vomitus in his, nullatenus proderit, ſed magis & magis oberit, veluti ſymptomatice excitatus ab

impetu & violentia prævalentium & ſuperabundantium humorum, prout in cholera morbo evenit. Itaque diarrhæam ex longo tempore perduraſſe notat Hippocrates, quoniam ex temporis diuturnitate, veriſimile admodum eſt, & multitudinem humorum defeciſſe, & pravitatem magna ex parte fuiſſe ſedatam, ut propterea ex mala & inepta ſolum diſſolutione & ſecretione ciborum aſſumptorum alvi fluxus perſeveret, & quidem ex fermentis inteſtinorum vitiatis, aut etiam ex labefactatis & depravatis ſuccis ventriculi digeſtivis, qui mox a superveniente vomitu egerantur, vel immutentur: in quem etiam ſenſum exponendus eſt idem Hippocrates *2. de Diæta* ubi dixit vomitum ſiſtere alvum.

At quamvis ita ab Hippocrate ſcriptum ſit, & plerumque id ipſum experientiæ reſpondeat, non tamen univerſaliter verum putandum eſt, ut aliquando non fallat, cum & nonnunquam à ſpontaneo vomitu viſum ſit, non ſolum diarrhæam nullatenus deſiiſſe, ſed ſubinde etiam mortem fuiſſe ſubſecutam, potiſſimum in his, qui viribus deſtituti, ejuſcemodi evacuationem per dejectionem primum, deinde per vomitum ſufferre nequiverunt. Sed & vomitus superveniens, ſi præterea cibalis, vel chyloſus fuerit, pejoris plane judicii erit, cum ex illo magis vires atterantur, & labefactatus, undequaque ventriculus nequeat deinceps illas reſtituere.

Tunc ergo vomitus ſpontaneus laudabilis ſolum erit in diarrhæa, cum humoralis fuerit, & ejuſdem plane conditionis, ac eſt materia ipſa diarrhæam efficiens & conſervans: debent inſuper vires conſtare, ut vomitionem tollerent, quæque ſemel tantum & non ulterius repetat, hac enim ratione criſis naturam referet. Hinc idem Hippocrates *1. de morbis* hanc eandem ſententiam deſcribens, adjecit particulam *valde*, quæ non ſolum referri poteſt, ad diarrhæam, ſed etiam ad vomentem, & ad vomitum ſupervenientem, puta, cum virium robore toleratum; proinde non temere danda ſunt emetica in fluxibus alvi.

Dices I. Hippocrates ut mox dictum *2. de Diæta* dicit: Vomitum non tantum alvum ſiſtere, ſed etiam ſolvere. ℞. Si diu fiat poſt paſtum, alvum movebit concedo, quia humiditates in via exiſtentes, vomitus magis deprimit ad inteſtina ob commotionem factam & etiam propter ciborum qualitatem puta acrium, ſalſorum, dulcium, diſpoſitionem dejiciendi adjuvantium. Si vero ſtatim a paſtu provocetur,

vomitus

vomitus ſiſtet alvum, quia evacuatus ventriculus, non facile ac ſtatim dimittit, quidquid habet, ideo ſiccantur inteſtina.

Dices II. Vomitus ſemper dicitur malus, Ergo neque hic erit bonus, ℞. Semper eſt malus, ut ſignum concedo, ut cauſa morbum tollens nego.

Quæres: Utrum hic Aphoriſmus etiam locum habeat in dyſenteria? ℞. Affirmative vel potius cum diſtinctione, ſi cætera mitius habeant, locum habet: Si vero contrarium obſervetur, vomitus potius noxius & reprehendendus, qui nempe fieret ob inteſtinorum inflammationem per conſenſum.

Aphoriſmus XVI.

Pleuritide aut peripneumonia detento, alvi profluvium ſuperveniens malum.

Contentum ſeu Intentio.

De Diarrhœa pleuritidis aut peripneumoniæ prognoſtica.

Connexio: Cum de longo alvi profluvio in præcedenti Aphoriſmo dixiſſet Hippocrates tanquam de principali morbo. In hoc præſenti agit de eodem alvi profluvio, ſed ſymptomatico, quod pleuritidi aut peripneumoniæ ſuccedit.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem & ſimplicem concluſionem non dividitur.

Animadvertendum autem eſt, quod antea ſcripſit Hippocrates de ſupervenientibus evacuationibus conferentibus; num de aliis nocentibus ex adverſo diſcurrit & proloquitur; atque exemplum dat in morbis pectoris, in quibus dejectiones ſupervenientes nocuas animadvertit. Et quidem pleuritis ac peripneumonia morbi ſunt partium ſpiritalium ſeu vitalium, quorum alter ad pleuram alter ad pulmonem pertinet. Quamvis non defuerint, qui utrumque pulmoni affixerint, ea tamen differentia, ut ſi pulmo totus, ſecundum utrumque

latus dextrum & ſiniſtrum, inflammationem contraheret, peripneumonia laborare diceretur; pleuritide vero, ſi alterutro lobo tantum, de qua re alibi. Utcumque autem id eveniat, certum eſt pleuritidem & peripneumoniam morbos pectoris eſſe, & partium in pectore contentarum, quæ nulla alia ratione ſalubriter judicari poſſunt, quam per anacatharſim, unde 5. *Aphor 8.* ab eodem Hippocrate ſcriptum eſt: *quicunque morbo laterali ſeu pleuritide laborantes, in quatuordecim diebus non repurgantur, ii ad ſuppurationem vertuntur*, quoniam nullus alius tutior ductus patet expurgationi humoris in pectore contenti, quam per aſperam arteriam, adeoque per tuſſim.

Si ergo contingat pleuritide aut peripneumonia laborantem, non expectoratione, ſed dejectione per alvum evacuari, duplici procul dubio incommodo afficietur: *Primo* quidem, quod humor in pectore contentus non expurgatur, cum ex pectore ad alvum ductus nullus ſit, interſepiente diaphragmate, cavum pectoris & abdominis: *altero* vero, quod alius ab eo, qui peccat, educitur, & non ſine ingenti virium dejectione, cum ventriculi & primæ digeſtionis languore, recrudeſcente interea, aut etiam putreſcente eo qui pectoris cavum occupat, unde tum pulmo, tum cor & ſanguis univerſus plurimum inficitur. Accedit, quod ſuperveniens alvi profluvium, in pleuritide, aut peripneumonia, alia quoque viſcera, nempe naturalia, præter ſpiritalia affecta deſignat, potiſſimum vero ventriculum, jecur, meſenterium, inteſtina, ex quibus pravi illi humores, alvi profluvium concitantes, ſine ulla difficultate derivabunt: quo autem morbi plures fuerint, & partes affectæ variæ, eo plane gravius vitæ periculum imminebit.

Quoniam vero, non quamcunque aut levem evacuationem per alvum memoravit Hippocrates, ſed multam, iteratam & copioſam, deſignatam ſcilicet ſub nomine *alvi profluvii*, idcirco tunc ſolum exinde de ægrotantis vita verendum, cum alvus immodice, in ejuſmodi pectoris morbis fluxerit, ſecus vero, ſi levis ſolum, & modica dejectio fiat: fieri enim aliquando poteſt, ut citra incommodum partium ſpiritalium affectarum, alvus cum juvamento potius exoneretur, aut quia cumulatis antea excrementis abundat; aut quia, ob adjunctam febrim, ſanguis a ſuis impuritatibus repurgitur, aut etiam quia compatientia, reliqua viſcera naturalia, forte caſualiter ab infarctu, obſtructione, tumefactione, vi febris, atque naturæ molimine per dejectio-

nem

nem illam ſenſim allevantur, ut in Merone & Caupone memorat idem Hippocrates *7. Epidem.* jure igitur per *alvi profluvium*, immoderatam, impertinentem, adeoque vires attollentem evacuationem, ac ſputum ſupprimentem notatam voluit.

Neque ſolum malum cenſendum eſt alvi profluvium in Pleuritide & peripneumonia, ex ratione partium affectarum, quæ nullatenus per alvum exonerari poſſunt, ſed etiam ex ratione eorundem morborum. Sunt enim Pleuritis & Peripneumonia, de genere inflammationum; in inflammationibus autem nulla purgatio per alvum proficit, ut propterea purgantia medicamenta, ſint omni jure interdicta, & ut inquit Celſus *a parte inflammata, quo plus purgaveris, plus addes*, Sic Hippocrates refert *5. Epidem.* hiſtoriam Scophi pleuritici qui ſecunda die mortuus eſt, & cum purgatus eſt à pharmaco, deliravit cum prius eſſet mentis compos. Quomodo enim conferre poterit alvi ſolutio in inflammationibus, in quibus ſanguis alicubi hæret & concreſcit, atque indiget ſui reſolutione, aut ſuppuratione, ut tandem pars inflammata, in priſtinum ſtatum reſtituatur? Id quod potiſſimum in Pleuritide & Peripneumonia fit, de qua dicitur, quod quanto citius ſputum comparuerit, tanto quoque morbus breviabitur.

Quod ſi cum Heurnio, addere quoque velimus adverbium *Vehementer*, quo non levem inflammationem, ſed magnam, ingentem & vehementem intellexerit Hippocrates, profecto timendum magis, de illarum eventu, a ſuperveniente alvi profluvio. quippe vehementer Pleuritide aut Peripneumonia laborantes, gravioribus ſymptomatibus afficiuntur dolore ſcilicet acutiſſimo, difficili reſpiratione, ſiti, vigilia, inquietudine, febre continua, aliisque quæ magis & magis exacerbabuntur & ingraveſcent, ſuperveniente Diarrhœa. Sed & longe pejus erit, ſi alvi fluor accidat his, qui ex longo tempore, Pleuritide aut Peripneumonia laborarint, veluti ſuppuratis ac Tabidis effectis, quemadmodum ex voce Græca ἐχομένῳ, id eſt *habito, detento, vexato* ſive *diutius affecto* colligit Galenus, eſtque cunctis in Praxi notiſſimum.

Dices I. Fluxus alvi in fine pleuritidis ſecundum Hippocratem eſt malus, ergo in principio erit bonus. ℞. Non ſemper in fine eſſe malum, præſertim ſi fiat critice & concocta materia, neque etiam

ſequitur eſſe bonum in principio, ubi pleraque cruda exiſtunt, & fluxus alvi pure pure ſymptomaticus, adeoque malus eſſe conſuevit & ut *cauſa* & ut *ſignum*: ut *cauſa* quia fit vi morbi, & vires frangit, ut *ſignum* quia indicat hepar cæteraque viſcera in contextu memorata naturalia & ſpiritalia, pulmoni & pleuræ compati, ut dictum.

Dices II. Si in Pleuritide non eſt purgandum, cur ergo tot practici idipſum in illorum Praxi ſuadere ſolent, contra hunc Aphoriſmum? ℞. 1. Suadent purgandum id eſt cum moderatione, in declinatione concocta undique & pacata materia: 2. Tantum leviſſimis & ſimul pectoralibus remediis v.g. manna, paſſulis, prunis &c. non autem fortibus veteribus uſitatis: 3. Id ſolum ſuadent, in Pleuritide deſcendente quam in aſcendente, de qua plura in Praxi.

Aphoriſmus XVII.

Ophtalmia laborantem, alvi profluvio corripi bonum.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi & curatione Ophtalmia.

Connexio: Cum Hippocrates in antecedenti Aphoriſmo, alvi fluxum vituperaſſet in Pleuritide & Peripneumonia; In hoc præſente Aphoriſmo eundem extollit & laudat in lippitudine.

Hic Aphoriſmus ob ſummam brevitatem & ſimpliciſſimam concluſionem non dividitur.

Adnotat ergo in hoc Aphoriſmo Hippocrates, beneficia ex alvi profluvio provenientia in aliis affectibus & pro exemplo affert lippitudinem, quam conſequens alvi dejectio, ſalutaris dicitur.

Quid autē pro lippitudine intelligendum græca vox *Ophtalmia* ſatis aperte explicat, quam Celſus lippitudinē & oculorum inflammationē ſæpius appellat, licet pleriſque lippitudo, ad palpebras potius inflammatas referatur, non vero ad oculos. Quin & Celſus ipſe *Lib. 6 cap. 6* aliam

ſ aliam & diverſam videtur facere lippitudinem, ab inflammatione oculorum eamque ſæpius nuncupat *Aſpritudinem*, per quam palpebrarum extremitates aſperæ & dolentes obſervantur.

Sed quamvis de nomine parum interſit, multum tamen refert noviſſe Hippocrat. alibi diverſimode deſcriptum *Ophtalmiam* memoraſſe, præſertim vero *1 Epidem ſect. 2 & 3 Aphoriſ. 12. & 16.* ubi modo humidam, ſed mordacem, modo aridam & tabificam, modo ſiccam & pruriginoſam, imo etiam exulcerantem nominat, veluti à diverſis cauſis atque humoribus progenitam, unde ipſe fieri crediderim, cur lippitudo quandoque ſit contagioſa, & lippientes alios inficiant, imo nec æqualiter afficiant, & afficiantur, neque paribus ſymptomatibus moleſtentur, cum & aliquando in Palpebris ſolum, aliquando etiam in adnata, ſeu conjunctiva tunica, ruborem & tumorem patiantur: quare qualem hic intellectam velit, quæri poteſt.

Et clare patet eam lippitudinem hoc in Aphoriſmo deſignari, quæ non tantum palpebrarum, ſed & adnatæ oculorum tunicæ inflammatio eſt, facta ab affluxu humorum ibidem hærentium, potiſſimum acrium & erodentium, quorum cauſa aſperitas, dolor, rubor, tumor, in orbita oculorum exterior percipitur. Etenim niſi humores corpulenti has oculorum partes occupaverint, & læſerint, fieri non poterit, ut per alvum excreti lippientes liberent; pari certe ratione, ac de obſurdeſcentibus auribus, alibi idem Hippocrates pronuntiavit. Niſi etiam dicere velimus, cum expoſitoribus cæteris, liberari lippientes oculos, per alvi dejectionem, facta ſcilicet depoſitione humorum, ab affectis viſceribus naturalibus, ex quibus illi coafficiebantur. Oportet autem alvi profluvium ſponte evenire, Siquidem ut antea dictum iſtiusmodi evacuationes, morbis ſupervenientes ſponte naturæ excitari debent, cum ſolius naturæ opus ſit id evacuare, quod convenit, & quo tempore, atque ea quantitate, quæ cauſæ morbificæ correſpondeat. Hinc non bene quis ex hoc deducere poterit, licere medicis indiſcriminatim oculorum lippitudines, per dejectoria medicamenta curare, niſi aliter conſtiterit, in ejusmodi opere Naturam ſibi adminiculantem habere, forte quia in alvum adigere tentat humores & vel rugitu aut ventris murmure, aut inteſtinorum inflatione ejusdem depoſitionem oſtendat.

Quia

Quia inſuper Hippocrates uſus eſt voce *profluvii* æſtimandum propterea ſupervenientem hanc evacuationem oportere eſſe copioſam, & non ſolum fæcum aut inteſtinalium excrementorum, ſed etiam humorum, acrem & muriaticam conditionem præſeferentium: quippe hac ratione fieri, ut oculi ab humoribus ibidem ſtagnantibus vindicentur, vel etiam pars alia mandans affecta maniatur. Quod ſi evacuatio iſta, ſponte Naturæ promota, parca admodum ſit, & inſufficiens, tuto tunc poterit medici induſtria perfici & adimpleri, documento ejuſdem Hippocratis *1. Aphoriſ. 20.*

Denique inquit Hippocrates *bonum*, ſignificans ex hoc utilem eſſe ejuſmodi evacuationem, quamquam autem non omnino neceſſe ſit, ut ex illa ſit prorſus lippitudo deſitura. Etenim poſtquam humores ab oculis deſecerunt, remanere quoque ſolet, aſperitas cum rigiditate, quæ non niſi progreſſu temporis, ſponte naturæ deſinit, vel fotibus & balneis, venæ ſectione potione vini egebit, ut penitus aboleatur, quemadmodum idem Hippocrates *7. Aphoriſ. 46. & hoc eodem 6. Aphoriſ. 31.*

Dices I. In ophtalmia (ex praxi) prævalet venæ ſectio purgationi. Ergo venæ ſectionem potius commendare debuiſſet Hippocrates. ℞. Hippocratem alio in loco, venæ ſectionem nempe in curatione inflammationum recommendaſſe, hic vero ſolum agere de purgatione, plurimum enim poteſt purgatio in oculorum morbis & longe præſtantior eſt venæ ſectione, cum hic non ſanguis, ſed bilis aut lympha acrior, ſuas ludat tragœdias, quæ potius purgatione quam venæ ſectione egent.

Dices II. Hippocrates plures oculorum morbos afferre debuiſſet, qui etiam per purgationem curantur. ℞. Hippocratem nomine ophtalmiæ, omnes aut ſaltem potiores oculorum affectus comprehendiſſe.

Dices III. Facilior videtur eſſe revulſio à pectore ad inteſtina ob majorem viciniam, & tamen ea improbata fuit in antecedenti Aphoriſmo. ℞. Ideo improbatam fuiſſe, quoniam in morbis acutis, procul dubio periculoſæ ſunt ejuſcemodi evacuationes, præſertim earum partium, quæ facile alias ſuum trahunt in conſenſum, quemadmodum pectus, trahit ſtomachum, hepar, inteſtina &c. Secus fit cum capite, quod per fibrarum rectitudinem atque patentes vias, longe facilius per alvum expurgatur.

Apho-

Aphoriſmus XVIII.

Cui perfecta fuerit veſica, aut cerebrum, aut cor aut ſeptum transverſum (ſeu Diaphragma) aut tenue quoddam inteſtinum, aut ventriculus aut jecur, lethale eſt.

Contentum ſeu Intentio.

De lethalitate vulnerum.

Connexio: Hic Aphoriſmus nullam videtur habere cum præcedentibus connexionem, niſi velimus ejus occaſionem eſſe deſumptam, ex libro quinto, in quo de magnis vulneribus ſermonem habuit Hippocrates.

Hic Aphoriſmus, licet longior ob ſimplicem tamen concluſionem non dividitur.

Prognoſticus ergo eſt hic Aphoriſmus, in quo Hippocrates mortem prædicit in his, qui vulnus vel ulcus patiuntur in cerebro, corde, præcordiis (ſeu ſepto transverſo) jecore, ventriculo, aut inteſtinis gracilibus: Simile quid etiam ſcribitur *Lib. 1. de morbis: moritur autem, ſi quis cerebro ſauciatus fuerit, aut Spinali medulla, aut Hepate, aut præcordiis, ſive ſepto transverſo, aut veſica, aut vena ſanguiflua aut corde.* Et ſane quod pleræque ex his partibus diſciſſæ aut vulneratæ mortem afferant, longe notius eſt, quam ut longa oratione probari queat, nam cum inter partes corporis numerentur, omnino vitæ tuendæ neceſſarias plane fit, ut diſſectæ, ſicut non amplius ad vitam conſervandam conferunt, ita imminentem mortem procul dubio portendant: hujus generis præſertim ſunt, cerebrum, cor, pulmo, ſeptum transverſum, ventriculus. Diſſecto etenim cerebro, nervi & nervorum liquor ſtatim male afficiuntur; unde operationes animales deficere neceſſe eſt, his autem deficientibus, nec vita diutius perdurare valet. Idipſum & multo magis dicendum de corde, quod principium & origo eſt, vitalium operationum. Quamobrem, ipſo

diſſecto, neque pulſus neque ſanguinis motus haberi commode poteſt.

Pari ratione pulmo diſſectus necem afferet, cum ſit unum ex præcipuis organis reſpirationis, atque per ipſum principalia vaſa ſanguifera diſpergantur, unde ſanguis in cor, & deinde in corpus univerſum miſſum. Septum quoque transverſum reſpirationi quam maxime conducit, quare ſi fortaſſe diſſecetur quia in ſuo motu labaſcit, deficit pariter reſpiratio, qua deficiente animal perit; reſpiratione enim & vita paripaſſu ambulant, itemque reliqua viſcera, his adjacentia eidem infortunio ſubjiciuntur, ſub quibus præcordia comprehenſa intelliguntur.

De ventriculo autem, quamvis a pleriſque dubitatum ſit, num inter partes principes numerandus foret, quia nihilominus conficiendis cibis incumbit, ſine quibus diu animal perdurare nequit, procul dubio ex ipſius diſſectione, mortem quoque accidere fatendum, quamobrem non immerito a Quinto Sereno *Rex membrorum* eſt appellatus, a quo ſcilicet reliqua corporis membra, alimentum, robur & nutritionem incipiunt: accedit quod per ipſum plurimi venarum, arteriarum & nervorum rami diſpergantur, unde abſque iſtorum gravi læſione eundem vulnerari minime contingit, adeoque non ſine evidenti vitæ periculo.

Quoniam vero aliquando obſervatum eſt, (quemadmodum plurima exempla refert Cardanus in commentario,) ex vulneribus cerebri, cordis & pulmonis ægros ſuperviviſſe, anſa datur pleriſque dubitandi, qua ratione id evenerit, ut ſimul tueri poſſint, hanc Doctrinam Hippocratis, & ex adverſo experimenta eidem adverſantia verū facile difficultas ſolvetur, ſi vulnera his partibus inflicta, & a Medicis memorata, examinentur ubi, & quomodo contigerint, nā qui teſtantur à vulneribus capitis, cordis, aut Pulmonum conſanatiſſe, haudquaquam de partibus organicis iſtorum viscerum meminère, ſed ſolùm de ſuperficiariis & extimis eorundem; Cerebrum ſiquidem, ut ex Anatome liquet, conſtat cortice & medullio, ex his autem medullium omnino neceſſarium eſt, ad animales operationes ſenſitivas & motivas obeundas. Cortex vero non niſi plurimarum glandularum contextus eſt: Hinc ſi portio aliqua corticis cerebri reſcindatur, illæſo medullio, quia organa deſtinata functionibus ſenſitivis & moti-

vis

vis in offenſa manent, bene poterit in vita animal permanere, ſecus vero ſi interna cerebri ſubſtantia, ejusque meditullium offendatur. Cor pariter ſine vitæ jactura vulneratum memoratur ea in parte, quæ illius mucronem conſtituit, qui cum pars extima illius ſit, nihilque impediat motum ejusdem, & ſanguinis trajectionem in arterias, neque proinde vitæ tuitioni incommodabit. Cæterum vulnera cordis inflicta baſi, ventriculis, arteriæ aortæ, & cæteris ductibus principalibus ejusdem omnino lethalia obſervata fuere. Pulmones quoque reſecti memorantur, ſuperſtite vita in extremitatibus & apicibus loborum, quo ſcilicet vaſa pulmoniaca circulanti ſanguini neceſſaria haud quaquam pertingunt.

De jecore præterea idem omnino dicendum eſt; nam ſi vulnus ſit inflictum, in ſubſtantia jecoris, ubi arteriæ & venæ latiores aduniantur, adeoque partem illius organicam conſtituunt, procul dubio lethale erit, ſecus vero ſi fiat in extremitatibus loborum; & ratio inde deducitur, quia vulnera in his viſceribus inflicta, non alia de cauſa lethalia ſunt, niſi quia ſanguinis circulationi impedimento ſunt, & diruptis & inciſis venis aut arteriis, ſanguis extra propria vaſa effunditur, qui deinde exhauſtus, motum cordis conſervare nequit, nec reliquas partes vivificare, quin & multoties ab irruente ſanguine, adjacentes aliæ opprimuntur & repente ſuffocantur, unde vita diutius perſiſtere non poteſt. Accedit quod ſanguis extra propria vaſa effuſus, alia duplici de cauſa vitæ incommodat, & quia ſtagnans putreſcit & corrumpitur, & quia mole ac irruptione qua in parte hæret, gravat, opprimit, obruit, citius tamen vel tardius pro varietate viſcerum affectorum. Atq; hinc modo fit, quamobrem vulnera apices viſcerum ſolummodo lædentia, lethalia non ſint, niſi ex aliquo alio accidente, quia ejusmodi vulnera, vaſa ſanguifera majora & præſtantiora minime perturbant, unde nec multus ſanguis effunditur, nec motus ſanguinis intercipitur aut impeditur. His itaque de cauſis accidit, ut vulnera Baſim Cordis & venas & arterias inde exorientes transfodientia ſtatim perimant, ut & vulnera perforantia medium pulmonis, quoniam diſruptis vaſis pulmoniacis, vel ſanguis alio diffunditur, quam in Cor, vel impetuoſius quam par ſit in cor ipſum influit, unde illius motus impeditur; in reliquis autem partibus, vulnera inflicta non ſtatim enecant, ſed in aliquod tempus protrahuntur quia ex his non omnino intercipitur motus ſanguinis, & cordis, licet

deinde in lethum etiam deſinant, alia ſane de cauſa, prout de vulneribus veſicæ & inteſtinorum mox dicemus.

Vulnera itaque in univerſum lethalia erunt, non una ſed multiplici ratione. *Primo* ſi in partibus vitæ tuendæ neceſſariis, conformationem, texturam, & nexum vaſorum aut ſtructuram earundem diſcindant ac turbent. *Secundo* ſi circulum ſanguinis interrumpant. *Tertio* ſi operationes ad vitam tuendam deſtinatas lædant vel adimant. *Quarto* ſi excrementorum repurgationes impediant. *Quinto* ſi inflammationem Gangrænam, dolorem vehementem, aut alia ſymptomata graviora inferant, unde vires atterantur & labaſcant.

Hinc modo vulnera cordis & cerebri ex *primo & ſecundo capite* lethalia ſunt, pulmonis vero, jecoris aliorumque viſcerum, magnis & latis arteriis & venis refertorum ex *ſecundo & tertio capite*; ex *quarto & quinto* denique inteſtina & veſica, in quibus etiam ſummopere conſiderabilis eſt propria conſtitutio membranoſa & nervoſa, ob quam convulſionibus ſubjiciuntur & difficillime coaleſcunt.

Sed adhuc dubitare contingit, cur Hippocrates lienis non meminerit, cum tamen lien arterioſum viſcus ſit? ad quod dicendum, nullam de illo Hippocratem hoc loco feciſſe ſpecialem mentionem, quia parem cum jecore conditionem ſortitur, vel quia ſi fortaſſe vulneretur, commode reſcindi poteſt cum viſcus lingnoſum ſit, & facile à cæteris ſeparabile, quin imo illum eximi etiam integrè poſſe teſtantur plerique Anatomici, citra ullum vitæ incommodum.

Quoniam vero Hippocrates in textu, non omnia inteſtina dixit diſciſſa mortem afferre, videndum hic etiam breviter, quænam ſit differentia inter tenuia & craſſa inteſtina, ob quam tenuia ſi vulnerentur aut ſcindantur, mortem afferant, ſecus vero craſſa. Et quidem non tantum in vulneribus, verum etiam in eroſionibus internis, experimento conſtitit longe periculoſiora eſſe ulcera tenuium inteſtinorum quam craſſorum, nam in dyſenteriis male affecta priora ita duodenum, jejunum & ileon, inſanabilia eſſe ſolent, facilioris vero curationis colon, cæcum, & rectum. Verum diverſitas hæc petenda eſt, tum à ſtructura, tum ab uſu, tum etiam ab humoribus, qui per illa diffunduntur: Etenim inteſtina gracilia, ex membranis conſtituuntur tenuioribus, habentque glandulas quoque molliores, in quas hiant

oſcilla

oſcilla venarum lactearum, unde chylus in Meſenterium & ſuccum lacteum trajicitur, quamobrem & ſtructura & uſus aliorum trium inteſtinorum craſſorum, in quibus & tunicæ craſſiores & obeſiores ſunt, & glandulæ duriores & compactiores, eo quod diutius detinendis fæcibus inſervire deberent: Humores etiam confluentes ad inteſtina tenuia, pancreaticus ſcilicet & felleus, cum in ſtatum præternaturalem degenerant, peſſimam & deleteriam conditionem naniſcuntur, unde gravius affici ſolent inteſtina gracilia, ſecus vero craſſiora ut patet; quamobrem non ſine ratione fit periculoſiori dyſenteria laborare inteſtina ſuperiora quam inferiora. Non immerito proinde Hippocrates, conſideratis in his inteſtinis gracilibus, dixit illa diſciſſa lethalem exitum ſortiri, non ideo tamen ejuſdem periculi expertia eſſe inteſtina craſſa, quæ etſi plerumque non tam graviter afficiantur, poſſunt tamen aliquando, ex ingenti & magna diſciſſione pari modo periclitari, ſed longe minus vel tardius quam gracilia: Veſica pariter diſciſſa inſanabilis eſt, quia cum ſit perpetuum emiſſarium urinæ, nequit prompte conglutinari, quin & ulcus ibidem contractum perpetuo ſordidum eſſe ſolet; quamobrem ſæpe ſæpius experimur, illa in fiſtulas faciliime deſinere.

Denique ventriculus ſi vulneretur, etiam mortem portendit, ſiquidem ipſo diſciſſo neceſſe eſt ſuccos digeſtivos infringi, illius texturam vitiari, chyloſim offendi, & chylum ipſum nullatenus protrudi poſſe per pylorum ad inteſtina. Sed & ob nervorum copiam, quibus intexitur, fieri nequit, quin etiam cerebrum compatiatur, unde poſtmodum motus convulſivi; quin imo ex ſola & ſimplici illius læſione vomitus, ſingultus, anxietas, dolor & alia graviora ſymptomata minime poterunt evitari, ab his autem fieri nequit, quin mors ſit brevi ſubſecutura.

Ventriculo non irrationabiliter adjungi poteſt œſophagus, qui vulneratus non diſſimuliter lethum afferet, ut obſervatum eſt in quodam presbytero, ob vulnus inflictum in parte poſtica thoracis, prope ſpinam cui œſophagus adnectitur.

Partibus his vulneratis, atque hoc loco memoratis ab Hippocrate, ſunt qui plura alia adjiciunt, & quidem Braſſavolus, veſicam felleam, pericardium, pulmonem, lienem & ſpinalem medullam, inter partes ad exitium vulneratas recenſet: & Celſus *Lib. 5. Cap. 26.* addit quoque.

que renes, venas & arterias, potiſſimum circa fauces & guttur, nec non ſpinalem medullam, uterum & meninges cerebri. Verum non quæcunque vulnera, quæ inſanabilia ſunt lethalia dicenda erunt, etenim oſſa & cartilagines ſi frangantur, aut vulnerentur, licet plerumque inſanabilia evadant, non tamen mortem neceſſario afferunt. Cæterum multæ aliæ partes vulneratæ aliquando exitiales fiunt (etiamſi commode ſanari poſſint) vel ob imperitiam artificum, vel ob ſymptomatum ſocietatem, vel ob vulneris profunditatem aut magnitudinem, vel ob ſanguinis effuſionem, indeque conſequentem virium jacturam, vel ob ætatis languorem, vel ob carnium mollitiem, vel ob alterius morbi, præſertim virulenti concomitantiam, ut in lue Gallica affectis experimur; hinc non ſemel contigit obſervare vulnera aut ulcera, in partibus extimis etiam ignobilibus corporis inflicta, quæ tandem mortem attulerint, in ſenibus valetudinariis gallica lue affectis, & aliis propter quaſdam circumſtantias cum vulnere conjunctas.

Signa denique quibus internoſcere liceat, quæ membra diſciſſa aut vulnerata ſint, ut ex illis judicium ferri poſſit, lethalis aut ſalutaris eventus, late exponit Celſius *cit. Lib 5 Cap 26.* ex quo alii Chirurgiæ Profeſſores qui conſuli poſſunt, ſi lubet.

Illud autem à nobis videtur ſuperaddendum, quod iterati, inæquales & recurrentes rigores febriles, fere ſemper ſolent internorum viſcerum læſionem prædemonſtrare, idque vel ob ſanguinis è venis & arteriis diſceſſis effuſi in alias circumjacentes partes, præſertim ſenſu præditas irruptionem, & ſubſequentem putrefactionem, vel ob impeditum ea in parte ſanguinis circulum, qui cum non prompte ſua vaſa circulationi deſtinata ſubire queat, illas impedit & extimulat, & licet magna ex parte, non raro per ſupervenientem ſudorem diſſolvatur, perſeverante tamen eadem cauſa denuo illi recurrunt. Hinc bene Cardanus partes univerſum vulneratæ quatuor modis mortem adferunt: vel neceſſitate officii ut pulmo: vel potentia naturæ, ut cor: vel ſanguinis profluvio, ut jecur, arteriæ magnæ & venæ. Vel ſymptomatum pravitate ut nervoſa, ventriculus, veſica. Alii dicunt vulnera alia ſunt lethalia abſolute proprie & per ſe, alia per accidens. alia dubia & periculoſa, alia ſigillatim, alia conjunctim ſpectata ſunt lethalia. Vulnera per transverſum facta ſunt graviora quam quæ in longum inflicta ſunt, alia ſunt penetrantia alia ſuperficialia alia magna

alia

alia parva ſed ſæpe prava & ideo periculoſa & lethalia puta in nervis &c.

Dices: In his, in quibus calculus exſcinditur non eſt lethale vulnus veſicæ, Ergo falſum eſt, quod mox dictum eſt. ℞. In hoc caſu non veſica, ſed illius collum ſecatur, quod tanti periculi non eſt cum collum ſit muſculoſa pars, niſi forſan ex accidenti puta febre ſuperveniente, ſed neque neceſſe eſt febrem cum rigore illis oriri, & ſi oriatur non quidem bonum eſt ſignum ſed tamen non lethale, quia plerique ſervantur, nemo tamen abſque febre mortuus eſt.

Quares: Quæ pejora ſint an ulcera an vulnera, & quænam ex his magis lethalia? ℞. Longe deteriora ſunt ulcera, quo ad ſanationem quoniam ſenſim facta & cum pravitate conjuncta; inquit enim Hippocrates, morbi antiqui difficilius ſanantur quam recentes: Vulnera vero ſunt periculoſiora & magis lethalia, quia majorem ſubito mutationem in corpore faciunt, unde dolores & convulſiones oriuntur, quæ ex ulceribus raro evenire obſervantur, ex vulneribus autem ſæpiſſime. Ut ergo lethaliora ſunt vulnera, ſic majorem ſanationis ſpem habent, quoniam violenter & recenter inciderunt. Ulcera autem, ut ſanatione ſunt difficiliora, ita lentius mortem afferunt; verum quoniam omnino ſanationis ſpe carent abſolute pejora ſunt.

Aphoriſmus XIX.

Perſectum os, aut cartilago, aut nervus, aut genæ tenuis particula, aut præputium, neque augetur, neque coaleſcit.

Nota: *Idem Aphoriſmus habetur Lib. 7. Aphor. 28.*

C*onnexio*: Cum in antecedenti Aphoriſmo Hippocrates egiſſet de partibus organicis, quæ vulneratæ mortem afferunt: In hoc de illis agit partibus ſimilaribus, quæ diſſectæ coaleſcere nequeunt, quæ in Aphoriſmo recenſitæ ſunt. & licet iſtæ mortem non afferant, ſed diſciſſæ vel vulneratæ difficulter coaleſcant vel augeantur.

Hic

Hic Aphoriſmus ob ſuam brevitatem & ſimplicem concluſionem, non dividitur.

Primo autem loco Hippocrates proponit *fracturas oſſium* de quibus tamen dubitatur an non coaleſcere poſſint. & ſucceſsive incrementum ſuſcipere etenim Galenus *Lib. 3 artis Medica* non ſolum in pueris illa (inquit) faciliime coiunt & deinde augeri, & quidem per primam intentionem ut loquitur Andreas Laurentius in ſua Anatomia, id eſt, per ſe & nullo interveniente medio heterogeneo, ſicuti plumbum liquefactum cera & ſævum in ſuam ſubſtantiam iterum coeunt. ſed etiam in adultioribus per ſecundam intentionem, id eſt, intermedio quodam heterogeneo, pura, corpore calloſo, quod licet proprie os dici non poſſit, nihilominus ad illius naturam quam maxime accedit, quippe quod duritie, ſoliditate, candore, inſenſibilitate præditum eſt ſicut os. Verum eſto oſſa fracta, per intermedium aliud corpus uniantur, proprie tamen coalitio illa dici non poteſt, cum ſit quid heterogeneum, differentis omnino conditionis & naturæ, quamquam duritiem & ſoliditatem oſſium æmuletur, ut propterea ſi contingat, in ea parte os iterum fracturam ſubire, non quidem frangetur, in poro illo adnato ſed alibi, ut ſæpius experimento (& quidem meo proprio, quemque pedem bis frangendo) conſtitit. Sed & neque incrementum ſuſcipit os fractum, ſed in eadem magnitudine ac dimenſione ſubſiſtet cum nutrimentum, quod oſſi ſuggeritur, ſupra ſolum, non vero infra fracturam deferri poſſit, impediente nimirum tranſitum poro illo calloſo; quamobrem experimur oſſa fracta, in pueris non ulterius increſcere, ſed per comparationem ad alia oſſa correſpondentia aliquantulum decurtata & exilia remanere: modo Hippocrates in hoc textu de vero coalitu, & de genuina nutritione mentionem facit, ſecus vero de falſa & æqui pollente.

Sed unde eſt quod oſſa, aliæque partes hic memoratæ coaleſcere & nutriri non poſſint, gravis equidem eſt hujus loci difficultas. Omnes interpretes cum Galeno, communem in omnibus partibus exanguibus & ſpermaticis appellatis, cauſam faciunt materiæ alibilis defectum: putant enim partes univerſas corporis, aut ex ſemine aut ex ſanguine generari. ex ſemine quidem partes eas, quæ albæ ſunt, ut ipſi dicunt oſſa, tendines, ligamenta, nervi, venæ, arteriæ, membranæ, cartilagines, glandulæ: ex ſanguine vero omnia viſcera, cor, pulmonem, jecur, lienem

lienem, renes, muſculos & carnes univerſas. Hinc ſubdunt partes carnoſas & rubras à ſanguine progenitas cum vulnerantur aut dilacerantur, facillime regenerari & increſcere poſſe, ſuggeſto ipſis ſanguine pro alimento, ex quo exordium deſumpſerunt: at vero oſſa fracta, atque cæteras partes albas, veluti ſpermaticas diſſectas, nullatenus coaleſcere poſſe, quia deficit illis alimentum & principium generationis earundem, nempe ſemen.

Sed quam minus fundata ſint ejuſcemodi veterum opinamenta, clariſſime deducitur ex Anatome, & ex earundem partium ſtructura, omnia enim viſcera tanquam conſtructa ex glandulis, membranis, fibris, nervis, venis, arteriis non niſi in primordiis ſuæ generationis, eandem materiam albugineam uniformiter recognoſcunt, unde nihil penitus differunt à generatione, & ſtructura partium albarum ſeu ſpermaticarum, hinc in prima conformatione embryonis, cum illius corpuſculum integratur, non niſi texturam quandam exhibet, fibrarum, glandularum, membranarum & vaſorum, per ipſas excurrentium, quæ deinde à ſanguine materno per vaſa umbilicalia ſuggeſto, nutricationem & incrementum ſuſcipiunt, per ſubſtantiam illam glutinoſam ipſiuſmet ſanguinis, quæ in aliquibus magis & copioſius appingitur, in aliis minus & parcius, pro vaſorum exilitate, & pororum & texturæ diverſitate: quod vero pulmo, jecur, cor, lien & alia conſimilia viſcera rubra videantur; membranæ vero, cartilagines, oſſa, alba ſint, id duntaxat contingit à ſanguine affluentius per prædicta viſcera diſcurrenti, quoniam continent venas & arterias laxiores & numeroſiores: at vero in partibus albis, quia venulæ & arteriolæ exiles admodum ſunt, propterea vix conſpici poſſunt: atque hinc ſi pulmo, jecur, lien & cætera viſcera carnea & ſanguinea putata, ſanguine ipſo exuantur, quod fieri ſolet per immerſionem in aqua tepida, poſtquam univerſum ſanguinem per illorum parenchymata diffuſum, dimiſerint, albicantem quoque ſubſtantiam referunt, & quemadmodum accurata diligentia Anatomicorum detectum eſt, non niſi glandulis, veſiculis, fibris, venis, arteriis & nervis contexta ſunt. Itaque omnes partes corporis homogeneam referunt naturam, atque in primis ſuis rudimentis ab una ſubſtantia ſeminis glutinoſa, vel ut melius loquar, ab una ſubſtantia albuginea, in ovo fœmineo contenta ducunt

originem, à ſanguine vero circumfluo, vitam & vigorem ſuſcipiunt, quemadmodum fuſius declaratur in inſtitutionibus.

Hinc ergo omnino minus fundatum dicendum eſt, quod à veteribus fuit creditum de duplici materia, origine & principio partium componentium humanum corpus, & cujusvis alterius animalis. Sed & falſum quoque eſt, deeſſe materiam ſeminalem, nutriendis partibus ſpermaticis aptam, quippe quæ non tantum in ætate juvenili, verum etiam in virili & ſenili non raro ſuperabundat. Quin imo ſi vera ſunt, quæ Galenus memorat, de regeneratione & reſtauratione oſſium fractorum in pueris, quia in his ſemen deficit, procul dubio oſſium fractorum coalitus & refectio nulla foret, atque contra facilior & abundantior haberi poſſet in juvenibus, in quibus ſemen uberius eſt & vegetus. Totum ergo opus nutritionis à ſubſtantia ſanguinis glutinoſa promanat, quæ longe copioſior ſuggeritur illis partibus in quas ſanguis uberius influit: qui fit ut jecur, pulmo, carnes in majorem molem, temporis progreſſu aſſurgant, minus vero augeantur membranæ, aliaque partes exangues. niſi etiam dicere velimus alimentum partibus accedere ex nervis & nervorum liquore, ut Gliſſonius & Warthonus, inter Anglos primi arbitrati ſunt, quo circa ubi membranæ corpulentiores ſunt, & latioribus nervis ſunt intextæ, ibi quoque incrementum ſenſibilius obſervatur; contra vero in membranis tenuioribus per quas nervi exiliores diffunduntur.

Neque inſuper verum eſt partes carnoſas vulneratas omnino coaleſcere & reſtaurari in fibris, venis, nervis, arteriis, ſiquidem iſtæ eodem modo uniantur, ac reliquæ aliæ partes ſpermaticæ dictæ, ut patet ex cicatrice in ipſis relicta; quamobrem non ſemel obſervatum eſt, in cadaveribus anatomiæ ſubjectis, viſcera antecedenter vulnerata, & mox chirurgicis auxiliis reſtituta, exhibuiſſe ſignaturas & cicatrices, qua parte vulnus fuerat inflictum. Sed & in cruribus, tibiis, brachiis, vulnerati muſculi, cum conſaneſcunt, profundam cicatricem relinquunt, & qui cauteriis fuerant inuſti, poſtquam ulcus ad cicatricem perductum eſt, manifeſtum ſignum & foveam geſtant, deſignantem non ſolum cutim externam, ſed etiam muſculorum ſubſtantiam cicatricem ſubiiſſe. Verum in his partibus muſculoſis, minus ſenſibilis eſſe ſolet, inflicti vulneris ſignatura, quia ſanguis per adjacentes partes circum-

fuſus

fluus illas ſublevat, & conſueto rubore afficit, unde non adeo conſpicua in iiſdem remanet cicatrix; contra vero in reliquis partibus, in quibus venæ & arteriæ parciores & exiliores ſunt, longe apparentior obſervatur, & potiſſimum in membranis, quarum textura tenuis & plana eſt & colore candicans.

Quoniam vero adhuc de modo quo callus fit in oſſibus fractis dubitare contingit, idcirco neque videtur ſoluta difficultas, in præſenti textu propoſita. Et quidem ſi id a veteribus putamus, difficile admodum erit conjicere, quo pacto oſſa fracta invicem conglutinentur per intermedium callum. Recentiores vero Anatomici, nec quidpiam certi in hac re determinare auſi ſunt. Solum Angli cum Gliſſonio & Warthono è membranis & perioſtiis eorundem alimentum oſſium deduxerunt, quo fieri ajunt, denudata perioſtiis oſſa ſiderari & contabeſcere: at neque per hoc explicant, quomodo callus, in fracturis oſſium generetur, cum in illis ſæpius membranæ ipſæ coalliciantur, & reſciſſæ aut diſſectæ nequeant alimentum ipſis ſuppeditare.

Putaverim idcirco alimentum oſſibus ſuggeri à ſanguine ſecundum partem glutinoſam, per apices muſculorum deſinentium in eorundem oſſium capitibus, ubi cartilagines circumponuntur, & glandulæ innumerabiles ſunt poſitæ. Illa vero ſenſim per partem poſt partem, intra poros eorundem intruditur, & per univerſam oſſium ſubſtantiam ſecundum longitudinem communicatur; quippe oſſa licet ſecundum extimam ſuperficiem levigata ſint; ſecundum interiorem tamen ſubſtantiam, ſunt manifeſte poroſa, ſpongioſa, ſquamoſa & perforata, ut propterea ſi frangantur, non ſolum ſuccum ipſum alibilem effundunt, verum etiam & non raro ſanguine tinctum, quo videlicet vegetari & vigorari poſſint. Hinc facile dijudicare eſt, ſuccum ipſum ex glandulis, ibidem ſitis, per poros & cavernulas oſſium veluti per filtrum tranſudare & quaqua verſum diffundi; quin & quo oſſa fuerint majora & longiora, eo etiam cavitas & manifeſtior & oblongior in illis obſervatur, cum ingenita quadam ſubſtantia medullari, quæ ibidem ex reſudante eodem ſucco oſſium nutritio concreſcit & coagulatur inſtar axungiæ, prout obſervare eſt in oſſibus femorum & brachiorum. Non tamen inde negaverim à membranis oſſa ambientibus aliquid etiam volatile & ſpirituoſum per extimos illorum poros ſuggeri, quo nimirum vegetiora fiant, & in motibus promptiora, ut ſcilicet

 faci-

facilius commoventibus muſculis, extendentibus, contrahentibus & circumvolventibus obſequantur. Quia ergo in fracturis oſſium textura illa pororum & cavernularum diſcontinuatur, & alimentum nequit commode veluti per filtrum trajici, potiſſimum quia fibræ ac filamenta eorundem ſinuoſa, non recta invicem colligantur & uniuntur ſed aliquantulum tortuoſe; proinde nodus in parte fracta gignitur pari fere modo, ac in rectis arborum ramis experimur, ſicut etiam in inſitionibus in quibus inter truncum ſeu ramum unius, & ſurculum aut palmitem alterius, nodus adnaſcitur.

Differt autem aliquantulum ab oſſe ipſo nodus iſte, quia non ex primigenia ſubſtantia ſeminali ortum ducit, ſicut reliquæ oſſis partes, ſed totus ab adjuncto illis alimento provenit ut propterea non referat, eandem omnino duritiem, quam habet os, licet eidem quam proxime accedat. Neque vero fracturæ obnoxius deinceps fit, quia oſſe durior, ſed potius è contra, quia oſſe mollior, ſed tamen glutinoſior & compactior, uti in nodis arborum; nam quæ dura ſunt facilius franguntur, quam quæ molliora & glutinoſiora, uti cartilagines, quarum conditionem & duritiem nodus ille refert, ut proinde merito *Callus* appelletur.

De oſſium conglutinatione multa hactenus docueram in publicis lectionibus; nuper autem ad manus meas pervenit, accurata & nova Doctoris Cloptonis oſteologia Francofurti & Lipſiæ impreſſa, ibique ſimultima ſuam de oſſibus anatomen Dominicus Gagliardus Medicus Romanus edidit, qui ambo oſſium ſtructuram, veluti ex pluribus lamellis ſuperſtructis inſtructam detexerunt, & de eorundem nutritione & augmento abunde ſatis egerunt, juxta ea quæ in ſua anatome plantarum multo antea Clariſſimus Malpighius indicaverat, *pag. 19 & 20*

Quod hactenus dictum eſt de fracturis oſſium, facile etiam aptari poteſt cartilaginibus, quæ pari modo nutriuntur, & pari modo coaleſcere poſſunt, uti de oſſibus dictum eſt, ea ſolum differentia, quod, ſicut cartilago eſt mollior oſſe, & durior carne, ita alimentum, quod in ſuis poroſitatibus recipit, mediam quoque ſapit naturam, inter alimentum illius & iſtius: id autem quod partibus diſciſſis adgignatur neque tantam duritiem acquirit, quantam habent primævæ partes cartilaginis, quo fit, ut in confluxu humorum præternaturalium ad eas

partes

partes, quæ ſciſſuram paſſa ſunt, ſemper dolor percipiatur acerbior in parte illa conglutinata.

Dixit autem Hippocrates partes iſtas non coaleſcere, non quod verâ nullum coalitum admittant, cum reipſa ſæpiſſime conglutinari ſoleant, ſed quia per intermedium corpus uniuntur, non vero immediate per ſua filamenta, texturam, poroſitates, & partium apices, connectuntur, ſicut in partibus carnoſis, per fibras carneas atque propterea neque augentur eodem incremento quo reliquæ partes oſſeæ aut cartilagineæ increſcunt, quia alimentum non ſatis abundanter, neque cum ea vivacitate & efficacia ad partes infra fracturam transmittitur, quemadmodum in aliis partibus ſanis fit, ut patet.

Id ipſum inquit accidere nervis diſciſſis aut ſectis, ut neque amplius coaleſcant, neque augeantur. Verum in his diſtinguenda eſt *punctura à caſura*, nam nervi puncti non ſolum coaleſcere nunquam ſolent, ſed & convulſiones inemendabiles aſſerunt uti alias à nobis eſt dictum *in commentariis ſuper tertium artis medicæ Galeni* at vero nervi cæſi, aut omnino reſecti, nil tale patiuntur, ſed ſolum nulla ratione poterunt, cum partibus reſciſſis counıri, aut impoſterum ſuccreſcere, unde à Chirurgis communiter pejor & periculoſior, cenſetur nervorum punctura, levior vero cæſura, quin & non raro ſatius ipſis ducitur, nervum punctum omnino reſcindere & reſecare.

Quamvis autem cæſi nervi periculum non minentur, non tamen poſſunt coaleſcere & augeri, non ſolum ex præ narratis rationibus deſumptis ab alimento, ut de aliis partibus ſpermaticis dictum eſt, verum etiam quia nervi ſecundum longitudinem præter membranas habent fibras, quæ peculiari liquore perpetim irrorantur, quoties vero illi reſcinduntur, fibræ ſimiliter una ſimul reſecantur, quæ cum nequeant inpriſtinum ſtatum revocari, ut in membris reſciſſis quibuscunque accidit, propterea fit ut coaleſcere neque poſſint. Accedit quod fibræ ipſæ in reſectione inſtar fidium retrahuntur, ut neque deinceps in rectum ſitum diſponi poſſint, quo certe opus eſſet, ut cum aliis reſciſſis poſſent counıri.

Adjicit quoque in textu Hippocrates tenuem genarum partem, pro qua intelligendæ ſunt, non ſolum quæ proprie *Genæ* dicuntur, verum etiam labia, nares, palpebræ, & facies univerſa, quippe experimur vulnera, his partibus inflicta, ut quæcunque diſciſſionem vel diſcontinua-

ea ad earum claſſem ſine dubio revocandæ erunt. Memoravit autem Hippocrates illas veluti ſimpliciores, ſub quibus comprehenſas voluit, reliquas omnes, vel ex ipſis compoſitas, vel cum ipſis in natura, conſtitutione & textura convenientes.

Difficultates cæteræ quæ hac in materia adhuc moveri poſſent, legi poſſunt apud Cardanum hoc loco, & apud Chirurgiæ Profeſſores.

Aphoriſmus XX.

Si in ventrem, ſanguis præter naturam effuſus fuerit, ut ſuppuretur eſt neceſſe.

Contentum ſeu Intentio.

De ſanguinis extravaſatione.

Connexio: Cum de vulneribus partium principalium & ſolidarum, ex quibus ſanguis effundi ſolet, in Aphoriſmo decimo octavo hujus libri, egiſſet Hippocrates: In hoc præſenti Aphoriſmo agit de effuſione ſanguinis, quæ per vulnera & ſolutiones continui partium fieri aſſolet.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem & brevitatem diviſionem non patitur.

Quamvis Aphoriſmus hic communiter ab expoſitoribus receptus, & juxta verſionem Leoniceni traditur, veriſſimus in quocunque ſenſu credatur, quoniam ſanguis extra propria vaſa effuſus, ſtatim concreſcit, grumeſcit vel aceſcit, & in pus vertitur, prout paſſim experimur, in ejuſdem collectione in pectoris cavo, cum è venis aut arteriis ejuſdem pectoris & pulmonis effunditur, nihilominus re exactius perpenſa, & ad experientiam revocata, non ubique veritati conſonat, etenim ſæpiſſime etiam obſervamus ſanguinem, in inteſtinorum cavitatem effuſum, ut & in fundum ventriculi, concreſcere quidem in grumos, & coagulari, non tamen in pus verti, ſed ſub eadem ſanguinis forma compactum, & concretum evacuari etiam poſtquam

quam diu & ad plures dies fuerit detentus: quamobrem non immerito viſum eſt pleriſque de veritate iſtius Aphoriſmi aliquantulum ambigere, quinimo recentioribus quibuſdam putatur, pus non quidem ex ſanguine, ſed ex lympha & adipe proficiſci: Sed & Fuchſius aliter quoque exiſtimavit, illum eſſe exponendum, & quidem ſub generaliori ſignificatione, ut ſanguis præter naturam effuſus in quamcunque cavitatem non ſuppurationi ſtricte ſumptæ, ſed corruptioni ſubjiciatur. Hanc videndum hoc loco breviter erit, quibus in cavitatibus collectus ſanguis ſupperetur, & cum quibus conditionibus & circumſtantiis ſuppurari poſſit.

Et quidem quod pus ex ſanguine oriatur, palam eſt, juxta Doctrinam Galeni pluribus in locis, in quibus clariſſime oſtendit, ſuppurationem ſtricte ſumptam, nullatenus competere poſſe, niſi ſolum ſanguini. Cæteros autem humores per analogiam duntaxat dici poſſe ſuppurari, quatenus per corruptionem æmulantur puris naturam, ſed in pus revera minime vertuntur. Sic in Empyemate, aliquando pus expuitur verum, cum ex præcedenti ſputo ſanguinis originem duxerit, juxta documentum Hippocratis *Lib. 7. Aphoriſ. 15. à ſanguinis ſputo puris ſputum*. Aliquando vero, ſputum puri ſimile fit, ſed verum pus non eſt, cum ſcilicet ex phlegmate aut lympha ortum traxerit. Id ipſum quoque experimur in Tumoribus, nam ſi iſti fiant, ex ſanguine, & inflammationis naturam referant, verum pus cum maturuerint emittent: Secus vero ſi à cæteris humoribus fiant, ut in œdemate, meliceride, & ſimilibus, licet videantur puris conditionem referre, fortaſſe propter alborem, revera tamen purulentam materiam minime exhibent, itaque cum ſanguis extra propria vaſa effunditur bene poteſt in pus commutari, ſi tamen per fermentationem in corruptionem tendat.

Ut autem corruptioni ſubjiciatur, neceſſe eſt ut in cavitatem undequaque concluſam effundatur, in qua poſt concretionem & acorem, particulæ ejuſdem ſanguinis heterogeneæ inter ſe invicem colluctentur, & tenues ac volatiles contranitentibus craſſis, niſu quodam ſubigant, & ſubiguntur, unde in debita fermentatione, & à fermentatione tenuium particularum exolutio, & craſſarum præcipitatio, imo & totius humoris permutatio atque in pus converſio. Hinc in cavitatibus patentioribus, in quibus ejuſmodi motus fermentati-

vus, minime poteſt excitari, nec conſequenter ſuppuratio haberi poteſt, prout experimur, in inteſtinis craſſioribus & in ventriculo. Cæterùm in cerebro, pectore, renibus, glandulis, cæteriſque cavitatibus anguſtioribus & occluſis, promptiſſime ſuppuratio accidit ob traditam rationem; quinimo, quo loci fuerint anguſtiores, & ex adjuncto calore facile moventes fermentationem, eo quoque citior & facilior ſuppuratio promovebitur, qua de re ſanguis effuſus, in muſculis citius ſuppuratur, ut & in Parenchimatibus viſcerum ut experientia conſtat. Atqui pus univerſum a ſolo adipe & lympha proficiſci minime crediderim, cum ex adverſo multæ partes adipis expertes, ſuppurationi ſubjiciantur, & phtiſici penitus extenuati, ac omni adipe conſumpti, purulenti ſint.

Quamquam autem Hippocrates dixerit *in ventrem* ſeu ut mavult Fuchſius, *in cavitatem*, non tamen pro ventre & cavitate intelligendi ſunt venter imus, & medius ſcilicet Thorax, & ſecundum alios etiam caput, ſed etiam tubuli & pori omnes, in toto corpore conſtituti, ut propterea non irrationabiliter plerique Anatomici exiſtimarint, omnem muſculum & quodcunque viſcus, imo & partem quamcunque corporis, ſuos habere ventres, & cavitates, in quibus ſanguis recipi & colligi poſſit; & ſicut in ſtatu naturali ſanguis quaquaverſum diffunditur vel ut vivificet, vel, ut nutriat partes, ita in ſtatu morboſo è ſuis vaſis exiliens, ſi hæſerit, inflammationem primum, mox ſuppurationem excitat. Neque enim fieri poteſt, ut ſanguis recipi & colligi poſſit, in partibus quibuscunque niſi cavitates ſaltem inconſpicuæ, vel etiam poroſitates ibidem ſint, quæ illam excipiant, cum duo corpora in eodem loco ſimul eſſe non poſſint, ex communi ſententia Philoſophorum.

Debet inſuper ſanguis ut putreſcat, corrumpatur, & commutetur in pus, moram in cavitatibus contrahere, unde ſi fortaſſe è venis effuſus per alios ductus effluat, minime putrefiet, & è converſo etiamſi intra venas, aut in apicibus arteriarum, aliqua de cauſa præternaturali immoretur, poterit putrefactionem & ſuppurationem ſubire; qua ratione factum eſt, ut ſanguis ſit ſemper in motu, ne ſcilicet alicubi hærens concreſcat & putrefiat. Quia vero è ſuis vaſis effuſus, a continuato motu circulationis deficit, & in cavitatibus aut poris

Google

partium reſtagnat, ſtatim concreſcit & corrumpitur, excitata ibidem indebita fermentatione ut dictum.

Adjectum eſt inſuper *præter naturam*, ut fortaſſe diſcrimen ſtatueretur, inter eam effuſionem, quæ naturaliter fit è vaſis in poros partium pro nutritione quippe quæ ſenſim accidit, & non ultra partium exigentium, unde pedetentim convertitur in ſubſtantiam partium alendarum, uti & illa ſanguinis effuſio quæ menſtruatim vel aliàs ad uterum fit nec tamen corrumpitur quia non præter naturam fit. At vero quæ præter naturam fit, affatim accidit, & præter naturæ exigentiam, eo quod nec quantitas conveniens ſervetur, nec modus nec uſus naturæ operantis, ſed ſolum à cauſis præternaturalibus; tum ſanguinem depravantibus, tum vaſa ſanguifera erodentibus, unde poſtmodum ſanguis effluit.

Denique ſcriptum eſt in Aphoriſmo *neceſſe eſt ſuppurari* ſanguinem extra vaſa effuſum, ſiquidem cum nec amplius regi poſſit à natura per motum intra propria vaſa, neque ex altero capite commutari poſſit in ſubſtantiam aliti, neceſſario fiet, ut per corruptionem convertatur in pus, modis ſuperius enarratis. Sanguinis autem iſta effuſio, vel per rupturam, vel eroſionem, vel apertionem, vel exſudationem plerumque fieri aſſolet

Dices: Si omnis ſanguis extravaſatus ſuppuraretur, ergo in quovis phlegmone vel bubone deberet fieri abſceſſus, quod falſum eſt, quia plurimæ tales inflammationes reſolvuntur abſque ſuppuratione. ℞. Jam dictum fuiſſe in contextu, non omnem extravaſationem ſanguinis devenire ad ſuppurationem ſed tantum eam, quæ in parte ſeu cavitate pororum moratur & ſubſiſtit, non vero quæ primo fit, & ulterius vel natura vel arte promovetur, vel reſolvitur aut diſſipatur.

Aphoriſmus XXI.

Inſanis (ſeu inſanientibus) ſi varices vel hæmorrhoides ſupervenerint, inſaniæ ſolutio.

Con-

Contentum ſeu Intentio.
De Prognoſi deliriorum.

Connexio: Cum de ſanguinis effuſione mala & ſymptomatica ad ventrem in præcedenti Aphoriſmo egiſſet Hippocrates: In hoc præſenti Aphoriſmo de bona & critica ſanguinis motione, cum ad partes extimas ſive ſuperiores ſive inferiores in inſanientibus per varices & hæmorrhoides abſcedit, verba facit.

Hic Aphoriſmus ob magnam brevitatem & ſimplicem concluſionem non dividitur.

Quid autem pro inſanientibus intelligat Hippocrates in hoc Aphoriſmo, poteſt dubitari, & Galenus *in commentario* de iis exponit, qui melancholico delirio ſunt affecti: Verùm non ſolùm melancholicos, ſed etiam maniacos, non improbabiliter interpretabimur, attenta cauſa utriusque delirii, quæ ſemper ab humoribus acorem præſeferentibus procedit, ea ſolùm differentia, quod in melancholicis, ſtipticitatem, aut ponticam conditionem ſapit, in maniacis vero redolet acritatem.

Quoniam vero per varices aut hæmorrhoides ſupervenientes, ſignificatur humores iſtos acidos deorſum transferri & à partibus ſuperioribus removeri, propterea fit, ut inſaniæ ſolutio exinde ſit ſperanda, & ſicuti ex ſuperioribus traditis, *hæmorrhoides ſupervenientes melancholicis proſunt Aphoriſ. 11. hujus libri*, translata cauſa melancholici delirii ad venas podicis, ita in his facile etiam inſania deſinere potent, decumbentibus vitioſis humoribus ad partes corporis inferiores. Neque multum differre videntur varices ab hæmorrhoidibus, eo quod pari modo quo hæmorrhoides tument, circa podicem, illæ in cæteris partibus corporis tumorem referunt, unde varices deſcribi ſolent, venarum in aliquibus partibus corporis tumores, & ſicut hæmorrhoidales venæ tumefactæ nigreſcunt, ita quoque liveſcunt varices, à congeſto atque ſtagnante in ipſis ſanguine, propter acidum concreſcente, & ut vocant melancholico; quare hæmorrhoides recte poſſent varices podicis appellari.

Debent autem tum varices, tum hæmorrhoides ſupervenire, etenim hac ratione ſignificant, deponi vitioſum humorem, ad partes

 ipſas

ipſas tumefactas, & ubi antea acidus & vitioſus ſanguis ferebatur in caput, mox à provida Natura repurgetur, & detorbetur, ad partes corporis infernas, cum tumore venarum hæmorrhoidalium & aliarum, à tranſpoſitione ejusdem peccantis humoris. Et licet varices comparere ſoleant, in omnibus ferè corporis partibus collo, brachiis, mammis, pectore, imo ventre, femoribus, tibiis & alias, nihilominus ſemper omnino erit, ejusmodi tranſpoſitio in partes infernas, & à capite remotiores, ne ſcilicet reditus exinde timeri poſſit, è partibus inferis metaſtaſi affectis, in ſuperam inſania laborantem. Et quidem plurimi ab inſania & alia conſimili capitis ægritudine evaſiſſe viſi ſunt, vel ſaltem in melius abiiſſe apparentibus varicibus in tibiis, non tantum ſuperficiariis ſed etiam profundis; quamobrem etiam in his æſtimare eſt, remeantem ex arteriis in venas ſanguinem, omnem malitiam in varicoſis tibiis deponere, & reliquum magna ex parte repurgatum denuo, per jecur in cor circumire, unde cerebrum mitius affici cogeretur.

Verùm tamen oportebit depoſitam in his partibus inſaniæ materiam, hærentem eſſe, nam ſi forte denuo in partes ſuperas remearet, facile poſſet ex nova tranſpoſitione in cerebrum, remiſſam affectionem augere, atque in priſtinum ſtatum revocare; Quemadmodum de Alcippo idem Hippocrates memorat 5. *Epidem.* unde ſicut apparentibus varicibus aut hæmorrhoidibus inſania, vel melancholicum delirium deſinit, ita è contra iſta redirent, ſi varices vel hæmorrhoides diſparerent.

Dari autem & in internis corporis partibus varices præcipuè in pulmone, unde tab. in fieri ipſemet ſcripſit Hippocrates *Lib. 1. de morbis.*

Quemadmodum autem diximus ſupra *Aphoriſ. 12 hujus libri, antiquas hæmorrhoides, non oportere curare, quin una ſervetur aperta, ob periculum aquæ intercutis vel tabis*: Ita neque diuturnas varices curare oportet neque ulcera diuturna, quibus varix ſubminiſtrat alimenta; audi triſte exemplum, quod refert Rodericus a Fonſeca *in comment. Erat*, inquit, *ruſticus 40 annorum ſatis robuſtus, hic ulcus habebat antiquum & Eryſipelaceum, ſupra quod, ad coxam, erat ingens varix tumens quando autem ulcus ſanari non poterat, niſi ſanaretur varix, manus admota eſt varici, & factum cauterium ad genu alterum, ut ea materia ver-*

tere-

teretur ſed ondi rurſum quid ſit ſe utum, poſt tres dies in famem conſnom, incidit (melancholia, ut reor, qua od varicem vertebatur, ſurſum delata) inde in febrem acutam, poſtquam inſania correptus mortuus eſt, quatuordecim dierum ſpatio: hæc Fonſeca· Nunc adhuc audi, quid ipſe Hippocrates *citato mox Lib. 1 de morbis, & Lib. de ulceribus enarret. at ubi* (inquit) *varix ineſt in tibia, aut conſpicua, aut in carne, & tibia eſt nigra, & videtur habere opus ſanguine ab ipſa defluente; talia nequaquam pertundere oportet, plerumque enim magna ulcera, ex fiſſuris fiunt, propter varicis influxum Verum varicem ipſam, alias atque alias compungere oportet, ubi oportunum eſſe viſum fuerit*· hoc eſt bonos & utiles Naturæ motus imitando, & naturam per ſimiles, diſcretas tamen evacuationes, quando ipſamet non agit, per hirudinum ſeu ſanguiſugarum ad venas hæmorrhoidales applicationem, & venarum malleoli apertionem juvando.

Quæres: Quomodo varices ſolvant gibboſitatem uti ſcribit Hippocrates *Lib. de Articulis* 12. 1 Vix credibile eſſe, quod varices confirmatas, & antiquas gibboſitates ſolvere poſſint, ſed tantum recentes aut imminentes quarum affluxus & incrementum, humoribus a natura ad partes inferiores detruſis, partes ſuperas gibboſitati obnoxias exſiccat, & gibboſitatem præpedit.

Aphoriſmus XXII.

Ruptiones, quæ ex dorſo ad cubitum deſcendunt, venæſectio ſolvit.

Contentum ſeu Intentio.

De Venæſectione dolorum remedio.

Connexio· Cum in præcedenti Aphoriſmo dixerit, de Naturæ, per ſanguinis evacuationem· In hoc præſenti Aphoriſmo, de ea cura per ſanguinis evacuationem, quæ ab arte fit, ſermonem facit.

Hic Aphoriſmus ob ſummam brevitatem, nullam exigit diviſionem.

Sive autem ruptiones, ſive rupta ipſa, quæ in muſculoſis partibus contingunt, in præſenti Aphoriſmo legantur, non minimam afferunt difficultatem, cum fieri non poſſit, ut ruptio, vel ruptum unius partis ad aliam partem remotiorem transferatur. Propterea melius videtur legendum *dolores* non *ruptiones* ut *in commentario* rectè admonet Galenus & ipſe Hippocrates *Lib. 1 de morbis* dicit *Quibusdam fiunt diuturni dolores, & vocantur ruptiones* vel etiam melius cauſa illa, quæ dolorem attulit, quemadmodum eſſe ſolet ſanguis, ſerum, lympha aliusve humor, acredinem aut acorem redolens: & licet ruptio vel ruptum, propriè pertineat, ad diſtractionem, diſtenſionem, aut divulſionem fibrarum, membranarum, muſculorum, & partium carnoſarum, nihilominus quia cauſa diſruptionem efficiens (ſi fuerit interna) vel dolorem à diſruptione exortum excitans & fovens (ſi fuerit externa) non raro loco movetur è parte dirupta, in partem exteriorem corporis, idcirco ſub nomine diruptionis implicitè Hippocrates, voluit eſſe intelligendam cauſam, ipſam ruptionem facientem, vel conſervantem quia dolor diruptionem & partem diruptam omnino debet concomitari, qui cum fieri non poſſit, niſi ab humore diſcindente & continuum ſolvente, propterea divulſiones ipſas expreſſit Hippocrates velati dolorificas, atque ſub ſenſu cadentes, quia etiam referuntur percuſſiones, rupturæ, contuſiones; Hollerius etiam ῥύματα, id eſt, fluxiones, legere non veretur.

Si itaque contingat, ruptiones & divulſiones partium dorſi transferri in cubitum hoc eſt, humores, dolores in dorſo inferentes, ex parte ipſa divulſa dimoveri, & in cubitum deponi, argumento erit cauſam ipſam divulſionem & dolorem inferentem mobilem eſſe, atque adeo facilius poſſe evacuari, per vaſa proximiora, & magis conſentientia, qualia ſunt venæ, per quas ſanguis, ſerum, lympha aut alius humor perpetuo circumit. Atque hinc eſt cur Hippocrates hic ſcripſit, venæſectione ruptionem ipſam deſinere, quatenus per venæſectionem humor ille divulſionem & dolorem inferens, utpote mobilis, & in cubitum delapſus, facile poſſit evacuari.

Non tamen hinc quis licitè deducere poterit, in contuſionibus, luxationibus, fracturis, & cæteris divulſionibus, partium muſculoſarum, debere venam ſecari, nam præterquam quod tum duntaxat admonet Hippocrates venæſectione divulſionem ſolvi, cum humor de

parte

parte divulſa ad cubitum defertur, atque adeo mobilis eſt; neque tamen in quibusvis ruptionibus, divulſionibus & fracturis, cauſa illas efficiens interna eſt, ſed ſæpe ſæpius externa, cujus ratione ſolutio continui, manifeſta eſt, & ſanguis, aliique humores in partibus fractis aut contuſis hæret, & reſtagnat, qui propterea nulla ratione per venæſectionem evacuari poterit, ſed omnino reſolutione egebit, uſu & auxilio medicamentorum attenuantium, diſſolventium & promoventium diaphoreſim. Et licet nonnulli, in his etiam caſibus, ſanguinem mittant, id tamen agunt, non ut hærentem ibidem ſanguinem educant, & ruptionem ſolvant, ſed ſolum ut prohibeant fluxurum in partem affectam humorem, qui quo paucior fuerit in venis, eo minus in partem affectam confluere poterit. Verum an id recte etiam agatur, non eſt meum, in præſenti loco examinare.

Cæterum Hippocrates nulla facta venarum electione ſimpliciter dixit *venæſectione ruptionem ſolvi*, forte quia exiſtimavit ſanguinem undecunque evacuatum, iſtiusmodi irruptionibus conferre; niſi etiam dicere velis, implicite contineri in Aphoriſmo, venæſectionem in cubito faciendam, eo quod ex dorſo ad cubitum ruptionem deſcendere dicatur, quæ cum ex humore mobili & fluente, ad illam partem deſcendere putetur, per venas quoque eidem proximiores, atque adeo ex cubito, veriſimile ſit ſanguinem eſſe mittendum.

Difficultates plures hunc Aphoriſmum concernentes, nobis non ſupererunt aliæ, quam earum quæ in contextum oræ ſunt.

Aphoriſmus XXIII.

Si metus atque mæſtitia, longo tempore perſeverent, melancholicum eſt ſignum (ſeu ex eo atra bilis ſignificatur.)

Contentum ſeu Intentio.

De Phænomenis Melancholiæ.

Connexio: Cum ſupra in Aphoriſmo 21. hujus Libri dixiſſet, varices & hæmorrhoides curare inſaniam ſeu melancholiam aut maniam:

niam. In hoc præſenti Aphoriſmo, pariter de melancholicis mentionem facit, & docet quomodo melancholici dignoſci poſſint.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem ſuam & ſimplicem concluſionem, nullam patitur diviſionem.

Quamvis Leonicenus, ex metu & mœſtitia, longo tempore perſeverante, atram bilem ſignificari ſcripſerit, rectius tamen reliqui interpretes, non atram bilem, ſed melancholiam ex græco codice verterunt, & licet atra bilis aliquando pro melancholia exponatur, ad evitandam nihilominus æquivocationem, melius erit melancholiam, non atram bilem hic exponere. Sed & neque pro melancholia, humor melancholicus intelligendus eſt ſed potius affectio melancholica unde Cardanus & Heuratus ſcribunt *Si timor & mœſtitia longo tempore perſeverent, tale eſt melancholicum*. Et ſane inter ſymptomata, melancholicam affectionem concomitantia, præcipue recenſentur iſta duo *timor & mœſtitia* ſine cauſa manifeſta, ut late explicat Galenus 3. *de Locis affectis* Cap. 7.

Ibidem etiam reprehendit, quod in examine ſymptomatum, melancholicum delirium comitantium, iſtorum duorum non meminerit, quippe quod ab his duobus, potiſſimum quis recte dijudicabit, patientem factum eſſe melancholicum, ſi diuturna mœſtitia & panico timore laboraverit. Et licet in hoc textu ſimpliciter dicatur ex diuturnitate temporis, quo timor & mœſtitia perſeveraverit, melancholicum judicari debere patientem, quia tamen diuturna mœſtitia, ac perſeverans timor, neutiquam a manifeſtis ac externis cauſis oriri poſſunt, idcirco conditio iſta, ſine cauſa manifeſta videtur implicite contineri, in temporis diuturnitate, quo timor & mœſtitia perduraverint. Quoties enim timor & mœſtitia, ex manifeſtis cauſis cœperint, puta ex obitu parentum, aut amicorum, ex infortuniis, calamitatibus, cæteriſque hujus mundi ærumnis, tum animi, tum corporis tum denique bonorum, fortunæ, in longum tempus protrahi non ſolent, niſi tamen a cauſa interna foveantur, unde cum diu perſeveraverint, non niſi ab humore melancholico, depravante cerebri operationes, ortum ducent, ut propterea ſub particula illa *diu* hoc eſt *longo tempore* implicite quoque contineatur, id accidere non a cauſa manifeſta & externa, ſed a cauſa interna & humorali.

Quo autem pacto timor & mœſtitia ab humore melancholico &

acido

acido procedant, indeque deſignent affectionem in cerebro contractam, ſimiliter melancholicam præter ea, quæ ſuſe attulit Galenus *citat. 3. de locis affectis & 2. de ſymptom cauſis*, clare quis deducere poteſt, perveſtigata conditione ejuſdemmet humoris, ſua aciditate magnopere depravantis, internas cerebri operationes, nec non male etiam afficientis, tum motum cordis tum ſanguinis quemadmodum pluribus oſtendit præ cæteris Williſius & paſſim in practicis famoſis legitur.

Cum igitur, timor & mæſtitia, diu aliquem infeſtaverint, & ſine evidenti externa cauſa in longum tempus perduraverint, indicio erit, talem factum eſſe, melancholicum, hoc eſt delirio melancholico laborare. Verum quamvis dictum ſit, ſine cauſa evidenti & externa, melancholicos timere, & mæſtos eſſe, fieri tamen poterit, ut etiam à cauſis externis timorem & mærorem inferentibus, ſi quis melancholico delirio laboraturus; etenim ſi ex præcedente mala diſpoſitione, & habitudine corporis ad melancholicum vergentis, ex malo fortaſſis apparatu, ſuccorum acidorum, quis à nimio mærore, & à vehementi timore extrinſecus illato, incidat in tantam animi conſternationem, ut deinceps amicorum ſocietatem fugiat, ſolitudinem inquirat, cibos non aſſumat, ploret, vigilet, & aliis conſimilibus incommodis ſe ſubmittat, poterit procul dubio melancholicum delirium, progreſſu temporis incurrere, ut propterea timor & mœſtitia, quæ ſymptomata ſunt melancholicorum, fierent in iſto caſu, cauſæ ejuſmodi affectionis. Non negandum tamen, quod cum ſint ſymptomata melancholicorum, junctum melancholicum delirium atteſtantur; cum vero melancholicorum cauſæ ſunt, disjunctim una vel altera, veluti ſeparatæ paſſiones animi, melancholiam ingenerabunt, inducta nimirum in ſanguine, & cæteris liquoribus corporis diatheſi, acorem præſeferente, vel aliter hebetante motum ejuſdem & cordis, ut alibi jam eſt oſtenſum. Delirium autem etſi non ſemper in cunctis vocale ſit mentale ſaltem erit, cum ſæpe numero mente ſolum, quæ timent aut mærent, continuo recogitent ac revolvant, & mille phantaſmata ſibi ſingant.

Quamquam autem melancholicos hic ab Hippocrate notatos, cenſuerimus eſſe eos, qui ex nigro, fæculento, tartareo & acido humore melancholico laborant, quique hebetes, taciturni, ſolitarii, triſtes, & pavidi eſſe ſolent; ſi tamen melancholicus humor, non lentus,

 craſſus,

craſſus, & terreus ſit, ſed tenuis, acris, ſalino-ſulphureus, & facile inflammabilis, velut, qui cum atra bile à pleriſque confunditur, quemadmodum ex prænarrata quorundam verſione, ſuperius eſt memoratum; procul dubio neque pavorem neque mærorem præſeferet, ſed potius ingenii vivacitatem, intellectus acumen, mentis perſpicaciam, & ſpeculandi profunditatem largietur, ut in pleriſque à nativitate, melancholicis natura dictis experimur. De his namque ſcite admonet Ariſtoteles *Problem Sect 30 Probl 1* in carminibus pangendis, in republica adminiſtranda, & in ſtudiis Philoſophiæ, ſemper extitiſſe optimos, quales inter cæteros plurimos fuiſſe teſtatur Empedoclem, Socratem & Platonem; & noſtræ quoque ætati proximos, ferunt alii, ejusdem prorſus indolis fuiſſe Taſſum, Cartelium. Hinc Seneca *de tranquillitate animi*, affirmare non eſt veritus, cum Platone *fruſtra pulſari fores Poeticas abſque furore* & cum Ariſtotele, *nullum magnum ingenium ſine mixtura dementiæ eſſe*. quamobrem, *non poſſe grande aliquid & ſupra cæteros loqui, niſi motam mentem* quippe quod ab ejusmodi humore atra bilario non quidem ſpiritus pauci, hebetes, effœti, & lenti proficiſcuntur, qui ſolum circa cerebri medullam (ut in melancholicis ferreis) operantes, potius mentis confuſionem pariunt, phantaſmatum turbationem, & in judicando inertiam; ſed potius tenues, mobiles, quaqua verſum impetentes progignuntur, fere ut in maniacis & furioſis, unde poſtmodum fortis apprehenſio, vehemens & prompta exiſtimatio, acutum judicium, & profunda intelligentia exoriuntur. Atque hinc ſtupendum quidem, quod à pleriſque memoratur, hujus generis homines aliquando extitiſſe Phanaticos, & veluti ecſtaſi abreptos, non tantum exotico idiomate, quod nunquam didicerant, fuiſſe locutos, ſed & futura ferme vaticinatos; forte quia ex intenſa & profunda, nimis in ſeipſis meditatione, ab externis objectis penitus abſtracti, nullamque in mente aliorum phantaſmatum turbationem paſſi, usque ad ultimas rerum differentias, per rectam mediorum continuationem rei præconceptæ, & concupitæ, votum & finem ſunt tandem aſſecuti. *Hinc efficitur porro* (concludit Ariſtoteles ibidem) *ut melancholici omnes, non per morbum, ſed per naturam, ſint ingenio ſingulari* per naturam quidem nam ſi præternaturam atra bilarii humores corporibus ingenerentur, exitiales morbos pariunt. Verum de hac relegantur præ cæteris *Valeſcus de ſac. Philoſop Cap 30, Caſſarus*

à Bejar

à Rejes campo Elyſiar. jucund. quæſt. 27. Sennertus Lib. 1. Prax. pag. 2. cap. 15. quæſt. 1. Marcellus Donat. de hiſtor. med. mirab. Lib. 2 cap. 1. & alii.

Dices: Aliquis timens inimicum per longum tempus habebit metum & mœſtitiam, & tamen non erit melancholicus. ℞. Propter hoc addunt (ut in contextu diximus) interpretes intelligendum eſſe ſine cauſa manifeſta, vel ſic intelligendum, ut quocunque modo metus & mœſtitia durent eſſe melancholica.

Aphoriſmus XXIV.

Si quod gracile inteſtinum perſectum ſit, non coaleſcit.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi vulnerum inteſtinalium in ſpecie.

C*Onnexio*: Contentum hujus Aphoriſmi, ab eodem Hippocrate expoſitum jam nunc eſt Aph. 18, & 19. ea ſolum differentia, quod ibi gracilia inteſtina, cum aliis partibus connumerata recenſita ſint: hic vero ſejunctim ab aliis, gracilia ſolum inteſtina nempe duodenum, jejunum & ileon, non coaleſcere referuntur, ſi fortaſſe diſciſſa ſint, forſitan quia vulnera inteſtinorum tenuium magis lethalia eſſe ſoleant quam craſſorum, partim quod nervoſa valde & magis venis plena ſint, partim quod vulnerata faciliime inflammationem & paſſionem iliacam concipiant, atque omnes propterea eorundem affectiones graviores ſint quam craſſorum, ac proinde difficilis ſunt conſolidationis, ubi diſſecta (potiſſimum autem per transverſum) fuerint. Mirum tamen videri debet qua ratione Hippocrates hunc Aphoriſmum hic repetere voluerit, quod ipſum ſuperfluum viſum eſt, multis expoſitoribus, uti & ipſi Galeno *in Commentario* & Cardano, & pluribus aliis, qui non tantum illum explicare non ſunt aggreſſi, ſed neq; in Aphoriſmorum ſerie auſi ſunt connumerare, cum illum inter Aphoriſmos adſcribere non curaverint. Quoniam ergo ratio iſtius dicti, in expoſitione illius Aphoriſmi 18, & 19. enarrata eſt, ad eoſdem propterea benevolem lectorem remittimus.

Aphoriſmus XXV.

Eryſipelas foris intro converti malum: Intus vero foras, bonum.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi Eryſipelatis.

Connexio: Hic Aphoriſmus, quomodo cum ſuperioribus connecti poſſit non adeo facile videtur, niſi quis illum velit affinem reddere *Aphoriſmo 21.* in quo egit de varicibus & hæmorrhoidibus ſupervenientibus.

Hic Aphoriſmus commode in duas partes dividi poteſt & quidem contrarias, quarum *Prima* malum dicit converti eryſipelas intro: *Secunda* vero bonum, ſi convertatur ab intro ad extra.

Cum eryſipelas fieri communiter dicatur, à tenuiori & acriori ſanguinis portione, quam bilioſam veteres appellarunt, & hæc facile mobilis ſit & de loco in locū excurrens, conſiderans ea propter, motum illius in hoc Aphor Hippocrates inquit ab exterioribus partibus, ad interiores verti malum eſſe, contra vero bonum, ab interioribus ad exteriores. Id ipſum ſcribitur *in Coacis prænotionibus*, ſub his verbis. *Eryſipelas foris quidem accedere commodum eſt intro autem converti lethale convertitur autem intro cum diſparente rubore, pectus gravatur & difficilem ſpirationem habet*: ubi de eryſipelate pectus occupante peculiariter meminit.

Neque ſolum quis credat, locutum hic Hippocratem de eryſipelate ſuperficie tenus apparente, atque adeo extimam corporis cutim divexante, ſed etiam de eryſipelate, in interioribus partibus enato, ſiquidem qua ratione eryſipelas extrinſecus fit, eadem fieri ſolet intrinſecus & in intimis viſceribus corporis, quæ (ut experientia ſæpius docuit) nulla ab hac affectione immunia eſſe non ſolent, quare & meninges cerebri, & pulmones & jecur, & ſeptum transverſum, & uterus eryſipelate affecta ſæpe obſervata ſunt; ut propterea ſicut in inflamma-

mationibus, aliiſque tumoribus interna viſcera obnoxia ſunt, ita etiam poſſint Eryſipelate laborare, unde Hippocrates *5. Aphoriſ. 43. ſi in utero fiat Eryſipelas lethale*, his verbis denuntians bene poſſe uterum Eryſipelate affici.

Si ergo Eryſipelas internis genitum, ad externas partes vertatur, bonum erit, quippe quod melius ſemper cenſendum eſt interiora viſcera a morbis vindicata remanere, etiamſi externæ partes afficiantur. Contra vero gravius omnino erit, & non ſine gravi vitæ periculo, Eryſipelas intro verti, male affectis internis viſceribus, velutiad vitæ nutritionem, non amplius facientibus, cum & ſanguis, qui per illa perpetuo circumit, facillime inficiatur, & infectus, cæteras quoque partes, præſertim cor brevi temporis ſpatio valeat contaminare. Accedit quod humor Eryſipelas efficiens, vel conſervans, pejoris ſemper erit conditionis, cum introvertitur, & præter tenuitatem, & acredinem, acidam, ponticam & malignam naturam participabit. Si enim tenuis ſolum foret & volatilis, procul dubio ſponte ſua reſolveretur, & ex habitu corporis neutiquam denuo internas partes pervaderet, ubi ſimul deflagraſſet.

Eſt tamen advertendum, quod ejusmodi introverſiones Eryſipelatis, citra quamcumque occaſionem, aut cauſam externam debent evenire, etenim ſi fortaſſe ex ambiente frigido, ex lotionibus aquæ gelidæ, aut etiam ex applicationibus medicamentorum refrigerantium & repellentium, vel etiam incraſſantium, & obſtruentium poros cutis, Eryſipelas ab extimis ad intima vergeret, & ſi malum quoque foret, quia tamen non ex defectu naturæ, neque ex vitio peccantis humoris id eveniret, minus profecto malum foret, & facilius poſſet, introverſum Eryſipelas extra verti, quod ſecus accidet, ſi ſponte ſua, ab interna cauſa introverteretur.

Sed & præterea animadvertendum, tunc ſolum bonum eſſe Eryſipelas extra verſum, cum per ejusmodi extraverſionem, liberantur partes internæ; ſecus vero, ſi partibus internis, nullatenus vindicatis, nec ab Eryſipelate liberatis, iſtud ad partes externas vergeret, quemadmodum fieri ſolet, cum propter multitudinem & malitiam vitioſorum humorum, non ſatis ſunt partes internæ, ſed etiam externæ, coguntur ſuper abundantes illos humores excipere; conjiciet autem prudens medicus, bonam fore iſtiusmodi extraverſionem, cum ſe-

febris, ſitis, ardor, inquietudo & cætera ſymptomata, quæ cum Eryſipelate conjunguntur, omnino deſinunt, vel magna ex parte ſaltem remittuntur, at vero ſi iiſdem perſeverantibus, nec ulla ratione intermiſſis, Eryſipelas extra vergere videatur, peſſimum indicium erit, denuntians præ multitudine & pravitate peccantium humorum, non tantum partes internas, ſed etiam externas affici & coinquinari.

Quod Hippocrates hic de Eryſipelate duntaxat commemoravit, recte admonet Galenus *in commentar.* aptari quoque poſſe cæteris omnibus translationibus, tumoribus, abſceſſibus, puſtulis & e partibus internis ad externas, ut alibi quoque de Angina *4. Aphoriſ 34 & 35. & in coacis prædictionibus; & infra hoc lib. Aph. 37.* recenſuit; ſemper enim ac tumor, vel quodcunque aliud præternaturam, è partibus intimis & profundis corporis, ad extimas & ſuperficiaria vergit, bonum erit. Quando etiam motus humorum habiti, a partibus intimis ad intimas, vel etiam ab extimis ad extimas, boni vel mali eſſe poterunt, attenta partium conditione & natura, unde ſi a partibus intimis ſed præſtantibus, ad partes internas ſed ignobiles, humores deferantur, bonum erit; contra vero a partibus ignobilibus, ad nobiles malum, ut dictum eſt ſupra *lib. Aphoriſ. 10. quibus ex angina liberatis ad pulmonem mali fit converſio moriuntur aut purulenti fiunt.* Ita quoque ſi pravus humor, aut etiam Eryſipelas, è partibus infernis ad ſupernas, ex brachiis aut cruribus ad pectus aut caput deferatur malum. Itaq; in unaquaq; humoris motione conſideranda eſt partis præſtantia, robur naturæ, integra depoſitio aut tranſmiſſio termini à quo ad quem, ſpatium ſeu medium per quod translatio illa fit, conferentia, tolerantia, & humoris commoti, quantitas, qualitas, & permanentia in parte, ad quam tranſmiſſio facta eſt.

Denique pro Praxi notandum, perperam ex hoc Aphoriſmo illos agere qui ad reprimendum ardorem & ruborem partium Eryſipelate affectarum conſulunt infrigidantia medicamenta, aut etiam oleoſa; nullatenus advertentes, facile ab illis reprimi & cohiberi, motum naturæ, propellentis ad cutim, ut propterea ſubſequi ſubinde ſoleat, vel intro pulſio Eryſipelatis ad partes internas & principaliores vel ejuſdem ſuppuratio, cum tamen utrumque malum ſit. Satius ideo erit, extrinſecus admovere medicamenta, quæ motum ipſum ad exteriora promoveant, & cutis poros patentiores reddunt,

ut

ut hac ratione facilius vitioſi humores attenuentur & reſolvantur: In quem finem conſulto ſolent plerique partes Eryſipelate affectas, ſæpius madefacere, ſpiritu vini camphorato, ſicuti etiam ſpiritu ſalis ammoniaci correcto, & ſimilibus quæ in noſtra Praxi ad ſelectionem in copia propoſita ſunt. Quod ſi hæc dicta admovere formido ſit, juvabit partes ipſas ab ambiente frigido linteis tueri, atque intrinſecus adhibere ea, quæ ſimul corrigant, & diaphoreſin promoveant, atque ex his quæ mitiora videbuntur, uti eſt pulvis Viperarum, Cornu Cervi præparatum, ſanguis hirci, oculi Cancri ſal cardui benedicti & alia inſuita in Praxi noſtra conſignata: Referuntur quoque nonnulla extrinſecus admovenda Eryſipelati ſpecifica ut ſanguis leporinus menſe Martio recens extractus & linteo imbutus & appoſitus, ſanguis caudæ felis, Pannus Crocatus lapis medicamentoſus. Verum iſta omnia potius retundendo acidum quod in Eryſipelate vigere ſolet, quam ſympathia, ut veteres crediderunt conferre putantur.

Dices: Si materia ſuapte natura, intus vergat ad alvum, non melius eſt quam ſi ad cutim vergat. ℞. Raro id fieri ſolet, quin imo & quando fit, licet melior ſit evacuatio, quæ fit per fluxum, quam per abſceſſum, tutior tamen eſt, cum natura ſemel ad cutim tranſmit it, in eo permanere motu, quam ad interna vergere, cum id per magnas fiat anguſtias.

Dices II. Ergo etiam periculoſiſſimum erit, mittere ſanguinem, trahetur enim materia à ſuperficie corporis ad intima ℞. Cardanus ſanguinem quidem hoc modo aliqualiter refrigerati, ſed tamen non ad interiora trahitur: Quod ſi tamen (inquit ille) quis velit ſecuriſſime pro vita agere, utatur pluribus cucurbitulis magnis.

Quæres ergo, utrum in Eryſipelate, nec purgatio nec venæ ſectio locum habeat? cum utraque trahat ad intra. ℞. Tutius imo ſecuriſſimum eſt utramque in Eryſipelate omittere, quod ſi tamen copia bilis, aut ſanguinis orgaſinus potenter urgeat, leviſſimum Eccoproticum dari poſſe, & ſanguinis leviſſimam ventilationem facere, non eſt quo quis vereatur; Id tamen non eſſe faciendum in omni Eryſipelate, neque abſque omni cautela & circum ſpectione, non negligendo penes ea quæ ab intro ad extra pellunt.

Apho-

Aphoriſmus XXVI.

Quibus in febribus ardentibus tremores fiunt, his delirium ſolvit (vel delirio ſolvuntur.)

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi Tremorum in febribus.

C*Onnexio*: Cum in præcedenti Aphoriſmo Hippocrates egiſſet de motu Eryſipelatis, ab extra ad intra & è contra: In hoc præſenti Aphoriſmo, agit de tremoribus, qui æque motus eſt non naturalis.

Hic Aphoriſmus ob ſummam brevitatem & ſimplicem concluſionem non dividitur.

In expoſitione hujus Aphoriſmi non conveniunt interpretes, cum enim hanc ſententiam, non levibus difficultatibus implexam viderint, ideo non fuerunt concordes, ut in commodum ſenſum illam revocarent. Et quidem qua ratione contingat, ut in ardentibus febribus, tumores fiant, tam ab illis diſparati? unde Braſſavolus pro Tremoribus, rigores appoſuit, quoniam rigor, ardenter febricitantibus ſupervenire ſolet: Inſuper quomodo fieri poſſit, ut deliria ſolvantur, ſive febres, ſive tremores, cum delirium febribus ardentibus ſuperveniens, illarum malitiam augeat, non minuat; hinc nonnulli volunt legendum, tremore ſolvi febrem ardentem, non delirium, putant alii non debere ſcribi, *delirio ſolvuntur*, ut habet lectio Leoniceni, ſed potius *delirium ſuccedit*, ut exponit Fuchſius, exiſtimans ex tremore, ardenti febre ſuperveniente, ſuccedere delirium, ſenſu penitus oppoſito: Quin & Heurnius delirio quidem illos ſolvi ait, ſed in mortem deſinentes, quippe qui ex tremore delirantes, reſoluti pereant: Quamobrem Cardanus, tam acriter invehitur in Galenum, & alios commentatores, ut ſe coactum dicat, cum inſanientibus inſanire.

Ne autem de veritate iſtius Aphoriſmi, deque vulgata illius ver-

ſione

ſione dubium ullum emergat, eandem ſententiam recolligere, ad verbum nobis liceat, ex *lib. de judicatione, & de coacis prænotionibus*; unde hic Aphoriſmus eſt erutus: Quoniam igitur, in utriſque his locis, de tremoribus, non rigoribus delirio ſolutis ſermo ſit, ambigere propterea nulla ratione licebit de vulgata verſione, adeoque non eſſe pervertendam ſententiam hanc ut reliqui interpretes voluerunt, ideirco ſenſus erit, ardenter febricitantibus, ſupervenientes, delirio facillime ſolvi, ſive ad ſalutem ſive ad mortem, quamobrem verbum illud *ſolvi*, non erit referendum ad febres, ſed ad tremores, ut ſcilicet tremores ipſi ſupervenientes febribus ardentibus deſinant, in delirium, ſitque delirium ipſum judicatio tremorum, licet ex febre ardente & ex delirio eidem ſuperveniente æger facile ſit periturus, niſi opportunis & convenientib' medicamentis illi occurratur.

Sed & fieri poteſt, ut per delirium ac febrem promptius extenuentur & diſſolvantur humores, nervorum fibras vellicantes, adeo ut ſimul una ab utriſque æger evadat, juxta quem ſenſum Celſus hanc ſententiam vertit *lib. 2 cap. 8 cui calor & tremor eſt, ſaluti delirium eſt*.

Quoniam vero tremores hic memorantur ſupervenientes febribus ardentibus, dubitari non incongrue poteſt, quomodo illi ardenter febricitantibus contingere queant? præſertim quia Galenus *Lib. 2 de ſymptomat. cauſis cap. 3.* Tremorem ait eſſe motum, compoſitum ex facultate debili, conante ſurſum attollere membrum, & ex gravitate ejuſdem membri deorſum tendente, unde tremor exurgit, quia ex una parte membrum gravat, ex altera facultas debilis ſuſtinere illud non poteſt, prout exempla extant in ſenibus, & morituris, qui propter virium imbecillitatem tremoribus corripiuntur: Id ipſum experiri eſt in puellis, pondus aliquod elevare conantibus, qui cum tanta virtute non polleant, ut illud attollere valeant, tremere ſolent: Sic etiam bajuli ingentiora pondera ferre cum non poſſunt, ſub illis toto corpore contremiſcunt.

Verum qui conſideraverit, iraſcentes adhuc juvenes, quandoque magno, & impetuoſo tremore affici, & quo fortiores illi fuerint, eo etiam impenſius tremere, cum tamen in illis nulla improportio fingi poteſt, inter facultatem attollentem, & membra deprimentia: Et ex adverſo, repentino timore perculſos, vehementer

quoque tremere; Itemque maniacos phreneticos, alioſque citra ullum partium languorem contremiſcere ſolere, non irrationabiliter de cauſa tremoris ambiget, quam Galenus attulit, ut alibi quoque demonſtravimus in Praxi: quamobrem non immerito Cardanus *in comment. iſtius Aphoriſmi* duo genera tremorum diſtinguere non eſt veritus, atque unum fieri, inquit, ab imbecillitate Facultatis, ut in Senibus, & pondere gravatis; alterum fieri cum magno impetu, ex depravatione motricis Facultatis, non tamen debilitatæ, quemadmodum in convulſionibus ex irritamento vaporum, aut acrium humorum itemque in Palpitatione & ſimilibus morbis.

Contingent autem tremores in febribus ardentibus, ex illapſu humorum acrium aut vaporum è cerebro in nervos, & nervorum tunicas, quæ proritatæ, ut à ſe ipſis expellant, infenſos iſtiuſmodi vapores aut humores tremorem excitant. Quod ſi huic tremori delirium ſuperveniat, quia recurrentibus humoribus, aut vaporibus ad cerebrum, deſinunt punctiones illæ nervis illatæ, proinde fit ut tremores delirio ſolvantur, quamquam in pejus ruat æger, nam longe pejus eſt delirare quam tremere: Cæterum qui ajunt, febres exinde ſolvi, non tremores longe lateque falluntur, tum quia illud verbum ſolvuntur, ex contextu verborum nullatenus referri poteſt ad febres, tum etiam quia nemo ſanæ mentis concipere poterit, ſolvi febres ardentes à delirio ſuperveniente, cujus cauſa potius illæ increbeſcunt, & multoties in mortem deſinunt. Atqui fieri ſolum poteſt, ut humores in cerebrum recurrentes & excitantes delirium, tenues admodum ſint & facile reſolubiles, qui propterea prompte evaneſcentes & febri & delirio finem faciant.

Animadvertendum autem pro coronide eſt, delirium, convulſionem, & tremorem eſſe ſibi valde affines; ideoque phrenitidem antecedere & ſubſequi ſolet tremor: & tremor ſequens phrenitidem valde malus eſt, unde Hippocrates ſcribit, phreniticas vehementes affectiones tremulas detinere. Cæterum convulſio quoque cum delirio & tremore, adeo ut mox dictum, affinis eſt, ut raro ſine illis accidat, vel præſens vel ſubſequens, Sunt enim omnia iſta ſua ſymptomata ad cerebrum pertinentia & nervos: Nam tremor fit, cum pravus vapor pungit radicem nervorum: At ſi ibi firmetur, fa-

cit

eſt convulſionem ; delirium autem , cum ad cerebri meditullium vergit.

Dices I. Si phrenetici tremuli ſunt ex Hippocrate aut in tremorem deſinunt , Ergo delirium non ſolvit tremorem. ℞. Non prohibere eſſe delirium , cum tremore debili , non autem cum forti.

Dices II. Cur ergo non ſit loco tremoris convulſio, & in quo hæc duo differunt. ℞. Quod in tremore materia, omnino truditur ad nervos extra cerebrum, in convulſione vapor ille pravus manet in cerebro, ideo eſt ſolum conatus protrudendi vapores, non effectus, ſed & ob id tremores, ſi qui citra rigorem fiunt, convulſionis periculum denuntiant.

Quæres : Utrum ergo tremor hic memoratus ſit lethalis ? ℞. Si contingat in principio vehementis & maligni morbi veluti Pythoni apud Hippocratem accidit, quod ſic. Ita etiam ſi ſub finem aut declinante morbo fiat malus eſt, Secus vero, ſi fiat in ſtatu, dum criſis inſtat, vel etiam quando fiunt , reduplicationes, fiunt etiam tremores minus periculum habentes.

Plures qui deſiderat ſuper hoc Aphoriſmo motas controverſias, legat Cardanum hoc loco, qui non modo in alios, ſed potiſſimum in Galenum, mirandis contumeliis, invehitur.

Aphoriſmus XXVII.

Quicunque Empyi (ſeu ſupperati) aut hydropici (ſeu aquam intercutem patientes) uruntur, aut ſecantur, ſi pus aut aqua, univerſim effluxerit , omnino (ſeu omnes) moriuntur.

Contentum ſeu Intentio.

De Cautelis Paracentheſeos.

Connexio: Cum Hippocrates hactenus prioribus Aphoriſmis , de evacuationibus, & operibus quæ à natura fiunt, dixiſſet ; Nunc de

de illis operationibus quæ ab arte fiunt, nempe de uſtione & ſectione, in Empyemate ſeu Empyicis ſeu ſuppuratis, & Hydrope, ſermonem facit.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non eget diviſione, licet de duobus graviſſimis & differentibus morbis agat, uterque tamen difficilis utpote ſanationis, in unum exemplum adducitur.

Pro ſuppuratis intelliguntur Empyematici, qui nimirum puris collectionem, in cavo thoracis ſubeunt. Hi autem cum multoties nequeant, univerſam puris quantitatem per tuſſim egerere, ne ſuffocati perirent, ſolebant veteres ſectione, aut etiam uſtione, inter quintam & ſextam coſtam inita, purulentam illam materiam evacuare, quemadmodum tempore Hippocratis, in frequenti uſu erat, quod & idem Author manifeſte docet, *Lib. de interius affectionibus*, & confirmat Celſus, Ægineta & alii, non tantum ex veterioribus, verum etiam ex recentioribus medicis. Idem quoque ſolitum peragi in Hydropicis & aſciticis, adverti etiam Hippocrates, *Lib. de locis in homine*, & præcitatus Ægineta hujus operationis modum tradit *lib. 6. cap. 56.* Nec deſunt inter recentiores, qui ſumma diligentia & felici ſucceſſu, peractum in aliquibus Paracentheſim fateantur, educta ſenſim aqua, in abdomine collecta.

De his ergo inquit hoc loco Hippocrates, peculiarem cautionem habendam eſſe, ne pus vel aqua confertim effluat, ſicuti etiam in præcitatis locis conſulit. Si enim univerſum pus, & tota aqua ex illis educatur, mortem ſubinde eventuram præſagit, unde licet in prædictis locis cum cætera præſidia non profecerint, ad educendum pus, ab Empyematicis, & ad evacuandam aquam ex aſciticis, ſectionem vel uſtionem commendet, illam tamen non univerſim, totamque ſimul educendam admonet, alias illa affatim exeunte, mors præſto erit, ut ſæpius in praxi obſervatum eſt in aſciticis, qui licet ab exitu aquæ viſi fuerint, per aliquot horas, in priſtinum ſalutis ſtatum reſtituti, mox tamen repente venter intumuit, & paulo poſt perierunt.

At qua de cauſa, ex ſubita tum puris tum aquæ inter cutem evacuatione, mors certo immineat? Eraſiſtratus ut refert Galenus *in Commentario* dicebat ſe experientia compertum habuiſſe, univerſam era-

evacuationem, febres ac mortem afferre; verum unde id accideret, non memorat, cum tamen aliud quid diverſum ſit, inter evacuationem affatim factam ſtatim a principio, & eam, quæ in confirmato empyemate, & hydrope evenit, ſiquidem ſemper robuſtiores erunt vires inter initia, quam ſint diuturno poſt tempore, ab inveterato hydrope aut empyemate. Sed & magna quoque differentia eſt, inter ſectionem & uſtionem, unde uſtionem non niſi volunt in pectore faciendam; ſectionem vero in imo ventre. At Hippocrates varius in hac eadem re videtur, nam *2 de morbis* ſecandum, non urendum in empyicis ait, & in aqua intercute urit, non ſecat, *Lib. de internis affect. & 6. Epidem. Hydropicos*, inquit, *citius ſecare oportet, tabeſcentes vero ſtatim urere*, at vero *Lib. 3. de morbis*, agens de ſuppuratis, ſectionem aut uſtionem ſimul commendat, quamvis Galenus *in Commentario*, uſtione dicat egere eos, qui plurimum habent pus, quod per ſputum nequeat expurgari; eos vero qui aquam intercutem patiuntur, ſectione potius quam uſtione. Verum quocunque pacto pus vel aqua confertim egeratur, periculoſa ſemper erit evacuatio, cujus cauſam refert idem Galenus in ſuppuratis ad ſpirituum immodicam exolutionem, quæ ſimul cum puris evacuatione, inevitabiliter accidit, ob vaſorum reſerationem, quæ antea à pure & puris acredine continebantur occluſa; in hydropicis vero non modo ob cauſam mox enarratam, ſed etiam ob ſubitam viſcerum duriciem, quia ſubducta aqua, non amplius irrorantur, ſed areſiunt, unde diaphragma deorſum trahitur, cum reliquis viſceribus, quæ in thorace ſunt. At crediderim ego potius, mortem iis accidere, quia per ſubitam & immodicam, tam puris, quam aquæ intercutis evacuationem, vires concidunt, & viſcera labefactantur, tum quia nulla immodica evacuatio, etiamſi pravorum humorum ſit, tolerari poteſt; tum quia partes illæ manitæ, aliquo alio corpore, aut etiam aere repente impleri ſolent, quod ad vitam ſuſtinendam ineidoneum omnino erit, tum etiam quia partes iſtas inanitas, humores, qui in venis & arteriis continebantur, ſine ulla remora confluunt, unde vaſa quæcunque corporis fere inaniuntur, ita ut ſanguinis circulationem & lymphæ, penitus interrumpant, quemadmodum præſertim in hydropicis ſæpe ſæpius eſt obſervatum, in quibus paulo poſt aquæ extractionem, ex abdomine, lympha quæ ſupererat, in vaſis lymphaticis, brevi temporis ſpatio, tota prorupit, in abdomen inanitum. Accedit,

dit, quod in his totus fere ſanguis, vertitur in ſerum acre, ſimul & ſalſum; & in empyicis, à pure in pectore collecto, ſanguis pariter inficitur, tanta acredine muriatica ut plus juſto diſſolutus, fluctuet in venis & arteriis; unde per immodicam & ſubitam utriusque evacuationem, commotione majori in toto ſanguine, & in viſceribus corporis, inducta, pauci iſti ſpiritus, qui ſupererant, ſuffocantur, extinguuntur vel diſſipantur.

Animadvertendum adhuc eſt, quod cum ſectio & uſtio, ſint remedia extrema in medicina, juxta Hippocratem *Lib 8. Aph 6 quæcunque non ſanant medicamenta, ea ferrum ſanat, quæ ferrum non ſanat, ea ignis ſanat; quæ ignis non ſanat, ea incurabilia judicare oportet* proinde Medicus debet prius, experiri alia medicamenta, & ſi his morbus non cedat, ad illa tandem venire Ea autem remedia, quæ & empyicis & hydropicis, prodeſſe ſoleant ex praxi deſumenda ſunt.

Cæterum exemplo puris empyicorum, & aquæ hydropicorum, Hippocrates docet, etiam in reliquis magnis abſceſſibus & tumoribus, non eſſe totam materiam, una vice educendam, ex rationibus jam abunde datis; quod etiam in reliquis naturalibus dejectionibus, ſive alvi, ſive urinæ, & multo magis ſanguinis, experientia comprobatur.

Quæres Cum dupliciter contingat empyicis pus habere in thorace, vel cum eſt in vomica, vel cum rumpitur, ſeu in cavitatem thoracis excidit, quid in uno aut altero caſu faciendum? ℞ Plerumque in priori caſu habita cognitione ſitus vomicæ, fieri cruſtoſam uſtionem; in poſteriori caſu penetrantem uſtionem vel ſectionem ſemper tamen ut in contextu monitum, vires ægri ſunt attendendæ, & pus non plus ultra emittendum, ne ſub ipſa operatione æger moriatur nam ſicut ubi eſt ſumma annonæ caritas, & rerum inopia, homines facilius tolerant vitioſum victum, quam totalem inediam, ita Natura ſæpe facilius tolerat vitium, quam inopiam, hinc meliori parte vitioſorum humorum per delectum fruitur, & ideo tam graviter patitur ut dictum, affatim tales etiam vitioſos humores evacuari. Et quemadmodum etiam Lib. 2. Aph. 36 dictum, *ſana habentes corpora pharmacis purgati* (puta affatim evacuati) *facile exolvuntur, uti & qui pravo utuntur cibo*, ſeu ſucco, ita maxime exolvuntur ii, qui peſſimo ſucco utuntur, & neque

que corporis ſalubritate fruuntur; ideo mirum non eſt, quod ejuſmodi ægri tantam evacuationem ferre non poſſint.

Plures & ad hunc Aphoriſmum facientes controverſias ſi quis legere deſideret legat Cardanum *in Commentario hujus*.

Aphoriſmus XXVIII.

Eunuchi podagra non laborant, nec calui fiunt.

Contentum ſeu Intentio.

De Arthritide & Calvitie Eunuchorum.

Connexio: Cum ſupra Aphoriſmo 11. & 21. hujus Libri Hippocrates de hæmorrhoidibus agens, multa mala tollere dixiſſet, nempe melancholiam, inſaniam, nephritidem: In hoc præſenti Aphoriſmo, de ſexu oſtendit, quantum faciat ad evitanda podagram & calvitiem. Hic Aphoriſmus ſub ſummam brevitatem diviſionem non patitur.

Quantumvis tempore Hippocratis, perpetuo verum obſervaretur eunuchos, quibus ſcilicet virilia exempta forent, podagra non laborare; quia tamen noſtra ætate, plurimi adhuc obſervantur podagra affecti, non defuerunt qui Hippocratem falſitatis in hoc Aphoriſmo arguerent; quod ſi vero ſententiam hanc inter Aphoriſmos retulerit, veritati non conſentientem. Verum etſi hoc verum ſit quia nihilominus rariſſime accidit eunuchos, proprie tales, podagra laborare, illaque non niſi in ultima ſenectute; idcirco non erit, cur Hippocratem inculpemus, quandoquidem ut alias notavimus, ea potiſſimum Hippocrates litteris tradidit, quæ vidit & frequentius evenire comperiit.

Ratio autem cur eunuchi Hippocratis tempore, non tam facile podagra afficerentur, triplex ab Autoribus recenſetur, ut præ cæteris memorat Fuchſius hoc loco: *Primo* quod non omnino eo tempore otioſi forent, cum mos fuerit apud veteres, mulierum famulatui eunuchos adſcribere, quamobrem ſeroſa illa excrementa, quæ in illorum

rum corporibus copulabantur, bene poterant exercitiis, imo etiam laboribus ſive ſenſibiliter ſive inſenſibiliter diſſolvi. *Secundo* quia ad coitum impotentes erant, quo plerumque imbecilliora reddi ſolent corpora & potiſſimum in articulis; *Tertio* quia moderata illis victus ratio erat, unde pauca, vel nulla excrementa cumulari poterant. Num vero cum hæc omnia, non tam exacte ab iisdem ſervari ſoleant, nullum non eſt, ſi nonnulli inter eos podagra afficiantur. Neque ſolum eunuchi, ut hic memorat Hippocrates a podagra immunes erant, vetuſta illa ætate, ſed ut advertit *in commentario* Galenus, nec reliqui omnes tam facile illa corripiebantur: *ætate quidem Hippocratis*, inquit hoc loco Galenus, *pauci podagra laborabant, propter vitæ moderationem; noſtris vero temporibus, uſque adeo auctis edulis, ut nihil iis addi poſſe videatur, infinita eſt podagricorum multitudo, cum nonnulli ſint, qui nihil exerceantur, & cruditatibus atque ebrietatibus offendantur, & ante cibum aſſumptum, bibant vina potentia, ac venere utantur immoderatius, nonnulli vero etſi non his omnibus, in uno ſaltem aut duobus ex iis, quæ dicta ſunt delinquunt.* Et paulo infra ſubdit: *Accedit & ad has cauſas, ob quas plerique incidunt in podagras, quod multi & patres & avos habuere podagricos in quibus ſemen erat vitiatum, atque ideo poſteris vehementiorem fecerunt partium imbecillitatem* unde Poeta:

Naſcitur ex venere & baccho ſolventibus artus
Filia, quæ perdit membra podagra virum.

Quoniam vero eunuchi in his non raro delinquere ſolent, poterunt podagra quam maxime corripi, quamvis nullum habeant uſum venereorum, *talis enim* (ut obſervat ibidem Galenus) *eſt illorum deſidia, inſatiabilitas, & ebrietas, quod etiam ſine venere podagra corripi poſſunt.*

Eſt tamen advertendum quod eunuchorum alii ſint, qui caſtrati dicuntur, alii ſpadones, alii thlaſiæ, aut etiam thladiæ, & alii thlibiæ appellati: *Caſtrati* dicuntur, quibus ante pubertatem, non ſolum teſtes, ſed etiam virile membrum exſectum eſt, ut apud Turcas fieri conſuevit, vel tales quibus ſolum exempti teſticuli ut apud nos curandæ herniæ cauſa; vel etiam tales ſunt, qui ſine teſtibus progeniti, vel ab ipſo primo ortu exſecti nil virile habent ex Luciano, atque hi propriæ eunuchi appellantur. *Thlaſiæ & Thladiæ* ſunt, quibus teſtes ſolummodo in prima ætate fracti fuere. *Thlibiæ* vero qui attritos habent teſtes, prout fit in juvencis, ut in opera campeſtria facilius ducantur *Spadones*

dones denique ſunt illi, quibus meatus pudendorum, per quos vel materia ſeminis, vel ſemen emittitur, propter impedimentum aliquod, fortaſſe in ipſa eorundem conformatione, anguſti vel obſtructi ſunt, adeoque fit, vel ut ſemen nullum fiat, vel inefficax, & minime prolificum, vel etiam quod extra vaſa ejaculari non poſſit; quamobrem ex iſtis nonnulli ſunt, qui nequeunt generare, non quod ſemen fœcundum minime gignant, ſed quod propter aliquod impedimentum ſemen effundere nequeant, eo quod in ſuis cavitatibus, aut flexuris hæreat, quemadmodum ex multis colligit Fuchſius *in commentar iſtius Aphoriſmi*: Sed & alii licet ſemen emittant, infœcundum tamen illud eſt. Spadonibus quoque adnumerantur ex alciato, qui cum uno tantum teſte nati ſunt, aut qui altero duntaxat ſunt exſecti. Cum igitur Hippocrates, in hoc textu, de eunuchis meminerit, illi proprie intelligendi erunt caſtrati, & quidem ii, qui in ætate puerili antequam pubeſcere, & ſemen progignere cæperint, teſtium reſectionem paſſi ſunt. Nam etſi juveni jam tota adimas genitalia, cum venere jam ſit uſus, latas poterit habere vias quæ ad articulos deducunt, & ſic podagra laborare ut dicit Hippocrates *Lib. de Natura pueri*. Cæterum thlaſiæ, thlibiæ & ſpadones, plane poſſunt podagra corripi, cum licet ſemen non efficiant, vel non emittant, aut generent bene tamen concubere poſſunt, cum virga & ſcrotum maneant, unde ſi coeunt cur podagra debent eſſe immunes.

Eſt præterea advertendum eunuchos podagra proprie dicta corripi non ſolere, poſſe tamen affici doloribus articulorum, etenim plurimum intereſt inter podagram & articularios dolores, ſiquidem licet artus in utriſque afficiantur, articularii tamen dolores redire non ſolent, ſed poſtquam ſemel invaſerint, & ad plures dies etiam cum febre acuta & continua vexaverint, tandem cum deſierint, non tam facile redeunt, niſi ex nova & præpotenti cauſa: at vero podagra certis quibusdam temporibus, redire ſolet, citra quamcunque cauſam, etiamſi in his rectam victus rationem ſervaverint, & quidem in mutationibus tempeſtatum, ſcilicet in ſolſtitiis & æquinoctiis. Atque hinc plane conſtabit, poſſe pueros & adoleſcentes quoque articularibus doloribus affligi, ſecus vero podagricis, proprie dictis; quamquam noſtra ætate, ob intemperantiam victus, & ob luis venereæ contagionem, etiam

jam viſitant aliquando adoleſcentes & juvenes, podagricis doloribus affici, & iterato vexari.

Sed eſt inſuper notandum, in podagra, chiragra, & cæteris doloribus articularibus, atque in arthritide univerſali, duos concipi debere humores illos excitantes, alterum quidem, qui vel à toto, ut putavit Schneiderus, vel à cerebro, juxta mentem Fernelii, vel à ſtomacho & hypochondriis, ut alii voluere, dependet, & veluti à parte mandante, ut pleriſque dicitur, per reliquum corporis divagatur, ut eſt ſerum ſanguinis, vel lympha acrior, & acidior reddita, ac ſalina conditione imbuta, alterum vero articulis ipſis ineſſe atque in internodiis oſſium, qualis Paracelſo *ſynovia* dictus eſt, vel potius ex glandulis artuum mucilaginoſis ſuggeſtus, qui licet in ætate puerili, ac juvenili, fluxior, laxior & mollior ſit, in ſenili tamen ætate, craſſior, denſior & acidior evadit, atque fermenti podagrici vel chiragrici vices gerit, eſtque deinde in cauſa, cur ibidem hæreat, ac reſtagnet ſerum illud, vel lympha præterfluens, adeoque tumorem, ruborem ac dolorem infert vehementiorem vel mitiorem, prout acrior vel acidior fuerit, aut è contra temperatior & levior. Neque quis putet, quod ſynovia aliusve humor craſſior redditus in ſenibus incapax ſit, ejusmodi acredinem & dolorem articulorum inferendi; nam præter craſſitiem, acquirit etiam in ſenibus (ut reliqui humores) aciditatem & acredinem, unde ſicut calx, auripigmentum, & aliæ res duræ, per humoris injectionem fermenteſcunt, ac tumeſiunt, ita & gluten ipſe. debet autem iſtiusmodi glutinoſus, & alius ſimilis humor articulis ineſſe, ut inibi cum præterfluente humore lymphatico, vel ſero ſanguinis, fermentationem, tumorem ac dolorem inferat, nam aliter nulla potior cauſa foret, cur ibi hæreret & non alibi. Neque ſatis eſt dicere, ibidem hærere, quia articuli ſunt partes ignobiles, quo natura transferre ſolet humores peccantes; nam ex hac ratione deberent potius vitioſi iſti humores transferri ad alvum, aut veſicam, veluti ad partes longe ignobiliores, imo à natura ipſa deſtinatas, velut in cloacam corporis, ad excipiendas omnes ſuperfluitates ejusdem: Quare neceſſe eſt, ut in articulis aliud quid reſideat, quod in cauſa ſit, ut ibi fluentes humores reſideant.

Hinc ut eunuchi aut ſpadones podagra ſint exempti, ſatis non eſt, ut

ut ad coitum ſint impotentes, ſed neceſſe etiam eſt, ut rectam ſervent victus rationem, cum ex ſuperius traditis, præter artuum imbecillitatem, & glutinis aut mucilaginis ibidem ſtagnantis vitium, ſeroſi ac lymphici humores, ex toto, vel ex viſceribus naturalibus, aut etiam aliunde illuc confluant, ut dolores arthriticos excitent. Porro in eunuchis, ſpadonibus cæteriſque ſimilibus languidæ & mollis conſtitutionis, ejuſmodi humores excrementoſi & aquei ſolent plurimum abundare: Atqui compertum adhuc eſt, cælibem vitam ducentes, non raro etiam podagra corripi, niſi ſimul una temperantes ſint & frugales.

Denique neque calvos fieri eunuchos docet hic etiam Hippocrates, quod certe verius & univerſalius obſervatur, cum enim calvitium fiat ob carentiam & privationem ejus humoris, qui per cutim capitis diffuſus radices capillorum irrigat, & in alimentum eorum tranſit, quia eunuchi carnes habent molliores, & ejuſmodi humoribus quam maxime abundant veluti mulieres, quibus perquam ſimiles ſunt, ut etiam advertit Ariſtoteles aſſerens *Lib. 5 de generatione animalium cap. 3 eunuchos non calveſcere, quod in fœminas mutentur*, unde Galenus *eunuchos*, ait, *ſectio teſticulorum, ſimiles efficit fœminis; ſicut ergo in eis calvities non accedit, ſic neque in eunuchis*: proinde fit ut minime calvi fiant, ob prædictum copioſum humorem, adæquatam generandis pilis materiam; ex ejuſdem enim defectu aut propter ejus acrimoniam, radices capillorum exedentem defectus eorundem ſeu calvitium oritur: alter hunc Aphoriſmum explicat Poeta:

> Calvus es in mento, vertex calveſcere neſcit
>   Vertice caſtratis creſcere barba ſolet.
> Myſſale vis barbam, bibe ſtrenuus: absque alimento
>   Tali alimento Myſſale, barba nequit.

Quod autem à quibusdam dicitur calvitium oriri in hominibus ob cerebri ſiccitatem & conſumptionem, non videtur omnino verum: etſi enim cerebrum in ſenibus quodammodo conſtipetur & obdureſcat, non tamen tantam ſiccitatem acquirit, ut omni humiditate privetur, unde capilli decidere debeant: neque etiam à cerebri humiditate capilli progignuntur, ſed potius ab ea, quæ in glandulis ſubcutaneis continetur, cum cæteroqui nequirent, per meninges, cranii duritiem, denſitatem ac magnitudinem pervadere usque ad radices capillorum:

Accedit quod ſi ex cerebri ſiccitate & conſumptione calvitium accideret, non magis in ſyncipite, quam in occipite illa foret obſervabilis, cum tamen experiamur calvitium fieri duntaxat in ſyncipite, ſecus vero in temporibus & in occipite, ubi ſola canities accidit.

Quares: Utrum eunuchus, etiam à nativitate talis, podagra hæreditaria, non quæ ex morbo fit, laborare poſſit? ℞. Quod ſic, quia illam à parentibus talibus contrahit jure hæreditario.

Quares II. Utrum vera ſit ſententia Hippocratis quam profert; *Lib. de aere, aquis & locis ubi dicit: Vena enim retro aures ſunt, quas ſi quis ſecet, ſterilitatem inferet his, quibus ſecantur?* ℞. Salva autoritate divi Senis, docentis variis in locis ſemen ex capite decidere, ſicque ſecta tali poſt aures vena, præpedita materia ſeminali, ſterilitatem vel potius impotentiam induci poſſe. Verum ſtante indubitata circulatione ſanguinis, & liquorum circulantium, longe aliter res ſe habet ut abunde in Inſtitutionibus de materia hac diſcurrimus.

Plures & notabiles ſuper hoc Aphoriſmo controverſias qui ſcire & legere deſiderat, Cardanum adeat.

Aphoriſmus XXIX.

Mulier podagra non laborat, niſi menſtrua defecerint.

Contentum ſeu Intentio.

De Podagra Fœminarum.

Connexio: Cum in antecedenti Aphoriſmo docuiſſet, eunuchos non laborare podagra; in hoc præſenti Aphoriſmo, adducit mulieres, & pariter docet eas podagra non laborare, niſi menſtrua defecerint. Hic Aphoriſmus, utpote breviſſimus nulla eget diviſione.

Præſens etiam Aphoriſmus noſtro tempore, veritati non ſemper cohæret, cum plurimæ ſint mulieres, quibus citra menſtruorum defectum podagra laborare contingat. Verum ex mox traditis, quia id ſicut eunuchis raro accidit, & plerumque fit, ut fœminæ à podagra ſint immunes, quotiescunque menſtrua illis commode fluxerint, non eſt propterea ut Hippocratem inculpemus.

Verum

Verum tamen bene notare decet, menſtruorum defectum non ſimpliciter hic intelligendum, pro omnimoda illorũ ſuppreſſione, ſed pro quacunque eorundem evacuatione, depravata, diminuta, retardata, anticipata aliave, ut propterea, tum fœminas liceat exiſtimare, à podagricis doloribus immunes, cum non ſolum menſtruis purgationibus, debito tempore, & debita quantitate, ſcatuerint, ſed etiam ejus conditionis, & qualitatis, ut in omnibus reſpondeant earundem conſtitutioni, ætati, habitudini, victui, exercitiis, & ſimilibus, fieri enim poteſt ut fœmina menſtruas habeat expurgationes, ſed non ejus quantitatis, qualitatis & conditionis, ut convenit, relative ad propriam conſtitutionem & habitudinem. quo caſu ſi exinde ſanguis, & totum corpus non fuerit à ſuis impuritatibus, præſertim ſeroſis, repurgatum, decumbentibus hujus generis excrementis ad articulos, bene poterit podagra illam invadere. Adde quod menſtruæ purgationes, non omnibus eodem modo accidunt, nec in omnibus, ejuſdem & æqualis ſunt durationis: ſiquidem non nullæ in ſingulis menſibus, per integram hebdomadam repurgantur, aliæ vero non niſi per duos aut tres dies ad ſummum, pleriſque circa ſeptimum annorum ſeptenarium menſtrua deficiunt; aliis vero etiam ad octavum & nonum prorogantur; aliis toto vitæ decurſu (licet rariſſimum ſit) deficiunt, prout in propria mea amita ſeptem filiorum matre, nulla unquam viſa gutta ſanguinis menſtrui, & in alia amica octuaginta prope annorum ſenicula, menſtruas purgationes ſemper ordinatiſſimas habente obſervavi; ut proinde de menſtruationis defectu, nulla poſſit certa regula ſtabiliri. Quoties igitur citra manifeſtam cauſam mulieribus menſtrua defecerint, quæ alioqui tam cito deficere non debuiſſent, habito reſpectu ad ætatem, corporis habitudinem, temperiem, victus rationem, exercitia & ſimilia, quia facile humores illi excrementitii, qui per uterum veluti per ſentinam corporis repurgare conſueverant, intus detenti, & cum ſanguine & cæteris humoribus commixti, in artus, veluti in partes corporis imbecilliores, decumbere poſſunt, nil obſtabit, quin podagricis doloribus, ſint eædem laboraturæ, cum ad podagram contrahendam, imbecillitas & mala articulorum habitudo, nec non excrementorum, præſertim ex ſanguinis ſero, & lympha dependentium ſuperfluitates exigantur, quæ ſane in mulieribus, in quibus menſtrua nimis tempeſtive defecerint, bene haberi poſſint. Quod autem à pleriſque dicitur, de intem-

intemperantia fæminarum noſtri temporis, ob quam etiam commodè menſtruantes podagra laborent, non tanti certe eſt, ut rem omnem penitus evincat, cur etiam ſi menſtrua ubertim fluxerint, debeant illæ podagra laborare: nam ex hac ratione, omnes intemperantes eſſent podagricæ, perſeverantibus adhuc menſtruis purgationibus, cum tamen contrarium experiamur. Demiror itaque Senecam qui in hoc mendacii deprehenſum dicat Hippocratem *Epiſtola 95.* & in mores fæminarum ſui temporis, tam acriter invehatur, cum inquit *Maximus ille Medicorum, & hujus ſcientiæ conditor, fæminis nec capillos defluere dixit, nec pedes laborare: Atqui hæ jam & capillis deſtituuntur, & pedibus ægræ ſunt. Non mutata fæminarum natura ſed vita eſt, nam cum virorum licentiam æquaverint, corporum quoque virilium vitia æquaverunt, non minus pervigilant, non minus potant, & oleo & mero viros provocant: æque invitis ingeſta viſceribus per os reddunt, & vinum omne vomitu remetiuntur, æque nivem rodunt ſolatium ſtomachi æſtuantis. Libidine vero, nec maribus quidem cedant &c.* & mox *quid ergo mirandum eſt, maximum Medicorum ac Naturæ peritiſſimum, in mendacio prehendi cum tot fæminæ podagricæ & calvæ ſint? beneficium ſexus ſui, vitiis perdiderunt; & quia fæminam exuerant, damnatæ ſunt morbis virilibus &c.* Si plane is vitam & mores noſtrorum temporum contemplaretur, nequaquam ſuæ ætatis fæminas, tam vehementer fuiſſet criminatus, quinimo fateretur, aut noſtra ſuis temporibus pejora, aut ſaltem non diſſimilia, nihilque eſſe ſub ſole novum, quod id ipſum non fuerit, vel futurum ſit. Nec illud quidem admittit de ſuo ſæculo Cardanus, quod podagricæ fiant fœminæ ob voracitatem, & incontinentiam, quippe qui aſſerat mundum ſemper ſibi ſimilem extitiſſe, & omni tempore voracitatem, incontinentiam & victus intemperantiam fuiſſe hominibus familiarem. Sed & notatu dignum quod ſcribit Athenæus lib. 2. cap. 10. de moris agens: *Hegeſander, ſuis temporibus, intra viginti annorum ſpatium, moros fructum non tuliſſe affirmat, atque tantam podagræ peſtem, omnes invaſiſſe, ut non homines ſolum, ſed pueri, puellæ, Eunuchique, & mulieres eo morbo laborarent.* Quare ad ſolam vitæ intemperantiam, Podagram referre, minime poſſe videtur, cum adhuc cœlibes, temperantes, frugales, abſtemii, & vitam monaſticam & eremiticam ducentes, viſi ſint pariter nodoſa Podagra laborare; quin & ſi ex intemperantia in victus genere, Podagræ in fœ-

minis

minis orirentur, plane hac noſtra ætate nulla eſſet, quæ hoc morbo non eſſet affecta, adeo in cunctis cujusvis generis gulæ libido exerevit, Itaque dicamus veram eſſe Hippocratis ſententiam, in quacunique ætate, & omni ſexu, dummodo omnia ea concurrant, quæ antea à nobis ſunt animadverſa.

Cæterum non eſt prætereundum, quod aliquando fœminæ aliis doloribus articularibus, præterquam podagricis affici ſolent, & quidem aliunde progenitis, quæ rheumaticam affectionem, aut veneream contagionem referunt; & licet articuli, tum inferi, tum ſuperi cum dolore & tumore divexentur, nihilominus non veram Podagram, Chiragram, Gonagram, ſed rheumatiſmum, vel ſimplicem, vel venereum deſignant, dolores enim Podagræ aut Chiragræ, per certa intervalla & ſtatutis quibusdam temporum mutationibus redire ſolent, cæteri vero dolores articulares, ſeu rheumatici ſive venerei, cum invaſerint, vel nunquam amplius deſinunt, vel ſi ſemel deſierint & perfecte curati ſint, denuo non redeunt, licet languidas admodum & labefactatas partes relinquant, & facile, ex quacunque cauſa fluxionibus obnoxias.

Quæres Utrum etiam hoc Aphoriſmo Podagra hæreditaria ſit intelligenda? ℞. Videtur quod ſic, ex ea ratione, ſiquidem talis fæmina cum habeat hæreditarium morbum, habebit etiam hæreditarium peccatum in menſibus, unde vitium hæreditarium vitia menſium generat.

Aphoriſmus XXX.

Puer Podagra non laborat, ante veneris uſum.

Contentum ſeu Intentio.

De Podagra Puerorum.

Connexio: Cum in antecedentibus duobus Aphoriſmis Hippocrates egiſſet de Podagra Eunuchorum, & mulierum; In hoc præſenti agit de Podagra puerorum in ſimilem finem & intentionem.

Hic Aphoriſmus etiam ob ſummam brevitatem non dividitur.

Quod

Quod Hippocrates, dixerat præcedenti Aphoriſmo, de fœminis, eas Podagra non laborare, niſi ex menſtruorum defectu, nunc edocet de pueris, illos referens a Podagra eſſe pariter immunes ante uſum veneris, his deſignans, plurimum eundem uſum veneris articulis nocere, qui propterea, podagricæ affectioni fiant obnoxii. Quoniam vero non ante decimumquartum annum, incipiunt pueri ſemen progignere, idcirco viſum eſt plerisque pueros hic interpretari eos, qui impuberes dicuntur, cum quo tempore ſemen gignunt, ſimul una pubeſcere ſoleant. at vero ætas pubeſcentiæ, ad annum decimum quartum adſcribitur. Verum cum plerique referantur etiam ante hoc tempus ſemen effudiſſe & generaſſe, propterea ad prædictum annum decimum quartum, rem hanc definite adjudicare velle, non videtur rationi & experientiæ conſentaneum; Quamobrem non immerito Hippocrates indefinite dixit, *pueros, & ante veneris uſum*; quia non ante hoc tempus fieri ſolet, ut articuli adeo ſint labefactati, ut defluentes ex aliis interioribus partibus humores excipiant. Hinc nomine puerorum, eas intelligere licebit, qui ante pubeſcentiam, & non ſolum ante ſeminis generationem, ſed & ejusdem effuſionem, atque adeo veneris uſum illibati permanſerunt.

Sed unde ſit, ut ex veneris uſu poſſint podagra laborare, non levis videtur hujus loci difficultas; ſiquidem etſi immoderatus illius uſus cunctis nocuus reputetur, documento ejusdem Hippocratis *6. Epidem.* dicentis, *labor, cibus, ſomnus, venus, omnia mediocria*, nihilominus ſi moderata illa fuerit & tempeſtiva venus, etiam plerisque ægritudinibus conferens, ab eodem Hippocrate proclamatur atque hinc Verſus illi:

Balnea, vina, venus corrumpunt corpora noſtra:
Conſervant eadem, Balnea, vina, venus.

Prout moderatus vel immoderatus fuerit eorundem uſus. In morbis quoque frigidis & humidis atque in corporibus ſucci plenis & obeſis, utilis ab eodem exiſtimatur, eo quod dicatur vim habere exiccandi & abſumendi ſuperfluas corporis humiditates. Quare cum pueri humidi ſint, ob voracitatem, excrementoſas ſuperfluitates facile cumulent, atque in frigidas & humidas ægritudines, non raro incidant, non videtur omnino dicendum, poſt veneris uſum pueros podagra laborare, ſi præſertim moderamen in ipſis ſervent.

Cui

Cui difficultati facile ſatisfieri poteſt duplici reſponſo : *Primo* quia Hippocrates non dixit, poſt veneris uſum pueros podagra eſſe laboraturos, quaſi, quod omnino poſt illud tempus, illa affici debeant, ſed ſolũ quod non ante hoc tempus ſoleant podagra laborare; ſiquidẽ ex veneris uſu articuli facile læduntur, & labefiunt, *Secundo* quia pueri adoleſcere, & debitum magnitudinis incrementum acquirere debent, cumque per ſeminis effuſionem (etiamſi moderata illa fuerit) deficiat quodammodo nutritio, & ſubſtantia illa glutinoſa ſanguinis, quæ in nutrimentum partium, & præſertim articulorum cedere debet, in locum effuſi ſeminis deferatur, proinde fit, ut articuli plus juſto labefactentur; quin etiam ex iterata ſeminis evacuatione, coguntur aſſumere alimentum, non bene digeſtum, nec elaboratum, unde poſtmodum major labefactio & imbecillitas. Et quoniam in podagricis doloribus contrahendis, non ſolum requiritur articulorum laxitas & languor, ſed etiam quædam habitudo, & mala conſtitutio eorundem, quam Paracelſus *Synoviam* appellavit, & recentiores Medici, fermento cuidam, in ipſis oſſium internodiis, & glandulis hærenti adſcribunt, cujus ratione decumbentes in ipſos artus, ſeroſi & excrementitii humores, in fermentationem adiguntur, unde poſtmodum dolor acerbiſſimus, maximus rubor, & ingens tumor in ipſis artubus excitatur, ſi alimentum in pueris, ad eas partes delatum, ejuſcemodi imbecillitatem, & malam habitudinem & Synoviam ex uſu veneris talem imprimat, ut confluentes ex cruditatibus humores facile ad fermentescendum promoveat, procul dubio podagricos dolores excitabit : Qua ratione etiam fit, ut ex parentibus podagricis orti, non tantum ob languorem earundem partium articularium propter malam ſeminis conformationem, verum etiam ab ingenito fermento podagrico, in articulis hærente, fiant illi etiam in ipſa pubertate podagræ obnoxii; Simile quid à venerea lue artubus infertur, qua plerique ſolent, in ipſa prima pubertatis ætate articularius doloribus acerbiſſime vexati, & exoſtoſes moleſtiſſimas pati.

Quamvis autem ex eodem Hippocrate, ut antea dictum eſt immodicus veneris uſus ſit cunctis in quacunque ætate nociturus, ſpecialius tamen ob enarratas rationes pueris officiet : Sed neque ſolum immoderatus ſed qualiſcunque ſemper ipſis valde nocuus erit, tum ob carnium, nervorum, viſcerum & oſſium teneritudinem, tum ob

Hhhhhh ina-

majorem, ex alimenti inopia, per ſeminis evacuationem, nutritionis jacturam, & ſanguinis, tunc temporis tenuioris diſpendium, tum etiam ob partium pudendarum, ſeminis elaborationi deſtinatarum imbecillitatem & laxitatem, quæ neque multum ſemen gignere, neque genitum, in ſuis vaſculis continere poſſunt, unde in his non raro fieri etiam ſolet, ut iteratis pollutionibus moleſtentur, & aliquando pro ſemine ſanguis effundatur, quin & Tabes periculoſiſſima contingat, quam dorſalem appellant.

Podagra itaque vel nulla fit vel rariſſima in pueris, antequam venerem exercuerint, niſi hæreditaria contagione illam à parentibus contraxerint, ſiquidem natura tunc temporis intenta nutritioni & augmentationi partium, nil in oſſium intercapedinis deponit, quod proficuum ac ſalutare non ſit, & acidum illud fermentum, quod podagricas affectiones excitat, per eam ætatem iners, vel nullum eſt, imo humores omnes dulces, grati & conſentanei partibus eſſe ſolent, nec tam facile acorem contrahunt, niſi aliunde à potenti cauſa, ſive interna ſive externa depraventur. Qui vero referuntur in ætate pueriliarticulorum doloribus cruciati, revera podagrici non fuerunt, ſed aliis generibus morborum affecti, ut antea quoque animadverſum eſt.

Controverſias ſi quis hac de materia legere deſiderat, Cardanum hoc in commentario conſulat.

Aphoriſmus XXXI.

Oculorum dolores, meri potio, aut Balneum, aut fomentum, aut phlebotomia (ſeu vena ſectio) aut purgatio (ſeu medicamentum epotum) ſolvit.

Nota: Similis Aphoriſmus habetur Lib. 7. Aphoriſ. 46. qui etiam hic ſimul explicatur.

Contentum ſeu Intentio.

De Ophtalmiæ curatione.

Connexio: Cum in prioribus Aphoriſmis Hippocrates egiſſet de do-

doloribus articulorum: In hoc præſenti Aphoriſmo agit de doloribus oculorum.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur, licet ob tot membra in eo contenta in tot quoque partes dividi poſſet.

Quo ergo pacto dolores oculorum curare expediat, docet in hoc Aphoriſmo Hippocrates, & quidem non uno remediorum genere, ſed vario ac multiplici, pro varietate ac multiplicitate cauſarum illos inferentium.

Nomine autem dolorum, utrum ſimpliciter dolores intelligere voluerit, ſine humoris affluxu, an etiam cum tumore, inflammatione, aut lippitudine oculorum, & præſertim tunicæ conjunctivæ, aut etiam palpebrarum, quæri hoc loco poteſt. Et quidem probabilius videtur, dolores hic fuiſſe recenſitos ab humoribus dependentes, tum quia dolor nullus fieri poteſt, abſque cauſa valente ſolvere continuum, atque adeo materiali & corporea: tum etiam quia remedia, quæ hic ab Hippocrate proponuntur, ad curandos ejusmodi dolores, non niſi cauſis materialibus videntur adverſum, qua enim ratione Balneum, fomentum, venæ ſectio, aut medicamentum purgans, in doloribus oculorum curandis convenire poſſent, niſi humores dolores foventes forent diſſolvendi, emolliendi aut evacuandi. Itaque dolores erunt hic intelligendi, cum affluxu humorum, atque adeo progeniti à cauſis materialibus.

Sive autem totum oculum in ſuo ambitu, ſive ſolam tunicam conjunctivam ejusque venulas & arteriolas ſive etiam palpebras ipſas confluxi humores afficiunt, parum refert, ſiquidem ſemper eædem indicationes erunt & eadem medicamentorum genera vigebunt, in illis indicata.

Proponit autem primo loco Hippocrates *meripotum*, ſi nimirum dolor ſit inductus, ab humoribus craſſis, viſcoſis & tenaciter hærentibus, præſertim lymphaticis, unde ſanguis etiam craſſior & glutinoſior, nequeat per anguſtas oculorum membranarum arteriolas & venulas tam facile permeare, ſed ibidem hæreat, & tumorem referat cum dolore, ab uſu autem vini meracioris, bene poteſt ſanguis ipſe attenuari, & à craſſamentis mucoſis repurgari, ſive per poros cutis, ſive per vias urinæ, ſive per alios ductus corporis, & commode etiam dolores oculorum exinde poterunt levari, id quod non tantum in his, ſed etiam in

 alus

aliis conſimilibus morbis, per opportune factum exiſtimaverim in corporibus humidioribus & excrementoſis, potiſſimum ex mala chyloſi, propter ventriculi, aliorumque viſcerum naturalium defectum. Sed & *fomentum & Balneum* quod adjicitur, etiam ad vinum meracum referri poſſet, ut propterea quis non male exiſtimaret, fomentum & Balneum, ex vino ſit oculis dolentibus profuturum, verum hæc generalius ſunt intelligenda.

Secundo *Balneum* quod non tantum particulare, iiſdem oculis male affectis adhibitum, ſed etiam univerſale intelligi poteſt, etenim ſi particulare oculorum Balneum intellexiſſet, minime adjeciſſet fomentum, niſi tamen nomine Balnei audiamus quod humoroſum eſt, & nomine fomenti quod eſt vaporoſum. Conferet autem Balneum toti corpori adhibitum, ad repugnandas ſuperfluitates, e toto corpore provenientes; particulare vero oculis admotum ad diluendos & attenuandos humores ibidem hærentes, & ad laxandas poroſitates eorundem, & præſertim tunicæ exterioris conjunctivæ. Poterit vero Balneum tum naturale eſſe, tum artificiale. Naturale è Thermis & aquis mineralibus: Artificiale vero ex herbis emollientibus, attenuantibus & ocularis dictis. In hunc quoque finem excogitatæ ſunt, ab Authoribus, multæ aquæ ophtalmicæ dictæ, quibus ſæpius in die foti oculi, mirabiliter in viſus acie reficiuntur ut videre eſt apud Quercetanum, Hartmannum, Crollium, Minſicht & alios: attamen in doloribus hic memoratis, aquæ non ex corroſivis & acribus ſed lenientibus confici debent.

Tertio *Fomentum* additur, quod in multis convenit cum Balneo antea recenſito. Verumtamen poteſt etiam fomentum, non tantum ex aquis & decoctis herbarum emollientium atque humectantium confici, ſed etiam ex rebus, halitu atque ſpiritu parari: Sic ex Gummi, reſinis & lachrimis plantarum, pleraque fomenta concinnari poſſunt, præſertim ad abſumendas humidas & ſeroſas ſuperfluitates, in iis potiſſimum, qui caput & oculos habent humoribus ſcatentes & facile illachrimantes. Ita quoque pleriſque in uſu & quidem ſalutari, eſt ſpiritus ſalis armoniaci rectificatus, atque ex ſale ipſo ammoniaco & tartaro paratus, qui mane & ſero ante cibum oculis halitu applicatus, & prope palpebras admotus, efficaciſſime albugines, maculas, & humores quoſcunque tunicæ conjunctivæ inhærentes, diluit & abſtergit, ſed & tanta inſuper eſt illius efficacia, ut penetrante ſua vi, etiam interiores

res oculi tunicas & humores repurget, & videndi aciem, mirabiliter exacuat: olfactus quoque viſui prodeſt, cum inter nares, & oculos, communio maxima intercedat. Cavendum autem eſſe monente Galeno ab omnibus medicamentis quæ ſtuporem inducunt, quia viſum hebetant: ſæpe tamen ex neceſſitate cogimur ad ea tranſire, ſed non niſi cum magna cautela. Sed de his latius in Praxi.

Quarto proponitur *venæſectio*, cum ſcilicet oculi dolent, ab impetente ſanguine, in corporibus plethoricis, aut ex ſuppreſſa ſanguinis evacuatione laborantibus, unde illius quantitatem minuere, aut plus juſto irruentem in oculos intercipere, aut hærentem promovere neceſſe eſt. Sed & fieri etiam poteſt, ut in oculis, ob anguſtiam arteriolarum & venarum ſanguinis circulatio aliquantiſper impediatur, nequeunte ſcilicet ſanguine, non tam prompte oſcula venarum ſubire, quamobrem ad citandum ejuſdem motum & promovendam circulationem in illis conferre poterit venæſectio, vel in brachiis vel in pedibus, etenim diminuta quantitate, & concitato motu, melius ſanguis per ejus partes circumibit, atque etiam magna ex parte attenuatus, facilius per anguſtas oculorum venulas, in reliquas totius corporis diffundetur. Attamen in ejuſmodi ſanguinis diſtractione, maximopere cautus debebit eſſe Medicus, ne plusquam natura ferat, aut res ipſa poſtulet, ſanguinem detrahat, ſiquidem larga illius evacuatio, ſicuti cunctis partibus, & toti corpori non leviter obeſt, ita & multo magis viſui & oculis obeſſe ſolet, ut cunctis eſt notum. Cæterum quod ſcribitur *Lib 7. Aphor 46. Dolores oculorum, poſt meri potionem, & aqua calida balneum venæſectione curari*, non omnino recipitur a Galeno, nec minus a Cardano eo quod cum præſenti Aphoriſmo non conſentiat, qua propter merito rejicitur ab iiſdem.

Denique *medicamentum epotum* proponitur, quod plane purgans intelligendum, illudque commode adhiberi poterit, in doloribus oculorũ ortis à cacochymia, & quotiescunque corpus pravis humoribus refertum eſt, ſiquidem ex convenienti purgatione, ſicuti vitioſi humores, extra corpus egeruntur, ita quoque oculorum dolores inde procedentes faciliſſime deſinunt. Cujus autem conditionis & virtutis purgans illud medicamentum eſſe debeat, facile quis determinabit, tum ab humorum peccantium multitudine & pravitate, tum etiam a patientis conſtitutione, ætate & corporis habitudine. Verum

Google

rum tamen in gratiam oculorum dolentium vitanda ſemper erunt ea, quæ acria ſunt, & partibus plus juſto infenſa, qualia ex colocynthide & ſcammonio & ſimilibus, ſunt confecta, niſi forte tam exacte fuerint, à perita manu caſtigata & correcta, ut omnem malitiam & acredinem exuerint. Quæ vero conficiuntur ex manna, violis, prunis, neque convenientia eſſe dicuntur, cum iſta vix inteſtina diluant, & multoties in corruptionem tendentia, majus damnum excitant, præſertim in iis, qui hypochondriorum affectionibus ſubjiciuntur.

Dices I. Vini potio oculis ſumme nocet, quia intendit & exaltat cauſam, & malum. ℞. In doloribus à cauſa ſeu ſuccis acribus & ferventibus concedo à cauſa ſeu humoribus craſſis & viſcoſis nego, ut diximus in contextu.

Dices II. Hippocrates in hoc Aphoriſmo omiſit veſicatoria collyria, cauteria ſetacea & alias uſtiones, cum tamen hæc & ſimilia, ſint magna in pertinacibus oculorum doloribus remedia. ℞. Hippocratem hæc omnia ſupponere, cum brevis hæc Aphoriſtica doctrina, plura includere non ſit paſſa. ℞. 2. Hippocratem ideo etiam hæc, hoc in loco omiſiſſe, quia hæ uſtiones longis morbis conveniunt; hic autem agit de doloribus cito ſanabilibus ℞. 3. Hippocratem debit abunde locutum fuiſſe *Lib. de locis in homine & de viſu*, unde hic ferme ſunt omiſſa.

Aphoriſmus XXXII.

Balbi longo alvi profluvio maxime capiuntur.

Contentum ſeu Intentio.

De Diarrhæa Balborum.

Connexio: Cum Hippocrates ſupra hoc Libro Aphoriſmo ſecundo, ex ſignis naturalibus aliqua ſcitu digna, ex narium muci & ſeminis abundantia ad ſanitatem vel infirmitatem facientia adnotaſſet. In hoc præſenti Aphoriſmo deducit ex balbutie alvi profluvium, ſeu quod balbi maxime alvi profluvio capiantur. Hic Aphoriſmus ob brevitatem non dividitur.

Ad-

Advertendum autem eſt, quod ubi Leonicenus, vertit ex græco codice *balbos* Heurnius exponit *lingua titubantes*: verum in textu græco ſcribitur *Trauli*, qui proprie quales ſint, non ſine ratione controverti poteſt; etenim cum ejusmodi vitium linguæ debeatur, & lingua tripliciter in loquela lædi ſoleat, idcirco cujusmodi ſit vitium hoc in Trauloſi, breviter eſt examinandum.

Et quidem nonnulli ſunt, qui unam duntaxat ex Aphabeti Litteris nequeunt recte pronuntiare. Alii qui unam vel alteram aut plures, vel etiam ſyllabam integram in locutionibus prætermittunt; & alii, qui ita in ſingulis ſyllabis & dictionibus balbutiunt, ut ſyllabas & voces univerſas, perpetim interrumpant, vel tranſiliant. Modo ſi ex linguæ mollitie, & muſculorum ejusdem imbecillitate voluerit Hippocrates deducendum eſſe alvi profluvium, omnes ii Trauli hoc loco intelligendi erunt, qui ex linguæ laxitate, & nimia humectatione in locutionibus deficiunt, & blæſi & balbutientes & hæſitantes in vocibus, & pronuntiationibus verborum, poterunt commode hic exponi, ut Galenus ipſe *in commentario* de pluribus ſpeciebus Trauloſis interpretatur quamquam Cardanus, Traulos ſolum putet eos qui voces per T & per R proferre non poſſunt, pro blæſitate *Traulotim* ſeu *Trauloſim*, pro balburie *Pſellotim*, & pro hæſitantia *Iſchnophoniam* exponat ex idiomate græco; quamobrem ſubdit in *Pſellots* peccare eos qui dictiones, ex Ps proferre non poſſunt; in *Ancyloglosſia*, qui linguam habent radici tenaciter hærentem, ut propterea in mediis dictionibus hærere cogantur; in *Migolalia* denique illos, qui præ timore, aut ex vehementi ira titubant ac impediuntur. At Heurnius, triplici vitio ſolum affici linguam in ſanis ait, unde *Trauli* qui aliquam litteram pronuntiare perfecte nequeunt, *Pſelli*, qui prætermittunt litteram vel ſyllabam. & *Iſchnophoni* qui in continuata ſerie verborum ſyllabas non nectunt & balbutiunt. Cæterum ſunt adhuc qui S nullatenus proferunt, vel mutant in T aut C & R in L: Sed & balbi (ut etiam advertit Cardanus) quædam proferre non poſſunt, aut aliter illa pronuntiant, ex impedito motu linguæ ad certas voces, ut in his in quibus frænulum & ligamentum breve eſt, aut ex indebita ſectione contractum; blæſi vero omnia vitioſe. quin & lingua interdum longior quibusdam eſt, & dentes exciderunt.

Quoniam vero omnia istiusmodi vitia locutionum ex linguæ laxi-

laxitate, mollitie & imbecillitate provenire videntur, & ſæpius etiam ex ejusdem corpulentia & craſſitie, veluti bovina, & hæc non ſine humoribus laxantibus, & plus juſto humectantibus & tumefacientibus, puta, pituitoſis aut lymphaticis, ideo fieri credendum quamobrem compatiente ventriculo, eandem laxitatem, cum una eademque tunica, omnes iſtæ partes veſtiantur, facile alvus in his laxetur, vel cum forte aliqua alia de cauſa lubrica ſit immodice, ut per longum tempus profluat, concurrente pariter ea, quæ ex cerebro, glandulis, faucibus & ventriculo ſuggeritur, ſeroſa colluvie. Hinc adverbium illud *maxime* non ſolum refert promptam & facilem in his alvi ſolutionem, ſed etiam longam & diuturnam ſi fortaſſe balbi ea, quacunque ex cauſa, corripiantur. Novi quendam è genere Iſchnophonorum, qui adeo lubricam alvum habebat, ut pluries in die fæces egerere cogeretur, easque liquidiſſimas in eo autem id peculiariter notandum erat, ut in mandendis cibis penitus deficeret, quippe qui illos pene integros devoraret. hinc non abs re ſuſpicor, tales homines, præter linguarum, & glandularum ſalivalium laxitatem, atque humorum lymphaticorum copiam, etiam ex præpedito linguæ motu, & mandibularum in molitura ciborum defectu, alvum lubricam ſubire, eo quod cibi, non bene manſi, nec exacte confecti, aut diſſoluti facillime cruditates pariant, unde poſtmodum alvi profluvia; quin & ſaliva ipſa, quæ ſuo ſale ſub acido, plurimum confert ad ciborum digeſtionem, in his præ nimia fluiditate, non nihil deficit à naturali ſua conditione. conſimiliter quoque male affectos exiſtimare licet ſuccos illos diſſolutioni ciborum in ventriculo deſtinatos, ob mutuum glandularum interceſſe conſenſum, quamobrem facile exinde accidunt, in ipſis imperfectæ coctiones, atque adeo inteſtinorum laxitates, quæ ſemel deinde excitatæ, diutius poſtea perdurare ſolent, eodem fomite perſeverante, cum laxa fibrarum inteſtinalium textura. Cæterum hæc, non niſi contingunt his, qui à nativitate balbi ſunt, neutiquam vero qui ex aliquo morbo tales fortaſſe evaſerunt, vel ex timore veh[illegible]ra, aut etiam ex ebrietate, per aliquod ſolum tempus balbutientes obſervantur. Sed & quosdam in puerili ætate, vitia locutionum contraxiſſe obſervavi, ex malo uſu, quem ab aliis acceperunt, contracto in illa tenera ætate, cum quibus verſari conſueverant, quippe per id tempus, facillime incurrimus in defectus eorum, cum qui-

bus

bus conſuetudinem inimus: de Demoſthene ſcribit Plutarchus, *in ejus vita*, cum vitio linguæ laboraſſe & voce, ut non mediocriter in dicendo turbaretur oratio, nec mens ejus intelligi poſſet, atque (ut ex Demetrio Phalereo ſubdit) ipſum adhuc jam ſenem linguæ hæſitantiam, conjectis in ore lapillis emendaſſe, vocem autem currendo, ſcandendo, inter pronuntiandum exercuiſſe. Obſervatum pariter eſt, aliquem puellum, non diſſimiliter affectum, indicta inter pares in litterario Gymnaſio æmulatione & vexatione, in recitandis lectionibus, ſub certa pœna, moderaſſe. Quamobrem juvabit plurimum in his induſtria, ac peculiaris quædam exercitatio, ad ejuſmodi vitia tollenda: De his autem omnibus, laute lateque agentem vide Cardanum *hoc Commentario.*

Quæres. Cur homines qui evadunt balbi, facile in apoplexiam incidant? ℞. Ob ſummam qua pollent cerebri humiditatem ſeſe in dies multiplicantem & vel in paralyſim vel apoplexiam teſte autopſia, incidunt.

Quæres II. Cur balbuties in febribus ardentibus evenire ſolita huc refertur à quibusdam, cum tamen non fiat ab humiditate? ℞. Balbutiem etiam fieri ſolere à ſumma ariditate, per quam motus linguæ præpeditur (contrariorum enim eadem eſt ratio) ſed hæc alvi profluvium non cauſat.

Dices: Balbi non poſſunt eſſe tales à bile ergo hic malo aſſeritur, bilis enim potius ſiccat & firmat organa vocis & alvum adſtringit, ut patet in ictericis qui plerumque ſtrictam habent alvum. ℞. *Si* bilis alioquam ad alvum feratur, concedo quod non laxet alvum, hic autem ſupponit Hippocrates ferri ad alvum: deinde negatur ſuppoſitum, quod balbi ſyncera & efficaci laborent, cum plurima lympha diluatur & effecta reddatur.

Aphoriſmus XXXIII.

Qui acidum eructant, non admodum pleuritici fiunt.

Contentum ſeu Intentio.

De Diſpoſitione ad pleuritidem.

Connexio: Quemadmodum, ex naturali ſigno, ſcilicet balbutie, in

in priori Aphoriſmo collegit Hippocrates diſpoſitiones ad morbos nempe alvi profluvia: Ita in hoc præſenti Aphoriſmo, ex acido ructu, qui ex naturali proveniat conſtitutione, diſpoſitionem colligit ad morbum lateralem ſeu pleuritidem.

Jam quidem de ructu acido ſupra *Aphoriſmo primo hujus Libri* meminimus, & quo pacto à nidoroſo differat; nunc qua ratione acidum eructantes, non valde morbo laterali corripiantur, breviter exponemus. Neque enim quod communiter, interpretes cum Galeno commentantur, veritati conſentaneum eſt, acidos ructus fieri, ex pituita, ſua natura frigida, ventriculum opplente; pleuritidem vero ex humoribus potiſſimum bilioſis: ſiquidem ructuoſi ſunt melancholici, & pleuritici plerumque fiunt, ab hærente craſſa & viſcoſa pituita, aut etiam lympha in ductibus pulmonum, aut pleuræ: unde neque ructus perpetuo à pituitoſis, neque pleuritis omnino à bilioſis humoribus, in cunctis corporibus ortum ducet.

Cum itaque Hippocrates acidum ad lateralem morbum retulerit, certe comparatione, interpoſita, ab una eademque cauſa, illos oriri tacite exiſtimavit, & quidem jam ſatis apud acuratiores rei medicæ Profeſſores, bene conſtitit, laterales dolores, imo & pleuritidem ipſam, ab acido figente exoriri. cum enim acidum in humoribus, præſertim ſanguine & lympha exorbitaverit, in anguſtioribus vaſis, ubi ſanguinis motus, vel tardus vel nullus fit, illos cogit, ex quorum concretione inflammationes, tumores, & abſceſſus eveniunt, graviores vel leviores pro diverſitate partium, in quibus humores iſti in ſuo curſu præpediuntur, & quouſque reſoluti, vel ſubacti, & ſive inſenſibiliter ſive ſenſibiliter fuerint educti, eouſque tumor & dolor perſeverabunt. Et quamvis acidum iſtud præternaturale, & exorbitans ubique excitari poſſit, nihilominus frequentius accidit, ex vitiatis ſuccis ventriculi digeſtivis, aut etiam ex depravato ſucco pancreatico originem trahere ſolere, unde poſtmodum chylus, ſanguis, lympha, liquor nerveus, & recrementa quæcunque corporis, in ſuis ductibus, ac ſecerniculis vitiantur, & vitiata in cauſa ſunt, ut vel in ſe ipſis hæreant, vel alios præterfluentes humores cogant & coagulent, prout alibi jam adnotavimus,

Cum igitur acidum iſtud per ductus corporis, ejusque humores, minime vagatur, ſed in flatus & halitus vertitur, & per ructus

diſcu-

diſcutitur, plane fit, ut neque laterales morbi, neque tumores, aut abſceſſus in partibus contingant, ſiquidem reſoluto acido, excuſſoq; per flatus & ructus, humores & viſcera ab illius maleficio præſervantur.

Quamvis autem ex acido ructu, cujusvis generis morbi, atqve innumerabiles aliæ ægritudines præcaveri poſſint, meminit tamen ſpeciatim hic Hippocrates, morborum lateralium; ſiquidem ab acido detento, poriſſimum in ventriculo, & pancreate, proximius affici ſolent partes pectoris, tum externæ, ut ſunt muſculi, tum internæ, ut pleura, mediaſtinum, pulmo, diaphragma. quare, exuſto per ructus acido, detrimenta harum partium ſpiritalium, quæ exinde proxime corripi poſſent, præcaventur, & ipſæ minime doloribus, & aliis morbis afficiuntur.

Eſt tamen advertendum, quod ructus acidus hic ab Hippocrate memoratus, debet eſſe ex longo tempore perſeverans, atqve iteratis vicibus recurrens, ut nimirum totum quantum acidum, in dies fortaſſe cumulari poteſt, qvotidie pariter per ructus diſſipetur: Hac enim ratione fiet, ut nunqvam humores reliqvi, a vagante iſto acido, qvod aberrans appellavit Helmontius, ſint vitium aliqvod ſubituri, adeoqve nec moram nec coagulationem in pectore & aliis partibus contracturi.

Denique advertendum, qvod non dixit Hippocrates acidum eructantes, nullatenus morbo laterali corripi poſſe, ſed ſolum, ***non valde***, ſive, ut alii exponunt, ***non admodum***, neqve tam facile: etenim ſi fortaſſe adeo illud augeatur, & exaltetur, ut etiam cum ructibus humores inficiat, poterit qvoqve laterales dolores & alios morbos parere, prout ſæpe ſæpius evenit hypochondriacis, in qvibus ponticum & auſterum, qvoqve fieri ſolet. Itaque acidum eructantes, non admodum lateralibus morbis corripiuntur, licet illis laborare qvoqve poſſint, qvapropter Hippocrates de acido duntaxat, in ructibus, non autem de acido per humores diffuſo ſermonem hic habuit, qvod ſcilicet intra limites ventriculi concluſum illud ſit. & licet ructus expreſſe meminerit, tacite tamen flatus omnes etiam vagantes, & per inteſtina erumpentes ad alvum, comprehenſos voluit, cum non minus per ſuperiora, qvam per inferiora diſcuti poſſint: At vero qvia flatus per inferiora exhalantes, non poterant bene dijudicari, cujus pravitatis Naturam referrent, idcirco ſpeciatim ructus commemoravit,

ravit, utpote qui malum ſaporis ſenſum in ore referentes, bene poterant internoſci, cujus qualitatis participes forent. Cæterum tam ructus quam flatus, pro cauſa materiali, tenacem & craſſam pituitam acido-auſteram recognoſcunt, modico ſale volatili, & exigua bile refertam, quæ ſicuti fundo ventriculi adhærens, ſæpiſſime in ructus exolvitur, ita in inteſtino ileo, aut etiam cæco erumpit in flatus; unde Simon Pauli, *in ſuo quadripartito botanico*, non immerito exiſtimavit, cæcum inteſtinum receptaculum eſſe flatuum, neque ſine ratione, tam amplum à Natura fuiſſe conſtructum, ut ſcilicet diſtenſione, & inflatione minus vexaretur.

Quares: Quomodo ructus nidoroſus differat ab acido. R. Jam in contextu rem quidem eſſe ſolutam dico tamen differre per cauſam & eſſentiam, quia nidoroſus ut diximus eſt a bile, acidus à pituita ſeu viſcoſa & hærente lympha primus non tollit diſpoſitionem ad morbum lateralem, imo habet, ſecundus autem non facile habet.

Aphoriſmus XXXIV.

Qui calvi ſunt, iis varices magnæ non fiunt; quibus vero calvis exiſtentibus varices ſuperveniunt, ii rurſus capillati fiunt.

Contentum ſeu Intentio.

De Varicum & Calvitiei comparatione.

C*onnexio:* In antecedenti Aphoriſmo Hippocrates ab acido ructu ad pleuritidem: In hoc præſenti à varicibus ad capillos facit conjecturam ſeu potius ſignum eruit.

Hic Aphoriſmus duas habet concluſiones, ideo in duas partes ſecari poteſt: *Prima* dicit quod actu calvis varices non fiant *Secunda* docet ſi calvis exiſtentibus varices ſuperveniant, eos rurſum capillatos fieri.

Inſimulat Galenus in hoc Aphoriſmo mendacii Hippocratem, utpote

utpote qui calvos putet, ſupervenientibus varicibus, ſanabiles fieri poſſe, cum aliunde calvitium paſſio exiſtimetur inſanabilis: nec inſuper verum eſſe ſubdit, quod magnæ varices calvis nunquam accidant. At ab ejusmodi calumniis recte vindicatur Hippocrates à Cardano, qui pluribus contendit calvos capillatos fieri poſſe, ſupervenientibus potiſſimum varicibus, quin & multa alia in medium adducit, ut Hippocratem adverſus Galeni accuſationes tueatur.

Quamquam Fuchſius in ſua verſione, non calvos proprie, ſed qui capillorum defluvio laborant, eundem exponat, inquit enim φαλακροὶ, *græcam vocem hic, non qui calvi ſunt ut cæteri interpretes fecerunt, ſed qui capillorum defluvio laborant, convertimus, ut Hippocratem, aut alium, qui hujus Aphoriſmi Author fuit, à mendacio vindicaremus*; Atque in hujus rei comprobationem affert authoritatem Philothei, qui calvos appellat, non eos, qui proprie ita nominantur, ſed qui ob malum aliquod, capillorum defluvium patiuntur, veluti propter alopeciam aut ophraſin, unde iſtos exiſtimat, magnis varicibus non affici, quod vitioſi humores ad caput, & non ad crura ferantur; iis vero, qui capillorum defluvio laborant, ſi varices ſuccedant, capilli denuo naſcantur, quoniam vitioſi humores, qui antea radices capillorum corruperant, ad crura transferuntur. Et ſane cum defluvium capillorum contingat à diffuſis, per cutem, pravis humoribus vim habentibus erodendi & radices capillorum corrumpendi, plane fit, ut vergentibus illis ad alias partes corporis & potiſſimum ad crura, vel tibias, cum tumefactione venarum, unde varices, facta transpoſitione prædictorum humorum acrium, a capite ad femora vel tibias, poterunt faciliime capilli, renaſci; & è contra quicunque calvi ſunt, & capillorum defluvium, ex mala eorundem humorum acrium diſpoſitione patiuntur, magnis varicibus non tam facile corripientur, oppoſita procul dubio de cauſa.

Hinc autem palam fit, defluvium capillorum hic ſumi à cauſis morboſis inductum, non vero ex mutatione naturali ætatum, potiſſimum in ultima ſenectute, in qua calvitium accidit, ob defectum potius materiei ex qua capilli generantur, & hæc eſt inſanabilis: cum enim per eam ætatem ob defectum alimenti, partes omnes exareſcant, & cutis notanter corrugetur, atque in ſuis porulis denſata & conſtricta, à cæteris partibus non parum diſſocietur, propterea fit, cur capilli ſpon-

ſponte ſua decidant: id quod poriſſimum accidit, in Syncipite, ubi cutis nudo oſſi hæret, ſiquidem in aliis partibus, ſubſtratum habet panniculum carnoſum, & adipem. Hac eadem de cauſa fit, quare pleræque mulieres, in ultima ſenectute, pilos in mente progignant, & ſupercilia cæteris prolixiora; quoniam ob defectum menſtruorum ſuperfluitates illæ, quæ in ſanguine cumulantur, ad eas partes defetuntur, & commutantur in pilos & capillos, uti contigit Phætuſæ in Abderis ex menſium defectu. teſt. Hippoc. 6. Epid.

Cæterum quod ſpectat ad varices ſuperius *Aphoriſ. 21. hujus Libri* eſt late examinatum, hoc breviter addimus, materiam calvitiei & varicum eſſe prorſus eandem, unde calvi non magnas habebunt varices & è contra; Etenim humorum pravitas quæ efficit calvitiem eadem quoque efficit varices.

Plures controverſias ſuper hoc Aphoriſmo, quisque legere poterit apud Cardanum in *commentario hujus.*

Aphoriſmus XXXV.

Hydropicis (ſeu aqua intercute laborantibus) tuſſis ſi ſuperveniat malum.

Nota: Similis Aphoriſmus habetur Lib. 7. Aphoriſmo 47.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi Hydropis ex tuſſi.

Connexio. Cum ſupra Aphoriſmo vigeſimo ſeptimo hujus libri, de Hydropicis & ſuppuratis Hippocrates mentionem feciſſet, quoad ſectionem & effuſionem contentæ materiæ; In hoc præſenti Aphoriſmo, ſignum aſſumit in hydrope, quod ſuperveniens eidem, morbi augmentum ſignificat.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem non dividitur.

Hydropici ſeu aqua intercute laborantibus, intelligendi ſunt, cujuscunque generis illi ſint, quemadmodum manifeſte deducitur ex tex. in græco. Neque enim tuſſis mala ſolum eſt, ſi Anaſarca laborantibus ſuperveniat, ſed etiam Aſciticis, quemadmodum deducitur ex eodem Hippocrate *2. prædiction.* ubi ſigna tradit bona & mala in hydro

dropicis, ex quibus præſagire quis rationabiliter poſſit, de eorundem eventu ſalutari vel lethali.

Rationem autem hujus dicti, quamvis Galenus deducere conetur ab aquoſa humiditate tantum adaucta, ut jam aſperam occupet arteriam unde tuſſis; quia tamen exinde non ſolum malum, ſed lethale ſignum foret deducendum, cum alioqui Hippocrates hic non dixerit lethale, ſed tantummodo malum, idcirco non ſine ratione Cardanus ridiculam eſſe ait, in hoc Aphoriſmo Galeni expoſitionem. Malum itaque ſignum erit tuſſis ſupervenieus hydropicis, quia indicat aquam in illis adeo ſuccreviſſe, & pravam fuiſſe redditam, ut ſanguinem circulantem infecerit, ac pulmones in ſuo tranſitu, vellicando, ad tuſſiendum exſtimulet, veluti ad expulſionem rei noxiæ.

Accedit quod in aſciticis, a ſuperabundanti aqua adeo tumefiunt, & opprimuntur viſcera, ſub Diaphragmate ſita, & potiſſimum jecur, ſub hypochondrio dextro, Diaphragmati alligatum, ut motum illius impediant, ac deorſum contrahant, unde poſtmodum reſpiratio difficilis, & cũ difficili reſpiratione, tuſſis ſicca & moleſta. Si præterea in pulmone & pectore hydrops factus ſit partim ab hydatidibus, partim etiã à ſuperincũbente aqua, & ab oppleta pectoris cavitate, multo crebrior reſpiratio, & moleſtior tuſſis ſine ſputo fiet, quod certe peſſimũ ſignũ eſt. Deniq; ſi tuſſis & reſpiratio adeo increſcant, ut æger non niſi erecta cervice reſpirare poſſit, ab irruente in aſperã arteriã & Bronchia pulmonis, humore, procul dubio non tantum malum ſignum inde portenditur, ſed etiam brevi mors futura, ob imminentem ſuffocationem, ſub quo ſenſu præſens Aphoriſ videtur repetitus *Lib 7. Aphoriſ. 47.* ubi ſcribitur: *Aqua intercute laborans, ſi tuſſi corripiatur, deſperatus eſt:* Sic contigiſſe Olynto Hydropico & Cteſiphonti teſtatur Hippocrates.

Plura ſuper hoc Aphoriſmo legi poſſunt apud Cardanum *in commentario.*

Aphoriſmus XXXVI.

Difficultatem urinæ phlebotomia (ſeu vena ſecta) ſolvit: Secanda vero interiores.

Nota. Similis Aphoriſmus habetur Lib. 7. Aphoriſ. 48.

Con-

Contentum ſeu Intentio.

De vena ſectione Dyſuriæ remedio.

C*onnexio* Cum Hippocrates ſupra Aphoriſmo trigeſimo primo de oculorum doloribus dixiſſet, atque iis remedia congrua propoſuiſſet. In hoc præſenti Aphoriſmo, ad urinæ difficultatem, unum ex iis affert remedium nempe venæ ſectionem.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem non ſubit diviſionem.

Sed verum non eſſe hunc Aphoriſmum, ſcribit Galenus *in comment. niſi &* particulam conjunctivam, *aſſumpſerit, ita ut Aphoriſmus talis fiat. difficultatem urinæ & venæ ſectio ſolvit*, ſed non video, quid unquam particula iſta *&*, ad expoſitionem hujus Aphoriſmi conferre poteſt, cum eam duntaxat urinæ difficultatem, græce Dyſuriam, ſolvere poſſit, quæ ab inflammatione & multitudine fit, ut ipſemet Galenus *in commentario* fatetur, niſi præter venæ ſectionem, alia quoque medicamenta inflammationem reſpicientia, per particulam illam & conjunctivam, intelligere velimus, quaſi vero ſenſus ſit, non ſolum medicamenta, inflammationem temperantia & diſſolventia, ſed etiam venæ ſectionem convenire in urinæ difficultate.

At vero quia urinæ difficultas, cum ardore & dolore conjungitur, plane dicendum videtur, etiam ab ipſa mala urinæ conditione Dyſuriam evenire poſſe. Et quidem quandocunque cum urinis, ſalia acria commiſcentur, quæ in tranſitu per Sphincterem muſculum & urethram vellicant & compungunt partes illius ſenſitivas, plane fieri poteſt, ut citra quamcunque inflammationem, ardor quoque in urinæ exitu percipiatur. Qua ratione fit, ut iſte morbus ſæpe ſæpius obſervetur in ſenibus, in quibus humores omnes, & præſertim lymphatici, ac ſanguinis ſerum, acorem ſummum contraxerunt, & non tantum urinæ difficultati, ſed & conſimilibus aliis morbis ab acido provenientibus, illos obnoxios reddunt. Accidit præterea non raro Dyſuria ex ulcere contracto in iiſdem partibus, prout experimur in infectis lue venerea: etenim pertranſiens urina, ſua mordacitate partem ulceratam compungendo, ardorem & dolorem in ipſa mictione ingentem excitat.

Quam-

Quamquam autem venæ ſectio hic ab Hippocrate commendata locum habere poſſit, in inflammationibus partium mictui deſtinatarum, non tamen in cæteris aliis commendabilis videtur, niſi ſolum ad deplendam ſeri ſanguinei multitudinem. Cæterum cum ſerum iſtud acore plerumque inficiatur, qui nulla ratione poteſt, per venæ ſectionem temperari proinde fit, ut nemo amplius in Praxi audeat ejusmodi in morbis ſanguinem mittere Sed neque ſolum apud recentiores rei medicæ Profeſſores, verum etiam apud veteres Medicos, mittendi ſanguinis uſus, in urinæ vitiis exolevit, & qui illum tentare auſi ſunt, in pejora mala ægros deduxêre. Qua etiam ratione putaverim, quamobrem Cardanus hunc Aphoriſmum exponendum omiſerit, imo neque inter Aphoriſmos, ſententiam iſtam repoſuerit, fortaſſe quia exiſtimavit, neque rationi neque experientiæ illam eſſe congruentem, adeoque non ab Hippocrate, ſed ab aliis adjectam fuiſſe, quemadmodum Galenus ipſe ſuſpicatur ob adjunctas dictiones, *Secanda verò interiores*, utpote Hippocraticis dogmatibus non conſentientes.

Poſtremo additur *ſecare oportere interiores* id eſt venas; ut veteribus ſolitum, nempe venas poplitis & tali in parte cruris domeſtica non autem externa; quæ antiquis credebantur, majorem conſenſum cum partibus urinariis retinere, ut nimirum exinde promptius & proximius è partibus inflammatis affluxus humor derivaretur. Verum hæc poſt detectam ſanguinis circulationem ſponte ſua evanuerunt & ſectio venarum dudum profanata & profligata fuit.

Quæres : Utrum etiam in doloribus à calculo conveniat venæ ſectio? ℞ Si calculus magnam conciret inflammationem, concedi poteſt: Si vero ſine inflammatione ſint dolores, nec indicans nec locus venæ ſectioni datur.

Aphoriſmus XXXVII.

Angina correpto, ſi tumor oriatur in collo, bonum; foras enim morbus vertitur.

Nota : Similis Aphoriſmus habetur Lib. 7. Aphoriſmo 49.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi Anginæ.

Connexio. Quod alias dixerat ſupra Aphoriſmo vigeſimo quinto hujus Libri Hippocrates de Eryſipelate, imo etiam de cæteris aliis inflammationibus. In hoc præſenti Aphoriſmo, repetit ſpeciatim de angina, in qua ſi tumor ad partes externas, & ad collum vergat, bonum dicitur, adjecta cauſa & ratione, quia foras morbus deducitur. Est tamen advertendum, ut alibi quoque adnotavimus, tunc bonum ſignum eſſe tumorem aut ruborem in collo apparentem, cum affluxus humor, Anginam faciens, partes internas gutturis, & tamen deſeruerit. Secus vero ſi adhuc eaſdem occupet.

Cumque autem hoc notum ſit jam ex ſuperius traditis nempe *Aphoriſ. 25 hujus Libri*, non eſt ut hic longius immoremur aut Chrambem repetamus.

Dices: Hippocrates *5. Epidem. ſect. 1.* dicit Anginoſam quandam, habuiſſe tumorem durum & ſubrubeum, in cervice & pectore & tamen mortua eſt, ergo non ſubſiſtit Aphoriſmus. *R*. Vel ille tumor, erat in faucibus circa Bronchia, adeoque non externus ſed internus, licet conſpicuus vel tota materia morbi non fuit expulſa, ſed manſiſſe adhuc intra illas partem, hinc ſymptomata non remittebant. Vel mortuam eſſe illam mulierem ex debilitate & ſuppreſſione excrementorum alvi & urinæ. nec enim bonum eſt ſemper, pelli foras morbum abſolute, niſi ſymptomata minuantur & abſceſſus non occurrant.

Plura de hujus Aphoriſmi difficultatibus legi poſſunt, apud Cardanum *in Commentario.*

Aphoriſmus XXXVIII.

Quibus occulti cancri fiunt, non curare melius: curati enim citius intereunt: non curati vero longius tempus traducunt.

Contentum ſeu Intentio,

De Prognoſi cancri.

C*onnexio*: Cum Hippocrates in præcedenti Aphoriſmo egiſſet de tumore colli in Angina: In hoc præſenti Aphoriſmo, agit de tumore cancroſo, morbo peſſimo, & pulcherrimum atque ſcitu digniſſimum nobis tranſcribit decretum, ut nempe occultos cancros quos alias, *nolime tangere* vocamus, non aggrediamur curare, eo quod curati citius intereant, non curati diutius vivant.

Unde hic Aphoriſmus in duas partes dividitur. in *Prima* concludit cancros non eſſe curandos In *Secunda*, adducit concluſionis rationem, mox dictam

Quid pro occultis cancris intelligere voluerit Hippocrates, in hoc textu dubitat primum *in commentario* Galenus; mox vero tum de cancris in profundo corporis, & in intimioribus partibus enatis, tum de nondum apertis, non improbabiliter exponit, & quidem in utriſque ratio eadem æque militat. Sed tamen veriſimilior ſemper credita eſt illorum expoſitio, qui de cancris nondum apertis, aut ulceratis ſeu manifeſtis quos carcinomata, græci vocant, ſententiam hanc interpretantur,, ſiquidem cancri in reconditis partibus corporis geniti, utpote intractabiles, nullatenus ſubjici poſſunt, curationi per medicamenta localia ſeu Topica, quæ ab occultis ad patentes illos deducant.

Sunt autem cancri de genere Tumorum, malignam conditionem humorum redolentium, quales veteribus putabantur atrabilarii, ſive maligni erodentes, & veneno aquæ ſtygiæ valde conſimiles. Dicuntur cancri, vel ob ſimilitudinem quam referunt, in ſui expanſione cum cancris, vel quia partes, quas invadunt inæqualiter depaſcuntur, & multoties increſcunt, aliquando etiam decreſcunt inſtar cancrorum. Et quoniam ob malignam & cacoethicam naturam difficillime ſuppurantur, etiamſi omnis induſtria adhibeatur, neque tam facile reſcindi poſſunt, ſine ingenti ſanguinis effuſione, & periculoſa circumjacentium partium læſione, propterea fit, ut a Chirurgis inſanabiles reputentur, adeoque nullo cujuſvis generis medica-

mento illos tractare audeant, quod & Ovidius *2. de Ponto* innuit.

Vulneris id genus eſt quod cum ſanabile non ſit,
Non contrectari, tutius eſſe puto.

Conſiderata itaque peſſima illarum conditione, inquit, in hoc textu Hippocrates melius eſſe illos non curare, id eſt medicamentis localibus, aut ad ſuppurationem, aut ad reſolutionem ducentibus tractare; nam ſi contingat illos aperiri & ulcerari, cito ad mortem perducunt, cum ex ambiente aere, virulentus ille humor, magis acuatur, vires & ſpiritus perperam diſſipentur, ob continuam ſanguinis effuſionem, & reliqui humores, imo etiam partes ſolitæ circumjacentes gravius alliciantur eoque magis ſi cancri reconditas corporis partes occupaverint. Et quamvis ab Ætio & Paulo Æginета methodus proponitur ſalubriter curandi cancros, & multa medicamentorum genera, in eundem finem conferentia referantur, nihilominus illa aliquando, in praxim deducta, vana & inefficacia evaſere, ut proinde nemo amplius in praxi audeat, medicamenta in illorum curationem adminiſtrare, niſi ſolum quæ univerſale vitium humorum corrigere & temperare valeant.

Præter difficultatem curationis, procedentem a cauſa humorali acido-acri, & maligna, adjicienda quoque eſt, partium affectarum in cancris, laxa habitudo, quæ deinde dureſcat, ſiquidem cancri plerumque fiunt in partibus glanduloſis, quæ cum ſuapte natura debiles ſint, & facile malorum ſuccorum ſuſceptivæ, propterea difficiliorem ſemper reddunt curationem. Fuerunt tamen, qui uſu cauſticorum medicamentorum & excedentium, præſertim olei vitrioli, aliusve, ex integro univerſum extirpare conati ſunt, ſed non ſemper felici ſucceſſu. Etenim niſi omnino Carcinoma eradicetur, inutilis evadet opera extractionis, Accedit quod multoties ex reſectione vaſorum, tanta ſanguinis effuſio facta eſt, ut omnino exanimati ægri paulo poſt interierint.

Atque hinc denique concluditur in textu, non curatos in longius tempus perdurare, cum Natura facilius ſemper toleret, cancrum non ulceratum quam ulceratum. Obſervatum namque eſt in Praxi plures carcinomate affectos, ad plurimos annos vixiſſe, & alios u[illegible] extremam ſenectutem fuiſſe perductos, ſervata tamen conv[illegible]

ri diæta, & aſſumptis per intervalla medicamentis ſangvinis acredinem retundentibus, qvalia ſunt, qvæ ex cancris flaviatilibus ex viperis, Cornu Cervi, decoctis chinæ & aliis ſimilibus conficiuntur, de quibus in Praxi, ubi multa & Theorica & Practica deducuntur.

Quares. Utrum cancer poſſit eſſe in omnibus partibus corporis? ℞. Quod ſic, potiſſimum autem in mammis, labiis, facie, lingva, faucibus, præputio, utero &c.

Plures de cancris eorumqve curatione controverſias ſi qvis deſideraverit legat Cardanum hoc loco *in Commentario*.

Aphoriſmus XXXIX.

Convulſio vel à repletione fit, vel ab inanitione: Ita vero & ſingultus.

Contentum ſeu Intentio.

De Cauſa Convulſionis.

C*Onnexio*: Cum in antecedenti Aphoriſmo Hippocrates locutus fuiſſet de peſſimo inter chronicos morbo, nempe cancro: In hoc præſenti Aphoriſmo loquitur de morbo inter acutos qvoqve horrendiſſimo, nimirum convulſione

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur.

Cauſas ergo convulſionis memorat in hoc Aphoriſmo Hippocrates, & illas ait duas eſſe in univerſum, inanitionem ſcilicet & repletionem. Cum enim convulſio ſit retractio nervorum & muſculorum, ad propria capita, & tum inanitio, tum repletio poſſint nervos & fibras nervorum ita afficere, ut involuntarie retrahantur & convellantur, eo prorſus modo, qvo fides, id eſt, chordæ in fidibus, & cæteræ partes membranaceæ ac fibroſæ, aut plus juſto arefactæ, aut plusqvam ratio poſtulat humoribus tumefactæ contrahuntur, propterea fit, ut pari ratione nervi, & nervorum fibræ à conſimilibus cauſis convellantur, qvemadmodum Galenus ipſe late proſequitur *in Commentario hujus Aphoriſmi.*

Verum quidquid ſit de cauſa replente, certum eſt inanitionem talem ac tantam in nervis impoſſibilem eſſe, quæ videtur omnino extari non poſſe. nam quæ Galenus aſſert, de chordis & corus areſactis ad ignem, vel ad ſolem æſtivum, licet vera forent (quæ tamen puerilia exiſtimat Martianus) non tamen congruenter aptari poſſunt nervis & muſculis intra corpus poſitis, cum nunquam iſti adeo poſſint areſieri & exiccari, ut omni prorſus humiditate priventur, ſicuti contingit corio ad ignem exiccato. Si unquam inſuper id humano corpori viventi poſſit accidere, procul dubio, in his qui hectica & tabe conſumpti ſunt, id ipſum liceret experiri, atqui nemo iſtorum unquam convulſionibus corripi viſus eſt, etſi pleriqve pellem tantum modo ſuperductam oſſibus haberent. Cauſam igitur iſtam, ex inanitione petitam, rationi & experientiæ conſentaneam nemo plane exiſtimabit. Convulſio inſuper nervorum, compunctionem aut cæſuram, momento fere temporis conſeqvens, nec ad inanitionem nec ad repletionem referri poteſt, ſed aliam omnino diverſam exigit.

Crediderim ea propter cauſam hanc inanientem, non ex ratione inanitionis & areſactionis convulſionem excitare, ſed ex acredine & moleſta qvadam vellicatione nervis & muſculis plurimum infenſa, proficiſci, niſi enim nervi & muſculi in inanitionibus, a re quapiam proritentur & compungantur, nullatenus poterunt convulſionem ſubire: qua ratione etiam expoſuimus *Lib. 5. Aphor. 1.* convulſionem abuſu ellebori, aliusve ſimilis actionis medicamenti excitatam: ſiquidem cum elleborum immodice evacuando humores extenuat, ac perturbat, ſimul una per acredinem nervos & muſculos, illorumque fibras proritat & compungit, unde ipſi inæqualiter concitantur & convelluntur. In quam eandem rem Galenus quoque *in commentario iſtius Aphoriſmi*, proponens cauſas ſingultus, qui ſpecies dicitur convulſionis aſſert exemplum piperis, ex vino ſumpti, quod ſua acredine potenter ſingultum promovet, motum ſcilicet ventriculi ſubverſivum, quo ſe ipſum ab illa moleſtia liberet.

Neque ſolum cauſa inaniens ſed etiam replens, convulſionem nullam aſſert, niſi præter repletionem acrem, & moleſtantem aliquam conditionem conjunctam præſeferat: nam membra paralytica à cauſis replentibus humidis, & pituitoſis, nullatenus con[illegible] ciuntur, ſed potius à copia humorũ plus juſto diſtenta [illegible]

[illegible]

lyta, omnem motum & ſenſum amittant: neque vero nervi in paralyſi aliter afficiuntur, quam ut in convulſione; etenim fibræ & tunicæ nervorum in utriſque æqualiter offenduntur, ea ſolum differentia, quod in Paralyſi cauſa ſit opplens & hebetans ſenſum, in convulſione vero pungens & irritans. Atque hinc fit quamobrem, hyſtericis paſſionibus laborantes, non raro una ſimul vexari ſoleant convulſionibus, & morbus convulſivis, itemque catalepſi & paralyſi membrorum, à materia nimirum ſimul contorquente fibras, & ſenſum partis hebetante. Hinc falſum, quod nonnullis hucusque creditum, in convulſione membranas nervorum, in Paralyſi vero cavum eorundem oppleri & tumefieri, ſiquidem in Paralyſi non raro amittitur ſenſus, ſuperſtite motu, ſenſus autem in membranis nervorum ſit. & membra Paralyſi affecta, reſoluta obſervantur, ac plus juſto diſſerta & flaccida, ut per fibras nullatenus flecti aut commoveri poſſint, in quarum vitium etiam fibræ muſculorum coafficiuntur, ut alibi dictum.

Quod dictum eſt de convulſione, facili negotio ſingultui aptari poteſt, cum ſingultus ſit quædam peculiaris ventriculi convulſio, conantis expellere ea quæ intimas illius partes infeſtant: atque in hoc differt ſingultus à vomitu, in vomitu enim humores moleſtantes, cavum ventriculi occupando, faciliime evacuationi ſubjiciuntur, idcirco ventriculus motu ſubverſivo illos expellit, & ab irritamento ſe vindicat; at vero in ſingultu conatus omnis eſt irritus, quia humores infeſtantes, penitiores illius partes occupant. Non ſemel autem expertum eſt, deſiiſſe ſingultum, citra quamcunque evacuationem, aſſumptis medicamentis oleoſis, acredinem illorum humorum retundentibus, vel fibras ventriculi laxantibus.

Controverſiæ plures, de materia convulſionis, diſtentionis, ſingultus, vomitus legi poſſunt ſupra *Lib 5 Aph 1. 2. 3. 4 & 5.* Itemque Cardanus *in Commentario dictorum & hujus Aphoriſmi*, quæ plura affert ſcitu & lectu digna.

Aphoriſmus XL.

Quibus ad (ſive circa) hypochondrium dolor eſt ſine inflammatione, iis febris ſuperveniens dolorem ſolvit.

Nota:

Nota: *Similis Aphoriſmus habetur Lib. 7. Aphor. 52.*

Contentum ſeu Intentio.

De Febre Medica Hypochondriorum.

C*onnexio*: Hujus Aphoriſmi cum aliis difficile eſt invenire connexionem niſi fortaſſe cum illo Libri quarti Aphoriſmo ſeptuageſimo tertio: *quibus ſublata ſeu ſuſpenſa hypochondria ſeu illa murmurant &c.* imo quaſi ſub illo videtur contineri.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem textum & concluſionem non dividitur.

Dolores in hypochondriis excitati, varii eſſe poſſunt. aliquando enim fiunt cum ſenſu ponderis, à materia quadam obſtruente, & ſua mole premente, & gravante partes, præſertim glanduloſas in hypochondriis ſitas. Aliquando fiunt à flatibus, cum ſenſu inflationis, unde partes ipſæ plus juſto diſtentæ tumeſiunt, & attolluntur, adeoque dolent. Non nunquam a detentis fæcibus una ſimul commixtis, cum craſſis & tenacibus ſuccis, ut non raro evenit in inteſtino colo, quod cum à dextra in ſiniſtram ventris partem porrigatur, ſub utroque hypochondrio, non raro etiam cum hypochondriacis doloribus confunditur, eo quod zonæ inſtar, jecur, lienem, renes & lumbos circum afficiat. Sed & interdum dolor quoque excitatur, à male affecto pancreate, a glandulis lumbaribus, à tumoribus progenitis, in parte cava hepatis aut lienis, unde etiam difficultas reſpirandi, motus impotentia, murmur ventris, ructus, flatus aliaque conſimilia ſymptomata exoriri ſolent. Denique contingunt dolores ab inflammationibus aut abſceſſibus, in iisdem partibus progenitis, ab humoribus præſertim, acribus, acidis, lymphaticis, aut bilioſis, qui præter dolorem febrim quoque continuam & acutam excitant.

Hos omnes ergo, alioſve ſimiles hypochondriorum dolores conſiderans in hoc Aphoriſmo Hippocrates, illos inquit ſalubri[illegible] nari, ſuperveniente febre, ſed neque ſolum dolores ipſos [illegible] ctus ſed & morbum qualem cunque, unde dolores ipſi proficiſ[illegible] à ſuſcitata febre terminari. Dixit autem dolores hypochond[illegible],

hoc

hoc eſt partium illarum, quæ ſub chondris ſeu cartilaginibus, coſtas ſpurias obducentibus ſitæ ſunt, quemadmodum in dextra parte, lobus eſt hepatis, cum adjuncto illius ligamento, in altera parte lien; excipiuntur autem ſtomachus, ventriculi fundus, pylorus, inteſtina gracilia, quæ inter utrumque hypochondrium ſita ſunt, & medium regionis epigaſtricæ occupant, ſiquidem partes iſtæ dolentes, à ſupervenientefebre nunime liberarentur, ſed magis & magis moleſtatæ, exitum brevi futurum ex ſebre portenderent, quemadmodum ex aliis, tum Hippocraticis tum Galenicis locis, clariſſime deducitur, & pluribus experimentis paſſim in Praxi comprobatum eſt, quippe non dolent, niſi à cauſis vehementibus, & cum ſint partes, maximo ſenſu præditæ, ſemper ac febrim comitem habent, in mortem deſinunt. Contra vero dolores in hypochondriis excitati, quia plerumque fiunt ab humoribus crudis, craſſis, glutinoſis & flatulentis, faciliime beneficio ſupervenientis febris diſcutiuntur & reſolvuntur, cum febris vim habeat, attenuandi, reſolvendi, & ejuſmodi craſſos ſuccos concoquendi, facta deinde per vias urinarias, vel etiam per alvum, depoſitione.

Excipit autem Hippocrates dolores, ab inflammatione dependentes; tunc enim, quia cauſa doloris non eſt lentus & craſſus humor, aut concluſus flatus, ſed ſanguis vel acer vel acidus reſtagnans in ipſo jecore vel liene, neutiquam à febre ſubigetur, ſed potius exacerbabitur & exacuetur. Unde ſicut in priori caſu febris remedium eſt, ita in poſteriori ſignum erit peſſimi morbi, & exitus calamitoſi, veluti deſignans, cauſam malam difficulter ſuperabilem, & partes affectas penitius eſſe in ſuis operationibus invaſas. Qua plane ratione fit, cur Hippocrates appoſuerit adverbium, *circa*: nam inflammatio ſemper intimiores & præſtantiores partes occupabit, ſimplex vero dolor ſuperficiarius tantum, nec adeo naturæ operibus neceſſarias. Hinc autem idem Hippocrates ſcribſit *2. Prorrhetic.* febres ex hypochondriorum doloribus malignas eſſe, veluti ab inflammatione vel phlogoſi dependentes.

Denique adjectum eſt, non ſolum dolorem ſed etiam morbum ſubinde ſolvi, nam cum dolor in hypochondriis, ſit ſymptoma conſequens, vel morbum vel cauſam morbi puta obſtructionem, tumorem, vel flatus, & humores craſſos, inflantes & diſtendentes, profecto

LIl III non

Google

non tantum per febrim, dolor ipſe deſinet, ſed etiam morbus, [illegible] ſa morbi dolorem excitans.

Et licet dolor nullus fiat ſine cauſa aliqua [illegible], quia nihilominus Hippocrates, non definivit in hoc Aphoriſmo naturam, ſeu ſpeciem doloris, poterit bene explicari de quocunque dolore, etiam gravante, inſtante, vel diſtendente, qui cum fiat ab humoribus lentis, vel etiam à flatibus, facillime poterunt, à ſupervenicnte febre, diſſipari, diſcuti & reſolvi

Pro coronide tandem deducere licebit, ex hoc Aphoriſmo, non ſemper febrem nocuam eſſe, ſed ſæpe ſæpius ſalutarem, quemadmodum non hic ſolum ſed alibi pluries idem Hippocrates eſt atteſtatus.

Reliquas controverſias ſi quis ſuper hoc Aphoriſmo legere deſideret, eas apud Cardanum inveniet *in Commentario.*

Aphoriſmus XLI.

Quibus in corpore ſuppuratum aliquod (ſeu ſuppuratio) exiſtens, nullam ſui dat ſignificationem (ſeu non innoteſcit) ob craſſitudinem, puris, aut loci non ſe prodit, (ſeu non innoteſcit.)

Contentum ſeu Intentio.

De Abſceſſibus occultis.

Connexio: Hic Aphoriſmus cum præcedenti in hoc convenit, quod in priori egerit de tumore & inflammatione hypochondriorum, in hoc præſenti Aphoriſmo autem agit de ſuppuratione, quæ inflammationem, ſi hæc in principio non reſolvatur, conſequi ſolet. Hic Aphoriſmus ob ſimplicem textum & concluſionem non dividitur.

C[illegible] dixerit, dolores [illegible], [illegible] ris exci[illegible] raro ab inflammationibus ex[illegible] infla[illegible]

in ſuppurationem deduci, adjicit autem in hoc Aphoriſmo Hippocrates, quibus de cauſis illa, non innoteſcat, & ait, vel ob craſſitudinem puris, vel ob profunditatem loci, non apparere, aut viſu, vel tactu non percipi.

Et quidem *Primo* neceſſe eſt, factam multo antea fuiſſe ſuppurationem à ſanguine alicubi concreto, unde præceſſerint febres dolores, inquietudines, atque alia ſymptomata, ſuppurationem comitantia; cumque poſt ſuppurationem iſta ſoleant plurimum remittere, documento ejuſdem Hippocratis *Lib. 2 Aphor. 47. dum pus conficitur, dolores & febres accidunt magis, quam jam confecto*; propterea ab indicio confecti puris, & deſinentium ſymptomatum, ſi illud aliunde non innoteſcat, alterum ex duobus intercedere, craſſitudinem ſcilicet puris, aut loci profunditatem.

Uſus eſt autem Hippocrates, voce, *non innoteſcere*, quæ idem omnino ſignificat, ac non conſpicuum fieri, non apparere, neque manifeſta indicia de ſe prodere, ſive fluctuatione, ſive tumefactione, ſive novo dolore, ac febre, ſive exitu per vias urinæ, per alvum, & alios ductus corporis, ita ut omnino intra corpus deliteſcens, nullum manifeſtum indicium præbeat, quo poſſit prudens Medicus, in illius cognitionem perduci

Sed tamen non inde quis exiſtimabit, taliter affectum patientem bene ſe habere, nulloque morbo moleſtari; nam cum pus genitum, & alibi collectum ſit de genere eorum, quæ præternaturam ſunt, fieri nulla ratione poterit, quin operationes aliquæ læſæ ſenſibiliter non ſint, unde probabiliter, ſuſpicari queat, à contento pure, alicubi deliteſcente, fore operationes aliquas, ſaltem naturales, ab ipſo reſtagnante vitiatas cum ſenſu ſaltem ponderis, cum laſſitudine, cum motus difficultate, cum mala nutritione, cum febri aliqua puſilla, cum inquietudine, cum vigilia, aliiſque ſymptomatibus, magis & minus ægrotantem moleſtantibus, prout pars affecta nobilior, vel ignobilior fuerit. Atque hac ratione multoties viſum factas ſuppurationes in glandulis, & partibus glandoloſis, diu patientem male affectum detinuiſſe, & poſt aliquot horas à paſtu, febricula levi vexaſſe, cum anxietate, moleſtia, motus impotentia, ſine evidenti aliqua cauſa, & tandem facta irruptione pus prodiiſſe per alvum, aut per vias urinæ,

 unde

unde licet patiens ipſe male ſe haberet, non tamen certa indicia [illegible] tebant peractæ ſuppurationis.

Verum quamvis difficillimum plane ſit, de facta ſuppuratione certum judicium proferre, poterit nihilominus ſagax Medicus ex prægreſſis cauſis, atque ex præcedenti morbo, non improbabiliter conjectari, peractam alicubi illam eſſe, ſi nimirum ex caſu, contuſione, vulnere quis ægrotaverit, itemque ex præcedenti dolore ſaltem gravante, potiſſimum in partibus imi ventris, itemque ex nauſea, vomendi ſtimulo, pavoribus nocturnis, pulſu inæquali, decubitu in aliquam partem corporis moleſto, laſſitudine, inquietudine, motus impotentia, aliiſque per aliquod tempus, fuerit ille affectus, mox velut repente gravi febre & acuta corripiatur, quæ ſine ulla intermiſſione, & cum repetentibus rigoribus, aut horripilationibus, ad tres vel quatuor dies uniformis obſervetur, deinde ſubito mitteſcere & remitti videatur, adjuncto levi ſudore, vel urina craſſiori, ob quam ita in melius abire videatur, ut ſe à febre immunem omnino exiſtimet, procedente vero tempore, ſenſim, ſtatutis quibuſdam horis, febricula moleſtetur, & cum appetendo & concoquendo bene ſe habere videatur, nihilum tamen proficit, plane ſuſpicari licebit, ex cauſis ſuperius memoratis, abſceſſum aut inflammationem alicubi factam eſſe, mox ex ſuperveniente febre acuta & vehementi promotam fuiſſe ſuppurationem, qua peracta remiſſa fuiſſe ſymptomata, aut etiam inconſpicua evaſiſſe, ſed non omnino deleta, patentem detineri morboſum aut valetudinarium, quamobrem, ſi adhibitis medicamentis diſſolventibus, & puri confecto exitum parantibus, aliqua expurgatio, & deinde purulenta ſubſequatur, certum indicium prodibit, latentem ſuppurationem patentem jam evaſiſſe.

Quod autem ſuppuratio in corpore exiſtens deliteſcat, & certa ſui indicia non proferat, idque ex duabus memoratis in hoc Aphoriſmo cauſis, haberi poſſit, clarius eſt, quam ut longa hic oratione explicari egeat. Siquidem puris craſſitudo multoties à cauſa eſt, ut alicubi reſtagnans, neque ingentem moleſtiam pariat, neque [illegible] pareat, quia propter craſſitiem, circumjac[illegible]es partes [illegible] cantur, quæ propterea non proritatæ nul[illegible] moliuntur: id quod (ut antea eſt animad[illegible]

dit, in partibus glandulosis : Nec præterea purulenta materia tenax, & craſſa vehementem in partibus excitat fermentationem, unde diu ibidem ſubſiſtere poteſt, quemadmodum experimur, in Atheromate, Stearomate & Meliceride, in quibus propter humoris contenti craſſitiem & viſcoſitatem , partes affectæ in longiſſimum tempus ſuſferunt tumefactiones & gravamina. Partes etiam reconditæ & profundæ corporis, itemque craſſæ, obeſæ, glandulosæ, veluti ſenſus expertes, in diuturnum tempus ſolent collectam purulentam materiam, citra grave incommodum ſuſtinere, & absque ullo periculo putrefactionis aut corruptionis, quia putrefactio & corruptio, non fit ſine fermentatione, & fermentatio non ſine inteſtino motu partium tenuium & mobilium: Cumque pus craſſum ſit, atque adeo ineptum motioni, & partes affectæ exanguet, multo vel modico ſenſu prædita , ſit proinde, ut diutisſime ſuppurationes iſtæ deliteſcant, & eo uſque innoxiæ perſeverent , quouſque promoto in illis motu , vel novus morbus inſequatur , vel aditum ſibi faciat pus attenuatum.

Cæterum peritiores Chirurgi ſolent, de internis iſtiusmodi ſuppurationibus partium profundarum, certum ferme judicium proferre, à fluctuante per tactum utrinque initum materia, ſi nimirum hinc inde prementibus digitis , quod ſubeſt , loco moveri percipiatur & cutis externa a ſuo naturali colore & calore permutata videatur.

Omittendum denique non eſt, de iis ſuppuratis, locutum eſſe hoc loco Hippocratem , qui in imo ventre potiſſimum ſuppurationem patiantur ; ſecus vero de ſuppuratis , in pulmone aut pectore, quorum alibi ſigna, cum eodem Hippocrate tradidimus in commentariis ſuper lib. 5 Aphoriſ. 8. 10 & 15.

Pro coronide & hoc animadvertendum quod maximi momenti ſit puris cognitio, & præcipue in partibus interioribus, ea quidem potiſſimum de cauſa quoniam ex ea magna medico gloria naſcitur, cum ſecanti pus effluit, & æger liberatur, ſicut e contra ignominioſum eſt non cognoſcere Unde

Quæres. Quibus præter dictis in contextu ſignis explorare poſſit Medicus pus eſſe in aliqua parte ? ℞. En comprehendi ſequentibus verſibus.

 Du-

Durities longa, pulſus, dolor, & calor auctus,
Signant pus fieri ſed facti dicta remiſſa
Sub digitis undans, albeſcens pars & acuta.

Præterea ubi eſt pus, ipſa pars poſt adhibitum fomentum mutat colorem: Hippocrates, accipiebat lutum figulinum, vel argillam, quam pectori admovebat humidam, ad modum cataplaſmatis, quod magis ſiccabatur ibi pus latitabat.

Debet autem cognoſci pus non ſolum quando adeſt, ſed quo tempore fit, & quo tempore factum eſt, quanam ſectione indigeat, & quod ſecare non oporteat, ubi videtur æger adeo debilis, ut ſectionem aut uſtionem ferre nequeat, ut contingit in Polemone apud Hippocratem.

Quæres II. Quomodo Medicus poſſit prohibere ne fiant ſuppurationes? ℞. Id fieri in tempore, per univerſalia remedia, nempe evacuationes (quamvis hæ in multis inflammationibus ſuſpectiſſima ſint) Item per venæ ſectiones, per topica reſolventia, & diſcutientia collectam materiam quoad fieri poterit.

Plura qui de his ſcite tractata deſideraverit, legat Practicos & etiam Cardanum *in commentario hujus Aphoriſmi.*

Aphoriſmus XLII.

Regio morbo laborantibus, jecur durum fieri malum.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi Icteri.

Connexio: Cum Hippocrates in priori Aphoriſmo de tumorum ſuppuratione locutus fuiſſet. In hoc præſenti Aphoriſmo de duro tumore Hepatis in Ictero ſermonem proſequitur.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem & ſimplicem concluſionem non dividitur.

Morbus regius quinam ſit, & ex quibus cauſis progigni ſoleat, ut quemnam exitum febricitantibus contingens, portendat,

à nobis, potiſſimum Lib. 4. Aphoriſ. 62. & 64. eſt examinatum nunc ſolum pro expoſitione iſtius Aphoriſmi, dicimus, illum hic duntaxat ab Hippocrate conſiderari, qui ab inflammatione, vel ſimplici, vel mixta jecoris contingit; nam cum felleus humor, nequit in ſua cyſti colligi, propter humorem vel inflammationem jecoris, plane per univerſum corpus diffunditur, ut ſanguinem inficiens, non ſine febre evenit; hinc duplici de cauſa malus ille erit, tum quia infectus ſubinde ſanguis, cunctas corporis partes inevitabiliter contaminat, & operationes ejuſdem principales lædit, præſertim reſpirationem & pulſum, cum Icterus nunquam fiat in febribus, ſine fermento ſanguinis corruptivo; tum etiam quia à jecoris inflammatione, vel tumore provenit, & ejuſmodi mala, in illo ſemper gravia ſunt. Niſi etiam interpretari velimus Hippocratem de Tumore & duritie jecoris conſequente, non autem antecedente, vel comitante Icterum. Siquidem morbo regio laborantibus, ſi jecur obdureſcat, indicio erit, tantam in jecore humoris non repurgati collectionem factam fuiſſe, ut exinde illud remaneat obduratum, vel etiam felleum humorem in cyſti recollectum, ex conditione acri tranſitum feciſſe in acidam, malignam, obſtruentem, figentem & obdurantem ſubſtantiam jecoris, ut proinde non ſolum ex ipſa humefactione & duritie, ſed etiam ex obſtructione & maligna conditione fellei humoris jecur obduruiſſe, ut in poſterum nullus ſit repurgandæ bili locus, ſed univerſa ſit per ſanguinem, & habitum corporis diffundenda, quamobrem ex multis capitibus malum ægrotanti portendatur & præſertim etiam ex eo, quod in hoc caſu contraria adſint indicationes, reſpectu cauſæ & effectus.

Plura de hoc lege ſupra Lib. 4. Aphoriſ. 62. 64. & apud Cardanum *in commentario.*

Aphoriſmus XLIII.

Quicunque lienoſi difficultate inteſtinorum corripiuntur; iis ſupervenientem longam Dyſenteriam (ſeu difficultatem inteſtinorum) aqua inter cutem, aut inteſtinorum levitas excipit & moriuntur.

Nota:

Nota 1. Vide Aphoriſmum 48. huius libri, qui videtur huic præſenti contrariari.

Nota 2. Similis huic præſenti Aphoriſmo etiam habetur Lib. 7 Aphoriſmo 76.

Contentum ſeu Intentio.

De Dyſenteriæ commodis & incommodis.

Connexio: Cum de hepatis affectione in priori Aphoriſmo dixiſſet Hippocrates In hoc præſenti Aphoriſmo, de affectione lienis verba facit.

Hic Aphoriſmus in duas partes dividitur: In *Primo* loquitur de cruenta ſanguinis dejectione ſeu dyſenteria, ad quam ſi non ſolvatur morbus, ulcerari ſolent inteſtina, & ſequi longa Dyſenteria. In *Secunda* dicit longam hanc Dyſenteriam, ſequi aquam intercutem ſeu hydropem, aut lienteriam ſeu inteſtinorum lævitatem, & tandem mortem.

Seriem ergo quorundam morborum, lienoſis contingentium, proponit in hoc Aphoriſmo Hippocrates, & quidem cum prognoſi lethali, ut mox eſt dictum.

Pro lienoſis autem, non intelligit quoscunque liene laborantes, ſed eos ſolum qui diuturna lienis ægritudine laborarunt cum tumore, obſtructione, & duritie manifeſta in ſiniſtro hypochondrio. Tales enim non tantum acido & melancholico humore abundant, ſed etiam ſeroſitatibus gravantur, fere per totum corpus diſperſis; ſiquidem & ſanguis univerſus, in his malus eſt, & totus habitus corporis fœdus & decolor, nonniſi ab acida ejusdem humoris conditione, & à copia aquoſæ ſuperfluitatis, quæ cum non bene repurgetur, nec in renes deferatur, omnia viſcera naturalia, & totum corpus inficit & conſpurcat. Hinc obſervant Anatomici, carere Renibus animalia illa, quæ ſplene ſunt orbata, & nos paſſim in Praxi experimur, ſpleneticos ex obſt[illegible] aut tumore, parum mingere & urinam [illegible] ferre, decol[illegible] veluti percolatam.

[illegible] tanta excrementorum [illegible]

d[illegible]enterium, & ramos meſen[illegible]

ſplenicos in alvum facta dyſenteriam incurrant, præſertim longiorem, fore plane ut labefactatis plus juſto viſceribus imi ventris, propter diuturnam excretionem cruentam ſimul & doloroſam inteſtinorum, aqua intercutem ſeu Hydrops aut lienteria ſubſequatur, cum interitu infallibiliter ſucceſſuro. Neque enim videri poterit mirum, quod poſt diuturnam dyſenteriam, lævitas inteſtinorum aut hydrops ſubſequatur; nam cum lienoſi, ex nuper traditis, acidis humoribus, & ſeroſis ſuperfluitatibus abundent, procul dubio iſta cumulatiora fient in lienoſis, poſt inteſtinorum difficultatem, tum quia vires ſunt magis infractæ, partim ex dolore & aſſiduo egerendi conatu, partim quoque ex ſanguinis egeſtione; tum etiam quia fermentum Stomachi digeſtivum, vel dilutius omnino fit, vel aciditate infenſius, unde Chyloſes peſſimæ, adeoque & ſanguis, qui ab his reſtaurari deberet; ut propterea tandem Dyſenteriam excipiat lienteria, ſi acidæ iſtiusmodi aquoſæ ſuperfluitates, petant ventriculum & inteſtina gracilia, vel hydrops, ſi per totum corporis diſpergantur, aut in abdominis cavum deducantur. Superveniens autem alterutra ex his affectionibus, mortem inevitabiliter afferet, cum ægrotantem invadat, diuturno morbo affectum & doloroſis evacuationibus male conflictatum, adeoque viribus imbecillem; qua ſane ratione fiet, ut morti brevi ſuccumbat, effœto ſanguine & ſpiritibus exſoluto. Cæterum quod à plerisque ſcribitur, ſubſecuturam mortem, in his à labefactata jecoris ſanguificatione, quoniam jecur putatur perpetuo affectum in Hydrope, nec experientiæ nec menti Hippocratis, in hoc Aphoriſmo cohæret. Non experientiæ, quia hydropici, citra jecoris virium affectū plurimi referuntur, ut alibi jam demonſtravimus; Neque menti Hippocratis qui ex lienis affectione, acido melancholica, futuram inquit dyſenteriam, indeque lienteriam aut Hydropiſmu, nulla facta de jecoris laborantis mentione. Sed & apud Schenkium, Platerum, Bonetum & alios, plerique memorantur Hydropici, ſolius male affecti lienis vitio, & ex melancholico potius humore ſuperabundanti, quam ex Dyſcraſia frigida & humida jecoris, ſanguinem pituitoſum & aquoſum progignentis, quippe ubi lien tumet & acidus ac melancholicus humor prævalet, aqua etiam, & illa malæ conditionis, perpetim quoque ſuperabundat, ut propterea jure optimo melancholiam Hippocrates aquam appellaverit.

Dices: Hippocrates *Aphoriſmo 48. hujus Libri* ait, *Dyſenteriam lienoſis supervenire bonum* Ergo ſibi contradicit. ℞. In Aphoriſmo 48. loquitur de Dyſenteria brevi, in hoc autem de longa, ergo ſibi non contradicit.

Quæres: Uter fluxus periculoſior ſit hepaticus an ſpleneticus? ℞. Licet uterque malus ſit ſpleneticus tamen ob ſuccum acido melancholicum, corroſivum, ulcera cacoethica & cancroſa gignentem pejor eſt.

Plura ſcitu & curioſitate digna ſuper commentarium hujus Aphoriſmi lege apud Cardanum *in commentario.*

Aphoriſmus XLIV.

Quibus à ſtranguria (ſeu ſtillicidio urinæ) volvulus (ſeu Ileos) ſupervenerit, intra ſeptem dies moriuntur, niſi febre ſuperveniente copioſa urina fluxerit.

Contentum ſeu Intentio.

De Stranguria Ileoſa, ſeu Prognoſi Ilei è ſtranguria.

C*onnexio:* Hippocrates noſter tractavit in priori Aphoriſmo & dixit de lienteria quæ longam Dyſenteriam ſequitur. In hoc præſenti Aphoriſmo pergit ad paſſionem Iliacam quæ ſequitur Stranguriam.

Hic Aphoriſmus in duas partes dividitur. In *Prima* dicit morbum morbo ſupervenire, nempe volvulum ſeu, Miſerere mei, ſtranguriæ. In *Secunda* prædicit eventum.

Proponit ergo rurſum in hoc Aphoriſmo, ſicut in priori Hippocrates morbum morbo ſupervenientem conſiderandum, ut exinde exitum utriusque deducat, aut ad ſalutem, aut ad mortem. Aſſert autem exemplum, ſupervenientis Ilei, Stranguriæ, & ait Ileum Stranguriæ ſeu urinæ ſtillicidio ſupervenientem ſeu ſuccedentem, intra ſeptem

ptem dies lethum afferre, niſi tamen febris ſuperveniat, & ſua vi atqve efficacia, urinam reddat copioſam, & affluenter prodeuntem

Quid autem ſit ileos & à qva cauſa fiat, abunde à nobis atqve aliis in Praxi eſt explicatum nempe affectus inteſtinorum qvo excrementa non dejiciuntur, ſed ſurſum tendunt & evomuntur. Et qvamvis à fæcum conſtipatione & duritie, à viſcoſis & tenacibus ſuccis, à ſitu ejusdem inteſtini ilei vitiato, vel per contorſionem, vel per intruſionem, vel per inverſionem, & denique ab inflammatione ejusdem, aut partium circumſtantium oriri ſoleat, in præſenti tamen Aphoriſmo quia ex urinæ ſtillicidio provenire dicitur, putandum à confluxu acrium, & mordicantium humorum, illum excitari, ut propterea, qvi humores in veſicam ferebantur, & urinæ ſtillicidium inferebant, in inteſtinum ileum delati, aut phlogoſim aut inflammationem pariant, maxima autem & viciniſſima communio inter veſicam & inteſtinum ileum intercedit, cum illi proxime veſica ſuperincumbat, qvamobrem prompte poſſunt, ex una in aliam partem, humores decumbere; ſive autem iſti extimas veſicæ partes occupent, ſive etiam muſculum janitorem prorirent, ſive etiam mediam veſicæ tunicam, fibris carneis intertextam infeſtent, plane poterunt illam ad micturiendum ſollicitare, atqve adeo urinæ ſtillicidium inferre: Si præterea delati in inteſtinum ileon, illud inflamment, vel per motum periſtalticum inverſum ad vomendum laceſſant non ſine dolore, & ventris inflatione, profecto fiet, ut mors intra ſpatium ſeptem dierum ſit ſubſecutura, cum ileus morbus ſua natura ſit lethalis, & multo magis ſi fiat ab inflammatione, propter affluxum acrium & mordentium humorum.

Statuitur autem terminus ſeptem dierum, non qvod ſeptimo die mors omnino accidat, cum & ſexto, quinto, quarto evenire poſſit, ſed qvia ſeptimus dies, eſt terminus morborum peracutorum, cujusmodi eſt ileus. Hinc non dixit Hippocrates, in ſeptimo die, ſed in ſeptem diebus, hoc eſt intra ſpatium ſeptem dierum pereunt. Poterunt tamen patientes ab hac calamitate evadere, ſi beneficio febris (qvæ procul dubio affectionem hanc, aut à principio comitabitur, aut intra prædictum ſpatium conſeqvetur) diſſoluti humores denuo in veſicæ cavum repant, & urinam affluenter promoveant; ſiqvidem

promota per febrem fermentatione, & attenuatis humoribus, & laxatis viis, in veſicæ cavum tendentibus, fieri poteſt tranſpoſitio eorundem ab inteſtino ileo in veſicam; & quamvis de ductibus controverti poſſit, attenta nihilominus diligenti & accurata Anatome recentiorum, qui duce Bartholino detexerunt de inteſtinis gracilibus, & præſertim ex ileo, meatus quoſdam deduci ad renes, ureteres, & veſicam, plane ſatis fieri poterit, ejuſcemodi difficultati, quin & ſagax natura mille ſibi (ut ajebat Galenus) parare ſolet vias, per quas ſe ipſam exoneret & a morbis vindicet.

Quod ſi urinæ ſtillicidium fieri dicatur, ab humoribus mucoſis, craſſis & acidis, qui partim tenacitate, partim acore veſicam ad micturiendum ſtimulent, longo facilius poterit, à ſuperveniente febre excitatus ileus deſinere, & mors præcaveri, quandoquidem per febrem viſcoſi iſti humores, faciliime attenuantur & diſſolvuntur, unde poſtmodum urinæ profluvium. Debet autem urina affluenter promoveri, quemadmodum dicitur *in textu*, ut ejuſmodi copia non tantum humores in ileo collecti, ſed alii quicunque per univerſum corpus diffuſi, veluti critice, uberiori mictu penitus egerantur, ſiquidem criſis ut ſit perfecta debet proportione reſpondere quantitati humorum peccantium, qui ſane in iſto caſu, non pauci dicendi ſunt, cum ileum, febrem, & inflationem cum dolore ventris excitaverint. Et quamvis Hippocrates in Aphoriſmo non meminerit, cujus conditionis urina futura ſit, ut patientem ab ileo & à morte tueatur, credere tamen licet eam debere eſſe, non ſolum quantitate copioſam, ſed & craſſam, multo ſale & ſulphure ſaturam, ab abundanti ſedimento ſcatentem, quemadmodum deducere eſt *ex coacis prænotionibus*.

Dices: Si iliaca paſſio poſſet fieri à veſica, plurimum repleta, inteſtinum comprimente, ergo maxime fieret in graviditate, quæ multo majus ſpatium occupat. ℞. Levius ferri in utero fœtum, velut aliquid ſecundum naturam, quam illud quod toto genere eſt contra naturam. Quin & urinæ & alvus ſæpius ſupprimuntur in gravidis à fœtu vias illas comprimente, unde oriuntur pedum tumores & œdemata.

Dices II. Galenus dicit hunc affectum ſeu paſſionem iliacam, non poſſe ab inflammatione provenire, ergo falſo hic aſſeritur. ℞. Galenum intelligendum fortaſſe eſſe de inflammatione utriusque &

in-

inteſtini & veſicæ, quia notiſſimum eſt, quod iliaca paſſio ſæpiſſime fiat ab inflammatione inteſtinorum.

Dices III. Si malum iliacum proveniat ab inflammatione, uti dictum eſt; Ergo per febrem exaſperabitur, quod eſt contra Aphoriſmum. ℞. Satis eſſe, ſi per copioſas urinas poſſit ſolvi malum; non eſt opus ut conjunctive & urinæ & febres operentur: hic enim fit mentio de ileo, qui poſſit per urinas ſolvi, ſi autem proveniat à flatibus, vel obſtructionibus craſſis (ut in contextu innuimus) per febrem poteſt ſolvi.

Plures controverſias præſertim contra Galeni interpretationem legere quis poterit apud Cardanum *in Commentario.*

Aphoriſmus XLV.

Quæcunque ulcera annua ſunt, aut longiore tempore durant, in iis os abſcedere eſt neceſſe, & cicatrices cavas fieri.

Nota: *Similis Aphoriſmus habetur Libro 7. Aphoriſmo 77.*

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi ulcerum & ſpeciatim chronicorum.

Connexio: Cum ſupra Aphoriſmo quarto hujus Libri Hippocrates ſermonem feciſſet, proferens *ulcera circum glabra, maligna* & Aphoriſmo nono *latas puſtulas non valde prurigînoſas eſſe*: In hoc præſenti Aphoriſmo rurſum regreditur ad idem inſtitutum, & de ulceribus ſententiam profert, medico vel potius Chirurgo valde utilem. Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur.

Maxime ergo utilis eſt hic Aphoriſmus in Praxi Chirurgica, pro curandis ulceribus inveteratis. in eo enim edocet Hippocrates, quænam mala conſequantur, ulcera diuturniora, ſimulque reddit cauſam, cur eadem difficillime, quandoque curentur, etſi efficaciſſi-

ma remedia, tum interna, tum externa, fuerint adminiſtrata; quippe ſæpe evenit, ut adhibitam quamcunque diligentiam eludant, nulla que ratione ad cicatricem perduci queant, licet rubra, munda, & ſine ulla inflammatione obſerventur, ac pus referant concoctum, nimmeque fœtidum, quia ſcilicet oſſa illis ſubjecta lividorem aut corruptionem, ab ipſamet diuturnitate, contraxerunt, unde alimentum perioſtio communicatum inficitur, & infectum nullatenus permittit ulcus ipſum conſolidari. Admonentur proinde Chirurgi, aphoriſtica hac Doctrina, oportere ſubjectum os denudari, deinde etiam ſi læſum aut vitiatum & lividum obſervetur, detergi, abradi, deſquamari, quo uſque pars ſana oſſis detecta fuerit. Verum ad exactam totius Aphoriſmi intelligentiam aliqua erunt adnotanda.

Primo quidem memorari hic ab Hippocrate *ulcera annua aut etiam diuturniora*: nam recentia videntur excipi debere, nec ejuſmodi incommodum ſubire tum quia non ſtatim oſſa, & oſſium perioſtia in ulceribus læduntur, nec alimentum quod illis ſuggeritur, ſtatim ab initio contaminatur, tum etiam, quia non ſubito, à pure detento aut vitiato, ulcera ſinuoſa aut fiſtuloſa fiunt, vel ſaltem ſordida & cacoethica, unde profundiores illius partes infici poſſint, tum demum quia magna etiam ex parte reſiſtunt corruptioni & putredini ipſa oſſa, quæ ideo non niſi ad longum tempus fœdari & vitiari ſolent. Itaque ulcera debent eſſe in longum tempus protracta, ut propterea jure optimo dixerit Hippocrates *ulcera annua*, quæ nimirum per annum & ultra perduraverint. Adjecit autem jurementο, *aut longiore tempore durantia*, quoniam non ab annua conditione, ſed a temporis diuturnitate, ſubjecta in ulceribus oſſa inficiuntur. Neque vero diuturniora ſolum ulcera, debent hic intelligi quæ ultra annum producta ſunt, ſed etiam alia quæcunque intra annum curari potuiſſent, & ſanata non ſunt, cum in aliquibus partibus ulceratis curatio facilior eſſe ſoleat, in aliis difficilior; unde experimur partes emunctorias corporis glanduloſas, articularias, aliasque ſimiles difficilius curari, longe facilius carnoſas & muſculoſas, quin & inter has adhuc aliqua differentia obſervatur; nam ulcera in muſculis clunium excitata, ſemper ſunt difficiliora, & ſerius ad cicatricem perducuntur; imo & ulcera muſculorum temporalium periculoſiſſima; quamobrem diuturniora appellari poterunt ulcera illa, quæ præter morem pro-

protrahuntur ſine ulla evidenti cauſa; Dico ſine ulla evidenti cauſa, quia fieri poteſt, ut ulcera in longius tempus differantur, ex mala curatione, & ex imperitia Chirurgi, forte quia non tractantur, iis medicamentorum generibus, quæ à natura ulceris & partis affectæ ſunt expoſtulata, vel quia ſordities non eſt deterſa, vel quia corpus eſt impurum & cacoethicum, vel quia lue venerea infectum, vel quia in ulceribus occultum aliquod detinetur, quod curationi impedimento eſt, prout Galenus refert *Lib. Artis Medicæ*, & paſſim Chirurgi experiuntur in vulneribus, in quibus aliquod extraneum relictum eſt, idſeſt, enſis mucro, ſtuppa, capillus, pila plumbea, tamentum oſſis aliudque ſimile.

Quoties igitur, citra quamcunque cauſam manifeſtam ulcera, quæ cæteroquin apparenter ſalubria videntur ad cicatricem non perducuntur, neque conſolidationem admittunt, vitium in oſſe contractum ſignificant, quod primum abradi & deſqvamari, deinde deterſum complanari expoſtulat, unde cogendi ſunt Chirurgi, ut in his caſibus cavum & profundum ulceris exqvirant, & tum perioſtium, tum os ſubjectum mundificent, atque ab omni vitio tueantur, alias abſceſſus, & decubitus humorum ad partem ulceratam factus, non ſolum curationi impedimento erit, verum etiam talem ac tantam læſionem in ſubjecto oſſe inferet, ut de totius oſſis & totius membri enormi læſione timendum ſit, quare jure merito admonet in hoc Aphoriſmo Hippocrates, ex diuturnitate ulceris abſceſſum in oſſe communicari, & cicatricem cavam fieri ex cauſis ſuperius adductis.

Plura ſcitu digna, ex Chirurgiæ Praxi deduci poterunt: Controverſias vero plures tradit Cardanus *in Commentario*.

Aphoriſmus XLVI.

Qui gibbi ex aſthmate aut tuſſi fiunt, ante pubertatem moriuntur.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi Gibboſitatis.

C*onnexio*: Cum tumores & ulcera, magnam inter ſe, habeant affi-

aſſinitatem; ideo jure merito hunc præſentem Aphoriſmum priori adnectit Hippocrates ; quia gibbi etiam inter tubera numerantur. Hic Aphoriſmus ob brevitatem non dividitur.

Quamvis gibbi plerique ſint & ex multis cauſis tales fieri poſſint, non tamen omnes hic Hippocrates conſiderat, ſed eos ſolum, qvi gibbi fiunt, à dorſi & pectoris ſtructura vitiata, ita ut pulmo & aliæ partes ſpiritales intra pectoris cavum concluſæ, & in anguſtum poſita, in reſpiratione moleſtentur: Etenim non alia de cauſa videntur gibbi hic ab Hippocrate memorati, vitæ periculum ſubire, niſi qvia ſummopere in reſpiratione offenduntur, qvæ ad vitam omnino neceſſaria eſt.

Sed non ſolum gibbos hic conſiderat Hippocrates, cum uſu reſpirationis læſo ſed etiam ante pubertatis tempora; ſiqvidem in ea ætate pectus, nimis anguſtum eſſe ſolet, & cum in ſitu, vacuitate ac figura ſit depravatum, nequit procedente ætate, juxta exigentiam corporis amplificari, qvo fit ut viſcera ſpiritalia, in anguſto ſatis loco concluſa, neqve debitam magnitudinem poſſint adipiſci, neqve pro reſpirationis uſu, commode expandi, unde venæ, arteriæ, vaſa lymphatica, itemqve pulmonis tubuli, cordis ventriculi, pericardium, admodum exilia & contracta putanda ſunt, ut non ſatis commode ſangvinis & cordis motum ad vitæ indigentiam adjuvare qveant, proindeqve neceſſe ſit, vitam procedente ætate, diutius ſuſtineri non poſſe.

Addidit præterea Hippocrates ex aſthmate aut tuſſi gibbos, quoniam tum gibboſitas non ex ſola oſſium introverſione aut extra verſione, ſed ex pulmonis, & cæterarum partium ſpiritalium vitio provenit; nam aſthma & tuſſis morbi ſunt pectoris, & pulmonis. Verum tamen ſicuti ex aſthmate & tuſſi gibboſitas oriri poteſt, ita ex gibboſitate è converſo aſthma & tuſſis non raro fit, ea tamen differentia, qvod in priori caſu gibboſitas illa ſit maxime periculoſa, & plerumqve lethalis; in poſteriori vero caſu, ſit qvidem moleſta, ſed potius diutius prolongari, ſicut experimur in ſenibus. At vero qvi gibbi fiunt ex aſthmate aut tuſſi, propter violentam & continuam contractionem juguli, oſſis ſterni, muſculorum intercoſtalium, coſtæ & aſperæ arteriæ fieri neqvit, qvin ſimul una partes internæ ſpiritales, & externæ pectoris non graviter coafficiantur, præſertim in ætate

puerili

puerili in qua oſſa mollia ſunt, neque debitam expanſionem, ac convenientem ſtructuram ſunt adepta, unde organa univerſa reſpirationi deſtinata, inidoneæ fiunt, vitæ tutioni.

Atque hinc concludit Hippocrates, eos ante pubertatem interire, cum per eam ætatem exigat, naturæ reſpirationem ampliorem, & vaſa circulationi ſangvinis dicata, laxiora eſſe debeant, cumque per gibboſitatem, & partium ſpiritalium contractionem illa inſufficientia ſint, merito proinde dicitur ante pubertatem illos interire. Sed & poſſet etiam Aphoriſmus exponi de gibbis illis ex aſthmate, aut tuſſi factis ante pubertatem, ut proinde ſenſus fiat, non quod ante pubertatem moriantur, ſed quod gibbi ex aſthmate & tuſſi, ante pubertatem facti, in longum tempus vivere non poſſint. Quocunque autem modo Aphoriſmus legatur, ſemper exitus in his lethalis portenditur, quia cum gibboſitate reſpiratio, & motus cordis ac ſangvinis plurimum impeditur ac interrumpitur, unde vita diu foveri non poteſt; hinc etiam gibboſi à nativitate diu durare non ſolent, raro enim ſexageſimum annum pertranſeunt ex dictis rationibus.

Advertendum autem quod gibboſitas vel eſt *angulata*, cum una vertebra ex altera recedit, ita ut angulus ex ambabus fiat; vel *arcuata*, cum multæ vertebræ ſimul incurvantur: rurſus unaquæque vel intus eſt, vel extra, vel ad latera; & iterum vel pertinet ad collum & cervicem, vel ad thoracem, vel lumbos; vel oritur à nativitate vel ex morbo, ut jam dictum.

Animadvertendum itidem quosdam in textu addere *ſtatim moriuntur*, quod verbum *ſtatim* vel ſignificat quod moriantur ſimul, ac fit gibboſitas, vel quod repente moriantur, licet paulo poſt: quod utrumque contingit; nam ſuffocantur ſtatim, aut paulo poſt repente moriuntur.

Dices: Gibboſitas potius videtur dilatare thoracem, puta illa quæ ſecundum curvitatem fit. ℞. Quod licet ex una parte dilatetur, ex aliis tamen anguſtior fit, unde Hippocrates *Lib. de Articulis* ſcripſit: *quibus gibba ſit ſpina, dum pueri ſunt, priusquam corpus ad augmentum plenum perductum fuerit, his corpus juxta ſpinam adaugeri non ſolet, ſed crura quidem ac manus perficiuntur, illa vero partes defectuoſa ſunt: & quibus ſupra ſeptum transverſum gibboſitas ſit, his & coſta in amplitudinem augeri non ſolent, ſed in anteriorem*

Nnn nnn *partem*

partem & pectus acutum ſit, ſed non latum, & ipſi difficulter ſpirant & ſtridulam faucium aſperitatem habent, hæc cauſa eſt, cur gibbi diu vivere nequeant: Hæc Hippocrates.

Inſtabis: Duplex ſæpe eſt fornicata ſeu dilatata gibboſitas, & dorſi & pectoris ſimul, Ergo utrinque magis dilatatur thorax, Ergo nulla reſponſio. ℞. Licet in reciproca ſeu utrinque facta gibboſitate compreſſionis minor ſit neceſſitas, tamen major eſt tenſionis, adeoque etiam difficilior reſpiratio, ob motum pulmonum impeditum, quando ligamenta, quibus pulmones & pectori & dorſo ligantur, fortiter renduntur.

Plura notatu digna de gibboſitate lege apud Cardanum in Commentario.

Aphoriſmus XLVII.

Quibus venaſectio, aut purgatio prodeſt, hic vere ſecunda vena, aut purgatio imperanda.

Nota: *Similis Aphoriſmus habetur Lib. 7. Aphor. 53.*

Contentum ſeu Intentio.

De Curationibus univerſalibus.

Connexio: Cum in antecedenti Aphoriſmo Hippocrates de gibboſitate ſcripſiſſet, quæ ad tumorem ipſius ſpinæ & morbos thoracis ſequitur, in hoc præſenti Aphoriſmo, de commodo tempore agit auxiliorum medicorum, quibus etiam gibboſitas illa præcaveri, aut commodius curari poſſit.

Hic Aphoriſmus brevis eſt, & breviter & ſimpliciter concludit unde non dividitur.

Multoties corpora morbis obnoxia, ad ſui præſervationem indigent evacuationibus, tum per venæ ſectionem, tum per purgantis medicamenti aſſumptionem; ſed quia non quocunque tempore, ejuſmodi remediorum adminiſtratio opportuna eſt, docet pro-

propterea in hoc Aphoriſmo Hippocrates, quodnam tempus ſit conveniens & opportunum, adeoque magis aptum purgationibus, aut venæ ſectionibus, ut illæ ex voto ſuccedant & proficiant.

Ar vero non de quibuscunque corporibus, quomodolibet affectis, intelligendus eſt hic Aphoriſmus, ſed de iis duntaxat, quæ præſervatione indigent, ne in morbos labantur, & in quibus humores mali adeo ſuper abundant, ut nullo alio leviori præſidio poſſint emendari, ſed omnino evacuatione egeant; quamobrem non immerito Hippocrates in Aphoriſmo ſcripſit: *Quibus venæ ſectio aut purgatio prodeſt*; vel ut alii vertunt; *quos opus eſt purgare, vel ſanguinis detractione evacuare*, iſti autem non niſi cacochymi vel plethorici eſſe ſolent, & ut cacochymi purgatione, ut plethorici, ſanguinis miſſione indigere videantur.

Corpora namque actu ægrotantia, ſicut præſentibus, non imminentibus morbis afficiuntur, ita curatione, non præſervatione opus habent. perperam enim quis ageret, ſi morbo jamjam exigente, purgatorium medicamentum, in vernale tempus differre vellet, cum tamen interea, increſcente morbo, facile æger ante hoc tempus perire poſſet. Itaque Aphoriſmus intelligendus eſt, in corporibus præſervandis, non autem curandis, quippe corpora præſervanda, licet actuali morbo, minime corripiantur, ſint tamen adeo male affecta, cauſis ægrotare facientibus, ut ne progreſſu temporis, iſtæ plurimum aduſtæ, vel vitiatæ morbos excitent, peropportune antequam morbos pariant, ab iisdem purganda ſint, & quidem tempore convenienti, quale vernale eſt, priusquam per æſtivum calorem, in morum fermentationem præternaturalem adigantur.

Quænam autem corpora iſta ſint, quæ verno tempore præſervari debent, ne poſtmodum per æſtatem in morbos labantur, inquiſitione dignum: & recte exponuntur à Galeno, & cæteris interpretibus, quæ per æſtatem ægrotare conſueverunt; puta, ſi quis diebus canicularibus ſolitus ſit alias corripi terriana febre, eryſipelate, diarrhæa, & aliis ſimilibus morbis, quia propter ſuper abundantiam excrementorum acrium ſeu biliosorum, prædictos morbos æſtivo tempore incurrere conſuevit, profecto antequam æſtas acceſſerit; purgante medicamento, ejuscemodi ex-

crementa biliosa', acria & depravata, educenda erunt, ne ſcilicet quantitate adaucta, qualitate corrupta, & in corpore diutius detenta, in ſubſequente æſtate febres & alios morbos acutos, cum manifeſto vitæ periculo excitent.

Quod dictum eſt, de vere reſpectu æſtatis, pari ratione ampliari poteſt ad autumnum reſpectu hyemis, quoties hyemali tempore, conſueverint morbi pluries recurrere, & corpora divexare; unde ſi fortaſſe quis per hyemale tempus, ſolitus ſit laborare morbis pituitoſis aut lymphaticis, poterit præcedenti tempore autumnali, opportune repurgari, à cumulatis ejusmodi excrementoſis ſuperfluitatibus, antequam iſtæ per hyemen adauctæ, & depravatæ, ſolitos illos morbos inducant.

Disjunctim præterea notavit Hippocrates *medicationem* aut *vena ſectionem*; nam non in omnibus, indifferenter utraque adhibenda eſt, ſed prout habitudo corporis, morbi conditio, & apparatus humorum expoſtulaverit, quare corpora plethorica, carnoſa, ſanguinea, & quæ aliquam ſanguinis evacuationem ſuppresſam patiuntur, à qua alias juvamentum ſuſceperunt, *vena ſectione* tractanda erunt; quæ vero cacochyma ſunt, & excrementis abundant, vel in morbos delabi conſueverunt, humorales dictos, medicationibus ſeu purgationibus erunt præſervanda.

Neque ſolum iſta diverſimode peragenda erunt, pro corporum varietate & humorum conditione, ſed etiam pro varietate ætatum, temperierum, regionum, conſuetudinum; cum quædam corpora, per ejusmodi circumſtantiarum diverſitatem, hoc vel illo remediorum genere, in melius procedere ſoleant.

Denique imminentes morbi, debent eſſe tales, ut præter timorem certæ repetitionis in æſtate, aut in hyeme, gravitatem, diuturnitatem, aut vitæ periculum rationabiliter minentur, quamobrem ſana ratione, ſuperius dictum eſt, nullo alio leviori præſidio poſſe emendari. Nam ſi fortaſſe ſola diæta, & exacta victus ratione, aut certo alimentorum genere, & recto uſu ſex rerum non naturalium, præcaveri poſſent, nequaquam confugiendum erit ad venæ ſectionem aut purgationem. Ita quoque ſi poſſint eadem præſervari medicamentis corrigentibus, aut etiam per alios ductus corporis deducentibus humores, puta, per ſudorem, aut vias urinæ, ſimiliter ſi per

vomitum, ut in corporibus Pichrocolis dictis, & in quibus facilis eſt vomitio, aut ſponte natura humores per ſuperiora feruntur, ut ab eodem Hippocrate *Lib. 4* in Aphoriſmis plurimis dicitur. Hinc excipiuntur morbilli, qui immateriales dicuntur, hoc eſt ab humoribus non pendentes, aut quæ à ſolo viſcerum languore originem ducunt, adeoque ſola correctione, non autem evacuatione curantur.

Quoniam vero in hoc *Commentario* Galenus conſulit, Podagra, & cæteris articularis doloribus affectis purgationibus quoque per eadem tempora præcaveri poſſe, cum dicat, *Sed & Podagram & morbum articularem adhuc incipientem, & nondum poros circa articulos facientem, ex tali evacuatione, multis jam annis fieri prohibuimus.* Qui hac ratione, ſe tutos ab illa credunt, perbelle deridet Podagra apud Lucianum *in ſua Trago podagra*, jactabunda ſic illos eludens;

Quis eſt hominum, cui non ego, inſuperabilis.
Regina morborum Podagra nota ſim?
Quam nulla Thura, nulla fumigatio,
Nec fuſus apud aras cruor, aut donaria
Suſpenſa Templis divitum placabilem
Reddunt: Nec ipſo vincere ſummus omnium
Pœan Deorum Medicus, arte ſua poteſt,
Apollinisve filius Æſculapius &c.

Et infra poſtquam retulerit, varia remediorum genera quibus eandem retundere ſibi mortales perſuadent, & plurimas, ut ſe ipſam vincant, induſtrias adhibent, tandem concludit.

Sed omnibus illis nil, niſi plorare impero:
Et ſic facientibus vel irritantibus,
Occurrere ſoleo magis iracundior;
Qui vero contra me nihil ejus cogitant,
Illis facilem & tractabilem me præbeo.

Verum ut ut res ſe habeat, firmo tamen ſemper ſtabit talo, in corpore cacochymo & Plethorico, vel ubi cacochymia aut Plethora, tanquam cauſæ univerſales adſunt, vix non in omni morbo ab iisdem dependente alvi deductio, aut ſanguinis detractio prodeſſe ſolet, nec eſt remedium in mundo, quod juvando ſit potentius, in nocendo

Google

do vero innocentius venæ ſectione , quod ipſa Praxis quotidiana conteſtatur.

Signa venæ ſectionem indicantia proponit Poeta.

Qui vivunt hilares, cantando, bibendo, jocando,
Et ducunt lætos, forte ſavente dies.
Candida ſi tacitas, ignorant pectora curas:
Si nox in ronchis, luxque ſedendo perit;
Quos duplices cænæ, quos prandia longa fatigant
Crapula queis cerebrum, quotidiana ferit.
Qui retro fornacem ſua viſcera farcit, edendo:
Quique ſaginatis, & ſimilis ſuibus.
Convenit ambobus vaſorum ſectio: venas
Huic lancetta ferit: Sus lanione perit.

De ſignis autem medice indicantibus & prohibentibus purgationem & venæ ſectionem conſulantur inſtitutiones Medicæ.

Reliquas controverſias ſuper hoc Aphoriſmo, legere quis poterit apud Cardanum *in commentario.*

Aphoriſmus XLVIII.

Lienoſis , difficultas inteſtinorum ſuperveniens bono eſt.

Nota : *Hunc Aphoriſmum , quantumvis apparenter contrarium* Aphoriſmo 43. hujus Libri , *eundem tamen ibidem attigimus & pro parte explanavimus ; Sed hoc non obſtante , ejusdem et explanationi quemadmodum ſequitur incumbendum adhuc intendimus ; ibi enim dictum eſt de commodis & incommodis Dyſenteriæ, in hoc vero ſolum commoda ejusdem explanabimus.*

Contentum ſeu Intentio.

De Dyſenteriæ commodis.

C*onnexio* : Cum ergo in mox dicto Aphoriſmo 43. hujus Libri Dyſenteriam Hippocrates damnaſſet in lienoſis. In hoc præſente

te Aphoriſmo eandem extollit: Quin imo cum in præcedente Aphoriſmo, de venæ ſectione & purgatione in vere faciendis dixiſſet; Nunc in præſenti lienoſos aſſerit ſalvari fluxu alvi, quaſi diceret, in vere potiſſimum.

Lienoſi hic intelliguntur, qui lienis vitio laborant, ſed cum tumore citra inflammationem, aut febrem, quia ſcilicet craſſa & tartarea excrementa ibidem collecta ſiniſtrum hypochondrium tumefaciunt, lienis ductus obſtruunt, & totum corpus ſeroſis, ac vitioſis humoribus acidis & melancholicis inficiunt: Cumque difficulter humores iſti poſſint evacuari, & lien ab eorundem craſſitie ac denſitate ægre admodum liberetur, propterea fit, ut non tam facile, medicamentorum beneficio oppletus, preſſusque ille inaniatur.

Solet tamen ſponte naturæ non raro, moles ejus adaucto diminui, & per ductus proprios, in meſenterium & inteſtina exonerari, transfuſis nimirum ejusmodi humoribus in alvum, unde Dyſenteria, hic ab Hippocrate notata, non quidem inducta à vitio ſuccorum Pancreatici & biliosi, neque ab eroſione venarum aut arteriarum inteſtinalium, ſed per ſolam metaſtaſim decumbentis humoris, è liene in inteſtina craſſa, cujus cauſa frequens, ſed non adeo doloroſa dejectio exoneretur, ut in vera Dyſenteria inteſtinali id quod non ita pridem contigit obſervari in nobili quodam viro, qui per integram hebdomadam atrum & craſſum humorem, amittere ſanguinis non diſſimilem, non tamen, ſine vitæ periculo abundanter egeſſit. Verum tamen bonum erit indicium, ſi exinde lien ab ejusmodi evacuatione detumeſcat, & univerſi illi humores, ibidem cumulati excernantur, viribus ſimul una conſtantibus.

Accedit quod lienoſi plerumque ſeroſis humoribus abundant, qui ab acido ibidem hærente, ſiniſtrum illud hypochondrium tumefacere ſolent; ſi deinde ſponte naturæ ſeroſa illa colluvies in alvum deferatur, lien ipſe detumeſcet, & ductus ejusdem obſtructi reſerabuntur, totumque corpus exinde male affectum exonerabitur, atque in meliorem ſtatum abibit.

Eſt tamen verum quod Dyſenteria, hic ab Hippocrate memorata, intelligenda erit ſine inteſtinorum ulcere aut inflammatione, & fortaſſe etiam ſine febre, quam plerique ſub nomine Diarrhoeæ potius quam Dyſenteriæ ſolent appellare.

Ete-

Etenim ſi Dyſenteria ſit cum ulcere inteſtinorum, vel cum eorundem inflammatione, & febri conjuncta, plane ex his pertimeſcenda foret, adhuc ſi è liene tumefacto penderet, adeoque bonum non foret, cum Dyſenteria quæcunque ſemper mala ſit, tum ratione partis affectæ, tum ratione ulceris ibidem contracti, tum denique ratione ſymptomatum adjunctorum, & præſertim febris acutæ.

Hinc modo edocemur ſinendam eſſe ejusmodi evacuationem, in lienoſis, ſi ſubinde lien detumeat, cum ægri levamine, & virium conſtantia: quin ſi fortaſſe natura tarda ſit, & ægre admodum hanc transpoſitionem tentet, aut illam non perficiat, potens ſagax Medicus eandem explere. Pari ratione admonemur, lienoſos per easdem vias alvi, fore evacuandos medicamentis purgantibus, ſed attenuantibus ſimul, & incidentibus, cum plerumque humores ibidem hærentes craſſi & tartarei ſint, nec facile poſſint per alios ductus corporis amandari, niſi ſolum per inteſtina.

Quod ſi poſt craſſorum ſuccorum evacuationem ſeroſi alii ſuperſint, qui forſan nequiverint ſimul una nec tam brevi tempore evacuari, diureticis plane medicamentis, per vias urinarias deduci poterunt, cum inter lienem & renes magnus conſenſus ineat, ut ex Anatome patet: Quamquam, ſi craſſi & tenaces ſucci fuerunt educti, veriſimile ſit ſimul una quoque tenues & ſeroſos, per eosdem ductus commode potuiſſe evacuari.

Animadvertendum, quod non ſolum lienoſis ſed & hepaticis superveniens dicta Dyſenteria morbum ſolvere poteſt: Exemplum habet Hippocrates famulæ hepaticæ, cui per ſeptem annos menſes defecerunt, & Dyſenteria facta per ſeptem dies, inde Diarrhætica ſanata eſt, & menſes illi effluxerunt. Exemplum ſane mirabile cum ipſe Hippocrates *Lib. de morb. mulierum* ultra ſex menſes, menſtruorum retentionem, inſanabilem ſcripſerit, cum præter naturam eſt.

Plura legi & reperiri poſſunt ex *Aphoriſmo 43. hujus libri* & apud Cardanum *in Commentario*.

Apho-

Aphoriſmus XLIX.

Qui Podagrici morbi fiunt, ſedata inflammatione, intra dies quadraginta conquieſcunt.

Contentum ſeu Intentio.

De Termino Podagricorum.

Connexio: Cum Hippocrates Aphoriſmo quadrageſimo ſeptimo, de præſervatione, quæ in morbis fit, per venæ ſectionem aut purgationem dixiſſet: In hoc præſenti Aphoriſmo loquitur de Podagra, quæ inter alios morbos, ut ibidem dictum, per iſta remedia in vere præcaveri ſolent.

Terminum Podagricarum affectionum hic memorat Hippocrates, dierum ſcilicet quadraginta, cum ſponte ſua & citra quamcunque cauſam externam aut errorem, tum ab ægrotante, tum a medico commiſſum, producuntur: Neque ſolum Podagræ ſed cujusvis alterius articularis morbi terminum implicite in hoc contineri exiſtimandum, ſiquidem par ratio in cunctis eſt, cum non à partibus affectis, manu ſcilicet vel pede, ſed ab humoribus ibidem depoſitis, & à loco articulari, terminus quadraginta dierum conſtituatur. Qua profecto ratione experimur rheumatiſmum, & rheumaticas quaſcunque affectiones, in appendicibus muſculorum habitas, ſimili dierum numero terminari ſolere.

Sed quamquam quadraginta dies hic ab Hippocrate, pro termino deſitionis podagricorum affectuum referantur, non tamen quis exiſtimabit, & ante hoc tempus, & multo poſt finiri non poſſe; Siquidem juxta variam humorum decumbentium conditionem, ac copiam majorem vel minorem, & citius & tardius poterunt morbi iſti deſinere, unde ſi humores pauci ſint & tenues, citius, tardius vero, ſi multi & tenaces fuerint, terminabuntur; Sic in Tophacea ſeu nodoſa Podagra, plerique ſunt, qui ad menſes, & ultra laborant, ſine ulla ſpe brevioris deſitionis. Quamobrem non ſine ratione adjecit Hippocra-

 tes

tes in textu; *Sedata inflammatione*, nam cum inflammatio eas partes occupat, terminus deſitionis ſperatur quadrageſima dies, humores enim depoſiti in articulos, cum inflammatione, non niſi tenues & calorem præſeferentes eſſe ſolent: Inflammatio autem in his conſpicua fit, quia non ſolum internodia, & partes interiores articulorum, ſed etiam appendices muſculorum, tendinum & ligamentorum, imo & cutis ipſa inflammari conſuevit. Contra vero cum humores ſunt craſſi, crudi, phlegmatici, citra quamcunque inflammationem articulos afficiunt, imo quandoque referunt conditionem tumoris œdematoſi. Tempus etiam vel æſtivum, vel hyemale, ad durationem breviorem vel longiorem valde conferet, promota nimirum vel retardata per poros cutis tranſpiratione.

Præterea neque dixit Hippocrates deſituram eſſe podagram, in quadraginta diebus, ſed inflammationem fortaſſe cum Podagra copulatam, unde tunc iſta finienda ſperatur, cum inflammatio deſierit. Primo enim terminari debet inflammatio, in articulis inducta, poſtea vero morbus podagricus aut articularis. At qua de cauſa, tantum tempus exigatur, ut inflammatio deſinat, bene explicat Galenus *in Commentario*, quia humores illi debent ſenſim diſſlari & per poros cutis diſſolvi, quod ſane nequit peragi, intra breve tempus, ſed omnino neceſſe eſt, ſpatium quadraginta dierum, qui terminus eſt acutorum morborum, quare inflammatio, quæ morbus acutus eſt, ejusmodi termino finietur; Podagra vero quæ inter morbos chronicos refertur, etiam ultra hoc tempus prorogari poterit, & ut dictum, pro varietate adhuc humoris ibidem collecti, vel paucioris, vel copioſioris, vel craſſioris, vel tenuioris. Accedit quod ex languore articulorum, & ex conditione Phlegmatis ibidem congeſti, acidum referentis, multoties humores iſti vertuntur in Tophos, unde tophacea & nodoſa Podagra, quæ ſane longiſſima fit, & ſæpius immedicabilis de qua Ovidius:

Solvere nodoſam neſcit Medicina Podagram.

Quin imo articuli ipſi ita convelluntur & diſtorquentur, ut luxationem ſubeant, nulla ratione reducibilem, ut docet Praxis.

Cæterum licet terminus hic ſtatutus in rheumaticis affectibus, paſſim talis obſervetur, ſicut & non raro in repetentibus podagricis

affi-

affectionibus, non tamen de univerſali, totoque durationis tempore Podagræ, intelligendus eſt, quippe quæ cum longiſſima ſit, cum podagricis ipſis conſeneſcit, & ſæpiſſime commoritur.

Plura qui de Podagra ſcire anhelat, conſulat Practicos & Cardanum *in commentario.*

Aphoriſmus L.

Quibus diviſum eſt (ſeu præciſum) cerebrum; his febrem & biliosum vomitum ſupervenire eſt neceſſe.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi vulnerum capitis.

C*onnexio*: In præcedenti Aphoriſmo Hippocrates docuit, & eventum & tempus eventus dignoſcere in Podagra: In hoc præſenti Aphoriſmo ponit dignotionem loci affecti id eſt ipſius cerebri

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur.

Eſt autem hic Aphoriſmus prognoſticus, quo nos edocet Hippocrates quid præſagiendum ſit, à præciſo vel diviſo aut læſo cerebro, ſimulque etiam erit diagnoſticus, cum ex ſymptomatibus hoc loco memoratis, ducamur in cognitionem cerebri præciſi: ubi autem Leonicenus vertit *cerebrum præciſum*, Fuchſius clariori ſignificatione exponit *vulneratum*, quin imo & nos, quomodocunque *contuſum, punctum, concuſſum, aliterque exagitatum*, pari ratione interpretari poterimus; quare ad partem Chirurgicam ſpecialius pertinere videtur monitum hoc præſenti Aphoriſmo memoratum.

Et quidem cum cerebrum eſt vulneratum aliterve affectum, non ſolum ratione vulneris febris accidit, ſed ſpecialius à ſanguine è vulnere prodeunte & in pus converſo; quoniam ſanguis alicubi reſtagnans, ſtatim grumeſcit, & in pus vertitur, unde poſtmodum febris, quæ & acuta & continua erit, tum ratione partis affectæ, tum

ratione concluſi ibidem puris, vel alius corrupti liquoris, qui non tantum cerebrum ejuſque meninges, ſed & per tranſeuntem ſanguinem, ſtatim inficit, atque in indebitam fermentationem adigit; Cum fieri non poſſit, quin vulnerato cerebro meninges etiam ſciſſæ non ſint, & proinde præterfluens per eas ſanguis depravetur, & inflammatio ibidem excitetur, modo inflammationes in meningibus cerebri ſtatim febrem inferunt, continuam ſimul & acutam. Eſt tamen verum, quod non ſemper febris hæc ſtatum, & inter initia vulneris contingit, cum aliquando ſit obſervatum, tertia aut quarta die illam ſupervenire, quia ut dictum, non tam ratione vulneris, quàm ſanguine extravaſato, corrupto aut in pus converſo febris oritur. Atqui pus non ſtatim fit, ſed plerumque tertia aut quarta die, ut propterea rationabiliter dixerit Hippocrates, *febrem ſupervenire*, non comitari. Hinc ſi forte in vulneribus capitis, febris poſt tertium aut quartum diem non appareat, probabiliter conjicere poterimus cerebrum, ejuſque meninges, haud quamquam fuiſſe vulneratas.

Neque ſolum febris ſupervenit cerebri vulneribus, ſed etiam vomitus, ſiquidem vulnerato cerebro, meninges etiam, & principium nervorum afficiuntur, unde poſtmodum ſtomachum, ventriculum, ſeptum transverſum, & cæteras partes nerveas, ſimul una collædi neceſſe eſt, imo etiam contrahi & convelli, adeoque vomitum ſubſequi, qui peculiaris actio ventriculi eſt, quin imo non raro accidit, ut ſtatim ab affecto & vulnerato cerebro, ille ſuccedat, ut & ſingultus, & Diaphragmatis coarctatio, ob maximum conſenſum, quem inter ſeſe partes iſtæ cum cerebro ineunt. Neque ſolum ſi cerebrum vulneretur, vomitus accidit, ſed etiam ſi ſcindantur aut lacerentur meninges, quæ cum nervoſiſſimæ ſint, imo nervos & nervorum liquorem conveſtiant, ſemper ac illæ afficiuntur, partes cum ipſis conſentientes, ſtatim mutuo fibrarum commercio in conſenſum trahuntur, quemadmodum ſpecialiter eſt Stomachus, multis refertus nervis è vago pari provenientibus.

Quamquam autem vomitus ſæpiſſime, pauſo poſt inflictum vulnus ſubſequatur, ſolet nihilominus etiam tertio aut quarto die ſupervenire, præſertim a ſanguine putrefacto, à ſanie & a pure jam genito, quod cum non ſtatim fiat, neque ſubito vomitum afferet,

poſt

poſtquam vero ſanguis effuſus in pus verſus fuerit, atque cerebri meditullium, ac principium nervorum pertigerit, vomitum inducet. Atque hinc deducunt peritiores practici mortem proxime eſſe affuturam, ut propterea, ſi contingat vomitus in quarta, æger erit periturus in ſeptima; & ſi accidat in ſeptima, periclitabitur in undecima, & ſic deinceps, eo quod vulnera capitis & cerebri, periculum ſemper vitæ minentur, quouſque non fuerint ex integro ſanata; ſed & aliquando etiam viſa apparenter curata, mortem attuliſſe, ichore ex vulnerata parte in cerebri meditullium reſidante, quamobrem, non ſine ratione pleríque ad centeſimum quoque diem periculum vitæ protendi exiſtimarunt, ut apud Chirurgos legere eſt: Et ipſemet caſum hunc in Juvene Romæ in Noſocomio conſolationis degente obſervavi, qui ex graviſſimo cerebri & meningum penetrante læſione, quadrageſimum diem ſuperavit, & tandem apoplexia interiit, ubi pariter doctus ſum, quo modo apoplexia fiat, cum cranium ejus ſat late trepaniſatum, ocularem admiſit inſpectionem

Sed unde accidat vomitus bilioſus, & utrum à ſolo bilis vomitu, periclitentur ægri, quæri non incongruenter hoc loco poteſt. Et quidem bilis vomitus in his accidit, vel quia ob nervorum convulſionem contrahitur ventriculus, & cum ventriculo pylorus, unde inteſtinum duodenum, in quod per cholidochum ductum portio fellea exoneratur, etiam motu periſtaltico inverſo ſurſum retrahitur, & in ventriculi cavum bilioſum iſtum humorem effundit, qui deinde evomitur; vel quia portiones cibales, in ventriculo relictæ, nec bene digeſtæ, ac propterea in alium humorem degeneratæ, per febrem ex vulnere cerebri ſupervenientem commutantur in excrementa amaricantia, quæ conditionem bilioſam referunt, unde vomitu superveniente poſtmodum evacuantur; id autem ſæpe ſæpius experimur in Praxi, quotieſcunque ventriculus male affectus, non bene concoquit, nec diſſolvit alimenta, & ex inconvenienti mixtura, ſuccorum digeſtioni deſtinatorum emergunt ſuperfluitates amaricantes, bilis naturam referentes.

Verumtamen etiamſi vomitus bilioſus non ſit, nec amarorem referat, adhuc nihilominus ejuſdem pravitatis exiſtimandus erit, quotieſcunque ex vulnerato cerebro accidit: malum enim exinde ſigni-

ſignificatur, non quod bilioſus humor evomatur, ſed quod ex vulnerato cerebro vomitus accidat; parum enim referet, an vomitus bilioſus an acidus vel pituitoſus, aut cibarius ſit, nam ſemper malus erit, veluti deſignans ex vulnere cerebri meditullium, & nervorum principium, ab effuſo ſanguine, & a ſupergenito pure autichore, in eam partem decumbente, fuiſſe affectum: modo gravis iſta affectio a pure vel alio humore deciduo, in principaliorem cerebri partem periculoſa ſemper eſt.

Denique quod à ſupervenientibus duobus hiſce ſymptomatibus, febre nempe & bilis vomitu, ægri ſint proxime periclitaturi, licet hic ab Hippocrate non ſit memoratum, expreſſe tamen deducitur *ex Libro primo de morbis*, ubi hic Aphoriſmus in hunc modum ſcribitur: *Si cerebrum ſauciatum fuerit, febrem neceſſe eſt ſupervenire, & bilis vomitum, & aliquam corporis partem ſiderari atque perire.* Et in *Coacis Prænotionibus Sect. 3* id ipſum fere repetitur: *quibus cerebrum vulneratur, febris plerumque ac bilis vomitus accidit, & corporis ſideratio, atque tales pernicioſe habent*: quin etiam *2 Lib. de morbis* addit, *cerebro corrupto ſanguinis vomitum ſæpe ſubſequi.* Cæterum quod ſanguis aliquando etiam in his exeat per nares & aures adnotarunt Celſus *Lib. 5. Cap. 26.* & Paulus *Lib. 6. Cap. 88.* licet non ſemper cum cerebri vulnere conjungatur, ſed potius in ictu, contuſione, caſu, in quibus aut ſanguis aut pus ex ſanguine genitum, exteriores cerebri partes occupat, & per ſuos ductus, facilius educi poteſt, quemadmodum in Praxi ſæpe eſt obſervatum.

Signa vulnerati cerebri refert Hippocrates in mox prænotatis locis; nempe linguæ balbuties, ſubitus in terram caſus, vertigo, marmaryges ſeu fulgores & corruſcationes oculis obverſantes ſanguis per nares, os, aures, oculos effuſus, veternus ſeu lethargus, vocis privatio, reſolutio corporis, mentis læſio, pedum torpor, convulſio, vomitus, febris & alia hujuſcemodi.

Controverſiæ plures ſi quæ deſiderentur, legantur apud Cardanum *in Commentario.*

Apho-

Aphoriſmus LI.

Qui valentes (ſeu ſani) capitis repente doloribus corripiuntur, & protinus muti fiunt, & ſtertunt, intra ſeptem dies intereunt, niſi febris eos prehenderit.

Nota: Hic Aphoriſmus late explanatus eſt Lib. 5. Aphoriſmo 5.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi Apoplexia.

C*onnexio*: In Aphotiſmo antecedenti Hippocrates attulit prognoſticum ſignum, diviſi & ſauciati capitis, cerebri & meningum. In hoc præſenti Aphotiſmo pariter proponit divus Senex prognoſticum funeſti termini gravis ejusdem cerebri, ſoporoſi affectus, atque ita, non tantum ratione loci affecti, verum etiam ipſius morbi, duo hi Aphoriſmi connectuntur.

Hic Aphoriſmus ergo in duas partes dividitur: In *Prima* ponitur terminus affectus ſoporoſi: In *Secunda* docetur quo modo ejus cauſa diſſolvatur, & exitium evitetur per ſupervenientem febrem.

Ad prognoſim ergo quoque pertinet hic Aphoriſmus, in quo Hippocrates edocet bene valentes, dolore capitis repente correptos, ſi ſtatim obmuteſcant, & ſtertant, intra ſeptem dies perire, niſi febris eos apprehenderit. Et quidem ſanos, beneque valentes hic conſiderat Hippocrates, non autem ægros aut valetudinarios, in quibus hæc omnia evenire poſſunt, ſed alia profecto de cauſa, quæ dolorem capitis afferat, & mox etiam Aphoniam ſeu obmuteſcentiam cum ſtertore, ſiquidem potentior plane cauſa exiſtimanda eſt, quæ ejusmodi affectum exciret in ſanis, quam quæ in valetudinariis. Itaque ſani beneque valentes, ſi dolore capitis repente capiantur, vi & violentia cauſæ externæ, aut virulentia & malignitate cauſæ internæ, taliter affecti intelligendi ſunt: & quidem vi ac violentia cauſæ exter-

næ,

næ, puta ebrietate ex vino meraciori, aut uſu alicujus medicamenti narcotici ac ſtupefactivi, quemadmodum in expoſitione *Libri quinti, Aphoriſmi quinti* late adnotavimus, & etiam repetitur infra Lib. 7. Aphor. 58.

Virulentia vero cauſæ internæ, videlicet humoris maligni, acidi, figentis & coagulantis, humores per cerebri ſubſtantiam diffuſos, prout ipſe Hippocrates *2. de morbis*, alia Phraſi illum retulit, inquiens. *repente* dolor occupat caput, & vox intercipitur, & ſui impotens æger fit; hic in ſeptem diebus moritur, niſi febris invaſerit. *patitur autem hoc cum atra bilis in capite commota, fluxerit in partes, ubi venæ plurimæ ſunt, in collum inquam, & pectus, poſtridie autem apoplectus fit, atque impotens ſanguine nimium perfrigerato:* & *3 de morbis* ſubdit *cum à capite dolor acutus, ſtatim vocem intercipit, tum alias, tum ſi ex ebrietate hoc contingat. qui ſic affectus eſt, ſeptimo die moritur, minus tamen moriuntur, qui ex ebrietate tale quid perpeſſi ſunt, & voce privati permanſerunt; nam ſi eadem die, aut poſtero aut tertia vocem edant, ſani evadunt; faciunt autem hoc aliqui ex ebrietate, & neutri moriuntur.*

Quoties igitur ex præcedenti dolore capitis repente ſuborto, Aphonia accidit cum ſtertore, non tantum cerebrum ſed etiam nervi vocales in aſperam arteriam & in vaſa ſpiritalia tendentes afficiuntur, & ſive morbus de genere Apoplexiæ fiat, ſive ad ſpeciem ejus referatur, ut vult Cardanus, ſive etiam convulſionis naturam ſapiat, procul dubio ex quibusvis, horum morborum, æger perire potent. Quomodo autem id contingat, deſcribitur ab eodem Hippocrate *2. de morbis*, his verbis. *Sanum repente dolor, circa caput invadit, ſtatimque vox intercipitur, ſtertit & os hiat, ſiquis ipſum vocet, aut moveat, ſolum ſuſpirat. nihil autem intelligit & multum mingit & ſe mingere non animadvertit.* Quare ſenſu motuque privatum illum fieri clariſſime deſignatur, ex his, adeoque ægrum proxime accedere, ad Apoplexiam, aut ad aliam cerebri affectionem, huic valde affinem præſertim, quia repente illum corripi, hoc Aphoriſmo memoratur & ſtatim mutum fieri; quæ ſane fieri nequeunt, ſine ingenti cerebri affectione, & cum partis animalis & nervorum læſione. Stertor etiam id ipſum denotat, ſiquidem hic fit impedita reſpiratione & nequeuntibus muſculis thoracis illum attollere, unde aer interceptus,

in

in ductibus aſperæ arteriæ, ſtertorem parit, prout experimur in his, qui ſuffocationis periculum incurrunt.

Sicut autem Aphoma diutius perduratura eſt, ita quoque & ſtertor, qui plerumque conditionem ejuſdem ſequitur, ut propterea Galenus *2. Aphor commentario 42* quatuor Apoplexiæ ſpecies conſtituerit, pro quadruplici reſpirationis læſione, majori vel minori, ut videre eſt in Praxi, titulo de Apoplexia.

Hos itaque taliter affectos, in ſeptem diebus mori teſtatur hic Hippocrates. & licet alibi dixerit Apoplecticos, intra quatuor dies perire, quia Apoplexia morbus acutiſſimus eſt, nihilominus non extendeſit, ut nequeant iſti, ad alios dies ſequentes protrahi, puta ad quintum, ſextum vel ſeptimum diem. Neque vero quia Hippocrates in ſeptem diebus illos perire ait, terminus ſeptimæ diei conſtituitur, nam juxta morem ejuſdem, intra ſeptem dies, mortem evenire poſſe deſignat, ut ſæpe à nobis eſt dictum, cum & quinta & ſexta etiam accidere poſſit.

Tandem additur in textu, *niſi febris illum prehenderit*, id eſt, niſi febre intra hoc tempus æger corripiatur, cujus beneficio ligati & obſtructi nervi vocales ſolvantur, & humores cerebrum afficientes per febrim digerantur & alio exturbentur. Quanto citius autem febris acceſſerit, tanto melior erit, antequam ſcilicet humor ibidem collectus concreſcat & coaguletur ut nequeat poſtmodum prompte digeri & diſſolvi. Verumtamen febris iſta, nec adeo mitis & levis eſſe debet, ut humores impactos & craſſos non diluat, nec multum vehemens vel diutius protracta, quæ vires infringat & deprimat, ſed laudabilis erit, quæ de genere ephemerarum ſtatuuntur, ut nimirum non tranſcendat ſpatium trium dierum, quo ſane tempore humor Aphoniam efficiens, digeri & diſſolvi, adeoque vel per ſudorem vel per urinam evacuari commode poſſit. Cæterum ſi febris limites ephemerarum excederet, & vel à viſceribus male affectis ac tumefactis, vel ab humoribus plus debito fermenteſcentibus ac vitioſis provenirеt, non omnino tuta foret, quoniam exinde tantum abeſſet, ut aphonia & ſtertor deſineret, ut potius novus ac deterior morbus exoriretur, priori pejor, ut alias etiam à nobis eſt animadverſum *in Commentario Lib. 2 Aphor. 26* & alus.

Reliqua ad curationem hujus morbi facientia legi poterunt apud eundem Hippocratem in præcitato *Lib. 2. & 3 de morbis.*

Dices: Hippocrates *Lib. 2. Aphor. 42* dixit ſolvere fortem apoplexiam impoſſibile eſt, Ergo neque curari, atqui iſta accidentia in hoc præſenti Aphoriſmo poſita denotant apoplexiam fortem cum adſit ſtertor, Ergo nec hæc curari poterit. ℞. Duplicem eſſe apoplexiam fortem, aut à cauſa externa aut interna à cauſa externa ſolvi poterit, exemplum habetur ejus quæ ex ebrietate fit & 5. *Epid.* in puella quæ ex rupe cecidit.

Inſtabis Quæ in noſtro Aphoriſmo affertur apoplexia, non videtur fieri à cauſa externa, cum dicat, *ſi quis repente* quaſi ſine cauſa manifeſta. ℞. Poteſt ſolvi aliquando ſaltem à natura apoplexia fortis, licet non ab arte; vel dico hanc Apoplexiam non eſſe adeo fortem.

Aphoriſmus LII.

Sed in ſomnis etiam, an de oculis aliquid appareat, ſpectare oportet: Nam ſi quid non exacte commiſſis palpebris, ex albo appareat, modo non ex alvi profluvio, aut medicamenti potione, id accidat, malum eſt ſignum & valde pernicioſum (ſeu lethale.)

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi ex oculis dormientium.

Connexio: Quemadmodum ad bonum morbi eventum, in priori Aphoriſmo, ab Hippocrate febris poſita eſt: Ita in hoc præſenti Aphoriſmo, ad malum eventum, ſymptoma in oculis apparens, deſcribit.

Hic Aphoriſmus in duas partes dividitur. In *Prima* ponit ſymptoma oculorum, ſi nimirum album oculi in ſomno appareat, *ſi non* ex

ex aliquo profluvio vel medicamento proveniat: In *Secunda* aſſert malum imo lethale ex eo ſignum.

Cardanus omnino vult hunc Aphoriſmum adjungendum eſſe præcedenti, ex eo quod ſejunctim ab illo veritati non conſonet, quia tamen Cardani mos perpetuus eſt ut Aphoriſmos, inter ſeſe connectere plurimum allaboret, ideo & hunc diviſum & connexum reliquit, verum tamen eſt, quod accidentia hæc in oculis ægrotantium memorata, ut malum ſignificent, & eventum quandoque lethalem portendant, à læſo cerebro & nervis inde provenientibus proficiſci debent: nam ſi fortaſſe à vermibus, aut vaporibus, ex imo ventre elevatis orirentur licet præternaturalem corporis conſtitutionem deſignarent, non tamen omnino prava forent, ut paſſim in pueris experimur: Sic pariter, ſi quis ex conſuetudine dormire conſueverit, in conniventibus oculis, & non commiſſis palpebris, neque malum præſagire exinde poſſet, quandoquidem multi ſunt, qui apertis oculis, profunde dormire ſolent, imo hiante ore, & cum ſtertore & ronchis horribilibus, extra ullum vitæ periculum

Itaque de his ſpeciatim intelligendus eſt Aphoriſmus, qui ex morbo cerebri & principii nervorum læſione id patiuntur, prout in delirantibus, caroticis, apoplecticis, lethargicis ſæpiſſime experimur, itemque in maligne febricitantibus, cum depravatione animalium operationum. Et licet in præcedenti Aphoriſmo, de cerebro laborantibus actum ſit, quibus in commiſſis palpebris dormire malum eſt, nihilominus non ſolum de iis, ſed de quibuſcunque aliis, pari ratione cerebro laborantibus, exponi commode poteſt, ita ut Aphoriſmus ſejunctim ſumptus aptabilis ſit omnibus ægrotis, quocunque genere morbi, modo cum illo cerebrum compatiatur. Eſt præterea hic Aphoriſmus prognoſticus, prænuntians malum, & quandoque etiam lethalem eventum, in ejuſmodi ægrotantibus, ſimulque etiam diagnoſticus, deſignans cum illo morbo, cerebrum una affectum eſſe, adeoque per ejus meditullium, & nervorum principium malitiam ejus morbi eſſe diffuſam.

Unde autem accidat, ut ægrotantes in commiſſis palpebris dormiant, & album oculorum detectum exhibeant, ratio varia proponitur ab interpretibus; & Galenus *in Commentario* cauſam attribuit, ſiccitati jam introductæ, in partibus nerveis, itemque imbecillitati facul-

facultatis motricis, nequeuntis palpebras, undequaque expandere, & amplificare: Verum ſiccitas iſta ſi talis ac tanta foret, ut hic fingitur à Galeno, certe non minus in palpebris, quam in aliis partibus membranoſis & nervis conſpicua foret, quin & id ipſum dici oporteret, in pueris inconniventibus oculis dormientibus, ex cauſa vermium, aut corrupti lactis ſtagnantis in inteſtinis, cum tamen ejuſmodi ſiccitas adaucta in his nulla ſit. Neque etiam imbecillitas facultatis motricis cauſa ejusdem adæquata eſſe poteſt, quandoquidem in aliis partibus, illa ſenſibiliter deberet apparere, quin & in palpebris tanta vis movens non videtur neceſſaria, ut illas expandere & amplificare cogatur, quia ſponte ſua palpebræ, laxari & ampliari poſſunt, nulla intercedente interna facultate motrice, unde ſæpiſſime etiam accidit ſponte ſua illas lymphatico humore gravatas delabi, laxari, & occludere univerſam oculorum orbitam, præſertim cum palpebræ ſuperiores non committantur, infernæ tamen retractæ, nequeunt expandi, & ſimul una committi, cum palpebris ſuperioribus. Accedit quod aliquando vitium non totum eſt palpebrarum in ejuſmodi commiſſione, ſed eſt oculorum, qui cum ex defectu muſculorum, & nervorum illos moventium, quodammodo retracti obſerventur, propterea non ſecundum rectam diſpoſitionem conſtitui, velut in ſtrabonibus, ſed vel ſurſum vel deorſum contracti, exhibent inter utraſque palpebras albumen. quod ſecus accideret, ſi oculi in ſuo ſitu forent repoſiti. Itaque ad ſolam ſiccitatem, totum hoc oculorum & palpebrarum incommodum tribuendum minime videtur.

Crediderim ea propter rationabilius palpebrarum ſuſpectiones exoriri in his, qui per morbos ſive totius corporis, ſive partium principalium ejusdem cerebro laborant, & cauſa morbi in principium nervorum transfuſa eſt, ubi vel propter acredinem, vel propter malignam conditionem infertur, levis primum, mox gravior nervorum contractio, cujus ratione nervi in ſenſus externos proximiores corporis tendentes, coaſſiciuntur, & potiſſimum illi, qui feruntur in palpebras, eo quod propter exilitatem & tenuitatem facilius commoventur, & prontantur, adeoque affectionem quandam convulſoriam incurrunt. Sic etiam in his ſæpiſſime experimur motus inæquales, ſpaſmodicos & convulſivos dictos, atque retractionem labiorum per intervalla, & voces tremulas, & viſus obtenebrationem, aliaque acci-

accidentia his ſimilia, ab affecto nervorum principio provenientia, vel ſaltem à procitatis meningibus, quæ integumenta præſtant nervis omnibus corporis, ut ex Anatomia conſtat.

Hinc itaque deducere licebit, malum eſſe indicium, aut etiam valde lethale, in ægris, quotieſcunque Palpebræ non bene committuntur ipſis dormientibus, ita ut album oculorum ſubinſpiciatur; quia ex hoc arguitur, cerebrum una ſimul affectum eſſe, & nervos motus quoſdam convulſorios ſubire à vaporibus, vel humoribus illos vellicantibus, cumque id plerumque non fiat ſine abſumptione roridæ cerebri ſubſtantiæ, aut alterius conſimilis liquoris cum ea, quæ irritandi vel vellicandi vim habent, etiam ſua natura poſſint extenuare & exſiccare; idcirco ſimul cum his ſæpe numero etiam partium conſumptio & exiccatio copulari poterit, cum languore & jactura virium.

Quoniam vero adjecit Hippocrates in textu: *Si non ex alvi profluvio aut medicamenti purgantis potione*, id evenerit, clariſſime oſtendit cauſam in illis debere eſſe internam, non autem externam, & manifeſtam; ſiquidem fieri poteſt, ut ex immodica evacuatione ſive ſpontanea ſive promota per artem, adhuc nerveæ oculorum partes, & aliæ adjacentes, partim ab ipſa evacuatione, vim habente extenuandi partim ex acredine medicamenti, in humoribus & ſanguine relicta, nervi ipſi, & partes membranoſæ contrahantur, quemadmodum ab uſu Ellebori alias edocuit idem Hippocrates convulſionem exoriri poſſe, quandoquidem medicamenta purgantia, & præſertim validiora, non tantum diſſolvendo, & aliquando humores, verum etiam irritando, evacuationem promovent, & non raro etiam Hypercatharſim inducunt. Et quamvis Hippocrates, de *alvi profluvio* mentionem fecerit, veluti de evacuatione ſpontanea, nihilominus jam ſatis unicuique notum eſt, alvi profluvium, & Diarrhœam immoderatam, ab acribus & vellicantibus humoribus, proficiſci, ſi nimirum in alvum delati, inteſtina ad modicam evacuationem laceſſant, unde poſtmodum partium ſuperiorum, & cerebri non levis extenuatio ac ſiccitatio contingit, adeoque palpebrarum retractio, quæ non adeo mala dicenda eſt, veluti facta à cauſa manifeſta, ſcilicet ab illa immoderata evacuatione, quæ licet humores, & roridam nervorum ſubſtantiam abſumpſerit, non tamen hærentem in cerebro cauſam ar-

 guit

guit, adeoque non adeo periculoſa eſt, præſertim quia humores iſti abſumpti & evacuati, facilius remitti & reſtaurari poſſunt; ſecus vero corrigi & emendari qui cerebrum proxime non ſine malignitate afficientes in cauſa ſunt ut membranoſæ partes convellantur.

Tandem concludit, non tantum malum eſſe ſignum, ſed etiam valde perniciosum, ſiquidem in morbis quibuscunque cerebrum, & nervoſas partes affici peſſimum eſt, ſive quod illæ inter principales referantur, ſive quod ſenſui & motui corporis dicatæ ſint, atque adeo ad cordis pulſum & ad vitam conſervandam proxime conferant, ſive demum quia nutritioni incommodant, adeoque viribus ſuſtinendis inidoneæ fiant: qua ratione omnes affectus cerebri periculoſiſſimi ſemper ſunt. At vero non dixit Hippocrates, omnino eſſe ſignum lethale, ſed valde lethale, hoc eſt multum & plerumque lethale, unde adverbium illud *valde*, non addit, ſed aliquantulum potius diminuere videtur magnitudinem & periculum ſymptomatis, ſi præſertim alia non penitus conſentiunt.

Hanc ægrorum ſemiclauſis oculis, nil niſi candidum repræſentantibus conditionem conſiderans Poeta, ſequentem dat rationem.

> Cæleſtis ſphæra eſt oculus, pupillaque Sol eſt.
> In cælo lactis nocte videtur iter.
> Cur multum de albo moribundus monſtret ocellus.
> Noſſe cupis? Lactis morte videtur iter.

Fuſiorem qui deſiderat hujus Aphoriſmi explanationem legat Cardanum & Braſſavolum in commentario: Reliqua in præcedenti Aphoriſmo abunde diſcuſſimus.

Aphoriſmus LIII.

Deliria (ſeu Deſipientiæ) quæ cum riſu fiunt tutiora; quæ vero ſtudio adhibito periculoſiora.

Con-

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi Deliriorum.

Connexio. Cum de cerebri morbis in antecedentibus egiſſet Hippocrates; In hoc præſenti Aphoriſmo adducit delirium, quod etiam cerebri affectio eſt valde pernicioſa.

Hic Aphoriſmus in duas partes dividitur : *Prima* loquitur de deliriis cum riſu tutioribus : *Secunda* de deliriis cum ſtudio periculoſis.

Comparat ergo in hoc Aphoriſmo Hippocrates deliria, & quænam periculoſiora, quæ vero ſecuriora ſint, ab adjunctis breviter deducit; Nam cum riſu ſecuriora, cum ſtudio vero periculoſiora dicit; Sive autem ea ſint cum febre ut phrenitis vel ſine febre ut melancholia vel mania.

Quamvis autem deliria ſeu deſipientiæ, in univerſum plures & variæ eſſe ſolent, prout deducitur ex eodem Hippocrate, atque ex eodem colligit Cardanus. Commode tamen ad tres revocari poſſunt, utpote quæ ſæpe ſæpius ægros affictant, & patentioribus indiciis manifeſtantur, nempe ad eas quæ cum riſu, quæ cum ſtudio, & quæ cum furore & impetu contingunt, ut bene Galenus *in Commentario iſtius Aphoriſmi*. Inter has autem ſecuriores ſemper ſunt, quæ cum riſu, graviores quæ cum ſtudio, & multo adhuc graviores & periculoſiores, quæ cum furore conjunguntur.

Et quidem quæ cum riſu fiunt ſecuriores ſunt, tum ratione imaginatricis facultatis, non adeo à naturali ſtatu declinantis, tum ratione humoris illum inferentis, etenim quandocunque Phantaſmata per imaginativam diffuſa lætitiam & riſum repræſentant, naturam non deprimunt, nec dejiciunt, ſed potius exhilarant ac ſublevant, motum cordis & ſanguinis non opprimunt aut intercipiunt, neque à ſua Diatheſi multum diſtrahunt aut avertunt, ſed per convenientes ac expeditos ſpiritus confovent & conſervant. Humor autem riſum excitans non niſi benignus eſſe poteſt, qualis eſt ſanguis, & riſus ipſe ſeu riſibilitas eſt paſſio propria, ſeu proprietas homini quaſi eſſentialis, conſentanea plurimum vitæ & animi hilaritati; unde experimur læ-

eos & hilares homines ſalubriter tegere, & cunctas operationes naturales viriliter peragere atque exercere.

Contra vero deſipientiæ cum ſtudio ſemper ſunt graviores, veluti contrariis ex cauſis inductæ, imaginativam enim magnopere perturbatam deſignant atque ab Idolis melancholicam & acidam conditionem referentibus, cum timore & mœſtitia, unde cogitabundi, timidi, triſtes, converſationem averſantes, ſolitarii, & cibum refugientes, iſtiusmodi ægri fiunt, utpote qui humoribus abundant acidis, tartareis melancholicis dictis ſanguinem figentibus, effuſcantibus, atque in ſuo motu retardantibus, quamobrem, is parte ſua florida, & vivida plurimum diminutus, pulſus & cæteras operationes vitæ neceſſarias hebetes reddit, indeque poſtmodum corporis macies, languor & ad motum ineptitudo atque impotentia exoritur, prout experimur in delirio melancholico laborantibus, & ſive ab hypochondriis, ſive à toto corpore, ex congeſtione humoris melancholici illud proficiſcatur, de quo Galenus *3. de locis affectis cap. 7.*

Longe demum periculoſiores ſunt deſipientiæ, cum furore, impetu & audacia, ut in maniacis, quiam his operationes vitales magis depravantur, & humores præſignantur longe pejores, quales dicuntur a Medicis atrabilarii, plurimum a ſtatu naturali recedentes.

Hinc modo admonemur, quibus remediorum generibus eiuſmodi deliria ſeu deſipientias curare debeamus, ſive cum riſu, ſive cum ſtudio, ſive cum furore illæ fuerint: Etenim licet Hippocrates in hoc Aphoriſmo Diagnoſim, ac Prognoſim, horum deliramentorum viſus ſit, ſolummodo referre, Voluiſſe tacite tamen comprehenſas eorundem curationes, ſub intelligendus, adeoque majorem diligentiam eſſe adhibendam in curatione delirii cum ſtudio, aut cum furore quam in eo, quod cum riſu fit, ut patet ex Praxi

Plures deſipientiarum ſpecies, atque de iis diſquiſitiones vide apud Cardanum *in commentario.*

Aphoriſmus LIV.

In morbis acutis, cum febre luctuoſa ſuſpiria, mala.

Con-

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi Reſpirationis in Febribus acutis.

C*onnexio* : Cum de læſione mentis in priori Aphoriſmo egiſſet Hippocrates: In hoc agit de reſpiratione. Sicut autem delirium eſt accidens animalis Facultatis, ita reſpiratio cum gemitu &c. eſt Facultatis vitalis : Antea quoque egit de riſu, in hoc agit de luctu. Acuti morbi, ſeu ut alii vertunt acutæ paſſiones, non ſolum hic intelligi debent, quæ brevi temporis intervallo finiuntur, ſed quæ gravioribus ſymptomatibus ſunt ſtipatæ , atque adeo à pravis humoribus progenitæ , cum læſione partium principalium , ad vitam tuendam ſummopere conferentium.

Hinc apposite adjecit Hippocrates, *quæ cum febre ſunt* : Nam ſi fortaſſe ſine febri forent , leviores procul dubio eſſent exiſtimandæ. Itaque cum febribus conjuncti morbi hoc loco intelliguntur , veluti qui vitium in ſanguine recognoſcunt, & cor proximus & penitius moleſtant : Hi namque ſpiritales partes læſas, vel comitantur, vel conſequuntur, atque adeo facile poſſunt, luctuoſa ſuſpiria excitare, quæ nonniſi ab affecto corde, pulmone ac pectore proficiſcuntur: Luctuoſa namque ſuſpiria ſeu ut vocat Hippocrates *6 Epidem* dupla reſpiratio, ſunt, quæ fiunt cum interrupto motu thoracis , & reſpirationis, quemadmodum etiam Galenus in *Commentario* memorat, & ſæpiſſime pueris ejulantibus vel cogitabundis aut triſtitia affectis evenire experimur ob anguſtiam thoracis & partium reſpirationi deſtinatarum, ut propterea nequeant ſeipſas tam bene expandere, ſicut exigit neceſſitas naturæ moleſtia oppreſſæ, quæ amplificatione cordis & pectoris vellet melancholicum affectum excutere , & ab opprimente cauſa ſe liberare. Cum itaque hæc accidunt acute laborantibus & cum febre, procul dubio grave cordis detrimentum arguunt , à maligno & cogente humore, illud comprimente, ut propterea nequeat pro indigentia ſe convenienter amplificare, unde mala ſunt, & quidem tam ratione ipſiusmet cordis male affecti, tum ratione humoris, tam graviter illud afficientis, quamobrem non niſi in malignis , ac peſtilentibus febribus iſta accidunt , in quibus propter ſanguinis concre-

Qqq qqq tio-

tionem potiſſimum in vaſis pulmonum, & quandoque etiam in arteria venoſa, aut in arteria Aorta, ubi grumuli & hærentes ſucci ſæpiſſime adinventi ſunt, cor gravi oppreſſione afficitur, & veluti à comprimente manu, univerſa præcordia gravantur, unde pulſus etiam puſilli, intermittentes ac deficientes, exſurgunt, ac poſtmodum interitus, ut in pleriſque cadaveribus, diligenti Anatomica inquiſitione ſæpe ſæpius eſt obſervatum. Sive autem hæc omnia fiant cum febre, vel ſine febre, ut fit in Tetano, Apoplexia, par ratio eſt, utrinque enim acute laborant.

Plura de his lege apud Cardanum *in commentario.*

Aphoriſmus LV.

Dolores podagrici, vere & autumno fere (ſeu magna ex parte) moventur.

Contentum ſeu Intentio.
De Paroxiſmis Podagricis.

Connexio: Fecit Hippocrates ſupra Aphoriſmo 28. 29. & 30 hujus Libri mentionem de Podagra, eam removens ab Eunuchis, mulieribus & pueris: in hoc præſenti Aphoriſmo loquitur de tempore, quo maxime Podagra affligere ſolet.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem & ſimplicem concluſionem non dividitur.

Podagrici dolores, ut alibi meminimus, à colluvie ſeroſa, & à ſuperabundanti lympha in articulos decumbente excitantur: iſta autem non tantum corpulentia ſeu quantitate, ſed etiam infenſa qualitate acri, aut etiam acido-ſalſa artus ipſos, & adjacentes partes muſculoſas, itemq; tendines, ligamenta, membranas, nervos tumefaciunt ſimul & compungunt, unde poſtmodum rubor, tumor & acerbiſſimus. Quoniam vero ſeroſi iſti & lymphatici humores, ſu[illegible] bundare potiſſimum ſolent verno & autumnali tempore, ideir[illegible] per hæc eadem tempora more aliorum morborum ut dictu[illegible] [illegible]oriſmorum, pariter podagrici dolores infeſtent: Ver[illegible]

tempore, cum ſcilicet cumulatæ per hyemem pituitoſæ ſuperfluitates, ut poſtmodum ambientis caloris diluuntur, & melius fluunt: itemque propter ſanguinem in cunctis hominibus vegetiorem, atque etiam velocius excurrentem per arterias, ut indicant pulſus per idem tempus celeriores, & vehementiores. Autumno vero ex impeditis & detentis quodammodo ſudoribus, qui per Æſtatem copioſiſſimi eſſe conſueverant, tum a potibus largioribus, tum ab eſu fructuum immodico, unde excrementa copioſiora fuerant cumulata.

Magna autem ex parte dicuntur per hæc tempora excitari, ſive quod non ſemper in his temporibus, cunctis accidant, ſive quod non ſolum, in Æquinoctiis, verno ſcilicet & autumnali, ſed etiam in Solſtitiis promoveri ſoleant podagrici dolores. Equidem paſſim experimur, hujuſmodi dolores, & alios ſimiles, per hæc tempora excitari, fortaſſe ob mutationem in aeri inductam, atque ex illo in humanis corporibus commotionem, cum ex calido in frigidum, vel ex temperato in calidum & è converſo mutatio fit, ut propterea ſcripſerit Hippocrates *Lib. 3. Aphoriſmo 1. mutationes temporum morbos parere* ut alibi etiam jam oſtendimus.

Quantum autem valeant ejuſmodi mutationes aeris in perturbandis humanis corporibus, & præſertim iis, quæ valetudine non firma fruuntur, notius eſt quam ut longiori ſermone oſtendi poſſit, etenim præterquam quod aer magnam vim in alterandis corporibus habeat, uſu reſpirationis, etiam ſimplici ſuo contactu eadem afficere ſolet, conſtipando aut laxando cutim, ejuſque poros diverſimode afficiendo, unde poſtmodum vel effluvia, quæ perpetim extrameri debent, retineantur, & retenta ſanguinem, & cæteros liquores corporis inficiant, vel affluentius exhalantia, eoſdem diluunt & extenuant, unde plus juſto diſſoluti, inhabiles fiant partibus reficiendis, quin potius apti ad eaſdem perturbandas & alterandas, quamobrem qui obnoxii ſunt doloribus articulorum, facile per hæc tempora illos incurrunt.

Nam vere floreſcit roſa Regina Florum, vere floreſcit roſa in pedibus Podagricorum (hoc enim titulo exoſum Podagræ nomen longo ſæpe tempore honorari ſolet.) hinc Poeta.

Nata roſa eſt veneris, veneris quia ſanguine nata,
Deque roſa naſci, ſæpe Podagra ſolet.
Eſt Bacchus Pater, & mater roſa ſtemma Deorum
Ad divos tantum, diva Podagra venit,

 Ut

Utque Deos lana pede, vincto incedere dicunt,
Sic pede lanato, diva Podagra jacet.

Pro autumnali tempore de Podagra habet hæc Poeta:

Sola Podagra dolens, Dominorum morbus habetur
Luxurioſæ avidæ, filia prima Gulæ.
Rara dat autumnus, guſtoſaque fercla Palato:
Hinc Podagra autumno fortior eſſe ſolet.

Cardanus in hoc Aphoriſmo, modum ſanandi podagram innuit, quem ipſe ſecuriſſimum appellat, ut ſcilicet homo jejunus ſe exerceat uſque ad ſudorem, inde ponat ſe in lecto calido, & contectus pannis ſudet quouſque poteſt, & hoc faciat quotidie, vel ſemel aut bis in hebdomada, & prandeat parum, ſitque in loco calido & ſicco clauſis feneſtris contectus & continuet per annum, hæc Cardanus; quam quidem methodum, quemadmodum approbo, ita credo difficilem futurum ægris, ut æger ex ægro citius naſci, quam hic curandi modus diſcolis patientibus perſuaderi poſſit.

Dices: In hyeme plures fiunt Podagræ quam vere & autumno, imo & in æſtate, licet breviores Ergo non tantum in vere & autumno. ℞ cum Aureliano in Chronicis verum eſſe, quod fortaſſe in Aphor. addi potuiſſet, *in* hyeme, quia tamen in hyeme humores ſunt fixi & immobiliores, quam in vere & autumno atque æſtate ſed rarius, ideo hæc tempora Hippocrates intermiſit.

Dices II. In vere ad extra, autumno ad intra moventur humores, ergo in autumno non fient Podagræ. ℞ Moventur ad intra per accidens id eſt clauſis poris impinguntur partibus ſentientibus concedo, per ſe nego.

Plura disquiſitione & curioſitate plena, de Podagra, hunc Aphoriſmum concernentia ſi quis deſideret legat Cardanum *in Commentario.*

Aphoriſmus LVI.

Morborum melancholicorum ad hæc perículoſi decubitus, vel corporis ſyderationem (ſeu ſtuporem) vel convulſionem, vel maniam (ſeu furorem) vel cæcitatem denuntiant.

Contentum ſeu Intentio.

De effectis cacochymiæ melancholicæ in Capite.

Connexio: Cum in præcedenti Aphoriſmo de tempore egiſſet Hippocrates quo podagra affligere ſolet, quæ ſpecies quædam decubitus ſeu abſceſſus eſt, in hoc præſenti Aphoriſmo agit de decubitu ſeu abſceſſibus, qui in morbis melancholicis fieri ſolent.

Hic Aphor. ob ſimplicem concluſionem, non eget diviſione.

Morbi melancholici dicuntur illi, qui ab humoribus melancholicis dictis ſeu ut mavult Paracelſus, tartareis & acidis progignuntur; & ſive iſti proveniant, à melancholica totius corporis conſtitutione, & peculiari ſanguinis diatheſi, ſive ſpecialius à mala habitudine viſcerum naturalium, quemadmodum in hypochondriacis & ſcorbuticis; in his igitur enumerat Hippocrates quæ mala ſint affutura, niſi cito & opportune ſuccurratur, ſiquidem increbeſcente affectu melancholico, & exuberantibus ſuccis acidis ac tartareis, facile ſubinde accidere ſolent, ſtupor corporis vel convulſio, furor vel cæcitas. Stupor vel convulſio, ſi repant humores in nervos, hebetatis ſcilicet & male affectis, ab acidis ſuccis, eorundem fibris, vel iiſdem, ab acido vellicante proritatis, nam *6. Epid. Sect. 7.* dicitur, *melancholici fiunt epileptici, & epileptici melancholici.* Furor vero ſeu mania ſi in cerebrum tendant, unde Galenus explanans relatam modo Hippocratis ſententiam *3. de locis affectis* dicebat. Si humor melancholicus vergat in mentem, delirium vel convulſionem, ſi vero vergat in corpus paralyſim vel apoplexiam infert: Denique cæcitas, ſi in viſus organa deducatur, & ſpecialiter in nervos opticos, vel in tunicam retinam, quæ à fibrillis eorundem nervorum ortum ducit.

Quamvis autem hæc ſolummodo retulerit Hippocrates, non tamen quis credat alia quoque mala exinde ſiboriri non poſſe, nam plures alii ſimiles atque affines morbi, iiſdem ex cauſis ſupervenire poterunt, pro varia corporum habitudine, ætate, conſuetudine, ſexu & prout in has vel alias partes, fortaſſe imbecilliores prædicti humores decumbere poſſint.

Controverſiæ plures ſuper hoc Aphoriſmo legi poſſunt apud Cardanum *in Commentario.*

Aphoriſmus LVII.

Apoplexiæ autem fiunt maxime à quadrageſimo anno, ad ſexageſimum.

Contentum ſeu Intentio.

De Ætate ad Apoplexiam diſpoſita.

C*Onnexio*: Cum in priori Aphoriſmo Hippocrates mentionem feciſſet apoplexiæ, quæ ſequitur ad melancholicos morbos In hoc præſenti agit de tempore, quo illa corripere ſolet homines.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem non dividitur.

Licet Galenus non de quacunque apoplexia ſcriptum velit *in ſuo commentario* hunc Aphoriſmum, ſed de ea ſolum, quæ ab atra bile dependet, utpote *quia per eam conſiſtentiæ ætatem, atra bilis humor abundet, quemadmodum & in autumno* nihilominus non negat poſſe etiam cæteris ſuccis, pituitoſis & crudis, per eandem ætatem illam oriri. quin & ſenes ab his potius, quam ab atra bilariis, aut melancholicis humoribus apoplecticos fieri, alibi etiam ſæpius docuit, cujus cauſa tam acriter in illum invehitur Cardanus, ut totum hujus Aphoriſmi commentarium, adverſus hoc Galeni placitum, conſcriptum videatur.

At vero nobis diſtinguere fas ſit apoplexias, & alias quidem ætatum defectu, alias humorum vitio, & alias a mala partium cerebri conformatione. Ex defectu ætatis, & ob virium languorem, obnoxii magis ſunt ſenes, & provectioris ætatis homines apoplexiæ, à pituitacis humoribus craſſeſcentibus, & tenacibus, qui per lan[...] illam ætatem, ex malis coctionibus, & ſecretionibus humorum, ab effœto & vapeſcente ſanguine emergunt, qui deinde cum [...]rebri ambitum, & corticales glandulas facile hæreſcant, ac re[...]tur, adeoque gravent, oppleant, obtundant apoplexiam & [...]niles morbos inferunt. Et quamvis in pueris ejusmodi pro[...]mores videantur ſuperabundare, cauſa præſertim voraci[...]men lymphatici iſti humores fluxiores ſunt, & viæ molli[...]res, unde facillime diſſlantur & evaporant, quique pere[...]

gignuntur, prompte in ductus urinarios, aut inteſtinorum delati egeruntur & exonerantur, conferente in hoc idem plurimum partium omnium mollitie ac laxitate.

Humorum inſuper vitio contingunt apoplexiæ, ſive cum ipſi plus juſto cumulati, in cerebri meatibus hærent, & vel gravando ac opprimendo, vel etiam obſtruendo, motui ſanguinis ac lymphæ impedimento ſunt, adeoque excrementorum, ſive ſenſibilium ſive inſenſibilium repurgationi remoram faciunt; qua ratione Heluones, Ebrii, ſucci pleni, obeſi, catharroſi, aliique ſimiles ſæpe numero apoplectici aut carotici pereunt, factaque cadaverum ſectione, inveniuntur in cerebri anfractibus, & intercapedinibus, ſeri, lymphæ, vel alius corrupti humoris congeſtiones. Porro hoc pacto omnes, & quicunque humores gravare, opplere, obſtruere, & ſtagnare valentes, aut etiam reſerare, erodere, ulcerare, bene poterunt apoplexias & cæteros ſimiles morbos, in cerebro parere.

Ex mala denique partium cerebri conformatione ſive à primordiis vitæ, atque ex defectu naturæ, ſine tractu temporis, & ex accidenti morboſo progenita, accidunt apoplexiæ; forte quia cerebri moles, puſilla, anguſta, duriuſcula, aliterve male affecta eſt, aut etiam ductus, cavitates, pori non convenienter patuli ſunt, adeoque arteriolæ, venæ, & vaſa lymphatica, liberum excurſum & recurſum liquidorum non admittunt; unde poſtmodum interceptiones, occluſiones, obſtructiones, aut etiam diſruptiones, eroſiones, ſuppurationes, & alia hujus generis in commoda ſuboriuntur. quo ſane reſpexiſſe viſus eſt Hippocrates, *4. de ratione victus in acutis 23.* dum ſcripſit: *cum quis repente obmuteſcit, id venarum interceptiones, occluſionesque faciunt, ſi ſano abſque occaſione vel forti alia cauſa id contigerit*: ubi alia plura in eandem rem accuratiſſime obſervanda proponit. hoc etiam pacto ligatis arteriis carroticis, aut contuſis muſculis temporalibus, concuſſoque cerebro, aphoniæ & apoplexiæ accidunt, mutata ſcilicet & turbata partium conformatione. Ex eodem vitio, credideram pleroſque ejuſmodi affectibus comatoſis natura obnoxios eſſe, & repetitis inſultibus, per intervalla moleſtari ſolere, ut tandem ineunte ſenili ætate ab iiſdem pereant; quin & non raro (anatomia in iiſdem inſtituta) nil quidpiam ſenſibile extra cerebri ductus inventum eſt, ut ſæpe expertum.

Hinc

Google

Hinc modo putaverim, Hippocratem in hoc Aphoriſmo, illas ſolummodo voluiſſe apoplexiarum ſpecies recenſere, quæ vitio humorum quidem, ſed ex mala cerebri habitudine contingunt, forte quia circuitus humorum, facile per ætatem juvenilem fermenteſcentium, longam & promptam vaſorum expanſionem, juxta naturæ indigentiam nactus ſuperveniente ætate conſiſtenti, à fibrarum & membranacearum partium duritie, ſenſim & ſenſim inducta, ejuſmodi amplificationi non facile deinceps obſequuntur, unde in plexibus cerebri, meningibus, ductibus lymphaticis & aliis, quacunque de cauſa circumeuntes humores hærent, aut irruptione, & impetu facto in apicibus eorundem, tenellas illius partes delaxant & aperiunt, vel tumefaciunt, opplent, aggravant, prout acor in illis inductus, major vel minor extiterit, adeoque obſtructiones, & interceptiones, aut eroſiones aut diſruptiones inferunt plane inemendabiles. Procedente vero ad ſenium ætate, quia niſus ille & motus fermentativus, in humoribus tractu temporis lenteſcit, propterea nec vehementem commotionem, nec urgentem impetum, in iiſdem excitat. id quod ſane manifeſtiſſime oſtendunt pulſus, per hæc eadem tempora, tardi admodum, rari & imbecilles. Quamobrem licet ſopores, hebetudines, languores, in provectiori ætate contingant, non tamen veræ apoplexiæ dicendæ ſunt, veluti ab ipſo ætatis decrepitæ, languore & virium ac ſanguinis labefactatione dependentes, collabente videlicet ſenſim natura, ex defectu ſpirituum, ac excrementoſorum humorum ingluvie, quo circa ſoporati potius & comatoſi, non vero apoplectici illi pereunt.

Quamvis autem Hippocrates hic dixerit, à quadrageſimo ad ſexageſimum usque annum apoplexias fieri, non tamen exinde putandum, intra hoc ſolummodo temporis interſtitium illas accidere poſſe, cum & ante & poſt ejusmodi tempora bene adhuc poſſint [illegible] nire, ſi nimium abunde cauſæ illas inferre valentes ſuppetant; quandoquidem unicuique perſpectum eſt, omnes morbos cunctis [illegible] bus accidere poſſe, ſi cauſæ vel internæ vel externæ, aut ex [illegible] tutæ, aut ex aliquo quocunq; accidente ſupergredientes, [illegible] convenientem corpor[illegible] œconomiam turbent, ac depraven[illegible] immerito adjec[illegible] illud *maxime*, [illegible] ino, & per [illegible] ſolummodo ætatem, apop[illegible]

ſed magis ſolum & plerumque per illam: licet in aliis quoque ætatibus fieri queant, eſto alius generis morbi, quam veræ apoplexiæ.

Dices: Nulla eſt ratio cur Hippocrates, hic non æque fecerit mentionem epilepſiæ ſeu convulſionis & tantum apoplexiæ, cum tamen utriusque eadem ſit cauſa. ℞. Hac ætate epilepſias ſeu convulſiones rarius fieri, quam apoplexias adeoque cum ratione nullam convulſionis fecit mentionem Hippocrates.

Reliquas difficultates magis lectu quam eruditione dignas legi poſſunt apud Cardanum *in Commentario*.

Aphoriſmus LVIII.

Si omentum exciderit, neceſſario computreſcit.

Contentum ſeu Intentio.

De Omento per vulnus elapſo.

C*onnexio*: Nulla apta, hujus Aphoriſmi cum præcedente inveniatur connexio, utiliſſimus tamen eſt hic præſens Aphoriſmus, quia docet caſum valde rarum & pro Chirurgis valde utilem.

Hic Aphoriſmus ob ſummam brevitatem & concluſionem ſimplicem non dividitur.

Hunc Aphoriſmum quoque habet Hippocrates *1. de morbis*, & in *coacis prænotionibus* unde eundem tranſcripſit.

Excidere autem omentum idem eſt, ac extra peritonæum & abdomen, cum forte vulnerata ſunt, egredi ac prolabi, adeoque ambienti frigido exponi; cum enim omentum multo adipe, atq; innumerabilibus glandulis refertum ſit, faciliime ambienti aeri expoſitum alteratur & liveſcit, adeoque nullo negotio, ac breviſſimo temporis intervallo putreſcit, idque potiſſimum cum ex vulnere, ad eas partes afflicto, & ſanguinis profluvio, illæ viribus fatiſcunt & elanguent, ac præſertim ventriculus, in ſuis coctionibus obeundis, quandoquidem ex obſervatione Galeni *4. de uſu partium Cap. 9* multum ad ciborum confectionem, & chylificationem conferat, ut in gladiatore illo ibidem memorato, cui omentum abſciſſum fuerat, compertum refert.

Ex hoc autem Aphoriſmo monemur, cautos & ſollicitos oportere eſſe Medicos in illius extra abdominis regionem prolapſu, ad ſtatim, nullaque data mora reponendum, ſin ſecus reſcindendum potius, ne putrefactioni ſubjiciatur, cujus repoſitionis aut reſectionis modum edocent *Celſus Libr. 7. Cap. 21.* Galenus *Libr. 6 Meth. Cap. 4.* Paulus *Libr. 6 Cap 52* & Fabritius ab aqua pendente *Lib. 2. cap 45.* & alii. Atqui non raro etiam contigit, à perita adhuc Chirurgi manu repoſitum periculo non vacaſſe & computruiſſe: quandoquidem tam levis & mollis texturæ eſt, ut ne tantillum è ſua ſede dimotum, atque ambienti aëri expoſitum livorem, & putrefactionem incurrat.

Animadvertendum autem adhuc eſt, quod omentum non ſolum extra excidit per vulnera, ſed intus etiam & facile herniam, ut rupto vel relaxato peritonæo. ſed tum omentum quidem excidit & non putreſcit, excidit quidem extra peritonæum, non autem extra cutem ut aëri exponatur & putreſcat.

Plura de hoc vide apud Cardanum *in commentario.*

Aphoriſmus LIX.

Quibus longo coxendicum dolore conflictatis, femoris ſummum (ſeu cavitate ſua) coxa excidit, rurſumque recidit, iis mucores innaſcuntur (ſeu ſuperveniunt.)

Contentum ſeu Intentio.

De effectis doloris iſchiadici longioris internis.

Nota. *Cum hic Aphoriſmus maximam cum ſequenti habeat prope in omnibus affinitatem & connexionem, ideo ne crambem repetamus, cum una fidelia in ſequenti explanabimus.*

Apho-

Aphoriſmus LX.

Quibus diuturno dolore iſchiadico vexatis, femur (ſeu coxa) excidit, iis crus contabeſcit, & claudicant, niſi urantur.

Contentum ſeu Intentio.

De effectis doloris iſchiadici longioris externis.

Connexio: Cum ſupra Aphoriſmo 28. 29 30. hujus Libri, de Podagra egiſſet in his duobus ultimis Aphoriſmis agit de doloribus coxæ.

Hi duo Aphoriſmi cum ſimpliciter concludant non dividuntur.

Hos ergo duos Aphoriſmos, 59 & 60. non debere à ſe invicem ſejungi, docet *in commentario* Galenus, ſed ipſos omnino eſſe jungendos, ut unus ſermo continuatus ſit; quaſi dicere voluerit Hippocrates, à coxendicum dolore moleſtatis, ubi per mucoris multitudinem articulus excidit, & rurſum recidit neceſſarium eſſe, proceſſu temporis os ipſum contabeſcere, & patientem claudicare, niſi cito ille mucor abſumatur & exiccetur, quemadmodum idem Hippocrates *Lib. de articulis*, faciendum conſulit, in brachio jugiter excidente: quod & Arabes ſcriptores quoque omnes admonent peragendum, vel igne *actuali* & ferro candente, vel *potentiali* ope medicamentorum cauſticorum, & per emplaſtra picata, quas *uſtiones Arabicas* moderni appellarunt. Juxta illud ejuſdem Hippocratis *Lib. 8. Aphor. 6. Quæcunque non ſanant medicamenta, ea ferrum ſanat. quæ ferrum non ſanat, ea ignis ſanat: quæ ignis non ſanat, ea incurabilia judicare oportet.* Sic Hippocrates curabit hos morbos venæſectione ex poplitibus purgatione, cucurbitulis & demum uſtione, ut in Licone habetur exemplum.

Et quidem conſiderata oſſis coxendicis cum oſſe ſacro articulatione, facile eſt ut quiſque ſibi perſuadeat, craſſos & mucoſos ſuccos,

eo loci, ubi coxa exciderit, colligi & adunari poſſe, quique poſtquam obduruerint, & calli fere conditionem fuerint adepti, difficulter diſcutiantur reſolvi poterunt, quin imo extra ſuam ſedem, caput femoris ſi illum protruderit, & impedient ne cavum oſſis ſacri denuo ingrediatur, quamobrem claudicatio ſequetur, contractis ſubinde, & decurtatis, tum crure, tum tibia usque ad pedem. nec abs re dictum ac repetitum, *cavitate ſua excidit coxa, & rurſus recedit*, quoniam non ſatis eſt coxam excidiſſe, ſive e ſua ſede dimotam eſſe, ſed oportere pariter recidere, ſi fortaſſis aliqua induſtria, vel ſponte ſua commiſſa fuerit, ſiquidem tum ſignificatur cavum illud oſſis, à confluxu humorum præſertim lymphaticorum repleri, vel ſaltem, a luxatione & relaxatione ligamentorum & tendinum, ſtare firmiter non poſſe, ſed facillime à cavitate illa deſciſcere, quam proinde lymphatici humores occupent, & in mucos & tenaces ſuccos, data mora convertantur, unde nequeat impoſterum os femoris cum oſſe ſacro convenienter articulari.

Non tantum autem exinde claudicatio, ſed & atrophia cruris quoque ſuccedet, niſi per uſtionem mucoſi iſti humores abſumantur, quoniam læditur ſubinde non ſolum conveniens partium illarum diſpoſitio, ac ſtructura, ut proinde alimentum, pro earundem nutritione, vel in alium humorem degeneret, vel non apponatur aut omnino deficiat, ſed etiam membranulæ circum amicientes oſſa, & medullaris illa ſubſtantia quæ cavum femoris occupat, male afficiantur, quo circa atrophia, poſtmodum languor, dolor usque ad genu, in perioſtiis, muſculis, nervis, & cæteris ſuboriuntur.

Dices Per uſtionem excitatur dolor, doloris autem eſt attrahere, ergo humores plus attrahentur & malum potius augebitur, quam curabitur. ℞. Semper melior & ſecurior eſt dolor externus quam internus. neque tantum per uſtionem attrahitur, quantum extrahatur, & ſic fit materiæ evacuatio & Libri noſtri ſexti Aphoriſmorum.

F I N I S.

LIBER SEPTIMUS
SEU
SECTIO SEPTIMA
DE
SUPERVENIENTIBUS.

Aphoriſmus I.

In morbis acutis, frigus partium extremarum, malum.

Nota: *Similis habetur infra hoc Libro Aphoriſmus 26.*

Contentum ſeu Intentio.

De Frigore extremorum, ſcilicet ſuperveniente morbis acutis.

Connexio: Quemadmodum hic Liber, præcedenti nectitur, ita etiam & hic Aphoriſmus, ad præcedentes Libri ſexti refertur; in hoc itaque Libro ſeptimo, ſicut in præcedenti, de iis ſignis, quæ ſuperveniunt morbis pertractatur, & cum ex ſymptomatibus, frigiditas extremarum partium, morbis acutis ſuperveniens, non poſtremum, quin quaſi primum occupet locum, cum malam eſſe afferat, ideo ab illa ſermonem inchoat Hippocrates in hoc primo hujus Libri Aphoriſmo.

Hic Aphoriſmus, ob brevitatem & ſimplicem concluſionem non dividitur.

Morbis ergo morbos, & accidentibus accidentia, ſive in bonum, ſive in malum ſupervenientia; quæque ex uno in aliud viciſſim permutantur, conſideranda in hoc ſeptimo Aphoriſmorum Libro proponit Hippocrates; qui propterea vagus, atque indiſcriminatim varia comprehendens, neque certum ordinem neque continuum etiam nexum in iis ſervat. Initium autem facit, ab extremarum partium frigore, non tantum febribus acutis, ſed & aliis quibuscunque morbis acutis contingente, quod noxium generaliter pronuntiat.

Quamvis autem & hic Aphoriſmus, cum *Aphoriſmo 48, Libri quarti*, (ubi in febribus non intermittentibus, interiora uri & exteriora frigere, lethale dixerat) multum convenire videatur, revera tamen, omnino diſtinctus ab illo eſt, ſiquidem ibi ſpeciatim in febribus, hic vero, ut mox diximus, in morbis univerſaliter acutis, apoplexia, epilepſia, tetano, ſyncope &c. (idem dicendum de ſenibus & in hyeme nempe magno frigore ubi nihil mali eſt habere extrema frigida) nulla interea de interiorum uſtione ac ſiti mentione facta, ſed ſolius frigoris partium extremarum meminit, ut propterea non penitus lethale, ſed malum ſimpliciter protulerit. Neque inſuper in eorum ſententiam iverim, qui cum Galeno adhuc de acutis tantum febribus Aphoriſmum hunc interpretantur, ex viſcerum inflammationibus, quia tunc plane exitioſum omnino eſt, & morti proximum, ut etiam in *Coacis Prænotionibus* adnotatur, cum tamen hic ſolummodo ſcribatur *malum*. Recte proinde Celſus *Lib. 2 Cap 4.* hanc ſententiam ab illa ſejungens, neque interioris incendii, neque urentis ſitis mentionem faciens, extremarum duntaxat partium frigus commemoravit, & mali morbi ſignum in acutis dixit.

Et quidem frigus partium extremarum cum incendio internarum partium atque ingenti ſiti ab inflammatione interna procedens, facile in gangrænam vergente, lethale ſignum omnino eſt; at vero citra internorum viſcerum ardorem, & ſine ulla inflammationis ſuſpicione, provenit ſolum ab hebetato & leneſcente ſanguinis motu, qui per anguſtos extremarum partium meatus, progredi non potens, potius in illis concreſcens adhæret & ſtagnat, quam

quam ut porulos earundem pervadens, exangues illas partes, irradiet, & calefaciat, unde non raro etiam liventes illæ comparere ſolent, ejusmodi autem ſunt aures, nares, manus, pedes, & quandoque etiam univerſa cutis, quæ ambienti aeri quocunque modo expoſita, ſæpiſſime horrere ſolet: addidit autem *in aneis* nam illas in longis & diuturnis morbis frigere non adeo præter rationem videtur evenire: Quamobrem rectè Galenus *in commentario* inquit; *in morbis diuturnis, quæ præſertim ſunt ſine febre, & hyeme & ætate ſenili, partes extremas corporis, veluti nares, aures, pedes & extremas manus frigidas fieri nihil mali*: præſertim quia diuturni morbi (præter corporis languorem a morbi diuturnitate contractam) non niſi à craſſis, lentis & frigidis ſuccis progignuntur: At vero acuti pro cauſis, tenues, mobiles & calorem excitantes humores recognoſcunt, unde in illis frigus perſentiri diſſentaneum omnino eſt, ideoque malum & longe gravius; ac periculoſius livore conjunctum, indicium enim eſt aut naturam eſſe ſuffocatam aut ſaltem ruinæ proximam adeoque unum ex tribus malis ſignificat: vel caloris neceſſarii inſufficientiam: vel jam deſperatam naturæ operationem: vel paulatinam caloris nativi extinctionem, quæ potiſſimum in extremitatibus incipit, utpote partibus, pauciſſimo ſanguine & ſpiritibus præditis, à caloris fonte remotiſſimis. Verum tamen frigus iſtud partium extremarum perſeverans eſſe debet, ut omnino malum ſit, nam ſi fortaſſe ad modicum tempus appareret, & deinde ſponte ſua, calefactis partibus iiſdem, deſineret, quemadmodum inter initia tertianarum & quartanarum febrium experimur, procul dubio nihil mali præſagiret, quod tamen potiſſimum foret, ſi per totum tempus perduraret, & partes ipſæ, ab admotis calorificis, nullatenus incaleſcerent; quod & longe adhuc gravius, ſi cum madore cutis, frigus ſocietur.

Dices: In febrium exacerbationibus ſæpe extrema refrigerantur ſine periculo, Ergo. ℞. Hanc refrigerationem ut jam diximus in contextu, non eſſe permanentem, quæ tamen ut periculoſa ſit, debet eſſe perſeverans.

Quæres.

Quæres: Quomodo ergo rigor & frigiditas differunt? ℞. Rigorem ſæpius eſſe judicatorium, frigiditatem autem nunquam.

Plures controverſias videri & legi poſſunt apud Cardanum.

Aphoriſmus II.

Ex oſſe ægrotante, caro livida, malum.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi Sphaceli.

Connexio: Cum in præcedenti Aphoriſmo Hippocrates egiſſet, de partium externarum refrigeratione: In hoc præſenti Aphoriſmo, agit de carnis livore, qui frigoris, vel extincti caloris nativi effectus eſt.

Hic Aphoriſmus ob ſummam brevitatem non dividitur.

Livor in quacunque parte comparens, non tantum frigoris, ſed mortificationis & gangrænæ aut ſphaceli præſentis, vel imminentis indicium eſt. cum igitur in oſſe ægrotante, id eſt læſo, contuſo, vulnerato, caro ſuperincumbens, vel circumſepiens, livida ſit, ipſum à ſuſcepta læſione corrumpi quoque conjectandum. At non ideo, quia caro liveſcit, ipſum corrumpi dicemus, ſed potius, quia ipſum à læſione corrumpi contingit, caro liveſcens apparebit Sæpe enim in gangrænis, caro livida, & omni ſenſu orbata percipitur, nullo interea in oſſe vitio exiſtente, idcirco appoſite adjecit Hippocrates, *in oſſe ægrotante caro livida*: Sed & neque ſolum caro, ſi liveat, in læſis oſſibus, verum etiam ſi albicet, ſi flaveſcat, ſi ichorem ſanioſum & fœtidum fundat, ſi ſponte ſua ſejungatur, & ſubjecto oſſi minime inhæreat, id ipſum arguit quamquam in his dijudicandis & internoſcendis, ſagax & accurata Chirurgorum diligentia multum valeat, ſiquidem non raro fit, ut a contundente corpore, cutis externa ſolum liveat, nulla interius inducta in oſſe læſione.

Livor

Digitized by Google

Livor autem à contuſis & vulneratis oſſibus, in carne circumjacente & ſuperincumbente, provenit à liquore in nutricatum oſſis transmutando, qui cum in partibus circumjacentibus remoretur & ſtagnet, atque lamellæ oſſium externæ quodammodo à reliquis interioribus diſſociatæ, imo & perioſtium quo ipſæ amiciuntur, in ſuis filamentis & loculis diſtractum, & ſauciatum ſit, propterea partes ſubjectæ rorido & vivificante ſpiritu deſtitutæ, ſenſim languefcunt, & ferè emoriuntur, unde poſtmodum corruptio & putrilago, quæ ſenſim quoque in adjunctas carnes ſerpit, & livorem, ſphacelum, ac gangrænam parit, ſimili modo ac in remorante & hærente in poris carnium ſanguine contingit; atqui facilius gangræna & mortificatio accidit in membranis oſſium quam in carnibus, tum quia illæ exangues ſunt, tum quia ſpiritu valde tenui irradiantur, tum quia glutinoſum quid magis & facile coagulabile ſuſcipiunt, quod acore hebetatum, & alkalino ſpiritu depauperatum, & indomitum redditum tandem frigefacit & mortificat: Hinc experimur gallicas exoſtoſes ab acido illius luis miaſmate, nimium infenſas, oſſibus evadere, corrodendo, frangendo, & terebrando, ut illa pene friabilia reddantur.

Expedit itaque in ejusmodi livoribus, ad carnes circumſtantes apparentibus, ſtatim ſubjectum os detegere, & qua parte ſquamoſum, mina affectum, aut aliter læſum apparuerit, abradere & deſquamare, vel etiam urere, & retinovere, ſi opus fuerit, ut impoſterum meliori alimento reliquum reſtauretur, & ſubſter, ut ex praxi chirurgica ſatis notum eſt.

Unde bene notandum quod oſſis ægritudo, vel caries eſt, vel teredo, vel deſquammatio, vel fractura, vel reſecatio, vel laxatio, a quacunque autem ex iis affectionibus fiat, caro livida malum, gravius autem malum eſt ubi magna adſunt ulcera, & peſſimum in capite mo lethale.

Exempla talium affectionum, oſſium ægrotantium videri poſſunt apud Hippocratem & Cardanum *in Commentario.*

Aphoriſmus III.

A Vomitu ſingultus & oculorum rubor malum.

Sſſſſ Con-

Google

Contentum ſeu Intentio.

De malis Phænomenis vomitus.

C*Onnexio*: Cum in antecedenti Aphoriſmo de colore carnis mutato egiſſet Hippocrates, qui ſupervenit oſſi ægrotantis, nunc in præſenti Aphoriſmo agit de colore oculorum mutato, qui ad vomitum accedit, & ſimul ſingultum adjungit, cum hæc ſymptomata invicem copulentur & ad eaſdem cauſas ſequantur.

Hic Aphoriſmus ob ſummam brevitatem diviſionem non patitur.

Per vomitum ſolent humores non tantum per ventriculi cavum innatantes, ſed ejus tunicis hærentes, aut aliunde confluentes, ſalubriter evacuari, qui propterea ſalutaris pluribus in morbis obſervatur, quinimo à pleriſque ſtatis quibuſdam temporibus, gratia præſervationis, ſalutariter inſtituitur, quemadmodum ab Ægyptiis ſingulo quoque menſe factitatum refert Herodotus *Lib. 2.* Si qui igitur prodeſſe conſuevit, obſit, ſingultum potius afferens, atque oculorum ruborem, ſymptomata cæteroqui graviſſima, malus plane & pernicioſus cenſendus eſt.

Singultus ſiquidem ad claſſem convulſionum, non irrationabiliter reducitur à Galeno, adeoque ſemper humorum acredinem & malignitatem nervos vellicare ac laceſſere valentem pro cauſa recognoſcit, ut alias oſtenſum, oculorum vero rubor (ſi tamen perſeverans, nec ſubito diſparens ſit) meningum cerebri, quibus oculorum orbitæ componuntur, inflammationem ſignificat utrumque autem vomitui, unde non leve emolumentum toti corpori accedere ſperabatur, ſupervenire, procul dubio malum eſt

Num autem utrumque ſimul oporteat ſupervenire an alterutrum tantum, dubitare poteſt, præſertim quia Celſus disjunctim illorum meminit *Lib. 2. cap 4* ſententiam hanc Hippocratis, ita in latinum vertens: *Mali morbi ſignum eſt, aut poſt vomitum ſingultum eſſe, vel rubere oculos.*

Et quidem ipſe crediderim fuiſſe utrumque hic conſulto ab Hippocrate memoratum, ut certius de mala prognoſi judicium ferri poſſet, nam etſi ſingultus ſolus ſi ſuperveniat, malus ſit veluti nervorum per ventriculum ſerpentium læſionem deſignans, & potius à prava humorum conditione proveniens, quam ab eorundem multitudine,

dine, quæ ſaltem magna ex parte inanita per vomitum exiſtimanda eſt, nihil minus tamen, ſi cum eodem oculorum rubor pertinax & durabilis conjungatur, longe magis illorum malitiam adauget, utpote quæ cerebrum ejusque meninges in conſenſum trahere potuerit, & præter irritationem & corrugationem fibrarum nervarum, atque anguſtum meatuum ſanguiferorum etiam phlogoſim vel inflammationem in iisdem excitare. Porro per vomitum, præſertim violenter promotum, non ſolum ventriculus ipſe, propter ſui inverſionem, cum ſtomacho graviter contorquetur & affligitur, ſed etiam ſeptum transverſum, thorax, aſpera arteria, œſophagus, jugulum, facies & caput univerſum, moleſte admodum afficitur, & non leviter impeditur in his omnibus ſanguinis reditus per venas, qui impetuoſius per arterias, ſtante illo per vomitum conatu, ſurſum appellitur, unde non mirum ſi oculi & vultus impenſe rubeant, qui tamen ſponte ſua à vomitu ſedari ſolent, ſi is bene ceſſerit, ſecus vero, ſi vitium in humoribus, atque in ipſamet textura ventriculi profundos recognoſcat, ut interiorem ipſius membranam & nervis conaffectos arguat. Hinc cautos eſſe oportet eos, qui ad vomendum inepti vel in partibus capitis & thoracis male formati, crebris vomitionibus ſe ſubjiciant, quoniam facile ejuſcemodi pericula ſubeunt, talia triſtia exempla legi poſſunt apud Hippocratem in hiſtoriis *Epidemiorum*; præſertim quæ fiunt ab Elleboro, Mercurio, croco metallorum, vitro antimonii, venenis &c.

Cæterum licet Hippocrates *malum* hic tantummodo dixerit, non tamen iſtos ab exitio immunes putandos, ſi alia ſubinde concurrerent virium languorem conteſtantia.

Dices Singultus à vomitu ſedatur, ergo non erit tantum periculum. *Reſp.* Singultus qui fit à mordacitate (ut diximus in contextu) & quantitate forte humorum in ſtomacho concedo quod ſedetur à vomitu: qui vero per vel poſt vomitum fit, & diu perſeverat, ſedatur à vomitu nego.

Vide plura apud Cardanum *in Commentario.*

Aphoriſmus IV.

A Sudore horror non bonum.

Contentum ſeu Intentio.

De horrore & ſudore.

CONNEXIO: Quemadmodum in antecedenti Aphoriſmo Hippocrates damnavit ſingultum & oculorum ruborem, qui ad evacuationem per vomitum factam ſequitur: Ita in præſenti Aphoriſmo, damnat horrorem, qui ad evacuationem per ſudorem factam ſuccedit.

Hic Aphoriſmus utpote breviſſimus diviſione non eget.

Licet ſudor totius corporis evacuatio credatur, proxime tamen glandularum ſubcutanearum humores exhaurit, qui cum à lymphaticis derivent, & iſti à ſanguine, propterea ab unius exoneratione, reliqui ſucceſſive diminuuntur, & tandem ſanguis ipſe, imo & univerſum corpus, communione illa cum partibus reciproca repurgatur, & impuritatibus munitur, quamobrem à Medicis evacuatio hæc univerſalis dicitur, & morbis ferè omnibus indifferenter conducibilis. At vero ut omni ex parte proficiat, non ſolum exigit, ut è toto corpore faciliter prodeat & calens ſit, ſed etiam ut levamen ægrotanti afferat, & à morbis ſolvat, vel ſaltem temperet, unde ſi fortè non allevet, ſed aggravet, imo nova ſymptomata inducat, vel præterita reſuſcitet, procul dubio indicium *non bonum* erit, quoniam ex eodem Hippocrate: *Decretoria non decernentia partim lethalia ſunt, partim difficilis judicii*: id eſt mortem vel longitudinem morbi indicant: Quamquam autem multa alia peſſimi indicii mala ſudorem ſubſequi poſſint, meminit tamen hic ſpeciatim Hippocrates *horroris* ſeu potius horripilationis, quæ ſane ſæpius illi ſuccedere ſolet: nam cum, ut dictum, ſudor proxime à glandulis ſubcutaneis emanet, ſi forſitan is, per cutim ſenſu præditam excurrens, acore viriosus, & glutinoſitate hærens, porulis ejuſdem impingatur, & ab ambiente aere magis & magis recrudeſcat & figatur, procul dubio eandem vellicans & compungens, horrorem aut horripilationem incurrit, qui uno rigeſcente corporis habitu, humores ad glandulas è partibus internis commoti, repelluntur, & intro remeant, unde poſtmodum incommoda majora, & præſertim ſi id accidat ex ſudore manante in febribus, quo tempore ſperatur criſis; tunc enim non tantum priorem morbum non tollit, ſed potiꝰ novum & pejorem efficit, elanguente interea natura ac infractis per ſudorem viribus: Hinc in multis ægrotis *Epidemiorum*, rigor aut horror poſt ſudorem vel lethalem vel longum ſaltem morbum demonſtravit. Ve-

Verum debet horror hic à ſudore ſupervenire; nam ſi fortaſſe præextiterit, ut inter initia febrium intermittentium, malus omnino dicendus non erit, velut initiantis futuræ febris prodromus: Criticus enim ſudor in febribus, horrore aut rigore incipit, ſubſequente calore & copioſa tandem emanante humiditate terminatur, diſcuſſa ſcilicet integrè ut ſupra dictum horroris morbifici materia: quod per Exemplum probat Poeta:

Jupiter obſcurum confringens murmure cœlum
  Mille jacit flammas, fulmina mille jacit.
Tandem depoſita, rabioſi Numinis Ira
  Igneus in liquidas ſolvitur æther aquas.
Tempeſtas ſimilis febris eſt, nam frigore & igne
  Incipit, & pluviis, pallida finit aquis.

Symptomaticus è contra nec ſemel ſudore incipit, ſæpius autem horrore & frigore terminatur, ob defectum ſpirituum & virium, reluctante materiæ copia, cruditate, malignitate, & ſic inceptum evacuationis opus perficere nequeat atque ex reliquiis morbificis horror ſubſequitur.

Animadvertendum porro hic eſt, quod horror (ut alibi dictum) medius ſit inter frigus & rigorem, horror tamen peior eſt rigore, quia conſtat ex duplici materia, bile & viſcoſitate ſeu lympha aceſcente, eſtque proprius febrium compoſitarum. Sciendum tamen, quod ſicut ſe habent ad invicem calidum & frigidum, ita ſudor & horror nam ut docet Hippocrates *in libro de vetere Medicina, calidum & frigidum, maximè cognatæ ſunt affectiones in eo, quod alterum alteri facillime ſuccedit uti in febre poſt frigus calor ſequitur, & poſt calorem frigus:* ita etiam horrorem & rigorem ſolet ſequi ſudor.

Quæres: utrum verificetur Galeni commentum, *quod imperfectas judicationes horror ſequatur?* ℞. id non univerſaliter verificari: nam retrocedens ſudor ſæpe citra horrorem necat, vel ſaltem recidivam facit.

Exempla hunc Aphoriſmum concernentia & alias controverſias vide apud Cardanum *in Commentario.*

Sſſ ſſſ 3 Apho-

Aphoriſmus V.

Ab inſania (ſeu furore ſeu mania) difficultas inteſtinorum, aut Hydrops (ſeu aqua intercus) aut mentis alienatio, bonum.

Contentum ſeu Intentio.

De Deliriorum ſupervenientibus Phænomenis

Connexio: Cum Hippocrates in antecedentibus egiſſet de ſymptomatibus ad evacuationes ſupervenientibus: in hoc præſenti Aphoriſmo agit de morbis, qui aliis ſuccedunt.

Hic Aphoriſmus cum ſimplicem habeat concluſionem; diviſione non eget.

Etſi non raro morbus morbo ſuccedens majorem malitiam arguat, & extremum Naturæ languorem, quæ proinde debilis reddita, cuicunque deinceps incommodo ſuccumbat, ſolent tamen aliqui alios peiores ſolvere, & e gravioribus principes partes occupantibus liberare, aut ſaltem in leviores, magis domabiles, aut in longius tempus protrahendos commutare, prout jam dictum *lib. 6. Aphor. 21. & 48. de Melancholicis & Lienoſis*. Debent autem iſti adjunctam ſemper habere materiæ peccantis evacuationem, vel ſaltem decubitum in partem minus nobilem, prout in hoc Aphoriſmo Hippocrates memorat, de furore in dyſenteriam, vel hydropem, aut etiam mentis alienationem, commutato.

Cum enim humor furorem & maniam in cerebro efficiens, alio transfertur, & per inteſtina, veluti per communem corporis cloacam foras educitur, etſi vellicando & abradendo dyſenteriam in illis excitet, attamen quia é cerebro deponitur & maniam delet, omnino ſalutaris cenſenda eſt, tum ratione loci à parte affecta remotiſſimo, quamquam in ratione convenientis deficiat. Atqui poteſt etiam

etiam furor & mania deſinere, ſi ex humore in hypochondriis commoto, cerebrum in conſenſum trahatur, cujusmodi plerique maniaci, per intervalla furioſi, certis duntaxat temporibus perturbantur & impetunt, ſiquidem in his neceſſe non eſt, ut vitioſus humor cerebrum materia ſua occupet, ſed ſatis eſt, ſi plexum nervorum in Meſenterio, aut Diaphragmate ſitum afficiat, & fibillas eorundem extorquendo, in cerebri meditullium deſinat, ac talem commotionem excitet, ut phantaſmata rerum confundat ac perturbet. Sed & Ecſtaſim quoque ſeu mentis alienationem, non diſſimiliter parere poteſt, deturbata materia in fibras nervorum, vel etiam vaporibus cerebro perfuſo, quo pacto de humore melancholico acido dicebat Hippocrates, & Galenus, ſiis nimirum in mentem vergeret, fieri melancholiam ſeu delirium melancholicum. Inde enim mania remittitur à continuitate, quia per ecſtaſim interrumpitur, & attenuata materia, in halitus & vapores facilius moxmox penitus ſit exſolvenda; conſtat autem fixos & hærentes ſuccos perpetim moleſtantes, benigniores evadere, ſi loco moveantur & attenuentur adeoque mitius affligant & per intervalla; ut è contra acres, tenues, mobiles, ſi craſſeſcant & ſubſiſtant, plerumque commutantur in melius reſolutis tenuioribus partibus & ſubactis, & concretis craſſioribus, atq adeo non tam vehementer ſerientibus & perturbantibus, quemadmodum de phreniticis, factis comatoſis dicitur *primo Prorrheticorum*, conſumpta ſcilicet parte humoris tenuiori, & relicta craſſa mitiori. Commutari vero poteſt mania in hydropem, ſi humores illi in hypochondriis ſtagnantes, & nervos extorquentes, cum phantaſmatum perturbatione, loco moti, & inter cavitates imi ventris, à nervorum plexibus ſepoſiti, ipſum tumefaciant, & hydropem efficiant, atque hac de cauſa maniæ opitulentur.

Niſi etiam fieri contingat, ut melancholici & acidi ſucci maniam inferentes in ſeroſiores dilati, ſalino-acidum ex parte dimittant, & in cavum ventris confluentes aquam intercutem inducant; quippe novum non eſt melancholicos & acidos humores facile commutari ſolere in aqueos & ſeroſos imo maximam inter utrosque analogiam ineſſe, ut ab Hippocrate docemur, & conſtat ex pancreatis liquore, per ductum Wirſangianum in gracilia inteſtina derivantem. Ab his autem ſupervenientibus maniæ ſymptomatibus, licet bonum dixerit

xerit Hippocrates, non tamen ſimpliciter tale intelligendum eſt, ſed comparatè ſolum ad maniam, & cum criticorum motuum rationem ſapiunt, nam ſi fortaſſe unum aut alterum ex his ſuperveniret, nullatenus interea deſinente, aut miteſcente mania, proculdubio gravius eſſet, ſiquidem unum alterum non deleret, ſed potius augeret. Sic pariter etiam humores alio tranſlati, ſi tenaciter ibidem hærerent, ac conſiſterent morbum ſolummodo in alium morbum commutarent, æque periculoſum, ut ſunt dyſenteria & hydrops, & ſua etiam ex parte Ecſtaſis, quiæq; morbi ſunt non minus quam mania lethales, quin imo ſæpe pernicioſiores ac breviores. Debent itaque ejuſmodi humorum maniam inferentium motiones criticam conditionem referre, ut ex his illi, vel extra corpus quam citiſſime expellantur, ut in dyſenteria, illæſis interea inteſtinis, vel alio ſepoſiti ignobiliores partes occupent, nobiles deſerendo, ſintque mox etiam facile egerendi, vel denique in ſe ipſis intranea commotione ſubacti, malitiam deponant, & mitiorem naneiſcantur conditionem ut in Ecſtaſi.

Dices morbi cujuſvis chronici mutatio in hydropem eſt mala, ergo non poteſt dici hic bona Reſp. mutatio eſt mala ſecundum terminum *à quo* nego: ſecundum terminum *ad quem* tranſeat, quemadmodum jam in contextu abunde explicuimus.

Inſtabis hydrops eſt morbus lethalis, ergo nullo modo poteſt dici bona mutatio. Reſp. hydrops à fruſtratione ſanguificationis opere aut viſcere quocumque modo graviter læſo, concedo: à tranſlatione materiæ morbificæ prout hic ſumitur nego.

Ad hunc Aphoriſmum reduci poſſunt *Lib. 6. Aphor. 40. 44. & lib. 7. Aphor. 53. 54.*

Plures controverſias vide apud Cardanum *in Commentario.*

Aphoriſmus VI.

In morbo diuturno (ſeu longo) cibi faſtidium, & ſyncera dejectiones malum.

Con-

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi morborum chronicorum è ſtatu ventriculi.

Connexio: In præcedenti Aphoriſmo Hippocrates ex quibusdam futorem conſequentibus bonum fecit prognoſticum: In hoc vero præſente Aphoriſmo ex conſequentibus, cibi nempe faſtidio & ſynceris dejectionibus, poſt diuturnos morbos, malū facit augurium.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem nullam patitur diviſionem.

Quotiescunque morbi ſpatium quadraginta dierum tranſiliunt, & ulterius progrediuntur, ex acutis fiunt chronici ſeu longi, potiſſimum ex humoribus lentis, craſſis, hærentibus progeniti, vel etiam in locis ſtagnantes, ubi difficulter fermentationi & ſecretioni ſubjiciuntur, ſed potius impacti tenaciores evadunt & veluti gypſei, quemadmodum in glandulis & articulis, ſi præſertim viribus infractis langueat natura, & ſanguis ac viſcerum fermenta ſuo ſpiritu alkalino deſtituta, inertia prorſus evaſerint: His ergo ſi faſtidium ciborum, nauſea, & inappetentia ſuperveniat, malum erit, tum quia præ longitudine, effœtis omnino viribus, per alimenti carentiam, facile eſt ut natura penitus ſuccumbat, & concidat, antequam morbus finiatur, tum quia à ciborum faſtidio & nauſea ſtomachicum fermentum, valde languidum & ineptum, indicatur, & quod gravius, nec a ſanguine & cæteris liquoribus, ſimiliter effœtis, ut decet ſuggeſtibile, ut proinde etiamſi vi & conatu cibi reſumptivi ingerantur, ob illorum inertiam potius corrumpantur, & degenerent in excrementa magis & magis cumulantia, materialem cauſam chronicitatis, unde etiam dejectiones ſinceræ prodeunt. Quamobrem non abs re Hippocrates utrumque ſymptoma conjunctim in hoc Aphoriſmo propoſuit, quoniam vix fieri poteſt, ut unum ſine altero habeatur: Dicuntur autem ſyncetæ dejectiones, quæ uniformes ſunt & impermixtæ, æqualiter fermenta viſcerum male affecta ſignificantes, ut ejusdem languoris, tam quod in ſtomachum derivat, quam quod per confluentes

ſuccos, inteſtinorum excrementorum repurgationi famulatur, vitium denotet, unius modi & homogeneæ conditionis alvi dejectiones efficiat, ſive illæ hunc vel alium colorem referant, a prædominio unius vel alterius ſucci depravati cum cibo commiſti. Hinc & flauæ & virides, & pallidæ & cibales & humorales, vel aliæ eſſe poſſunt, quas propterea generaliori nomine voluit Hippocrates ſynceras appellare. Cæterum eſto alterum horum ſymptomatum ſatis etiam atteſtari poſſit, de malo morborum chronicorum eventu, cum illis ſuperacciderit, juxta ea quæ Celſus *lib. 2. cap. 4* ſententiam inter ſua prognoſtica referens, commemoravit; crediderim tamen voluiſſe Hippocratem, utrumque hoc loco jungere ut certius mali morbi teſtimonium deſumatur, præterquam quod difficile admodum ſit, ex uno alterum non eſſe conſecuturum, ſi præſertim ciborum faſtidium cum nauſea, in appetentia, & mala aſſumptorum digeſtione conjungatur, ut ſæpius accidit.

Dices I. Nigræ dejectiones ſunt ſynceræ dejectiones, ſed hæ teſte Hippocrate, multos morbos curant, nempe furorem, quartanas &c. Ergo hic Aphoriſmus non ſubſiſtit? ℞. negando quod omnes nigræ dejectiones ſint ſynceræ quia poſſunt heterogenei ſucci eſſe permixti cum colore nigro: deinde non adeſt cibi faſtidium. iſta autem duo debent eſſe conjuncta, ut dixi in contextu.

Dices II. Cibi faſtidium in quartana bonum eſt, nam ubi ægri valdæ ſunt voraces, diutius torquentur; Imo Hippocrates *Lib 2.* Laudat inappetentiam, ergo non eſt tam mala, vel ſibi contradicit. Reſp. Cibi faſtidium in quartana cum ſynceris dejectionibus, quando nempe natura occupata cauſæ morbi concoquendæ, corporis nutritionem negligit, adeoque non appetit, concedo: Nec Hippocrates hîc ſibi contradicit, quia illo loco citato loquitur abſolutè de impuris corporibus; hoc vero loco non, ſed reſpective: deinde ibi loquitur de convaleſcentia, hic de morbo, in quo non tantum adeſt cibi faſtidium, ſed etiam ſyncera & frequens dejectio.

Plures controverſias vide apud Cardanum *in commentario.*

Apho-

Aphoriſmus VII.

Ex multo potu rigor & delirium (ſeu deſipientia) malum.

Contentum ſeu Intentio.

De Επιγενομένοις ſeu ſupervenientibus bibacitatis.

Connexio: Cum in Aphoriſmo quinto hujus libri Hippocrates mentionem feciſſet maniæ ſeu mentis alienationis, quæ delirii ſpecies eſt:

In hoc præſenti Aphoriſmo de delirio agit, quod ad ebrietatem ſequitur, cumque de horrore, qui ad ſudorem ſequitur Aphoriſmo quarto etiam dixiſſet; In præſenti quoque dicit de Algore, qui ſequitur ebrietatem.

Hic Aphoriſmus ob ſummam brevitatem non dividitur.

Mala ex ebrietate provenientia, tum mentem tum corpus plurimum turbantia, nemo eſt qui ignoret, & quidem ex his *lib. 5 Aph. 5* dixerat Hippocrates ſubſequentem ab ebrietate aphoniam convulſionem inferre, ac poſtremo mortem, niſi illam febris præverteret; nunc alia memorat, ex multa potatione ſymptomata & prognoſim inde faciendam: Et quamvis potationem ſimpliciter recenſuerit, nulla factâ liquoris potabilis mentione, non eſt tamen ut ambigamus, de alio ipſum, quam de vini potu ſermonem habere voluiſſe, ut Galenus exponit, & cum eo omnes reliqui interpretes conveniunt, nam â nullo alio liquore, in uſum potus deducto rigorem, ac dementiam proficiſci poſſe res in comperto eſt: dementia enim certe ab aqua nunquam fiet. Itaque ex nimia ſolum vini potatione, ſecluſa tamen temulentia ac ebrietate, rigorem & deſipientiam ſupervenientem, malum eſſe inquit. Quia vero hominum induſtria factum eſt, alios æquipollentes liquores pro vino fuiſſe excogitatos, qui cum immoderatius fuerint epoti, paria incommoda inferant, id ipſum ideirco

eo de iis intelligendum ſuadent, quod à larga vini potatione hic eſt animadverſum, cum non diſſimiliter cerebrum & nervi malo afficiuntur à vino, quam a cerevisia & zitho (ſeu ſpecie quadam cerevisiæ) cæteriſque aliis artificialibus potibus vinoſis, qui identidem cerebrum vaporibus opplent & obfuſcant, atque acorem facile redolentes nervos & nervorum fibras vellicant & extorquent, imo ſpiritus animales acres & tumultuarios progignunt.

Incutitur autem exinde rigor concuſſione, in iisdem inæqualiter excitata ab acore ipſo irritante, & a natura impellente per contractionem & corrugationem earundem partium nervearum, Delipientia vero a turbata fibrarum diſpoſitione & ſpirituum animalium violenta commotione, qui nimirum a potu vini largiore turgentes & elleri, imo confertiores, mobiliores & acres redditi, non ſuaviter & blande irrigando ac leniendo fovent, ſed è contra impetuoſe irruendo, omnia conturbant, irritant, & exagitant, unde poſtmodum delirium

Junxit autem utrumque non inconſulto Hippocrates, ut malum exinde rationabilius prædici queat, quia per rigorem malum in nervis & fibris membranarum, per deſipientiam vero damnum in ſpiritibus, & in mente, & cerebri ſubſtantia portenditur, quæ ſanè quantum faciant, ad vitæ tuitionem, nemo eſt qui neſciat

Nullatenus autem hic reticebo, quod à bibacibus quibuſdam, in uſum inter epulas, ne temulentiam incurrant ac pro more largiſſime bibant, invectum eſt, vinum etſi potentiſſimum, ſaccharo commiſcere, ita enim confitentur illud minus, imo nullatenus inebriate, forte quia per ſachari mixtionem ejus ſpiritus inſpiſſantur, & dulcore coerciti, coarctantur adeo, ut propterea minus, vel nullatenus cerebrum feriant; qua etiam ratione fit, ut vinum colatum dictum, ſeu non fermentatum, aut etiam muſtum ipſum, pauciſſimos ac inertes admodum ſpiritus per deſtillationem emittat, ac largius adhuc epotum minimè inebriet, licet ventrem inflet, & in ingentes flatus erumpat

Etiam hoc notatu dignum eſt, rigorem non raro ex largo quoque aquæ gelidæ potu ſupervenientem, imminentis morbi eſſe ſolere prænuncium, prout non raro in praxi obſervatum eſt in quibuſdam, qui, cum à potu aquæ frigidæ, etiam a prandio & cæna, rigeret, futuram ſibi prædicebant infirmitatem, potiſſimum à ſtomacho, vel

imo

imo ventre procedentem, & ſæpius etiam cum febre; forte quia in fracta, vel deficientia ventriculi, & inteſtinorum fermenta, ab aquæ potu languidiora reddita, chyloſim non bene moderabantur, nec melius excrementorum alvi repurgationem, unde poſtmodum febris & alia ventris incommoda.

Quæres 1. Cur quidam à cibo frigeant alii non? ℞. Illorum ſtomachum debilius concoquere & digerere, ob debile fermentum & tonum languidum ventriculi, hinc ſpiritus aliunde revocantur ad eundem, ad digeſtionem ſecundandam, relictis partibus exterioribus algidis: Hi vero utpote fortes & robuſti, hac ſpirituum ſuccurſu non egent.

Quæres 2. Quomodo illud Platonis in Timæo ſit intelligendum, ubi dicit; Vinum calefacit corpus & animam? ℞. Per animam intelligi ſpiritus.

Quæres 3. Quomodo vinum generet frigidos morbos; Seu cur multa potatio vini, primum frigus pariat, cum tamen vinum calidum ſit? ℞. Cum Ariſtotele 3 Problem. quod humidum plurimum, ſeu in copia, & quantitate, non calefaciat, ſed ſponte refrigeratur, ut ſudor ex veſte calida cum plurimus fuerit. Ergo etiam vinum, cum ob multitudinem, à calore naturali vinci non poſſit, ad naturam ſuam qualem habet antequam hauriretur, redit, ſicque totum corpus refrigerat ut teſtatur Galenus *3. de temperamentis.* Aliter adhuc hoc ipſum explicat & dicit. Proinde nec vinum ipſum ſemper calefacit animal, æque ut nec oleum flammam accendit, tametſi aptiſſimum ſit ignis nutrimentum: Imo ſi imbecillæ & exiguæ flammæ, confertim multum oleum infundas, ſuffocabis eam & prorſus extingues potius quam ut augeas: Sic pariter & vinum ubi plus bibitur, quam ut vinci poſſit, tantum abeſt, ut animal calefaciat ut etiam frigidiora vitia gignat nempe cõpreſſiones, obſtructiones, caloris ſuffocationes, debilitates, ſpirituum interceptiones, unde frigiditas & tandem etiam ipſa mors. Hanc Philoſophi rationem, à ratione eſſe alienam adeóque vix non abſurdam dicit Cardanus *in Commentario.*

Neq, enim (inquit) par exemplum eſt, de oleo extinguente flammam, quia illam ſuffocat; & de vino in corpore noſtro, quod non niſi quia frigidum refrigerare poteſt, non prohibere reſpirationem & exhalationem, ut oleum in igne, ſanus mente dicat.

Ttttt 3 Plures

Plures controverſiæ videri adhuc poſſunt apud Cardanum *in Commentario.*

Aphoriſmus VIII.

A Tuberculi introrſum ruptione exolutio (ſeu virium dejectio) vomitio, & animi defectio fit.

Nota : *Conferri poteſt hic Aphoriſmus cum Aphoriſmo 41. Libri ſexti.*

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi rupti abſceſſus interni.

Connexio: Cum in antecedenti Aphoriſmo Hippocrates egiſſet de ſymptomatibus ſeu ſupervenientibus ebrietatis; In hoc præſenti Aphoriſmo loquitur de ſymptomatibus ſeu ſupervenientibus, rupti abſceſſus.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur.

Accidentia à tumoribus internis diruptis exorientia, hic ulceris memorat Hippocrates, atque prognoſim ex iiſdem recenſet, quam malam & infauſtam ait, ſi ſubinde vomitus animi defectio, aut exſolutio conſequantur. hinc prognoſticus eſt præſens Aphoriſmus, & ſummopere in praxi medica utilis.

Tumores in humano corpore progigni, non tantum externos, ſed etiam internos & ratio manifeſtiſſima ſuadet & experimenta plurima ex diſſectorum cadaverum obſervationibus, certo certius atteſtantur. Eos autem non ſolum, in viſcerum parenchymatibus, jecore, liene, renibus, utero, verum etiam in glandulis, quibus totum fere corpus conſtructum & contextum eſt, tum majoribus & conſpicuis tum etiam parvis & inconſpicuis ſeu miliaribus, ac ſolo microſcopio obſervabilibus, cunctis plane in confeſſo eſt, adeo ut plerique, nec ſine firma & conſtanti ratione arbitrentur, raro febres acutas, alioſque graves & calamitoſos morbos accidere, qui ingenitum tuberculum ſeu vomicam (quæ potiſſimum hic intelligitur) communem non habeant, vel pro cauſa, ſive efficiente, ſive fovente non recognoſcant.

Quo

Quo ſane videtur Hippocrates reſpexiſſe, cum dixit omnes morbos, vel ulcus eſſe, vel ulceris conditionem præſeferre, ut alibi dictum.

Quoties autem accidit, interius genitos tumores ſuppurari, ac poſtmodum diſrumpi, niſi prompte materia ſuppurata exitum habeat, neceſſe eſt alicubi deponi & hærere, & quidem ſi in glandulis, quæ uti ſpongioſæ, facile quoscunque humores excipiunt facillime corruptionem inferet, & ſymptomata plane exitioſa; ſi vero in ventriculum feratur, vomitum excitabit; ſi in thoracem & pulmonem tuſſim, anhelitum, ſuffocationem; ſi in inteſtina diarrhœam, vel dyſenteriam; ſi in abdominis cavum hydropem, ſi in renes aut veſicam, ſtranguriam, dyſuriam, iſchuriam, & ſic deinceps alia & alia incommoda pariet, prout in unam vel aliam partem abſcedet. Ex his autem ſpecialia commemoravit Hippocrates, *virium exſolutionem, vomitionem & animi defectionem*, quæ videntur eſſe ſymptomata ſpecialiora diruptionis, ad cavum thoracis & præcordiorum pertinentia, unde gravius timere ſit vitæ periculum, ſiquidem quæ fit ad inteſtina, renes, veſicam & abdomen, levius præ cæteris vitam incommodat, etſi etiam mala ſit.

Silentio autem prætermiſit Hippocrates prognoſim, quam in cæteris antea præſignaverat, forte quia implicite in his continebatur, vel facile ab iiſdem deduci poterat, quamobrem recte Mercurialis *hoc loca ſat fuiſſe*, inquit, *dicere fieri, cum ſint ſemper perniciosa quammodocunq; fiant, ſunt enim hæc omnia mala, ſi ſeparatim, & multo magis ſi conjunctim captantur; tum quia ſignificant magnitudinem tuberculi, & pravitatem illius materiæ, lociq; ad quem miſſa eſt praſtantiam; tum quia cuncta hæc tria ſymptomata, tam per ſeſe, quam conſecutive, unum quodq; ſeparatum, vires magis atterit, atq; alios graves affectus producere poteſt.* Quin & grumi ſanguinis, ex rupto apoſtemate, ulcus ipſum ſordidum, facile in gangrænam terminandum, continuus per eas partes humorum effluxus, fiſtulæ, cuniculi ſinus, & alia plura, quæ ſupervenire ſolent, vitæ periculum adaugent; ut dixit Hippocrates lib. 6. Aphor. 27.

Quibus omnibus unica ſpes eſt evadendi, per iteratas potiones vulnerarias adjecto ſpermate ceti, mumia, & aliis ſimilibus ex praxi delibandis.

Dices: Exſolutio & animi defectio, videntur eſſe eadem, ergo gratis diſtinctim ponuntur? ℞. Exſolutionem eſſe quid minus quam animi defectum ſicut lypothimia levior eſt affectus quam ſyncope, licet uterque gravis ſit. Apho-

Aphoriſmus IX.

A Sanguinis profluvio deſipientia, aut etiam convulſio malum.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi hæmorrhagiarum.

C*onnexio*. Cum Hippocrates in antecedenti Aphoriſmo egiſſet de ſymptomatibus quæ ad interim abſceſſus ruptionem pertinent, quatenus nimiam evacuationem ſequuntur In hoc de illis ſymptomatibus agit, quæ ad magnam ſanguinis effuſionem fiunt.

Hic Aphoriſmus cum breviſſimus ſit diviſionem nullam admittit.

Ex ſanguinis fluxu convulſionem aut ſingultum conſequentem, malum eſſe ſcripſit Hippocrates lib 5. Aphoriſ. 3 in hoc Aphoriſmo addit etiam deſipientiam : Unde propterea crediderim, ſejunctim unum ab altero, ſi hæmorrhagiæ ſuperveniat, malum portendere, quamvis Celſus *Lib 2 cap 8* utrumque ſociaverit, & quidem convulſio ſola, aut ſola deſipientia ſatis ſuperque mali morbi teſtimonium eſſe poſſunt, cum cerebri & nervorum læſionem arguant, quæ ſua natura mala ſemper eſt. quod ſi præterea ſimul una copulentur multo deteriora erunt ; quare idem Celſus, utrumque conjungens non ſolum *malum*, ſed *mortis periculum* adjecit Ar vero hæc non dixit Hippocrates, ſupervenire poſſe cuicunque ſanguinis evacuationi, ſed illius profluvio duntaxat, ſeu larga & copioſæ hæmorrhagiæ, de qua etiam meminerat *citat. lib.5 Aphoriſm.3.* nam ſi modice ſanguis fluat, fieri procul dubio nequit, ut deſipientia vel convulſio ſequatur, quinimo ſæpius accidit, ut ſanguis moderate, præſertim per nares, vel uterum, vel per hæmorrhoides profluens, multum levaminis afferat ægrotantibus, ut etiam ex pluribus locis Hippocratis deducere eſt. Num autem de ſola hæmorrhagia dictum hoc retulerit, an etiam de aliis aliarum partium evacuationibus cruentis, licet dubitari poſſit, probabilius videtur & quocunque ſanguinis immodica evacuatione, cerebrum

brum præ cæteris viſceribus magis afficiatur & langueat, attenta præſertim ejuſdem conditione, licet quæ è naribus procedit, proximius cerebrum debilitet, qua de cauſa non ſolum malum eſſe indicium cenſuit Celſus, ſed etiam exitioſum dixit *cit, loco.*

Deſipientia autem ſeu dementia, quæ hic notatur, ea potiſſimum videtur intelligenda, quæ ſtuporem, ſtultitiam, & ſenſuum omnium hebetudinem ſignificat, ut in mente captis, ob ingentem virium præſertim animalium jacturam.

Quares Cur Hippocrates mentionem non fecerit deliquii animi, quod maxime ſequi ſolet effuſiones ſanguinis? ℞. Quia deliquium non ita remotum eſt, imo remedium eſt effuſionis; ſequitur autem maxime deliquium animi, cum repente ſanguis effluit, & nunc ſequi ſolet convulſio, delirium vero cum paulatim ſanguis effluit & tamen durat.

Plura qui deſiderat adeat Cardanum *in ſuo Commentario.*

Aphoriſmus X.

Ab ileo vomitus, vel ſingultus, vel convulſio vel delirium (ſeu deſipientia) malum.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi ilei.

C*onnexio*: Quemadmodum in præcedenti Aphoriſmo de ſævis ſymptomatibus quæ à ſanguinis effuſione proveniunt tractavit Hippocrates; Ita in hoc præſenti Aphoriſmo de illis accidentibus, quæ ileo ſuperveniunt, æque gravibus ſermonem inſtituit.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem & ſimplicem concluſionem non dividitur, ileos latine volvulus, eſt morbus in quo nil quod ſuperne aſſumptum eſt, ad inferiora & ad alvum deſcendit, ſed potius ſurſum revolvitur & per os regeritur, obſtructo & conſtipato, aut etiam contorto, atque inflammato inteſtino ileo, à quo morbus ipſe nomen deſumpſit. quamquam autem inteſtiat hujus affectionem ſpecialius morbus iſte volvuloſus comitetur, aut conſequatur,

non tamen omnino vomitus neceſſe eſt, ut ſimul una conjungatur, cum fieri etiam poſſit ut non tantum ileum inteſtinum, ſed etiam reliqua ſuperiora comperiantur dolore, cruciatu, torminibus, inflatione, febre, ſiti, inappetentia aliisque ſymptomatibus, citra vomitum, qui etſi poſtmodum ſubſequatur ſolius cibi aſſumpti, vel humoris in cavo ventriculi ſtagnantis eſſe ſolet. At vero ſi vomitus deinde ſtercorarius accedat, aut etiam cum ſingultu, omnino lethale eſſe conſuevit, de quo hic Hippocrates: tunc enim inteſtinum ileon tam crudeliter vexari indicio eſt, ut irritatione perpetim inducta, fibræ illius laceſſitæ diſtorqueantur, & veluti convulſione affectæ, ſurſum retrahantur, ac motum periſtalticum penitus conturbent & invertant, unde poſtmodum fæces in cellulis & confractibus illius reſidentes, evomantur, ex citato ſimul una ſingultu.

Perpenſis præterea cauſis, è quibus ileos proficiſci ſolet cum vomitu, plane ab illis periculum vitæ magis adaugetur, nam ſive ab inflammatione contingat, ſive ab ejusdem contractione ac tortura, aut etiam prolapſu, ut in enterocele, ſive à fæcibus induratis, aut viſcoſo & hærente humore, ſive ab alio quopiam vim habente convellendi, & fibras inteſtinorum proritandi, atque diſtorquendi, ſemper exitum minatur, ut hiſtoriis quoque compertum eſt & praxis ipſa plures oſtendit, quamobrem non immerito funeſtum ſignum hic ab Hippocrate proclamatur.

Quod ſi ulterius cum vomitu ſingultus adjungatur, longe gravius malum indicitur tum ex natura ſingultus, qui ad convulſionem refertur, tum ex conditione materiæ ventriculum & ſtomachum impetentis, planè mordicantis & acris; tum denique ex ratione partis affectæ, ad vitæ ſuſtentationem penitus neceſſariæ (qualis eſt ventriculus) & propter nervos quibus intextur innumerabilibus, magnam cum cerebro connexionem habentis, ut alibi dictum.

Hinc non ſolum Hippocrates ſingultum ſupervenientem malum dixit, ſed etiam convulſionem, quę procul dubio periculoſior cenſenda erit, ob cerebri & nervorum inde immediate prodeuntium affectionem. Atqui deſipientiam quoq; ſuboriri poſſe ex ileo, illumq; pari modo funeſtum ſignum eſſe, nulli dubium, tractis nimirum in conſenſum partibus, ad animales operationes pertinentibus, depravatis ſpiritibus, & turbatis ac confuſis phantaſmatibus, imaginativam, & [illegible] aeſti-

æſtimativam dirigentibus ac moderantibus. Quæ cum clariora ſint, quam ut fuſiori ſermone egeant, non eſt ut diutius in his immoremur; ſolum id animadvertere juvabit, unum quodque horum ſymptomatum, ſatis eſſe, ad indicandam morbi Ilei pravitatem & contumaciam, quamquam unum ab altero profectum, & intra quatriduum lethum attuliſſe non raro obſervatum ſit.

Quæres: unde cognoſcatur quod Ileos inteſtina tenuia, an craſſa afficiat? Reſpondet Fonſeca vomitum chyli ſequi, ubi malum eſt, in tenuibus inteſtinis ſed ſæcum, ubi in craſſis conſiſtit.

Plura ege in Cardano *in Commentario.*

Aphoriſmus XI.

A pleuritide (ſeu morbo laterali) peripneumonia (ſeu inflammatio pulmonis) malum.

Contentum ſeu Intentio.
De prognoſi pleuritidis.

Connexio: Cum in præcedentibus Aphoriſmis de ſymptomatibus ſupervenientibus ad varia mala tractaſſet Hippocrates, ad prognoſin: In hoc præſenti Aphoriſmo agit de pulmonia pleuritide ſuccedente, in qua mutatione, morbus morbo ſuccedit.

Hic Aphoriſmus ob ſummam brevitatem non patitur diviſionem.

Pleuritis & peripneumonia adeo inter ſe affines morbi ſunt, ut ſæpe unus alterum mentiri ſoleat, quin imo plerique utrumque confundere conſueverint.

At quamvis inter initia, diverſimodè moleſtent, & diſtinctas partes, Pleuram ſcilicet, vel pulmonem afficiant, unde poſtmodum à partis affectæ diverſitate, Pleuritis aut peripneumonia vocitetur plerumque tamen, procedente morbo ac pejoribus ſymptomatibus comitato, citra ſuppurationem & ſputum, etiamſi antea partes à pulmone diſtantes affecerit, facile in ipſius pulmonis ſubſtantiam repere poteſt, & peripneumoniam ſeu inflammationem pulmonis excitare;

tare; cumque hic affectus, majus vitæ periculum minetur, ob majorem cum corde viciniam, & cum toto corpore conſenſum, per arterias inde latiores excurrentes, ac recta in cor, ejusque ventriculos & aortam ſanguinem aſportantes, propterea tranſitus pleuritidis in peripneumoniam longe pernicioſior exiſtimatur, id quod conſiderans in hoc Aphoriſmo Hippocrates, dicit, *a pleuritide peripneumonia malum.*

Dignoſcitur autem his præſertim indiciis tranſitus hic ex pleuritide in peripneumoniam à febris exacerbatione majori, à difficultate ſpirandi magis adaucta, a tuſſi profundiori, vel nulla citra ſcreatum, a genarum rubore, ab urinæ ſubſtantia magis flavente & craſſa, atque à doloris ſenſu, qui prius acutus & pungens, mox vero gravis & premens evadit cum majori anxietate, & corporis inquietudine.

Tunc itaque pleuritis in peripneumoniam commutata mala dicetur, cum illa non deſinente hæc ſupergreditur at vero ſi ceſſante priori, poſterior adveniat, licet bonum ſimpliciter non ſit, non tamen omnino malum eſſe ſolet, ſi præſertim materia inflammationem inferens aut fovens, perducta ad pulmonem, atque ad ductus ejusdem tracheales, poſſit ſubinde facilius & promptius extuſſiri & excreari. At vero cum pleuritis ſeu inflammatio pleuræ, non omnino deſinit, ſed potius majori ſua expanſione, etiam in pulmones diffunditur & una ſimul cum inflammatione pleuræ, pulmonem quoque ipſum, ſecundum alterutrum ſaltem lobum, inficit ac tumefacit, tantum abeſt, ut commutetur, & aliquatenus proſit, ut potius malum malo gravius adjiciat, & pejora vitæ incōmoda pariat, de qua re hic ſermo eſt, unde merito ſcriptū *malum*, imo & fortaſſe peſſimū ac lethale aſſerere licet, eo quod ſubinde febris, quę utrumq; morbum comitari ſolet augeatur, ſpirandi difficultas increſcat, & quod gravis, cor & vitale robur magis & magis infringatur & hebeſcat, quod ſi præterea genæ, exinde rubeant, ſputum, vel ſupprimatur, vel crudum, rotundum, flavum, viride aut nigrum, & nonniſi maximo enim conatu & educatur, vel in lethum deſinit, vel in empyema ac phthiſim commutatur, & poſtremo in ipſam mortem.

Sed an quod Hippocrates hic dicit, de inflammatione pulmonis ex pleuritide amplandum quoq; ſit è contra in pleuritide, ſi in hanc peripnemoniā tranſeat, ut *Recentioribus præceptoribus*, ubi peripneumonia pleuritidis ſuccedanea, tutior primigenia dicitur, & cur ejusmodi

trans-

tranſmutationem Hippocrates tacuerit? Crediderim dicendum illum ſiluiſſe., non irrationabiliter Hippocratem veluti rariſſimam & inſuetam, quæ ſi aliquando forſan viſa ſit, pari uno pejori prognoſtico eſſe judicandam, cum ſubinde conjectura pateat, jam pulmonem ex integro fuiſſe inflammatum, ut proinde incapax novi affluxus humoris, illum excipere non potens, alio divertere faciat, quin imo beneficii educendi per ſputum & tuſſim humorem penitùs deſperatur, à ſuperveniente Pleuritide, quod facilius exſpectandum erat, ex ſola peripneumonia

Qua vero de cauſa Pleuritis in peripneumoniam tranſire poſſit, non aliunde crediderim, quam ex impedito magis minusve in partibus pectoris ſanguinis circuitu: cum enim in apicibus ſolum arteriolarum ſanguis hæret, cæteræ verò liberæ & expanſæ ſunt, ac præter fluentem ſanguinem admittunt, ac deducunt, levis planè inflammatio ſit, & pleuram non excedit; at vero ſi illæ excipiendo ſanguini ſatis non ſint, & adhuc ulteriori egent ſpatio, forte quia ſanguis craſſior, acidior, glutinoſior, aliusve amplitudinem exigit majorem ſed latiorem, tum in adjacentes partes excurrens adhuc in pulmonem divertitur, illiusque ſubſtantiam tumefacit ac inflammat: Unde duo magni morbi hominem vincunt, quorum alterutet ſufficiens ad occidendum ut teſtatur Hippocrates *Lib. de Affectionibus* dicens: *cum morbus alteri ſuccedit plerumque occidit.*

Quæres: Utrum omnis Peripneumonia ſit æque periculoſa? R. in rigore loquendo quod ſic: ſed tamen mitiorem illam, quæ à ſanguine crudiori ſit, eſſe, quam quæ à ſanguine æſtuante ſeu bilioſo ſit, hæc enim dicitur Eryſipelatoſa quæ peſſima eſt.

Aphoriſmus XII.

A Peripneumonia (ſeu pulmonis inflammatione) phrenitis malum.

Google

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi Peripneumoniæ.

Connexio: Sicuti facile ad pulmonem tranſit pleuritis, quando ad malum vergit: Ita ex pulmonia facile Phrenitis ſequi ſolet; adeoque rationabiliter Hippocrates hunc Aphoriſmum poſt præcedentem propoſuit.

Hic Aphoriſmus pariter ob brevitatem ſummam non patitur diviſionem.

Quamvis Pleuritis & peripneumonia, morbi ſint inter ſe adeo affines, ut vices invicem commutent, & unus in alterum tranſire poſſit, frequentius tamen mutatio in pejus, á ſuperveniente nimirum graviori & periculoſiori contingens, juxta ſeriem ab Hippocrate hic notatam, fieri ſolet, ut ex pleuritide peripneumonia, atque ex peripneumonia phrenitis accidat.

Hac enim ratione per partes ſucceſſive nobiliores, & magis ad vitam ſuſtentandam neceſſarias, periculum adaugetur & propius ad mortem acceditur: Pleuritis autem & peripneumonia, ita à plerisque ut priori Aphoriſmo dictum, confunditur, ut ex utriſque commune nomen, apud quoſdam factum ſit, & Pleuro-pneumonia non incongruenter vocitetur.

Cum igitur à Peripneumonia tranſitur in phrenitidem, aut hæc illi ſuperaccidit ab affectione partis vitalis trahitur in conſortium morbus alius partis animalis & cerebri, ubi phlogoſim & inflammationem pariter exortam ſuſpicari irrationabile non eſt, eo fere modo, quo pulmo ipſe affectus creditur: Etenim ſæpe numero evenit, ut quemadmodum partes externæ eryſipelate vexatæ aliis conſentientibus & vicinis id ipſum communicent quod patiuntur, ita & partes internæ inter ſe invicem conſentientes: Sed & fit quoque, ut Eryſipelas, veluti per ſaltum diffundatur, & has & illas partes, non raro etiam diſſitas, indifferenter infeſtet, at in eo quod *volaticum dicant*: At qui maximus ineſt conſenſus per arterias, venas & nervos, inter thoracem & pulmonem cum cerebro, ut patet, eſtque & hoc notatum in anatome. Si igitur præter pulmonis inflammationem

nem, cerebrum quoque vel ejus meninges, & plexus, accidat inflammari, unde Phrenitis exoriatur, nullum dubium, mali morbi teſtimonium eſſe, & ægrum de vita facile periclitaturum.

Porro in his, ſive urinæ turbulentæ compareant, ſive è turbidis mox repente tenues fiant, aut etiam quæ inter initia concoctæ videbantur, poſt quartum diem attenuentur, aut aliter in excretis confuſæ varient, mortis prænunciæ eſſe ſolent, ut dicitur ab eodem Hippocrate *Lib. Coacar. prænotionum.*

Aphoriſmus XIII.

Propter ardores vehementes (ſeu æſtus fortes) convulſio, aut Tetanus malum.

Contentum ſeu Intentio.

De Effectibus uredinis ſeu ardoris fortioribus.

C*onnexio*: Cum de ſupervenientibus & morbis & ſymptomatibus ab Hippocrate ſit inſtitutus ſermo, & in præcedenti Aphoriſmo, de Phrenitide pulmoniæ ſuperveniente egerit. In hoc præſenti Aphoriſmo de convulſione verba facit quæ ardores excipit.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem nullam patitur diviſionem.

Quo autem pacto legendus ſit hic Aphoriſmus, non ſatis adhuc conſtat, cum & neque inter veteres expoſitores conveniſſe ſcribat Galenus *in commentario*, qui fatetur Marinum inſignem Aphoriſmorum interpretem, pro *æſtibus*, maluiſſe ſcribendum *vulnera*, ut propterea ex vulneribus potius fortibus, quam ex æſtibus, convulſiones oriri poſſe fuerit arbitratus, cum nusquam rationabiliter conſtare poſſit, ab æſtibus fortibus convulſiones proficiſci, aut quinam unquam intelligendi ſint, ejusmodi fortes æſtus, an ab ambiente aere, an vero à vehementibus medicamentis, ſudorem potiſſimum inferentibus vel etiam uſtionem & Eſcharam excitantibus, & aliis.

At

At ſicut hæc verſio ſuas patitur difficultates, ita nec altera Marini, ſuis aliis ex adverſo caret; Quis enim unquam veluti rem notatu dignam, & inter Aphoriſticas ſententias collocandam arbitrabitur, ex fortibus vulneribus convulſiones oriri poſſe, aut ortas inter mali morbi teſtimonia reponere dubitabit? cum tamen alias, & pluries idipſum Hippocrates, memoraverit, ſitque cunctis jam ſatis ſuperque notiſſimum, multoties etiam obſervatum in praxi ab hypocauſtis & laconicis, ex thermis naturalibus, ſudore nimium & vehementer promoto, excalefacta plus juſto, corpora exaruiſſe, ac nervorum & muſculorum tenſionem paſſa eſſe; itemque alta ab uſu cauſticorum medicamentorum ſupra partes ſenſu exquiſito præditas applicatorum, contractas & convulſas illas remanſiſſe, ut & ab uſu Mercurialium; quo circa non omnino impoſſibile putandum, ab æſtibus fortibus, cæteriſque extrinſecis calorificis immoderatis convulſionem ac Tetanum poſſe proficiſci: unde Celſus *Lib 2 Cap 7.* hanc Hippocratis ſententiam ita accepit, ut verteret. *Poſt vagos fervores corporis, nervorum rigor aut diſtentio malum.*

Sed etſi ab his & aliis ſimilibus cauſis externis convulſiones excitari poſſe crediderim, non videtur tamen hoc loco Hippocrates, voluiſſe iſtas ab illis deducere, ſed duntaxat, quæ ab internis cauſis progignuntur, cum hic de morbis, aliis morbis ſupervenientibus ſermonem habere, à principio hujus libri ſibi conſtituerit. Hinc rationabilius fortes æſtus exponere conveniet, febriles, & quales ab ardentibus inferuntur, quæ cauſones & æſtuoſæ febres appellantur, & aliquando colliquativæ fiunt. Et quidem ab his plurimum commoti & fermenteſcentes humores, non tantum calore intenſiſſimo, & ſiti inexſtinguibili, ægrotantes excruciant ſed etiam acredine ac moleſtia intolerabili, partes cunctas corporis exagitant, laceſſunt & divexant, ut muſculi & nervi, roridâ illâ ac blanda ſubſtantia exhauſti, rigidi, & contracti fiant; atque hinc animadverſione dignum ſequitur, quare Hectici & Tabidi effecti, etiamſi toto corpore exarefacti evaſerint, nullatenus tamen convelluntur, qui non à ſiccitate (ut vulgo creditur) quæ ſane in illis extrema eſt, ſed potius ab humorum acritate & irritatione, convulſio nervorum & muſculorum evenit, ut alibi adnotavimus. Quod autem febres ardentes, fortes æſtus ab Hippocrate appellari ſoleant, præter voces græcas πῦρ, πυρεξία, πυρετὸς

qui

quibus ipſe utitur ad ſignificandas febres ardentes deducitur quoque ex eodem *libro de medicamento purgante*, ubi in fortibus æſtibus cavendum à catharticis conſulit.

Hinc etiam expoſitioni melius cohæret Celſus antea memoratus *Lib 2 cap. 7.* hanc Hippocratis ſententiam afferens, dum inquit: *Poſt magnos fervores corporis, nervorum rigor aut diſtentio malum*, quandoquidem ibi de his, quæ intrinſecus in ſingulis morborum generibus accidunt, ſermonem facit.

Sed quid eſt, quod Hippocrates ſejunctim hîc ſcripſerit convulſionem à Tetano, quem Latini vertunt nervorum diſtentionem, cum tamen Tetanus ad convulſiones referatur, ſitque affectus compoſitus ex opiſthono & emproſthono? & dicendum ſuper addidiſſe Tetanum convulſioni ſimpliciter dictæ, veluti morbum ſimplici convulſione deteriorem, eo quod totum corpus, tum anterius tùm poſterius rigidum, contractum & immobile reddat; unde quodam modo ad naturam catalepſis videtur accedere, in qua præter contractionem & tenſionem nervorum & muſculorum, corpus univerſum rigidum & inflexile fit, à nerveo liquore & ſpiritibus, gelu fere coactis.

Controverſiæ circa hunc Aphoriſmum in contextu ſunt ſolutæ.

Aphoriſmus XIV.

Propter plagam (ſeu Ictum) in capite acceptam, ſtupor (ſeu obſtupeſcentia) aut deſipientia, malum.

Nota: *Similis Aphoriſmus eſt hujus libri 58.*

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi vulnerum capitis.

Connexio: Cum in præcedenti Aphoriſmo de convulſione, quæ ardoribus ſupervenit, mentionem feciſſet Hippocr. In hoc præſenti Aph. de ſtupore ſeu deſipiſcentia agit, quæ ad capitis percuſſionem ſequitur, quæ ſymptomata convulſioni ſunt affinia.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem & brevitatem non eget diviſione.

Capitis vulnera & contuſiones, undecunque contingant, vel inflicta ſint ſemper metuenda; innumeris id atteſtantibus experimentis & confirmante ratione; quoniam primum ratiocinius animæ domicilium conturbant & offendunt quamvis pro regionum varietate magis & minus moleſta ſint, & ſerius vel tardius curari ſoleant, plurimum ad hoc concurrente ambientis aëris conditione ac qualitate: quod & luculenter quoque deducitur, ex pluribus Hippocratis, Galeni, aliorumque clariſſimorum Authorum teſtimoniis. At vero ubi præter generalis hujus timoris cauſam manifeſtam, comparent nuper læſi internus cerebri indicia, quæ ſymptomata ſunt veluti pathognomonica, concuſſæ ejuſdem ſubſtantiæ, & vitiatæ ſtructuræ, tunc non tantum graviora, ſed etiam periculoſiora illa exiſtimantur.

Quamobrem ſcite admodum Hippocrates hoc loco ſcripſit *obſtupeſcentiam & deſipientiam*, quæ ſolent eſſe ejuſcemodi læſionis ſymptomata frequentiora, illis ſupervenientia, malum eſſe, ut fuſius *Lib. de vulneribus capitis* refert, & admonet. Neque ſolum à re gravi contundente, ut ferro, lapide, ligno vel alio, ſed etiam ab impetente quovis violenter id accediſſe plurimæ teſtantur hiſtoriæ: notabilior autem eſt, quæ ſcribitur ab eodem Hippocrate, de virgine illa Nerii filia *5 Epidem.* quæ lata manu ad ſinciput percuſſa, vertigine capta eſt, & nona periit: & de eo qui lapide in caput percuſſus, à Macedone curruit, ſecunda die voce deſtitutus, tandem mortuus eſt, ut & Autonomus in Omilo lapide ex manu ictus, & decima ſexta pariter defunctus.

Quoniam vero hic ſpeciatim meminit, *Ictuum*, videndum quid ex his magis quam ex vulneribus cerebro contingat? Et ſane no[illegible] quæ obſtupeſcentiam vel deſipientiam infert non aliunde provenit quam ex interna totius ſubſtantia cerebri concuſſione & pert[illegible]tione qua nimirum illius fibræ, poruli, ſinus, ſpiritus, & rorid[illegible] liquor, qui ejus [illegible]bſtantiam irrorat & vigorat perturbantur [illegible], & è ſuis loculis dimoventur.

[illegible] cerebrum in ſua conſtitutione [illegible] [illegible]r, vel etiam è diruptis venulis [illegible]

guttatim effluat, atque vel in eadem cerebri ſubſtantia, vel in meningibus & plexibus reſtagnet, ut propterea mole aggravet, aut putrefactione corrumpat, motum fluidorum corrumpat, motum liquidorum interrumpat, & mentem & mentis operationes hebetet, ac dementet. Hinc autem fit, quod gravior & periculoſior non raro ſit ictus & contuſio, quam ſimplex vulnus capitis, ſi præſertim per illud prodire poſſit, quidquid extra vaſa effluxerit, & pus exinde proveniens exitum habeat.

Accedit, quod multoties ex ictibus, non ipſa pars percuſſa, aut contuſa, ſed oppoſita lædatur, & ſtangatur, unde occultum nimis ubi, & cui medela adhibenda ſit, quod ſecus contingit in vulnere, dummodo fracturam, aut vehementem contuſionem adjunctam non habeat: quamobrem ex contuſionibus, periculoſiores fiunt cerebri læſiones, veluti interius inductæ, nec ſenſibus conſpicuæ & apparentes, ut compluries eſt obſervatum.

Quamquam autem innumera propemodum mala, ex ejuſmodi ictibus & contuſionibus capitis accidere poſſint, ſpeciatim tamen meminit in hoc Aphoriſmo Hippocrates obſtupeſcentiæ & deſipientiæ, ſiquidem iſtæ frequentius ex illis accidunt, ob enarratas cauſas. A concuſſione enim cerebri, atque ab effuſione ſanguinis, & alterius liquoris, extra propria conceptacula, facilius cerebrum gravatur, atque exprimitur, unde poſtmodum obſtupeſcentia, qua nimirum icti, vel vulnerati, attoniti, immobiles ac veluti apoplectici remanent. Deſipientia vero hic ab Hippocrate notata, non ad Phrenitidem vel maniam referenda eſt, ſed ad dementiam ſeu ſtupiditatem, per quam mens ſtupefacta nil recte agit, vel cum ſopore, confuſione & ignavia, ut in vacillantibus, temulentis & multo vino repletis.

Denique dixit Hippocrates *malum*, non lethale; quia etſi ſæpe ſic affecti pereant, fieri tamen poteſt, ut revaleſcant & ſalventur, ſi nimirum cerebrum ſua ſubſtantia illæſum, ſolum in ſuis vaſis ſanguiferis aut lymphaticis noxam patiatur, & ſanguis ex illis effluxus, exitum habeat per aures, nares aut os, ut in multis viſum: tunc enim nullibi reſtagnans cerebri ſubſtantiam nec comprimit, nec corrumpit, adjuta potiſſimum natura à traumaticis & vulnerariis medicamentis, de quibus alibi dictum.

Cæterum malum ſemper eſt ſtupere ac dementari ex capitis vulneribus aut ictibus, quoniam ab his cerebri ſubſtantia concuſſa & vitiata ſignificatur, quæque tum ratione ſui, tum ratione ſanguinis effuſi facile in corruptionem abit, niſi per patentes ſuos ductos ſtatim ſe ipſum exoneret, & commotum & turbatum humorem repurget & emittat. Neque à non apparente extrinſeca capitis læſione quis certo conjiciet, nullam internam cerebro commotionem fuiſſe illatam, quandoquidem non raro etiam compertum eſt, ſine ulla apparente contuſionis aut vulneris ſignatura, cerebrum male affectum, & conturbatum fuiſſe, atque etiam repente poſt aliquod tempus mortem intuliſſe, nullo interea præcedente ſenſibili ſymptomate.

In his igitur magnis læſionibus, non tantum capitis, ſed & cæterarum partium, ſtatim ſanguinem mittere expedit, & tenuiſſima diæta uti, & aperire vulnus, & ſecare aut trepanare cranium, præſertim ſi ea in parte vel os fractum ſit, vel diſruptum aut inciſum.

Plures aut ſimiles controverſias ſuper hoc Aphoriſmo lege apud Cardanum *in Commentario*.

Aphoriſmus XV.

A ſanguinis ſputo puris ſputum, malum.

Nota *Similis Aphoriſmus eſt 78 hujus libri.*

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi Hæmophthyſeos.

Connexio. Cum hic liber ſit de ſupervenientibus potiſſimum ſcriptus ab Hippocrate, proinde ſicut in antecedentibus, ita & in hoc præſente Aphoriſmo de ſuperveniente ſigno agit & pro Exemplo adducit ſanguinis ſputum, ſymptoma grave & horrendum.

Hic Aphoriſmus ob ſuam brevitatem non dividitur.

Dixerat *lib. 4. Aph. 25* Hippocrates *ſanguinem ſuperne quidem* [illegible] *malum*: Nunc ſuperaddit, illum ſuperne [illegible] te ſua deſinat, in pus verti atque ab illis [illegible]

puris ſputum evenire, atque adeo priori malo, aliud pejus & gravius ſuccedere, quod eſt ſuppuratio & empyema.

Et quidem ſputum hic memoratum, non ſimplicis ſputionis, aut excreationis intelligendum, veluti ex faucibus & ex faucium glandulis erumpens, ſed quod è pectore per tuſſim ejicitur, quemadmodum omnes interpretes exponunt, huic enim duntaxat puris ſputum ſupervenit, & deinde phthiſis de qua ſequens Aphoriſmus ſubnectitur. Nec aliter pus verum fieri poteſt niſi ſanguis e ſuis vaſis exiliens in pectoris cavo, aut alibi concreſcat, & fermentatione ſubactus ſuppurationem poſtmodum ſubeat. Cohæret hic conſuetus loquendi mos Hippocratis, qui cæteras quaſcunque expurgationes, excreationes ſemper appellat, per tuſſim vero habitas, ſputa ſtrictius vocat unde lib. 5 Aphoriſm. 13. ſcripſit *Qui ſpumoſum ſanguinem exſpuunt, iis ex pulmone educitur & in coacis prænotionibus, Sputa ſpumoſa & flava & alba & nigra, rotunda ac viſcoſa* nominat quæ e pectore educuntur. Quoties ergo ſputum ſanguinem obſervatur mox futurum exſpectare eſt purulentum.

Quoniam vero *à ſanguinis ſputo*, inquit, veteri ſubit, num propriè ſanguinis puri puti, & ſimplicis, an etiam mixti, vel ſputi ſolum cruentatis intelligendus ſit? Et planè aſſerendum, in vero pure ſimpliciter ſanguinem eſſe extuſſiendum, nam verum pus nonniſi à ſolo & puro ſanguine provenit, at vero à ſputo cruento, ſeu cum aliis humoribus commixto potiſſimum cum phlegmate, verum pus non exoritur, ſed quid puri fotine & puri ſimile, quemadmodum experimur in catharris diuturnis ad maturitatem perductis. Parum autem refert, ſive ſanguis excretus multus ſit vel modicus, dummodo iteratis vicibus exſpuatur, ut exinde conjicere liceat vas aliquod ſanguiferum fore apertum vel diſruptum & ſecundum aliquam ſui partem, ſaltem in pectore hæreat, & concreſcat, cujus cauſa deinde fiat, ut in pus vertatur. Sed adhuc gravius erit longe, & pus ſubinde futurum portendetur, ſi ſpumoſus ac floridus, adeoque ex pulmonis parenchymate ille prodeat, ut alias oſtenſum. Cæterum major vel minor copia ſanguinis excreti, non niſi proveniet ex vaſis apertis vel eroſis latioribus aut anguſtioribus ejuſdem, præſertim per pulmonis ſubſtantiam diſperſis, vaſa enim illa, per quæ ſanguis, è dextro in ſiniſtrum cordis ventriculum per pulmones traducitur, longe majora ſunt,

Xxxxxx 3 &

& cum reſerantur, ab impetente ſanguinis irruptione ac ſuffocatio[illegible] & impedita circulatione.

Puris præterea ſputum, hoc loco ab Hippocrate notatum tunc eveniet, cum valida natura vim extuſſiendi ferre poteſt, nam ſi forte imbecilla ſit, quæ tuſſis impetum atque anacatharſis moleſtiam ſuſtinere nequeat, licet ſanguis antea prodierit, puris ſputum non comparebit, quia interius detentum cavum pectoris occupabit, quocunque autem modo fiat, malum ſemper erit, quia ſputum purulentum & ſanguinem præter fluentem inficiendo, & pulmonis ſubſtantiam erodendo, phthiſis cauſa evadit, de qua in ſequenti Aphoriſmo

Verum tamen obſervare eſt, non fuiſſe in Aphoriſmo abſolutè pronuntiatum, omnino à ſanguinis ſputo puris ſputum ſubſecuturum, ſed ſolum ſub conditione, ſi à ſanguinis ſputo, puris ſputum ſubſequatur, malum eſſe, pleroſque enim novi, ſanguinem non ſemel tantum, ſed pluries atque iterato ad certum tempus exſpuiſſe, nullamque paſſos eſſe puris excretionem; quin & pleuritici & mulieres in menſtruo catameniorum vel viri in hæmorrhoidum receſſu, conſuevere ad plures dies copioſum ſanguinem ſputo, ac tuſſi, non ſine ingenti moleſtia expurgare, citra ſuccedentem ullam puris excretionem Jure optimo itaque adjectum eſt, malum tunc ſignum eſſe, cum ad ſanguinis ſputum, puris ſputum conſequitur, ſiquidem hoc pacto fiet, ut deinceps à puris ſputo phthiſis, & marcor univerſalis inſequatur, ac tandem interitus ut dicitur in ſequenti Aphoriſmo.

Controverſiæ circa hunc Aphoriſmum in contextu ſunt explanatæ.

Aphoriſmus XVI.

A puris ſputo tabes (ſeu phthiſis) & fluxus; cum vero ſputum retentum fuerit, moriuntur.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi phthiſeos.

C[illegible] Adeo nectitur hic Aphoriſmus præcedenti, ut ſer[illegible] unus [illegible] cum illo cum enim de puris ſputo egiſſet, quod ad ſp-

ſanguinis ſputum ſit; nunc de tabe & fluxu agit, qui puris ſputum ſequi ſolet.

Hic Aphoriſmus duas habet partes: *Prima* dicit ſputo puris ſuccedere tabem & puris fluxionem: *Secunda* indicat tempus mortis, ubi retineatur effluxus.

Quamvis ut mox dictum hic Aphoriſmus cum præcedenti videatur quaſi unus & idem, ex ante dictis tamen clare liquet, non irrationabiliter hunc Aphoriſmum fuiſſe à præcedenti disjunctum, cum non omnino neceſſarium ſit, puris ſputum, ſanguinis rejectionem ſubſequi debere, licet plerumque id fieri ſoleat. Quamobrem ſenſus utriusque Aphoriſmi videtur eſſe, quod ſi a ſanguinis ſputo, puris ſputum habeatur, malum ſit, quia à puris ſputo phthiſis, & deinde fluxus ſequitur, & ſi forſitan puris ſputum impoſterum detineatur, mors infallibiliter ſuccedet; unde Aphoriſmus hic videtur eſſe ratio præcedentis. Sed unde fit, ut à puris ſputo phthiſis & fluxus portendatur, ſitque alterum alterius ſymptoma, veluti neceſſario ſuperventurum? planè id videtur deducendum, a pure & puris conditione, pus enim, ut alias dictum, acredinem habet muriatico ſalinam, adeoque erodentem, atque infenſam ſanguini & pulmoni, ubi hæret, unde cordi, & toti corpori, vis, robur & nutrimentum, ſuggeritur, quamobrem ab infecto, & ulcerato pulmone, ſanguis inde præterfluens, ſemper vitioſus & acer ac mordens redditus, non tantum ulcus ipſum fovet, ſed ſordidum reddit, ſed etiam ventriculos cordis, & reliquos humores inficiens, febrem excitat tabificam & ſubinde poſtmodum, alia innumera detrimenta & tandem mortem.

At cur ſputum in pleuritide cruentum bonum ſit, & quo citius comparuerit, tanto melius, cum ex adverſo hic malum referatur, & ſuppurationem portendat? ratio facile reddi poteſt ex eo, quia ibi ex diſrupto apoſtemate, à ſanguine extra vaſa reſtagnante, hic vero è pulmonis vaſis diſruptis, vel reſeratis proxime reſilit, etiam cum pulmonis læſione, cujus inſanabilia dicuntur ulcera authore Galeno 4. *de locis affectis cap. 5. & 5. Method. cap. 8. & 11.* Legi meretur de hac re Hippocrates *lib. 1. & 2. de morbis* multiplex genus phthiſeos diſtinguit, & unius cujusque cauſas, ac generationis modum accurate recenſet, ut propterea in illis deſcribendis, non ſit opus hic ulterius immorari.

Fluxus vero, qui in hoc Aphoriſmo nomine generaliori notatur, vel

vel intelligendus erit, qui ventus dicitur, juxta documentum ejusdem Hippocratis *Lib. 5. Aphoriſ. 12 & 14*, dicentis: *Tabe laboranti, ſi alvi [illegible] ſupervenıat* (id eſt cum pus ad ventriculum vel ventrem transmittitur ſeu ad inteſtina) vel capillorum defluvium, ut ibidem memoratur, vel utrumque plane nihil erit, quod huic ſententiæ non conveniat, quoniam ex utriſque proxime imminens interitus portenditur, ut iis in locis à nobis eſt explanatum, quidquid enim præter naturam evacuatur phthiſicis, ex pulmonis ſcilicet ulcere tabefactis contingit, procul dubio malum eſt, imo etiam lethale, ob maximum naturæ languorem, & virium diſpendium. In quam rem non ſemel obſervare curiotum fuit, phthiſi peremptos, in tam extremam ſanguinis conſumptionem perveniſſe, ut is ſolum in arteriis & venis ſuperfuerit, qui vix circulationi ejusdem ſatis foret, reliquo penitus exhauſto.

Tandem ad calcem Aphoriſmi adjicitur *cum ſputum detinetur, moriuntur*; & ſanè detento etenim pure, pulmo non tantum magis inficitur, ſed in uſu reſpirationis multum opprimitur, ut tandem ſuffocetur, unde cor à ſuo motu deficiens vivere deſinit. Atque hinc liquet, quam gravius ſit puris ſputum intercipi, & remorari, quam, moleſte licet, extuſſiri & educi, quoniam ex hoc expellentis naturæ robur oſtenditur, ab eo vero detento ſumma ejusdem imbecillitas indicatur, & proximus vitæ finis.

Non eſt tamen neceſſarium, ut ad omne puris ſputum tabes ſequatur: nam ex ſuppuratione, niſi intra dies quadraginta repurgentur, tabem fieri dixit Hippocrates *Lib. 5. Aphor. 8.* ergo dum repurgantur ſanari poſſunt, & phthiſici non fient ut dictum in priori Aphoriſmo.

Plura qui deſiderat legat Cardanum *in Commentario*.

Aphoriſmus XVII.

Propter jecoris inflammationem, ſingultus malum.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi inflammati hepatis.

C*Onnexio*. Quamvis hic Aphoriſmus à nobis explanatus fuerit *Lib. [illegible] Aphoriſ.* [illegible] ſuperfluum ſane videri poſſet, eundem repetere. Nec ta[illegible] en & Hippocrati & nobis Tautologia ſeu repetitio ejusdem rei,

rei, impingatur; dico obiter, Hippocratem ibidem plurium partium inflammationes, & earum effectus enumeraſſe, adeoque univerſalior locutum fuiſſe, quam hic. Ne tamen videamur omiſiſſe aliquid, quod operæ pretium eſſe poſſet, breviter & ſuccinctè hunc Aphoriſmum explanamus.

Hic autem Aphoriſmus ob prorſus magnam brevitatem diviſionem non patitur.

Multoties hepar (ſicut & pleraque alia corporis viſcera,) ab hærente in ejus ſubſtantia, ſanguine, utriusq., vel alterutrius vitio, inflammatur. Cum autem id morbi genus ſubit, non ſolum graviter ægrotantes divexat, ſed in maximum vitæ periculum, eosdem conjicit, ſi præſertim vehementiori febre, anhelitu difficiliori, ingenti dolore, ſiti, vigilia, cæterisque moleſtioribus accidentibus ſocietur. Ex multis autem quæ illius inflammationem comitari, vel ſubſequi ſolent, ſpecialius hic, notat Hippocrates *Singultum*, veluti ſymptoma raro ſuperveniens, atque ab alio viſcere male affecto, puta ſtomacho, aut diaphragmate dependens, atque illum malum eſſe, quia deſignat, eo diffuſam extenſamque eſſe jecoris inflammationem, ut alias quoque partes ſuperiores & adiacentes affecerit, magisque ad vitam ſuſtinendam neceſſarias. Et quidem à ſingultu ſtomachus & diaphragma perpetim convellitur, unde & ciborum aſſumptio ac eorundem digeſtio, nec non reſpiratio plurimum impeditur, quæ operationes ſunt quam maxime ad viventis corporis conſervationem conferentes, præterquam quod affecti ac promtati, à cauſa ſingultum excitante, nervi per ſtomachum, & ſeptum transverſum diſperſi, trahunt quoque in conſenſum cerebrum, unde alia longe graviora & periculoſiora mala exoriri poſſunt, ut cunctis notum eſt.

Sed etſi hepatis inflammatio ad ſtomachum & diaphragma non ſubreperit, adhuc tamen poterit, ſingultus ab hepatis inflammatione ſuboriri, propter ligamentum carneum, quo illud diaphragmati alligatur, ut ex anatome patet. Quamobrem illo inflammato, tumefacto ac plus juſto diſtento, ex nimio pondere contrahitur diaphragma, & in ſuis expanſionibus impeditur, cumque ſtomachus diaphragmati quoquo cohæreat, inde fieri poteſt ut ſingultus exoriatur, qui utriusque paſſio dicitur; & quoniam ſingultus ad

motus ſpaſmodicos refertur,& iſti nervos malè affectos, & cerebrum quoque læſum arguunt, adhuc exinde malum ſignum erit, & multarum partium principalium, ſimul una laborantium indicium manifeſtiſſimum.

Quæres: Quomodo diſtinguatur hepatis inflammatio à pleuritide? Reſp. Diſtinguitur,quia in hepatis inflammatione dolor gravativus, in pleuritide pungens.

Aphoriſmus XVIII.

Propter vigiliam (ſeu à vigilia) convulſio, aut deſipientia, malum.

Contentum ſeu Intentio.

De Supervenientibus vigiliarum.

CONNEXIO: Cum ſupra Aphoriſmo 13. hujus libri de convulſione egiſſet Hippocrates, quæ ex ardoribus naſcitur, eamque malam eſſe pronuntiaſſet, in hoc præſenti Aphoriſmo, de convulſione agit & deſipientia,quæ ad vigiliam ſequitur.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem & brevitatem ſuam non dividitur.

Quemadmodum convulſio aut deſipientia plerisque aliis morbis,cum nervorum læſione conjunctis ſupervenire ſolet, & mali morbi teſtimonium addit, ita ſi vigiliæ,ut non raro fit accidant,malum pariter portendunt, quia ſi in reliquis deducti in compaſſionem cerebri indicia ſunt, multo magis in vigilia, cerebrum ipſum male affectum proximius deſignabunt. Verum vigilia in his vehemens, diuturna, & nulli penitus remedio cedens eſſe debet, ut convulſionem & deſipientiam pariat: ſunt etenim & fuere plurimi, qui ad menſes integros, ſomno caruerint, nihilum tamen convulſionis, vel deſipientiæ incommoda paſſi ſunt, ut hiſtoriis liquet, & de Mecœnate cunctis notum. At vero ubi ex perenni vigilia iſta evenerint, non tantum humores & ſpiritus per cerebri ſubſtantiam diffuſi, acriores redditi, multum inſenſi evaſerunt, ſed etiam cerebrum ipſum id ſua conſtitutione ac textura, non leviter à naturali ſtatu declinaſſe indicio eſt, cum ipſius medi-

meditullium & nervorum principium depravari & offendi contingat, ex contumaci & diuturno pervigilio, alias convulſio vel deſipientia nullatenus accideret. Cujus autem generis deſipientia hic intelligenda ſit, facile ex ſupra dictis deducere licebit quam nimirum vocant melancholicam vel maniacam, ab acidis, exuſtis, vel acribus humoribus progenitam, ab his enim dictum convulſiones excitari ſolere, irritatione nervorum fibris inducta; quamobrem pari ratione ab iiſdem deſipientiam hoc loco memoratam proficiſci credendum eſt. Atque hinc modo facile quoque deducitur, cur vigilia, quæ plerisque innocua eſſe ſolet, in his mala fiat, ſi nimirum ad eam convulſio aut deſipientia ſubſequatur, ſiquidem denuntiat, non à ſola exiccatione, aut humoris abſumptione, illam provenire, ſed ab alia pejori, mordaci ac virulenta cauſa, quæ convulſionem ac dementiam gignere valeat, vel ſaltem ex tali ac tanta ſubſtantia cerebri coarctatione, ut roridum ipſius liquorem, vel non gignat, vel in meditullium diffundi non permittat, unde in contumax & incompeſcibilis vigilia ſenſim & ſenſim ſuborta ſit, quamobrem malum ægrotanti portenditur, & fortaſſis etiam interitus, niſi humectantibus ſimul ac retundentibus acredinem convenienter & opportune occurratur.

Dices: Si vigilia eſt cauſa manifeſta, non æque mala erit convulſio & deſipientia, quæ illam ſequitur, ac ſi ſine illa fiat. ℞. Vigiliam hic ut dictum, non eſſe cauſam manifeſtam, ſed ſequi internam cauſam ad facienda prædicta ſymptomata.

Animadvertendum tamen medico eſt pro ſomno conciliando, ne narcoticis & ſtupefacientibus utatur, & malum in lethargum transferar, ſed potius adhibenda modificantia cauſasque corrigentia de quibus conſulendi practici.

Plura videri poſſunt apud Cardanum *in Commentario.*

Aphoriſmus XIX.

Ab (vel ex) oſſis nudatione Eryſipelas.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi oſſis nudati.

Connexio: Hic Aphoriſmus affinis eſt 14. hujus libri, in quo egit de capitis percuſſionibus, & inde ſtuporem & deſipientiam prognoſticans Hippocrates: In hoc præſenti Aphoriſmo addit Eryſipelas, quod ſi oſſi nudo ſuperveniat, malum eſſe aſſerit.

Hic Aphoriſmus propter brevitatem indiviſibilis manet.

Crediderim, huic Aphoriſmo adjiciendum omnino eſſe *malum*, vel implicitè ſubintelligendum, ut ſenſus Aphoriſmi, conſonet experimento & menti Hippocratis, ſiquidem illo emiſſo, nequaquam videtur utriſque conſentaneum, quod oſſi nudato Eryſipelas perpetuo accidat, quidque portendat, cum ſupervenerit ignoretur, attenta oſſis denudatione. At vero fieri nequit, quin grave & periculoſum ſymptoma, cenſendum non ſit Eryſipelas, oſſi denudato ſuperveniens, tum ſuimet ipſius ratione, tum ob ejusdem oſſis denudationem, quia denudatum os facile livori & corruptioni ſubjicitur, unde poſtmodum ſphacelus. Fuêre ſiquidem oſſa omnia, a provida natura, tenui quadam membranula, quæ perioſtion vocatur undequaque circumveſtita, cujus cauſa foveantur, & ab extrinſecis alterantibus cuſtodiantur. Quamobrem ubi illa orbata ambienti aeri exponuntur, promptiſſimè frigent, liveſcunt, & quamlibet aliam præternaturalem alterationem ſubire poſſunt, cumque liquor & vigor nerveus, qui per illam diffunditur, propter oſſis denudationem, per eas partes permeare nequeat, ſed vel hæreſcit, & circumquaque reſtagnat, vel ex partium circumſtantium vitio, ac ambientis aeris importuna actione, aceſcit, & corrumpitur, proinde fit ut ante dicta mala exoriantur. Hinc cauti & accurati chirurgi, in ejusmodi caſibus, omnem adhibent diligentiam, ut os denudatum amiciant, ac balſamicis medicamentis tueantur, ſimulque una ab extrinſeco ambiente aëre cuſtodiant, & defendant, imo ſi quid in oſſe vitioſum appareat, ſtatim abraſionibus ac lituris detergant, & amoveant.

Dices 1. Os denudatum non eſt Eryſipelatis, quia Eryſipelas eſt affectus cutis ergo male adſtruitur in hoc Aphoriſmo. Reſp. Non oſſi præciſe, ſed cuti & carni proximæ attribuit Eryſipelas, quam-

quamvis etiam os, ſuam in tali caſu ſentiat alterationem, cum plerunque talis oſſis denudatio & Eryſipelas oriatur á violenta cauſa, contuſione, percuſſione, vulneratione, &c.

Dices II. Hippocrates *Lib 2. Aphor 5.* ait, *ſi in magnis & pravis vulneribus, tumor non appareat, ingens malum.* Ergo eryſipelas non erit malum. ℞. In principio ſi non apparet concedo. poſtea & cum oſſis denudatione, non eſt malum, nego.

Plura utilia lege apud Cardanum *in Commentario.*

Aphoriſmus XX.

Ab Eryſipelate putredo, aut ſuppuratio malum.

Contentum ſeu Intentio.

De Eryſipelate ulcerato.

Connexio. Cum in antecedenti Aphoriſmo de Eryſipelate dixiſſet Hippocrates, quod ſequitur oſſis nudationem. In hoc præſenti Aphoriſmo de putredine & ſuppuratione quæ ſequuntur Eryſipelas verba facit.

Hic Aphoriſmus utpote breviſſimus, non admittit diviſionem.

Quamvis Eryſipelas ad tumores referri poſſe videatur, quia tamen tenui admodum humore acri & volatili plerumq; fit, qui vix cutem affectum elevat & ruffo vel flavo colore inficit, propterea ſponte ſua ſolet promptiſſime diſcuti, & inſenſibiliter reſolvi, intacta atque illæſa relicta parte, ſi præſertim verum & legitimum illud fuerit. Cum autem præter rubicundum colorem, in manifeſtum tumorem, cutim attollit, mixtum ex alieno & craſſiore humore eſſe ſolet, adeoq; ſpurium appellatur; quin & pro ratione humorum admixtorum, nunc phlegmonodes, nunc ædematodes, nunc etiã ſcirrhodes dicitur, prout in colorem varium inclinat, & hunc vel illum humorẽ adjunctũ habeat, ut apud Chirurgos quo calumniſ illorum peritia & accurata diligentia accedat, facile in apoſtema degenerat, & ſuppurationi ſuccumbit,

 neque-

quente ſcilicet alieno illo, & admixto humore, tam prompte attenuari & exſolvi. Id ergo conſiderans in hoc Aphoriſmo Hippocrates, inquit, putredinem aut ſuppurationem ex Eryſipelate inductam, malam eſſe, eo quod à ſua conſueta conſtitutione recedat, & alio quam diſſolutionis & evaporationis modo deſinat, imo in graviorem morbum, & in ulcus ſane periculoſum commutetur.

Et quidem cum in putredinem vel in ſuppurationem tendit, proculdubio deſignat ex mixtura alterius humoris craſſioris, indebitam fermentationem mihi fuiſſe excitatam, per quam partes tenues exſolutæ, fæculentas ac tartareas reliquerint plane irreſolubiles, quæ cum acorem ac virulentiam etiam contraxerint, facile inſuper ſubjectas & circumjacentes partes inficiant & corrumpant ac tandem in gangrænam deſinant, ſubſtratum os vitiantem & contaminantem.

Sed & ex putredine ac ſuppuratione, nova ſemper febris exoritur, & non raro priore pejor, infecto ſubinde ſanguine, per affectam partem in cor remeante, indeque per corpus univerſum, unde poſtmodum, gravius vitæ periculum imminet. Accedit quod putredo iſta & ſuppuratio mali ſemper moris eſſe ſolet, ratione mixtorum humorum, ſpurium eryſipelas progignentium, qui cùm fere ſemper acorem ſalinum referant, & procedente tempore adipiſcantur, præter craſſitiem & lentorem, ſordidum quoque ulcus efficiunt, quod non tam facile detergi ſolet, nec tam cito conſolidationem admittit, quapropter diuturna mora, etiam circumjacentes partes, excitatis cuniculis afficit, & novos novoſque tumores & abſceſſus promovet, dubium ſemper exitum comminantes, præſertim ſi circa articulos fiant, & in corporibus valetudinariis, & humidis regionibus, atque in ætate ſenili, ut multoties eſt obſervatum: Sic anno 1700. ſub Autumni finem, ac deinceps per totam hyemem ſequentis 1701. Neapoli, genus quoddam cruſtoſi Eryſipelatis vagatum eſt, epidemicam conſtitutionem referens, qvod cunctos facie peculiariter affecit, cum febre acuta, pervigilio, delirio, è naribus hæmorrhagia, aliiſque ſymptomatibus pernicioſiſſimis, è quo pauci admodum evasère.

Quæres: quomodo ſuppuratio diſtinguatur à putredine? ℞. putredinem eſſe omnino præter naturam, & malignam quandam corruptionem, Suppurationem vero non eſſe abſolutè præternaturam,

maram, ſed ipſim ſeu opus partim naturæ vincentis, partim caloris extranei, adeoque medium aliquod inter coctionem & putredinem, unde ex parte bona & mala: bona reſpectu ad putredinem, mala reſpectu reſolutionis, quæ melior eſt quam ipſa ſuppuratio.

Plura qui deſiderat, conſulat Cardanum *in commentario* & ipſam praxin.

Aphoriſmus XXI.

A forti in ulceribus pulſu, hæmorrhagia (ſeu profluvium ſanguinis) malum.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi pulſationis in ulceribus.

Connexio: Cum Hippocrates in antecedenti Aphoriſmo egiſſet de ſuppuratione: In hoc præſenti Aphoriſmo agit de pulſu, qui affinis eſt, & quaſi ſignum ſuppurationis & inflammationis.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem non dividitur.

Ulcera ſicut etiam vulnera, eum præſertim maligna ſunt, & in partibus arterioſis inflicta, ſolent circum labia, ob indigeſtam materiam intumeſcere, & non raro etiam cum rubore, dolore & ardore ſociari, ut propterea circum venæ & arteriæ ſanguinem deducere & excipere non valeant, unde poſtmodum ab ipſo reſtagnante, vehementius pulſant & elatius attollantur. In his ergo ait in hoc Aphoriſmo Hippocrates, facile poſſe ſanguinis profluvium exinde ſuccedere, impetente nimirum illo atque aditum ſibi per violentiam faciente: quod cum acciderit malum eſſe ſubdit, tum ratione ipſius ſanguinis, immodice profluentis, tum ratione ulceratæ partis, quæ ab ejusmodi immoderata ſanguinis effuſione languida & effœta remanens, difficulter ad cicatricem ſit perducibilis.

At vero, hæc in ulceribus quibuscunque contingentia, longe graviora evadunt in carcinomatibus, quorum proprium eſſe ſolet ejus-

ejuscemodi mala inferre, & fortes pulſus, aut irreſtagnabiles ſanguinis profuſiones inducere à maligna, & virulenta materia, arſenicalem conditionem referente? quamobrem non ſolum malum, ſed peſſimum in his indicium promitur inſanabilitatis & mortis.

Notavit autem ſignanter Hippocrates *fortem* id eſt vehementem & elatum *pulſum* eſſe debere, nam non quælibet pulſatio, in ulceribus mala eſt, quæ enim concors, & conformis eſt cum cordis cæterarumque arteriarum pulſu, mala non eſt, imo potius ſalutaris, cum ſit conveniens debito naturæ uſui, arguens ulceratæ partis vim & facultatem validam, & ſanguinis circulantis blandam & conſentaneam conditionem. Quare ut pulſationes iſtæ morboſæ ſint, fortes, vehementes & impetentes eſſe debent, vitium ulceris, & qualitatem materiæ reſtagnantis deſignantes acrem, multumque infenſam, quæ peculiari fermentatione ibidem excitata, violenter concutiat, & percellat arterias, imo & ambitum totius partis ulceratæ, quo circa fiat, ut officia arteriarum & venarum, ab impetente, atque erodente illius malitia referentur, & ſcindantur. Sed & nec ſolum ab vulneratis partibus, ſanguis ſi profluat malum erit, ſed etiam ſi à naribus, hæmorrhoidibus, utero, cæteriſque immoderatè exiliat; quippe tunc arguit vitium tale in ſanguine inductum, ut non tantum labia ulceris & adjacentes partes tumefaciat & excruciet, verum etiam reliquas omnes, totius corporis inflet, vellicet & depravet, unde Celſus latiori plane ſignificatione ſententiam hanc expreſſit *Lib. 2 cap 7.* inquiens: *ubi vehementer venæ, ſuper ulcera moventur, ſanguinis profluvium erit.* Et quidem ex canceroſis ulceribus aliquando obſervatum, nates immodice ſanguinem fudiſſe, cum jam patientes in proximum exitium deducti, toto corpore ejus malitia forent infecti. Sunt etiam qui fortem ac vehementem pulſationem, non proxime in ulceribus, ſed in corde ex ulceribus vehementer affecto, & elato illam velint, veluti ſignum inflammationis ibidem inductæ atque ex pulſu cordis manifeſtandæ, cum pulſationes omnes arteriarum, ab unico & ſolo corde procedant: & quidem id non inveriſimiliter dictum putaverim, quamvis fere cunctis interpretibus creditum ſit pulſum Hippocrati, vel incognitum fuiſſe vel neglectum, at vero ſi nonnulla in ejusdem operibus loca perpendantur, non inficiabimur, fuiſſe non raro pulſum in ægrotantibus obſervatum, ſiqui-

quidem *4. Epidem. N. 9. in acutiſſimis febribus pulſus denſiſſimos & maximos fuiſſe* adnotat: *& N. 12 In Zoilo fabro, pulſus tremulos & tardos* memorat: *Item N 23 & 2. Epidem ſect 5. cui vena*, inquit, *in cubito pulſarit, inſanus & iracundus eſt & 7. Epidem. N 41 Phere tia pulſus in fronte valde obſcurus* memoratur *& N 42 Vena in Temporibus ſaltebant* (pro venis autem arteriæ intelliguntur juxta Veterum morem) *& in Coacis prænotion. quibus in febribus*, ait, *venæ in temporibus pulſant*, atque *ibidem, pulſus lethargicorum tardus eſſe*, dicit: & inferius *Pulſus* memorat *in præcordio*: Pulſuum etiam circa tempora meminit *Lib. de flatibus & lib. de aliment. Venarum pulſationes, & aeris reſpirationem ſanitatis ſigna* eſſe ſtatuit. Ex quibus locis colligere plane & conſueviſſe aliquando Hippocratem pulſus obſervare, imo etiam in diverſis corporis partibus, eo ferme modo quo apud Chinenſes (ſuperſtitioſe tamen nimis) factitari legimus, quibus mos fertur pulſus in toto fere corpore percipi & obſervari; Verum eos Hippocrates non adeo magni fecit, de hoc *vid. Mercur. alis variarum lectionum L b 2. cap 12.*

Dices I. Hippocrates *Lib. de Vlceribus capitis* dicit in omni ulcere multum ſanguinem fluere bonum, ergo hic ſibi contradicit. Reſp. multum ſanguinem effluere è vena bonum eſt, tranſeat: ex arteria nego. Reſp II. Hippocratem non intelligere enormem illum ſanguinis effluxum ſicuti fit rupta arteria.

Dices II. In omni magna inflammatione partis alicujus adeſt arteriæ pulſatio, & tamen nullus eſt metus hæmorrhagiæ, ergo nec in ulcere, imo minor erit, quia tanta non eſt repletio, eo quod alias perpetuo membrum repurget. Reſp. negando paritatem arteriarum in parte inflammata & integra, & in parte corrupta. in hoc caſu arteriæ ſunt multo debiliores, quam in primo. Deinde in parte inflammata, non ideo fortiter pulſant, quia turgent, ſed quia comprimuntur à ſanguine extravaſato, non intravaſato.

Plura de hac materia reperire licet apud Cardanum *in Commentario.*

Aphoriſmus XXII.

A diuturno partium ad ventrem attinentium dolore, ſuppuratio.

Contentum ſeu Intentio.

De prognoſi doloris diuturni circa ventrem.

C*Onnexio:* Cum in priori Aphoriſmo Hippocrates egiſſet de ſuppuratione. In hoc præſenti Aphoriſmo agit de ſigno ſuppurationem indicante.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem non dividitur.

Eſt autem hic Aphoriſmus diagnoſticus & ſimul prognoſticus, ſummopere ad praxin conducibilis, admonens Medicos, ut in tractandis diuturnis ventris doloribus cauti fiant, ne inadvertenter decipiantur, imo aberrantes à ſcopo, exoptatæ curationis, ægros in perniciem deducant, quemadmodum non raro pleriſque accidiſſe, maxima ſanè incuria obſervatum.

Accidunt ſæpe ſæpius ventris dolores in inteſtinis, ex retentis & conſtipatis fæcibus, à flatibus cavum eorundem diſtendentibus, & quodammodo convellentibus, à tenaci & hærente pituita, acorem partium referente, & fibras contrahente & corrugante, aliisque conſimilibus cauſis in praxi memoratis, exceptis his, qui ad utrumque hypochondrium pertinent, ut & ad veſicam & uterum. Iſti vero temporis diuturnitate, ſponte ſua deſinere ſolent, vel ope medicamentorum remitti atque aboleri, diſcuſſis nimirum flatibus, egeſtis fæcibus, & ſubactis aliis cauſis, dolorem inferentibus, niſi tamen ut bene advertit Galenus *in Commentario* doloris ferocia à contumaci & repugnanti cauſa mors ægrum præoccupet.

Quoties ergo dolor in diuturnum tempus producitur, nec beneficio medicamentorum ſedatur aut deſinit, indicio eſt doloris cauſam, cavum inteſtinorum, aut locum ad exitum, per alvum patentem non occupare, ſed interius reconditam eſſe & fortaſſe etiam fixam, & hæren-

hærentem in glandulis meſenterii, omenti, Pancreatis, & ſimilium, quæ non niſi coctione & maturatione ſubigi, & ſubacta, maturata & fluida reddita expelli poſſit; idque beneficio ſuppurationis, quæ opus naturæ eſt, in rem malam alicubi concluſam, & fermentationi ſubjectam, unde optimo jure inquit hic Hippocrates à diuturno ventris dolore ſuppurationem eſſe exſpectandam, cum non alia ſubſit via, perquam illa corrigi & expurgari queat. Niſi tamen natura impotens & imbecilla evaſerit à laboris & doloris diuturnitate, quam etiam vigiliæ moleſtiſſimæ & virium jactura ſæpe ſæpius conſequi conſueverunt, unde ægrotanti interitus ante ſuppurationem accidat, ut non raro evenit, in iſtiuſmodi tumoribus & abſceſſibus internis. Tacuit poſtremo Hippocrates *malum*, vel quod implicite ſubintellectum velit vel potius quod in ipſa ſuppuratione contineatur, quæ licet opus naturæ concoquentis ſit, adeoque bonum, mala tamen eſt ſaltem, ex relicto, in parte dolente, ulcere, quod difficulter admodum detergi, & ad cicatricem perduci poteſt, adeoque timendum deinceps eſt, ne in longius tempus protractum, denique mortem ſit allaturum.

Quod hactenus de imi ventris doloribus eſt expoſitum nonnulli quoque ad cæteras corporis cavitates, quas etiam ventres vocant, extendunt, nimirum ad thoracem & caput, ita ut, ſi in his quoq; dolores diutius perſeveraverint, ſecuturam ſuppurationem portendant pari ratione. Verum etſi id non improbaverim, cum rationi & experimento non repugnet, Veriſimilius tamen id videtur, pronunciatum, ab Hippocrate de infimo ventre, qui proprie, imo ſpecifice talis dicitur atque in diuturnum tempus dolorem ſuſtinere poteſt, maxime ſi in Meſenterio, ejusque glandulis progignatur ut dictum. Atque hinc modo facile etiam deducitur, dolorem hic ab Hippocrate memoratum, nullatenus vehementem & magnum eſſe intelligendum, nam ſi magnus & ingens foret, nullatenus poſſet in longum tempus produci, cum tantam doloris vehementiam, & acutiem natura diutius ferre non poſſit, citra manifeſtum vitæ periculum. Modo in capite & in pectore dolores, qui fiunt, ſemper ſunt graviſſimi, & cito intra terminum acutorum, vel ad ſalutem vel ad mortem deſinunt; ſecus vero qui in meſenterio, ejusque glandulis fiunt, leviores ſunt, & ſæpe ſine febre, adeoque ad menſes integros perduraſſe

fatentur hiſtoriæ: ſuppurata autem materia, doloris cauſa, dolor ipſe miteſcit, & febris, ſi quæ fuit, remittit: nam *dum pus conficitur, dolores & febres accidunt magis, quam jam confecto* Hippocrates *Lib. 2. Aph. 47.* atqui pus ſive verum ſive falſum ſit, parum refert, cum utrumque eſſe poſſit, pro varietate humoris in parte dolente congeſti & ſubacti. Pro coronide advertendum collectos in glandulis Meſenterii humores, præſertim craſſos & conſiſtentes, non ſemper dolores excitare, neque in ſuppurationem deſinere, ſed aliquando in tubercula duriſſima, ſcirrhos æmulantia commutari, atque ita cum ægrotantibus conſeneſcere & anatomicis inſpectionibus diſſectorum corporum ſæpius eſt obſervatum. Ad hunc Aphor. referendi ſunt *Lib. 4. Aph. 10. & lib. 6. Aph. 38.* Plura vero legi poſſunt apud Cardanum *in Comment.*

Aphoriſmus XXIII.

A Syncera dejectione Dyſenteria (ſeu difficultas inteſtinorum,) malum.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi Syncera dejectionis.

Connexio: Cum in antecedenti Aphoriſmo de dolore infimi ventris egiſſet Hippocrates. In hoc præſenti Aphoriſmo agit de Dyſenteria, quæ dolores ejusdem ventris afferre ſolet.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem non patitur diviſionem.

Synceras dejectiones appellat Hippocrates, quæ uniusmodi ſunt, & ſimplicis, ac ſinceri humoris conditionem referunt, quales ſunt, quæ ſolius flaventis bilis, ſeu fellei humoris aut nigricantis, vel albi coloris comparere ſolent, atque a veteribus, ad flavam aut atram bilem & ad pituitam reduci conſueverunt; quamvis nunc a doctis, induſtria anatomica, novis humoribus aliter evenire referantur. Utcumque autem iſtæ fiant, cum comparent, minus male eſſe ſolent, eo quod arguant naturam, non tam variè diſtractam & male affectam, nec viſcera, eſſe diverſimode coinquinata, ut alios & alios ſuccos præternaturales gignant, & genitos deponant, in inteſtina, ut alibi meminit Hippocrates. Ve-

Verumtamen non adeo à fæcibus ſeparatæ egeri debent, ut penitus impermixtæ ac ſolidariæ educantur; tum enim immodicum humoris exceſſum, & cauſam effectricem, nimium præpotentem denunciant, quæ nullatenus à reliquis, aliorum viſcerum ſuccis corrigatur, ut cum dejectiones flavæ ſunt, ab exuberantia fellei humoris nullatenus a ſucco pancreatico edomiti, & contemperati, vel è contra, cum nigricantes ſunt, ejuſdem pancreatici aciditatis redditi vitium arguentes, qui ab meri & pauco ſucco felleo corrigi non potuit. Has ergo vituperat Hippocrates, tanquam malas, tum ratione ſigni, quia ſignificant viſcera, unde illæ derivant, a naturali conſtitutione degenerantia; tum etiam ratione cauſæ, eo quod indomitæ nec correctæ, quo tendunt, veluti efferæ, partes cunctas inficiunt, depravant & excruciant. Quamobrem non immerito hoc loco animadvertit, à ſynceris dejectionibus, dyſenteriam ſupervenientem malam eſſe, non quod undecumque iſta proveniat, mala non ſit ſed quod longe gravior ac moleſtior ſit futura, cum à ſynceris dejectionibus originem habuerit. Et quidem ut mox dictum, quia à cauſa provenit, nimium præpollente & excedente, tum in quanto, tum in quali & viſcera, unde dejectio provenit, plurimum a naturali ſtatu recedentia atque intemperata recognoſcit; quare inteſtina non tantum continuis & conſtantibus doloribus extorquentur, ſed etiam facile ſubinde exulcerantur & exeduntur. Hinc alias dixerat idem Hippocrates *Dyſenteriam ab atra bile lethalem eſſe*, quippe quæ à ſimplici & ſyncero humore procedit; & alibi mutationes colorum in evacuationibus commendavit, utpote arguentes humores ſibi invicem in melius ſuccedentes, & mutuo ſe contemperantes, ne ſcilicet alter ſuper alterum, nimium prævaleat.

Quod autem hic edocet, de malis dejectionibus ſynceris, à ſtatu naturali in præternaturalem, excipere convenit in his, quæ à ſtatu morboſo & præternaturali in ſanum accidunt, cum ſcilicet in declinatione morborum, & præſertim febrium acutarum criticè contingunt, tunc enim facile fit, ut à victrice natura ſeparante bonum à malo, unius duntaxat ſynceri humoris, febrem foventis evacuatio criticè & ſalubriter habeatur. Quo pacto experimur ſæpe numero, tertianas & alias febres acutas, deſinere ſolere, copioſa, ſimplicis humoris flavi ſeu bilioſi dicti, evacuatione, unde poſtmodum æger convaleſcat; Ita pariter in aurium obſur-

obſurdeſcentia ſcripſit Hippocrates, biliosas dejectiones ſalutares eſſe, redeunte in priſtinum ſtatum auditu.

Neque inſuper inquit Hippocrates, omnino futuram dyſenteriam, ab ejusmodi ſynceris dejectionibus, ſed ſolum ſub conditione, ſi evenerit, malum eſſe; ut propterea perperam à quibusdam omittatur particula *malum*. Quin & ſyncera dejectio, in ſingulari numero, à Leoniceno, & aliis expoſitoribus notata, non unicam ſed iteratam nec modicam ſed copioſam egeſtionem deſignat, quæ ſcilicet valeat dolores, tormina & cruentam quandoque evacuationem excitare quæ profecto conditiones junctam ſolent dyſenteriam comitari.

Dices 1. Excrementa variegata, plures morbos ſignificant, ut alibi dictum. Atqui ubi plures ſunt morbi, ibi ſemper gravius eſt malum, ergo excrementa ſyncera non ſunt mala ℞. Nego minorem Scabies enim in corpore, febris quartana & ophtalmia ſunt plures morbi, qui tamen licet ſimul ſumpti, tantum non afferunt periculum quam hectica in ſummo gradu, vel dyſenteria fortis à ſyncero humore orta.

Dices 2. Dyſenteria poteſt fieri critica ab humore ſyncero poſt acutam febrim, vel etiam poſt quartanam vel maniam cum ſalute ægri; Ergo Aphoriſmus non eſt verus? ℞. Si dyſenteria fiat abſque ullius viſceris læſione aut abſceſſu, atque magno dolore, & cibi faſtidio, concedo, ſed de tali dyſenteria non eſt intelligendus Aphoriſmus.

Quæres Utrum Aphoriſmus non poſſit intelligi de aliis ſynceris dejectionibus per vomitum, ſputa, urinas, ſudores &c.? ℞. Affirmanve, hæ enim ſi ſint flavæ, porraceæ & attabilariæ ſeu nigræ, ſemper malæ ſunt, quia ſemper ſunt mali moris & conſtitutionis, ut teſtatur Hippocrates lib. 4 Aphoriſm. 23. 24. Plura vide apud Cardanum in *Commentario.*

Aphoriſmus XXIV.

Ab oſſis præciſione (ſeu vulnere) delirium (ſeu deſipientia) ſi in vacuum uſque penetraverit (ſeu apprehenderit.)

Nota. *Vid. Lib. 6. Aphoriſm. 50. & Lib. 7. Aphoriſm. 14.*

Con-

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi vulnerum Capitis.

C*Onnexio*: Cum in Aphoriſmo 14. hujus libri, ſtuporem & deſipientiam ad capitis plagam ſeu percuſſionem ſupervenientem damnaſſet Hippocrates; In hoc præſenti Aphoriſmo docet rurſum, quando iſta ſint timenda & maxime autem deſipientia,

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur.

Os hic ſumitur per Antonomaſiam, cranium, quod cæteris oſſibus præcellat, magnitudine, ſtructura, miniſterio, præſtantia, ac ſublimitate, Præciditur autem multoties, exteriori duntaxat lamina vel ad meditullium, aliquando etiam ad ejusdem concavum uſque, ubi dura Meninx appingitur & alligatur; ſed & quandoque parte poſteriori, quæ durior & validior eſt; interdum vero parte anteriori, tenuiori & magis friabili, quæque molliorem cerebri ſubſtantiam amplexatur ubi plerique phantaſiam & imaginatricem facultatem ſtabulari arbitrati ſunt.

Etſi autem indiſcriminatim ſcribat Hippocrates, ex illius præciſione deſipientiam ſuboriri, putaverim tamen id non perpetuo ſucceſſurum (quod ſane ſæpius obſervatum, irrita hujus Aphoriſmi prædictione) niſi ad eam partem ſectio, atque inciſio facta ſit, quæ meningem duram comprehendit aut penetravit, unde ipſa graviter læſa, vel ſaltem detecta ab ambiente aere, à confluente ſanguine, & hærente ſanie, vel alio humore præter naturam alteretur, & ſubjectam aliam piam meningem, & tenellam cerebri ſubſtantiam, in conſenſum trahat, indeque poſtmodum deſipientia, ſuccedat. Hinc non abſte dictum videtur *in oſſis præciſione*; quod ſane verbum, anterius incidi aut ſecari ſignificat, græce Θιακοπῆ. Neque ſolum inciſione, ſed etiam contuſione crediderim, os illud affici oportere, ut, ſi fortaſſe deſipientia (quam vocalem dicunt) proprie non ſequatur, ſaltem accidat, quæ mentalis dicitur, vel ea quæ cum ſtupiditate, obſtupeſcentia, caro & comate vigili confundi ſolet, de qua ſupra meminerat Hippocrates. Sed quid voluerit intelligendum per ea verba, *ſi in vacuum apprehenderit, vel penetraverit*, non bene conſtat apud Interpretes, puto tamen, id

id ipſum hic intelligi, *ac in cavum*, id eſt in internam & concavam cranii partem, qua *ſeram in utrem* ſuſpenſam ſuſtinet. *Vacuum* autem illam partem appellat, quia revera inter cerebrum, ſuis meningibus obtectum & cranium, ſpatium quoddam intercedit, quo levis ille & tardus cerebri motus, expanſionis & amplificationis peragi poſſit, ut in ejuſdem cranii inciſionibus compertum & patentiſſimus eſt in recens natis.

Quamquam autem hæc ita expoſita, experimento & rationi non diſſentiant, ſunt nihilominus, qui in hoc Hippocratem criminentur, quod rem ſcripſerit rariſſime contingentem, cum ſæpius capite vulnerati, & cranio præciſi, nil penitus deſipuerint.

Verum id ſummæ & accuratæ chirurgorum diligentiæ tribuendum, qui efficaciſſimis remediis balſamicis, ejuſmodi vulnera quam optime tractare ſint conati, & non tantum ab imminentibus ejuſmodi periculis tueri, verum etiam ad perfectam ſanationem perducere ſatagerunt. Quæ autem imminentia mala, præſigit Hippocrates, intelligenda ſunt a vi præciſionis & vulneris, ſiquidem vulnera & inciſiones Cranii, certo certius hæc & alia graviora mala minantur, imo inevitabilem mortem plerumque arceſſunt, cum potiſſimum cerebrum concutiunt & perturbant atque in his quæ citra artis beneficium accidunt, Aphoriſticam hanc ſententiam intelligendam mox recenſita ſuadent, juxta Hippocratis obſervationem, qui & poſteris tradidit, quæ ſola morborum vi ac violentia, ut plurimum contingant.

Quæres. Quænam ſint ſigna vulneratarum meningum? Reſp. Quando æger nucem dentibus frangere non poteſt, Vomit &c.

Aphoriſmus XXV.

A Medicamento poto convulſio, lethalis.

Hic Aphoriſmus ſatis ſuperque expoſitus eſt ſupra lib. 5. Aphoriſ. 1. & 4. hic vero quod ſpeciatim de uno genere medicamenti purgantis aſſeruerat, ad quodvis aliud protogat & extendit, ſi tamen catharticum ſit, ſiquidem ut bene exponit Galenus *in commentario* de purgantibus, atque per irritationem, & acredinem humores educentibus

tibus monet intelligendum, cum convulſio nonniſi ad acrimoniam & irritationem nervorum conſequatur, ut ibidem à nobis eſt explicatum; ideo ne chrambem recoquamus, immorari in hiſce ultra non licet.

Aphoriſmus XXVI.

Propter vehementem dolorem partium ad ventrem attinentium, extremarum perfrigeratio malum.

Contentum ſeu Intentio.

De Frigore extremarum à dolore.

Connexio: Hippocrates hoc libro Aphoriſmo primo docuit, *in acutis morbis, frigus partium extremarum malum eſſe.* In hoc præſenti Aphoriſmo vero ſpecialius memorat id ipſum malum eſſe, & fortaſſe pejus in ventris dolore; quoniam ibidem deſignat, inflammationem genitam, jamjam in gangrænam vergentem, & partes internas mortificantem, unde poſtea extremarum frigiditas emanat, cum iſtæ ab illis bene ſe habentibus, vigorentur & incaleſcant.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur.

Quandoquidem Hippocrates ventrem indefinitè nominavit, poſſet quis omnes tres, animalem, vitalem & naturalem ſubintelligere, juxta conſuetam anatomicorum diviſionem. Attamen ſanus credere licebit, notatum hic ſpeciatim ventrem inferiorem, ibi enim ſpecialius dolores atroces, & tormina fiunt, imo ibidem facilius gangrænæ & mortificationes exoriuntur, unde poſtmodum extremarum partium frigus, quod ſane pluribus experimentis comprobatum in cadaverum ejuſcemodi genere mortis interemptorum diſſectione, quin & varietas viſcerum, glandulis & membranis innumeris conſtantium, id ipſum promptè accidere poſſe ſuadet, ut conſideranti patet. Cæterum etſi inteſtina, acutis potiſſimum doloribus ſubjiciantur, cætera nihilominus viſcera, ſuo pariter ſenſu prædita, iiſdem experttia non ſunt, quæ cum affecta fuerint, proximè adjuncta & conſentientia inteſtina divexant, & condolere quoque cogunt.

Aaaaaaa Deni-

Denique quid Hippocrates ſcribit *malum*. Celſus *lib. 2. cap. 8.* hanc eandem ſententiam interpretatus inquit *periculoſum* nec ſine ratione, quia ad harum partium inflammationem & gangrænam, non-niſi interitus brevi exſpectandus eſt, prout exemplum refert Hippocrates 1. Epidem. ægroto 9. de Critone quod ibidem legi poteſt: Id ipſum confirmat *Aphoriſmus 48. lib 4.*

Plura legere potes apud Cardanum *in Commentario.*

Aphoriſmus XXVII.

Si Prægnanti teneſmus ſupervenerit, abortus eſt cauſa.

Contentum ſeu Intentio.

De Teneſmo gravidarum.

Connexio: Cum in præcedenti Aphoriſmo, de dolore ventris dixiſſet Hippocrates: In hoc præſenti Aphoriſmo, de Teneſmo, qui vel ventris dolor eſt, vel ad dolores ventris referri poteſt dicit.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem non dividitur.

Teneſmus eſt torminoſus & irritus ille conatus dejiciendi & egerendi fæces, in quo tamen vix mucoſum quid ſed cruentum, aliquando vero ſolus crepitus emitteretur, moleſtiſſimus ſane affectus, quo præter tormina, & inteſtinorum cruciatus, cupiditas ejiciendi perpetua eſt, nec deſinit etiamſi crebro venter comprimatur atque ad egeſtionem ſollicitetur; quamobrem frequentem hanc moleſtiam & ventris compreſſionem, vulgo *Premiti* appellare ſolent.

Id ergo ſi prægnanti accidat abortum facit, ex multis cauſis, ſpeciatim ex his quæ illum excitant; ſiquidem plerumque ex ambiente aere frigido ſubter excepto, a cibariis acidis, crudis, craſſis, ac glutinoſis, gelidis potionibus, fructibus ponticis acerbis aliiſque, Itemque ex natura ipſius morbi, & ex ſitu partis affectæ cum ſphincter muſculus & inteſtinum rectum eo afficiuntur, denique attenta moleſtia ſymptomatum adjunctorum, præſertim vero ſymptomatum inteſtinalium, & aſſidua ventris compreſſione, quibus omnibus accidit ſæpe ſtomachi, tum in appetendo tum in digerendo nimia imbecillitas, qua vires deinde valde imminuuntur. Atqui hæc prægnanti potiſſimum intenſiſſima

ſima ſunt, ob viciniam partis affectæ, & ob ingentem noxam quam idem uterus ſubire cogitur ab iteratis compreſſionibus, quas cum infans diutius ſufferre nequeat, alia ex parte multum ob carentiam alimenti labefactatus, & procul dubio abortui ſuccumbit, niſi artis auxilio ſuccurratur, de qua re plura in praxi : Id ipſum Hippocrates lib 5. Aphoriſm, 34. inſinuaſſe videtur, ubi univerſaliorem prodidit ſententiam, ſcribens: *Ex copioſo alui fluxu abortum fieri*, quem fluxum plerumque Teneſmus aut comitatur aut ſubſequitur. Plura vide apud Cardanum *in Commentario*.

Aphoriſmus XXVIII.

Quodcunq; os ſive cartilago, ſive nervus præciſus fuerit, in corpore, neque augetur, neque coaleſcit.

NOta: Qua ratione denuò præſens Aphoriſmus hoc loco inſertus ſit, cum jam *Lib 6. Aphoriſmo 19* Latius & clarius eadem ſententia relata & non tantum de his, ſed de aliis quoque ſimilibus partibus diſciſſis ac reſectis explanata adeo, ut ultra non auſim crambem repetere, niſi dicere cum aliquibus velimus, induſtria librariorum fuiſſe adjectum, ut per ampliorem libri molem, hunc reliquis aliis coæquaret, unde lectorem ad lib 6. Aphoriſm 19. remittimus.

Aphoriſmus XXIX.

Si Leucophlegmatia (ſeu pituita alba) detento, fortis diarrhæa ſupervenerit, morbum ſolvit.

Nota : *Huc referri poteſt Aphoriſmus 74 libri hujus 7. Alba pituita, aqua intercus ſupervenit.*

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi Leucophlegmatia.

COnnexio : Cùm de ventris affectionibus dixiſſet in duobus mox ante dictis Aphoriſmis Hippocrates In hoc præſenti loquitur de morbo

morbo ad ventrem pertinente, qui leucophlegmatia ſeu pituita alba ſeu anaſarca dicitur.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur.

Qui leucophlegmatiæ intelligat, hic Hippocrates, non ſatis bene conſtat, aliquando enim cum aſcite, quandoque etiam inplerumque cum anaſarca, aut hypoſarca confunditur. At vero contra aſcitem pugnare videtur *Aphoriſmus 27. lib. ſext.* in quo dicitur, quod hydropicis ſectis vel uſtis, ſi aqua affatim exeat moriuntur, cum hic ex adverſo dicatur vehementem & copioſum alvi fluxum illos liberare; quamobrem veriſimilius putandum anaſarcam aut hypoſarcam intelligendam eſſe, in qua craſſa & lenta pituita, vel etiam lympha glutinoſior reddita, in extimis partibus corporis, & ſub cute univerſa, diffuſa hæret, nihil compatientibus viſceribus internis, ut *in Prorrhetico* dicitur, ſed ſolum vitio vaſorum lymphaticorum reſorbere per glandulas illam non valentium. Soluta namq; fortiter alvo, univerſus ille humor pituitoſus, vel lymphaticus glutinoſus, per glandulas ipſas inter ſeſe connexas & conſentientes facile ſenſim ſenſimque deducitur in proprios ductus & ſalubriter evacuatur. Porro cum hoc evenit, validum naturæ robur indicatur, quæ non ſolum vias evacuationis patentes reddit, ſed etiam humores ipſos evacuandos, diſponit evacuatione, diſſolutione, lubricitate, nullo interea viſcerũ internorum detrimento exoriente, quod ſane facilius in aſciticis haberi ſolet. Atqui fluxus iſte alvi vehemẽs copioſus, & craſſi illi⁹ humoris qui peccat eſſe debet, quemadmodum hic indicitur, ne ſcilicet tenuiores humores egerantur, craſſioribus ac tenuioribus relictis, quamobrem non immerito notatum *fortem ac validum* eſſe oportere, ut à leucophlegmatia liberet.

Sed quamvis de anaſarca aut hypoſarca hanc ſententiam ſimus probabilius interpretati, nullatenus tamen diffidendum id ipſum ſalubriter quoq; evenire poſſe in aſcite, in quo licet in abdomine, contentus humor non tam facile, ad inteſtina deduci poſſit, eo quod ſupra peritonæum ille fluctuet, non raro tamen factum eſt, ut parante ſibi viam natura, adhuc ſalubriter inter mali initia evacuatus, & cum aſcites altam ibidem non fixerit radicem, nec adjacentia viſcera infecerit, aut labefactaverit, quæ caſu etiam eos perire accidit, & ſi ab ubertima ſera evacuatione videantur ſublevari, quoniam paulo poſt in novam ſeri collectionem, à labe in viſce-

tibus rejecta recidunt, laxatis ſimul una glandulis, & vaſis lymphaticis eroſis. At vero neque hic colligere audeant, qui audacter à naturæ evacuationibus, ab arte promovendas, pari gradu procedere contendunt, licere nimirum prudenti medico id ipſum rationabiliter tentare, quod aliquando à natura criticè peractum eſt; nam diſparitas longa & lata nimis eſt inter utrumque: Siquidem naturæ opus tempeſtivum ac oportunum, quis umquam, etſi peritus artifex ad amuſſim poterit imitari? ut alibi dictum. Quin & ipſam naturam quoque non raro fallere ac falli experimur, cum in iiſdem evacuationibus, ſalubriter interdum inchoatis, tandem deficiat & naufragetur ſæpe ſæpius æger in portu.

Dices I. Si ex pituita ſeu lympha glutinoſiori ſit, cur ergo tales ſubflavum & ſublividum colorem referunt? Reſp. ex commixtione bilis, adhæc ipſiſſima ratio eſt quod leucophlegmatici & chloreticæ fœminæ, ex bilis & ſalium admixtione vehementiſſime ſitiant.

Dices II. Leucophlegmatici commota Diarrhæa moriuntur ergo hic Aphoriſmus non ſubſiſtit. Reſp. Si Diarrhæa fiat à principio morbi & viribus conſtantibus nego antecedens, Viribus proſtratis & viſceribus male affectis concedo, in hoc enim caſu Diarrhæa non tollit morbum ſed ægrum *Teſte Dureto.*

Plura vide apud Cardanum *in Commentario.*

Aphoriſmus XXX.

Quibus per Diarrhæas (ſeu alvi profluvia) alvi excrementa ſpumoſa ſunt, iis à capite fit defluxio (ſeu pituita defluit).

Contentum ſeu Intentio.

De Fæcibus alvi ſpumoſis in Diarrhæa.

Connexio: Cum in antecedenti Aphoriſmo dixiſſet de Diarrhæa, quæ leucophlegmatiæ ſupervenit: In hoc præſenti Aphoriſmo rurſum Diarrhæam aſſumit, & ex ea Prognoſticum notabile affert. Hic

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur.

Diarrhæam non inepte pleríque multiplicem faciunt, tum pro diverſitate humorum excretorum, tum pro varietate partium affectarum, unde illæ originem ducunt. Memorat autem hic Hippocrates eam, quæ à capite male affecto atque ab humore ejuſdem cauſa congeſto, & vel ingenito, vel non repurgato, derivat.

Inquit autem illam internoſci à ſpumoſis excrementis, per alvum egeſtis, non quod iſta, ſi compareant cerebrum affectum deſignent, cum poſſint aliunde procedere etiam ab ipſis inteſtinis, Sed quod male affectum caput, ſi fortaſſe per inteſtinorum cavitates exoneretur, excrementa ſpumoſa deponat, atque ab iiſdem apparentibus id ipſum alleviati, ſpes non levis adſit, quemadmodum *in Coacis prænotionibus* de Angina per inteſtinales vias ſolvenda idem Author admonet.

Dicuntur autem ſpumoſa excrementa, quæ præter novum, & tenacem pituitam bulloſa comparent, & intermixtos flatus, illam attollentes, ac quodammodo fermentantes, nec non etiam crepitus adjunctos habent. Tales autem egeſtiones fiunt, quoties lymphaticus, ſive pituitoſus humor acorem contraxit, & cum tenui & effœto felleo humore, ad inteſtina delatus commiſcetur, qui cum è glandulis, inter ſe invicem connexis prodeat, & potiſſimum à cerebro, quod magna glandula ab Hippocrate dicitur, nil mirum ſi hic ab eodem, cenſeantur ejuſmodi ſpumoſa excrementa è capite defluere, non quod proxime ſpuma ipſa à cerebro dependeat, ſed quod pituitoſus ſeu lymphaticus humor ab ipſo malè affecto, ceteriſque glandulis potiſſimum proficiſcatur, qui deinde in inteſtinis, à mixtura cæterorum ſuccorum, atque ab intermixtis flatibus ſpumoſus evadat; quin & non rato docente eodem Hippocrate *Lib. de internis affectionibus, & Lib. de glandulis*, per ventriculum & glandulas per ipſum interſertas, ad alvum exoneratur, non levi interea nec unica ſed ingenti ac multiplici fermentatione, in itinere promota à variis ſuccis, per ductus & viſcera occurrentibus, præſertim felleis, pancreaticis & inteſtinalibus ut ex anatome conſtat, ſed & per glandulas ipſas in quibus ſecernitur, diverſimode commotus, atque inæqualiter diſcerptus, & variis ſalium generibus, pro varietate fermentorum, facillimè poſtea ſpumeſcit, & quæ in inteſtinis invenit

exere-

excrementa, pari conditione inficit, imo multo magis, coadjuvante nimirum accommoda ejus loci ad fermentandum habitudine.

Quod autem hic interpretes opinantur de ſpumæ generatione ab intercluſo aere, in liquoribus, vel motu exagitatis, vel calce ebullientibus, verum quidem eſt in iis, quæ extra corpus ſunt, quibus aer intermiſceri poteſt, at cum humoribus per corporis naſa diſcurrentibus, quomodo umquam externus aer commiſceri queat, non bene liquet, nec rationabiliter ſibi quis perſuadebit, cum vix is pulmonis Tracheolas habeat; quamobrem quod Galenus *in Commentario* edocet, *flatuoſum ſpiritum, dum humori commiſcetur, vehementem habentem motum & inæqualem, ita quod ipſe dirumpitur & pituitam frangit, in multas plantas & parvas*, ſpumam progignere, veriſimilius optabitur fermentantibus in ſe ipſis humoribus, in ſe invicem commixtis, ut mox ante expoſitum, cum fermentatio ad localem etiam motum partium heterogenearum ſe ipſas ſubigentium per quam optime reducatur. Cæterum adhuc ſi a capite, pituitoſus vel lymphaticus humor non defluat, ut ex longo itinere, & cæterorum ſuccorum commixtione agitari queat, & ſpumoſus fiat, ſatis tamen erit, ſi ex confluxu ſolum prædictorum humorum inter ſe invicem fermentescentium commotio talis habeatur, ut excrementa ſpumeſcant, adeoque indicent, à laborante cerebro pendere, ſi craſſior lympha inde deducatur, ob malam per ejuſdem glandulas expurgationem, veluti per filtrum laxum, plus juſto vel obſtructum, habitam, quemadmodum in catharris, ut proinde per glandulas ſenſim ſenſimque delabatur in ventriculum & inteſtina.

Conſtat autem ex anatome conſentire cum cerebro, glandulas pene univerſas corporis, tam arctè inter ſeſe connexas ut catenam indiſſolubilem efforment, uti præſertim ſunt corticales Cerebri, papillares, pituitaria, quæque in collo, jugulis, faucibus & in oeſophago interſperſæ ſunt, ad ventriculi fundum usque indeque ad inteſtina, pancreas, meſenterium, ut reliquas ſileam, viſcerum ferè omnium, & ſubcutaneas dictas, quæ nexu equidem inexplicabili cum fibris partium, & præſertim membranacearum texturam efformant reticularem, ut ferme dixerim aliud non eſſe, humanum corpus, exceptis oſſibus, quam exactam & elegantem compagem glandularum, fibrarum filo conſutam, extructam & intertextam.

Qua-

Quare qui hæc in humano corpore conſideraverit, plane addiſcet qua ratione Hippocrates dixerit partes omnes inter ſe mutuo conſentire, *& conſenſum* in toto corpore *unum* eſſe, *conſpirationem unam & omnia* eſſe *conſentientia & lib. de locis in homine*; *inter initis*, ſcripſerit: *corporis autem ſingulæ partes, altera alteri, ubi hinc vel illinc proceſſerit, morbum ſtatim facit, venter capiti, caput carnibus, ac ventri, & reliquæ omnes juxta eandem rationem, quemadmodum venter capiti, & caput carnibus ac ventri &c.* & paulo infra: *Corpus porro ipſum, ſibi ipſi idem ac ſimile eſt, & ex iiſdem compoſitum eſt: Similiter autem habet parvas & magnas partes, itemque infernas ac ſupernas: & ſi quis minimam partem corporis acceptam male afficere velit, totum corpus affectionem ſentiet, qualiscunque ea tandem fuerit propterea quod minima corporis pars omnia habet, quæcunque & maxima* &c. hæc Hippocrates. Ex quibus omnibus patet, non tantum in capite, ſed etiam in aliis corporis partibus excrementa ſpumoſa generari, ut plurimum tamen in capite.

Quæres: Utrum ex ſpumoſa urina bene catharri aburologis præſagiantur? Reſp. tutius eſſe ſtare experimentiæ quam rationi: illa docet, ſæpius obſervatas eſſe ſpumoſas urinas, quæ tamen ſigna non erant catharri, nos autem in praxi obſervavimus, flatuum potius eſſe Phænomena.

Plura de his enucleatè tradita lege apud Cardanum *in commentario.*

Aphoriſmus XXXI.

Quibus per febres, in urinis ſedimenta, craſſiorem farinam referunt, longam invalitudinem fore ſignificant.

Contentum ſeu Intentio.

De Urina craſſa farinacea.

Connexio: Cum Hippocrates in præcedenti Aphoriſmo dixiſſet, de excrementis alvi ſpumoſis: In hoc præſenti Aphoriſmo de u-

rinis

rinis, earumque ſedimentis craſſioribus & farinaceis longitudinem morbi ſignificantibus loquitur.

Hic Aphoriſ. propter ſimplicem concluſionem non dividitur.

Prognoſticus eſt hic Aphoriſmus, fortaſſe congruentius & opportunius inter eos, qui *libr. 4. Aphor. 69. 70. 72 76. usque 82* continentur, fuiſſet relatus, cum ibi de his quæ ad febres pertinent, ſermo habeatur, ſed quia nobis, nunquam curæ fuit, tam anxie Aphoriſmorum connexionem exquirere, propterea parum intererit, quo loco hic ſit adjiciendus, modo Aphoriſmi utilitatem & veritatem aſſequamur.

Urinarum ſedimenta hic conſiderans Hippocrates in febricantibus, dijudicat ex illis futuras diuturnas & chronicas febres, ſi farinæ craſſiori & furfuraceæ ſimile quid referant. Sunt enim ſedimenta in urinis repurgamenta eorum, quæ ex circulante ſanguine in viſceribus deponuntur, atque cum ſero urinario ad filtra tubulorum renalium amandantur, & propterea oſtendunt quidquid in ſanguine & viſceribus præſertim imi ventris ſuperabundat, atque ſicut inutile ſecernitur & repurgatur. Quoniam vero febres, cum longæ futuræ ſint, à craſſis, lentis, tartareis, atque acidis ſuccis progenitæ foventur, & his diuturno plane tempore egent, ut diſſolvantur, attenuentur ac ſeponantur, per fermentationem in ipſis promotam; proinde fit, ut cum ejusmodi humores prævalent, longos quoque morbos excitent, quandoquidem hi non alio promptius deduci ſolent, quam ad renes, quo ſuperabundantes in ſanguine & viſceribus humores, fermentis eorundem ſubacti & ſecreti, ſimul cum ſero urinario transcolantur ac deponuntur, & actione inter ſeipſos inita, acidum illorum à ſale urinoſo alkalino ſubigitur, unde præcipitatio ſuccedit, cum depoſitione partium tartarearum & craſſiorum, quæ fundum matulæ petentes, ſedimentum urinarum efficiunt farinæ craſſiori ſimile; quamobrem cum iſtud in urinis comparet, indicio eſt craſſos, tartareos & acidos ſuccos in corpore prævalere, qui febrem foventes, illam ſignificant, chronicam & diuturnam futuram.

Cæterum tunc ſolum ſedimenta iſtiusmodi, farinæ craſſiori ſimilia morbi longitudinem indicabunt, cum extra ſanguinis, vel coagulati, vel diſſoluti vitium accidunt, à ſola ſcilicet craſſioris lymphæ, vel glutinoſi ſeri abundantia; at vero ſi cum aliis

 pta-

pravis ſymptomatibus conjungantur, mali moris in ſanguine ut non atteſtantibus, non tantum mala erunt, ſed etiam lethalia, ut contigit *Sileno* & qui *in Dealcis horto* decumbebat, ut bene hic advertit Gal. quia tunc non à multitudine aut craſſitie humorum dependent, ſed à veneno diſſolvente, & ſua acredine veluti in cinerem redigente, glutinoſam ſanguinis ſubſtantiam, quam reficere difficillimum eſt, & acre ac corruptivum ejusmodi venenum retundere ac debellare pene impoſſibile, unde tandem fatiſcente corde animal perire cogatur.

Quæres utrum verum an ignominoſum ſit vulgi proverbium matulam Medico eſſe quaſi ſpeculum fidiſſimum. *Reſp.* hæc & ſimilia vulgi putatitia ſcomata, apud eruditos habentur utilia documenta, ex urina enim totius ſanguinis craſis, conſiſtentia & diſpoſitio tutiſſime colligitur, licet huic veritati rixoſus quidam Poeta contradicat his verſibus.

Turbida ſignificat mentem eſſe urina ſerenam
  Dum clara urina eſt, turbidus eſt animus,
Si ſpeculum matula eſt, hominis quo cuncta videntur
  Intima, erit ſpeculum corporis haud animi.

Dices I. His qui laborant calculo veſicæ, vel renum affectibus, ſimilia quoque prodeunt ſedimenta, quæ tamen non habent ſignificationem ſupra febrem. *Reſp.* hæc ſedimenta per febrem diſtingui, de febre autem intelligendus eſt Aphoriſmus: hinc monente Hippocrate in prognoſtico, medicum attentum eſſe debere, ne ab *urina*, ſi mala ſit, ob vitia renum aut veſicæ, turpiter decipiatur.

Dices II. Urinæ farinaceæ & craſſæ ſignificant vias eſſe apertas & vires conſtantes, ergo non indicabunt morbi longitudinem ℞. habito reſpectu ad vires & vias apertas, concedo, non fore morbum longum: ſed habito reſpectu ad quantitatem & qualitatem materiæ nego.

Hæc & plura enucleata legi poſſunt apud Cardanum *in Commentario-*

Apho-

Aphoriſmus XXXII.

Quibus in urinis biloſa ſedimenta, ſed ſupra tenuia apparuerint (ſeu & ſuperne tenues ſunt) acutum morbum ſignificant.

Contentum ſeu Intentio.

De Urina biloſa.

Connexio: Cum Hippocrates in antecedenti Aphoriſmo locutus eſſet de ſedimentis craſſis urinæ: In hoc præſenti Aphoriſmo de ſedimentis tenuibus ſermonem inſtituit.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur.

Præſens Aphoriſmus contrarius videtur præcedenti, quia ſicut in illa ſedimenta furfuracea vel farinacea, velut à pituitoſis ſuccis pendentia, chronicum & longum morbum portendere dicta ſunt, ita in hoc à ſedimentis ſuſpenſis & claris, utpote à bilioſis humoribus exortis, acutus morbus prædicitur: & quamvis in priori, attenta potius videatur ſedimenti ſubſtantia atque conditio, in hoc vero locus & ſitus ejusdem, ſi res tamen ipſa intimius penſitetur, idem omnino in utriſque, ſub diverſa licet conſideratione perpenſum animadvertemus, cum ea, quæ farinæ craſſioris ſimilitudinem referunt, tantum petant, quæ vero bilioſa ſunt, in altum attolluntur; unde ſediminis ſubſtantia in præcedenti Aphoriſmo conſiderata re ipſa convenit, cum ſitu hic memorato.

Naturalis equidem ſediminis ſitus in urinis, ut ſalubritatis indicium ſit, medius planè eſſe debet, inter ſublimem & infimum, cum is proprie pertineat ad hypoſtaſim, quam tantopere Medici, in urinarum inſpectionibus deſiderant, eo quod peractam & abſolutam in operibus naturæ coctionem & ſecretionem demonſtret, quæ mediocriter in craſſando procedere dicitur. At vero variat plerumque ſedimentum, à conditione varia humoris concoquendi, ac ſecernendi, unde qui craſſus & lentus eſt, licet naturæ concoquenti ac expellenti ſubjiciatur, imum ſemper ſuo pondere in urina locum petit, tenuis vero in altum effertur, ut eo magis, quo urina ipſa multo ſale ſatura-

ra eſt, quo ſanè pacto gallinaceum ovum experimur in catino aqua ſalina repleto, ſurſum magis vel deorſum tendere, prout multo vel pauco ſale marino imbuta illa fuerit.

Quoniam vero ſedimina biliosa, præ ceteris tenuiora ſunt, ut ex adverſo a phlegmaticis & crudis humoribus procedentia, craſſiora & compactiora, proinde fit, ut illa ſurſum attollantur, hæc deprimantur, & fundum matulæ petant: Etenim illa volantis ſulphuris, iſta acidi coagulantis conditionem participant. Adjecit inſuper Hippocrates biliosis hiſce ſedimentis, aliam in urinis conditionem *ut ſuperne tenues ſint*; quæ verba, cui aptanda ſint, non ſatis liquet & quidem non ſedimentis, quæ cum bilioſa dicantur, plane tenuia quoque ut dictum, eſſe debent; neque urinis, quia nullatenus videntur poſſe ſimul eſſe bilioſa & tenues, præſertim juxta expoſitionem Galeni, qui tenues arbitratur ex mente Hippocratis intelligendas perpetuo aquoſas eſſe. Verum rationabilius illa congruent urinis ipſis, tum ſecundum propriam ſubſtantiam ſeroſam conſideratis, tum ſecundum eorundem contenta, græce hypoſtaſes, quia in ejusmodi caſibus, & acutiem morbi indicent, præter ſedimentum bilioſum, supernè tenues quoque eſſe ſolent; hac enim ratione neque multitudinem, neque craſſitiem aut oleoſitatem bilis ſignificant, quippe fieri adhuc poteſt ut cum ſedimentis bilioſis, urinarum ſubſtantia undique craſſa & flavo colore plurimum tincta copuletur, at vero, ut brevitatem & acutiem morbi prænuntient, tanto humore flavo tinctæ ac ſaturæ eſſe non debent, ut pene ictericæ videantur, cum multitudo, craſſities, & oleoſitas ejusdem longitudinem potius præſignaret. Attamen nec omnino tenues ſeu decoloratæ eſſe debent, ita enim malæ quoque forent, ob ſymptomatum & ſignorum diſparitatem, ſed *ſuperne* ſolum, hoc eſt ea parte qua ſedimentis ſupernatant, & per comparationem ad infernam earundem partem, quâ coloratiores, opaciores & craſſiores erunt. Qua ſane ratione ſalino ſulphureus humor, illas tingens non tantum tenuis, ſed etiam modicus deſignatur, qui propterea, cito concoqui, ſecerni, atque expurgari poſſit, unde poſtmodum morbi acuties & brevitas.

Quod ſi fortaſſe tenuitas urinarum talis ſit, ut flammeam conditionem referat, & illos reddat quales alibi Hippocrates pellucidas appellavit, tum ſane non ſolum acutus, ſed etiam peracutus & valde periculoſus

loſus

loſus præſignabitur, veluti in delirantibus, phreneticis, detenta nimirum parte ſalino ſulphurea craſſiori, atque alicubi in partibus principalibus hærente. Verum Galenus *in Commentario ſuperne tenues* non ad *ſitum* ſed ad *tempus* retulit, ut proinde voluerit eas tenues intelligendas fore inter initia, & cum nondum coctio in illis relucere conſpicitur, quia inter initia morborum omnia cruda ſunt adeoque tenuia, & coctio ut dictum, incraſſando procedit. Sed in Galenum more ſuo acriter invehitur Cardanus, apud quem hæc & alia legi poſſunt.

Dices In febribus tertianis maxime æſtivis ſunt ſimiles urinæ, & tamen non ſunt morbi acuti. ℞. Licet hæ tertianæ non ſint morbi acuti ratione paroxiſmi univerſalis, ſunt tamen ratione paroxiſmi particularis, neque enim ſæpe in his delirant & extreme laborant, adde hunc Aphoriſmum Hippocrates ſcripſit de febribus continuis non intermittentibus.

Aphoriſmus XXXIII.

Quibus divulſæ (ſeu diverſæ) ſunt urinæ; iis vehemens fit in corpore turbatio.

Contentum ſeu Intentio.

De Urina variante.

C*onnexio* Cum in duobus antecedentibus Aphoriſmis Hippocrates egiſſet de craſſis & tenuibus urinis. In hoc præſenti de earundem diverſitate agit.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur.

Quod ergo mox ante de urinarum ſedimentis, nunc de iiſdem in univerſum, ſecundum totam ſubſtantiam & contenta, conſideratis ſermonem ſubjicit, dicitque urinas divulſas fortem ſeu vehementem turbationem in corpore ſignificare.

Quid vero pro divulſis intelligat, licet Galenus *in Commentario* dubitare videatur, ſi tamen perpendantur, quæ ipſemet Hippocrates aliis in locis adnoravit, & in Epidemiorum ægrotantibus obſervaſſe

 memi-

meminit, procul dubio minimè ambiget, divulſas & diſtractas urinas dici, quia ſive in ſubſtantia ſeroſa ſive in contentis, ſive in utriſque ſibi non cohærent, & inæquales, & inconſtantes obſervantur, & modo tenues, modo craſſæ, nunc uno nunc alio colore tinctæ, & ſedimenta disjuncta ſurſum, deorſum aut ad latera, magis, minusve concocta referunt, vel eodem tempore, vel diverſo, quemadmodum in Phitiſco, in Pythione uxore Philini & aliis.

Quamquam autem indicia ex urinis deſumpta, non raro fallacia ſint, cum pleræque malæ creditæ, quibusdam conſuetæ ſint & naturales, imo variata in ætatibus conſtitutione, victus ratione, exercitatione & aliis ſæpe etiam variæ eſſe ſolent, & pro re nata etiam nunc bonæ, nunc malæ, niſi peculiares adhuc viſcerum præſertim naturalium affectiones, ſpecialiter quoque illas immutent, ut in hypochondriacis potiſſimum, unde dubiæ prorſus conjecturæ deducantur; attenta nihilominus æquali corporis conſtitutione, ac nihilum præterea permutata in ſuis ductibus urina, quæ à ſeroſa ſanguinis parte, & à lympha procedere putatur, procul dubio fidelius indicabit, quæ in vaſis ſanguiferis geſta ſunt, aut in ductibus reliquis corporis, quos pervadit, quamobrem viſceribus ac ductibus omnibus, in ſua naturali habitudine conſtitutis, quandocunque urinæ divulſæ, atque in ſuis partibus contentis diſcerptæ comparent ingentem in ſanguine commotionem atteſtantur: Tunc enim ſic affectæ & diſtractæ minguntur cum inæqualiter partes inutiles à ſanguine ſecernibiles, & fermentationi ſubjectæ, non totæ ſimul repurgantur ſed prout à putiore parte ſanguinis, tractu temporis ſecedunt, quare interruptim, inutiles illæ impuritates in urinis obſervantur magis vel minus concoctæ & compactæ, quo aliæ ab aliis melius fermentationem ſubactæ fuerint. Ejusmodi itaque in urinis varietates indicant fortem & vehementem in ſanguine commotionem, per quam partes inutiles, ab utilibus ſejungi neceſſe eſt, neque enim aliter iſtæ ab invicem ſecedunt & ſeparantur, quam per fermentationem, in præcipitationem deſinente, prout experimur in muſto doliis incluſo. Recte ergo Hippocrates ab illorum ſedimentis apparentibus diſtractis ac divulſis vehementem in corpore turbationem conjicit. Verumtamen commotio hæc & turbatio non raro etiam fieri ſolet in hypochondriis & cæteris viſceribus naturalibus, è quibus ſæpe urina per compendiarios meatus educitur, ut alibi oſtendimus,

dimus, eum jam ſatis anatome compertum ſit, adhuc breviori itinere urinæ materiam in renes percolari, ut propterea peculiares horum viſcerum affectiones indicare ſoleat, ut de Hypochondriacis dictum; quamobrem non immerito Hippocrates indefinite dixit, *ſortem in corpore turbationem fieri*, comprehendens ſub nomine corporis, omnem & quamcumque ejusdem cavitatem, ubi fermentatio & heterogeneorum ſuccorum commixtio & exagitatio haberi poteſt.

His ergo divulſis, diſtractis & inconſtantibus ac minimè cohærentibus urinis fidendum non eſt eodem quaſi modo, quo hominibus inconſtantibus qui aliud ſtantes aliud ſedentes dicunt & agunt, de quibus Virgilius

Animum nunc huc, nunc dividit illuc:

Quæres Utrum excrementorum diverſitas etiam in aliis morbis perturbationem ſignificet? ℞. Affirmative *Varietas enim excrementorum ſignificat varietatem humorum & affectuum*: Exemplo ſit Hippocratis doctrina, qui ſputum quod poſt ſuppurationes ejicitur, ubi in eo cum pure bilis rejicitur, mortiferum aſſerit.

Dices. Subſtantia urinæ, quandoque bona eſt, ſed color variat, quandoque color bonus, & ſubſtantia tenuis, non raro hypoſtaſis eſt divulſa, & partes habet differentes, & tamen nulla inde turbatio in corpore fit, Ergo *Comment.* Galeni non ſubſiſtit. ℞. In febribus nego, extra febres tranſeat: Aphoriſmus autem ut ſupra dictum intelligendus eſt de febribus.

Plura vide apud Cardanum *in Commentario.*

Aphoriſmus XXXIV.

Quibus in urinis (ſeu in urinarum ſummo) bullæ innatant (ſeu inſident) nephritim (ſeu morbum renalem) & longam fore invaletudinem ſignificant.

Contentum ſeu Intentio.

De Urina ſpumoſa.

Connexio: Cum de urinis in præcedentibus Aphoriſmis egiſſet Hippocrates: In hoc præſenti Aphoriſmo deiisdem agit, non autem

autem hic ſedimentum, vel urinam ipſam, ſed ſupernatantes bullas pro Medici facienda Prognoſi proponit.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non patitur diviſionem.

Eruit ergo in hoc Aphoriſmo, longi & renalis morbi prognoſticum Hippocrates, ab his, quæ urinis inſident aut innatant, cujusmodi ſunt bullæ parum differentes à ſpuma, niſi quod hæc confertiorem ſed humiliorem, incluſi halitus elationem in materia craſſiori & plerumque teſte Hippocrate à capite proveniunt; illæ veluti à materia hærente quidem ſed magis expanſibili ſublimiorem & laxiorem tumefactionem referunt, non tamen adeo arcte inter ſe connexam. Inſident autem iſtæ urinis, cum in mictione ſal univerſum, veluti ammoniacum volatile ſali acido lymphatico & ſero urinario commixtum, mutua viciſſim actione, in tenues halitus elevantur, qui quoad uſque extricari nequeunt, à parte phlegmatica urinarum ſupernatantes bullas, & perdurantes excitant, at vero poſtquam, interno niſu, atque adjgentis externi aëris impulſu extenuantur, rareſiunt & diſcerpuntur, ſtatim diſſolvuntur & evaneſcunt.

Cum igitur hæc inſidentes urinis apparent, renalem morbum ſignificant, quia arguunt, porulos & tubulos renum, ac eorundem filamenta, in pelvim deſinentia, anfractuoſa & implexa evaſiſſe, ut proinde non tam promptè transcolare ſinant ſerum urinarium ſuo ſale imbutum, à tartareis acidis & viſcoſis ſuccis, per eas partes derivantibus, unde facile progreſſu temporis tubuli ipſi & cavum renum infarciri poſſint, & gravia calculorum, obſtructionum, tumorum & aliorum ſimilium accidentium incommoda, ipſis inferre, ſi præſertim præter bullas ſedimentum illæ referant, ſabuloſum, craſſum, & fæculentum. Ab his enim conſtat plane morbum renalem futurum longum, ſiquidem vitio craſſiorum humorum, excitati morbi longi ſunt, & præſertim ſi acorem illi, ut plerumque fieri ſolet, ſimul una contraxerint, quo craſſities & aciditas humorum difficulter ſubigitur & cedit.

Dices 1. Similes urinæ etiam à pectore vel capite poſſunt provenire ergo non tantum à renibus & ſpumoſæ urinæ ut in contextu diximus concedo, quibus bullæ permanentes innatant, nego.

Inſtabis. Imo bullatæ urinæ ex prædictis partibus prodeunt ergo nulla ſolutio. *Reſp.* Sunt bullatæ cum circulo livido concedo. ſinè illo

illo uti hic, nego. *Vrgebis*. Agitatâ fortiter urina bullas & ſpumas facit, quæ tamen non proveniunt à renibus, ergo. ℞. Bullas & ſpumas facit breves evaneſcentes concedo, permanentes nego; ut autem ſint à renibus, debent eſſe permanentes.

Plura de Bullis & hunc Aphoriſmum concernentibus controverſiis vide apud Cardanum *in Commentario*.

Aphoriſmus XXXV.

Quibus in urina adipalis ſuperficies eſt & conferta (ſeu quibus ſummum eſt pingue, & confertum) iis nephriticum (ſeu dolorem renum) & acutum morbum adeſſe ſignificat.

Contentum ſeu Intentio.

De Urina oleaginoſa.

C*onnexio*: Cum in præcedenti Aphoriſmo Hippocrates egiſſet de ſigno, per quod longus renum morbus dignoſcitur. In hoc præſenti Aphoriſmo de illo ſigno agit, per quod acutus illorum morbus dignoſcatur.

Hic Aphoriſmus pariter ob ſimplicem quam continet concluſionem non dividitur.

Quod ergo dixit in priori Aphoriſmo, de bullis inſidentibus, in hoc præſenti Aphoriſmo de ſuperficie ejusdem urinæ, pingui & conferta pronuntiat, ſed multo gravius quam antea, quippe exinde ait non longum, ſed acutum morbum renum ſignificari. Apparet autem ſumma urinæ ſuperficies pinguis, ac adipoſa alicujus partis ſubſtantia diſſoluta & liquefacta, atqui hæc non tam ingenti & exurenti calori renum, aliarumve partium circumſtantium tribuenda eſt, ut interpretes exiſtimant, quam ſali erodenti ac exſolventi per eas partes cum ſero urinario tranſcolato, quod etſi adipem ipſum, jam concretum minimè diluat, aut corrodat, ſi tamen glutinoſam ſubſtantiam alimentorum abradat atque exſolvat, poterit quoque adipoſam urinam reddere, & ſecundum ſuperficiem pinguefacere, id quod plerumque

 fieri

fieri ſolet, in æſtuoſis aut inflammatoriis febribus, atque exinde acutus morbus ſignificatur.

Non tantum autem pingue, ſed etiam confertum, coactum & concretum eſſe oportere adjicitur, ut nimirum non oleoſum, aut guttis adipis conſperſum urinæ ſummum intelligatur quo ſcilicet compacta ſubſtantia ſit ex partibus excerpta. At vero falluntur qui putant, acutum morbum hic ab Hippocrate notatum, renibus ipſis inſidere, cum is univerſaliter atque indefinite in Aphoriſmo recenſeatur, ut etiam è quibuscunque partibus imo è toto corpore pendere poſſit, Renibus autem ſolus tumor adſcribatur, quod plane tum ab acuto morbo, cum febre conjuncto, tum etiam ab urina erodente, & multo ſale acri vim habente pungendi, & partium nexum ſolvendi, imbuta provenit. Hinc hallucinatos eos exiſtimaverim, qui ut Galenus *in Commentario* recenſet, pro nephriticis Phreneticos morbos expoſuerunt, coarctantes Hippocratis dictum, ad hunc unum duntaxat particularem affectum & quidem à renibus remotiſſimum, cum tamen urinæ & urinarum contenta, ſi unquam probabilius quid ſignificant, plane renum & veſicæ affectiones ſpecialius oſtendunt, ut cunctis notum eſt. Quod ſi concretus adeps, totus ſimul in urinis excernatur, nec iteratis vicibus appareat, ut confertum potius exeat, quam confertum & coacervatum, tum profecto à renibus, & partibus circumſtantibus ſpecialiter prodibit, eadem penitus de cauſa, ab acri ſcilicet & erodenti humore ſalſo, cum urinis excreto, vim habente reſecandi & abradendi.

Unde autem fruſtulum adipis, vel adeps ipſe liquatus, & deinde in renibus concretus prodeat, non bene ex anatome, ab interpretibus explicatur, quippe ex illa conſtat renum ſubſtantiam in ſeipſa conſideratam adipoſam non eſſe, & canaliculos in ejus pelvim deſinentes, membranoſos, fibroſos ac duriuſculos eſſe, ut nec tam facile erodi, nec eroſos adipem æmulari, ſed potius ſtrigmenta membranacea, vel filamentoſa.

Adeps autem quo renes circumvallantur, licet multus ſit, & undequaque illos circumdet, nullatenus tamen in ejus ſubſtantiam, aut cavitatem patet, unde etiamſi liquetur, vel abſcindatur, haud quaquam poteſt in renum pelvim deduci, & per urinas expurgari, quamobrem difficile admodum videtur viam invenire, qua ipſe perduci, & cum urina permiſceri queat, ut ſupernatans in eadem compareat.

Hinc

Hinc veriſimilius exiſtimaverim, adipem in urinis apparentem, vel è glutinoſa ſanguinis portione prodire, vel è glandulis attabilaris ſeu capſula atrabilaria ſeu renibus ſuccenturiatis dictis, quæ conſenſum cum renibus ineunt, illuc guttatim deduci, ac deinde vel in renum pelvi, vel in veſicæ cavo concreſcere, & fruſtulum adipis æmulari. Sed fieri quoque poteſt, ut male affectis renibus phlogoſi, inflammatione, tumore, tam in ſuis porulis amplificentur & hient, ut poſſint attenuari, & liquari, ſaltem ex parte circumambientis adipis ſubſtantiam excipere, atque in pelvim deducere, attenta præſertim recentiorum anatomicorum obſervatione, qua univerſa renum ſubſtantia refertur innumeris tubulis pervia, ac fibris & glandulis quaquaverſum intertexta, quæ ad pelvim undequaque patulam deſinunt.

Nota: Ly *confertum* varios ſortiri ſenſus: 1. ut in magna quantitate exeat ex renibus: 2. ut brevi tempore & frequenter admodum veniat: 3. ut modo in magna quantitate, modo in parva inæqualiter prodeat, & hic ſenſus ultimus eſt verior & accommodatior, quia duo priores etiam colliquantibus febribus poſſunt accommodari.

Cæterum ampliſſimum ſuper hac re, vide Commentarium Cardani.

Aphoriſmus XXXIV.

Quibus verò è renibus laborantibus, præter ſupradicta ſigna, dolores etiam circa ſpinæ muſculos fiunt; ſiquidem ad loca exteriora ſentiantur, extrinſecus quoque abſceſſum fore exſpecta: Si vero dolores ad interiora magis vergant, abſceſſum etiam intrinſecus futurum potius ſperandum eſt.

Nota: *Confer hunc Aphoriſmum cum libri hujus ſeptimi Aphoriſmo 22. quo & hunc viciſſim reducimus.*

Contentum ſeu Intentio.

De Abſceſſibus Nephriticorum.

C*onnexio:* Cum de renum affectibus tum longis tum acutis, ex urinis dignoſcendis in præcedentibus Aphoriſmis egiſſet Hippocrates: In hoc præſenti Aphoriſmo, de iiſdem affectibus renum agit, deſumens indicium quod ad dolorem pertinet.

Hic Aphoriſmus licet longus ſit, ſimpliciter tamen concludit de abſceſſibus internis & externis, & ſic diviſionem non requirit.

Quæ ergo hactenus ab urinis deduxerat Hippocrates, nunc à doloribus poſticam renum partem occupantibus alia præſagit, & quidem futurum abſceſſum ad anteriora, vel exteriora lumborum, prout illi internas, vel externas partes magis obſederint aut pervaderint: Quia vero renes ad eas partes ſiti ſunt, quæ lumbos & lumbares muſculos reſpiciunt, non raro proinde accidit, ut dolor unius partis, alterius dolorem mentiatur, & aliquando dolores lumborum & muſculorum, tum ad ſpinam, tum ad abdomen pertinentium præſertim cum tumefacti, ac inflammati fuerint, Nephritidem referant; & è converſo, attentis ſolummodo ſitu, & doloris qualitate, quandoquidem ſe quoque deceptum fatetur Galenus, in internoſcendo colico, à nephritico dolore, ob earundem partium vicinitatem; quin & dolor renum, facillime cum lumbis communicat, prout experimentis innoteſcit, & edocet etiam Hippocrates *Lib. de internis affectionibus cap. 16. & 18.* quamobrem plerique crediti nephritidem paſſi, inventi ſunt ſubiiſſe abſceſſum in muſculis lumborum, ut de quodam Medico Piſano fatetur Mercurialis, & in quibuſdam obſervatum memorat Bonetus, quamquam dolor in his, atque doloris ſedes omnino differentes ſint. Accuratius ergo hic Hippocrates advertit, quibus jam diu morbo renali laborantibus prædicta accidunt ſigna, & ex *urinis* earumque contentis, nihilum levantur, & dolores ad ſpinæ muſculos protenduntur, vel externus prodituri, prout ad interiores vel exteriores partes illi vergere videbuntur.

Fiunt

Fiunt autem & perdurant tam diu, ejusmodi dolores ab humoribus ad eas partes transfluxis, & non raro etiam paulatim congeſtione concretis, quamdiu nec exſolvi, nec per renes aut ureteres ad veſicam, nec per alios ductus ad alvum transferri & evacuari poſſint, ſed in tumorem & abſceſſum coacerventur, unde ſi renum ſubſtantiam, aut alias circumjacentes partes, cum renibus conſentientes occupaverint, & fermentatione ac ſuppuratione ſenſim inducta, fluidiores redditi fuerint, alio tandem decumbent, atque (natura tamen exiſtente valida) per diruptionem atque evacuationem aliquam ſe prodeant; ſi vero lumbares muſculos perungant, ad extimas renum partes, in illis abſceſſus fiet, procurante interea natura, qua data porta poſſit illos exonerare. Hæc autem præter antedicta, comitabuntur febres ſuppuratoriæ vocaræ, manifeſta in lumbis elatio ac tumefactio, itemque rubor, ac dolor, tactu longe ſenſibilior, quibus prudens & diligens Medicus pro re nata congruis remediis, vel interne vel externe adminiſtratis, opportune opitulabitur.

Dices: Sæpe lumborum dolores torquent ægros diutiſſimè & tamen nullus fit abſceſſus, Ergo. ℞. in febre acuta, & inflammantis renibus nego. Extra febrem & inflammationem ſeu ab obſtructione vaſorum, concedo.

Aphoriſmus XXXVII.

Qui ſanguinem vomunt, ſi ſine febre accidat, ſalutare eſt; ſi cum febre malum: Curatio autem refrigerandi & adſtringendi vim habentibus perficitur.

Huc quadrat Lib. 5. Aphoriſmus 32. ibidem explicatus.

Contentum ſeu Intentio.

De Vomitu cruento.

Connexio: Cum Hippocrates in præcedenti Aphoriſmo de Abſceſſibus, qui quandoque expurgari poſſunt per vomitum ſanguinis & pu-

puris. In hoc ergo præſenti Aphoriſmo agit de ipſo vomitu ſanguinis, qui fit cum vel ſine febre.

Hic Aphoriſmus in duas partes dividitur, ſecundum duas concluſiones.

In *prima* proponit ſalutarem eſſe vomitum ſanguinis, qui ſine febre accidit: malum autem ſi cum febre fiat: In *ſecunda* docet, curationem eſſe faciendam refrigerantibus & adſtringentibus.

Verbum Vomere, licet alibi videatur latiori ſignificatione ab Hippocrate uſurpatum pro quacunque ſanguinis per os rejectione, hîc nihilominus ſtricte ſumptum, audiendum eſt pro ea duntaxat, quæ à ventriculo procedit, cujus actio ſpecialis eſt vomere. Eos igitur hoc loco conſiderat Hippocrates, qui ſanguinem evomunt, id eſt ex ventriculo ſanguinem eructant, ſeclusis iis, qui vel è pectore, vel è capite illum exſpuunt, quippe non facile foret febre exemptos eos inveniri, qui ſanguinem Tuſſi atque ex pectore egerunt, ſaltem procedente tempore excreationis, vel ratione ipſius ſanguinis, multo antea male affecti, aut poſtea alicubi ſtagnantis & ſuppurati; qui vero ſimplici excreatione è faucibus & aliis adjacentibus partibus illum exſpuunt, veluti rem nimis levem patientem, nullatenus videntur ſub tanta Aphoriſticæ ſententiæ contemplatione comprehenſi, longe admodum ab Hippocratis propoſito, qui res graves & notatu dignas ſolummodo in Aphoriſmos redegit.

Sed unde eſt, quod alibi *Libr. 4. Aphor. 25.* ſcripſerit, *ſanguinem qualiscunque is ſit, ſuperne efferri malum*; hic vero ſaltem ſine febre ſalutare eſſe dicat? Verum comparatè locutum animadvertet, qui diſtinguet, ibi contuliſſe ſupernam cum inferna ſanguinis evacuatione: hic vero modum expurgationis ejusdem, vomitu ne an tuſſi, unde locus etiam valde differens conjici poſſit ſanguinis rejecti: Siquidem ab his longe graviora, vel mitiora imminent mala, adeoque præſagia itidem deducuntur periculoſiora vel tutiora.

Equidem ſanguinem evacuari, nunquam bonum, quia talis evacuatio eſt de genere eorum, quæ nunquam debent excerni. Facta autem comparatione ſi aliquando ipſum egeri contingat, pejus eſt ſupra quam infra evacuari: ex illis vero, quæ per ſupernas partes accidunt, ſanguinis evacuationes, minus malum eſt vomitu, gravius vero tuſſi, leviſſimum ſimplici ſcreatu illum rejicere, quoniam hæc

ea

ex ore & faucibus, ille ex ventriculo, medius inter utroſque è pectore aut pulmone prodit.

Quoniam vero adhuc qui ſanguis vomitu ejicitur magis, vel minus malus eſſe ſolet, hinc Hippocrates ab adjuncta febre, illum diſcriminandum edocet, & quidem ſine febre ſalutarem, cum febre vero malum eſſe ait, atque ſalutarem hic ſubaudire decet, non quod proſit, aut ſalutem inferat, ſed quod in ſalutem facile terminetur, niſi etiam dicere velis, ſalutarem eſſe, quia exoneratur natura ſanguine illo, qui extra vaſa, ſi ſtagnaret, vitæ periculum afferret, & fortaſſis etiam mortem, quippe ſanguis non tam obeſt egeſtus, quam cum extra vaſa alicubi hærens coagulatur, & corrumpitur.

Cur autem ſalutaris dicatur qui ſine febre accidit, contra vero qui cum febre fit, ratio faciliime deducetur, quia cum febre junctus, vitium in ſanguine arguit, qui ſalſa acredine, venas aut arterias arrodat, & ſibi exitum faciat; cumque non tam facile ſit vitium tale à ſanguine delere; atque eroſa vaſa conglutinare, propterea malus omni ex parte exiſtimandus eſt, attenta præſertim ventriculi ſtructura membranacea, quæ corroſa difficillimè resarcitur, & ſi aliunde ſanguis ille prodeat, atque in ventriculum exoneretur, adhuc malum prænunciat, veluti ſignum labefactati aut exſoluti viſceris, infectique ſanguinis Contra vero ſine febre excretus ſanguis, non tam malus eſt, quin potius in ſalutem facile terminatur, cum citra ſui vitium prodeat, & per ſolam ut dicunt Anaſtomoſim, apertis & dilatatis oſculis arteriarum aut venarum quæ plerumque ſponte ſua corrugari & coniri ſolent, præſertim ſi aliunde is effluat, quam è ventriculi cavo · qua ſane ratione evenit, quare ſalutaris dici etiam poſſit, inducto in viſcere ipſo male affecto levamine, quod neutiquam haberetur, niſi per vomitum ſanguis fuiſſet excretus, id quod tamen adhuc accideret, ſi per alvum deponeretur ut libro quarto oſtenſum.

Non tantum autem ſubſiſtit Hippocrates in vomitus ſanguinei prognoſtico ſed methodum quoque addit eundem curandi, indicatione nimirum ſumpta ab ejusdem exitu, qui plane tum ratione ipſiusmet ſanguinis excreti; tum etiam ratione partis affectæ & evomentis, longè urgentior videtur etiamſi febris adjungatur, quæ ſæpe ſæpius ſymptomatica (ut dicitur) eſſe ſolet. omiſit autem indica-

dicationem à febre deſumptam, vel quod non ſemper, cum ſanguinis vomitu copuletur, vel quod ſecundo loco conſideranda ſit, & ſubſequenti tempore, eoque longiori, adimplenda quæ nimirum directa ſit ad vitium ſanguinis adimendum, vel quod demum è domito ſanguinis fluxu, ipſa ſponte ſua ſit deſitura repugnante interea, quod alienum in ſanguine eſt natura, per convenientia corporis ſecernicula, quoties ſanguis opportunis remediis prompte conſiſtent. Hæc autem fore ſubdit, acerba ſeu adſtringentia & refrigerantia, quæ ſcilicet una ſimul oſcula venarum & arteriarum conglutinent, fibroſam & glutinoſam ſanguinis portionem figant, & coarctent, ac denique ſanguinem ipſum temperent, atque in ſuo motu aliquantulum remorentur, quorum ſylva magna eſt apud practicos: præcellunt autem quæ ex chalybe & vitriolo confecta ſunt, cum ſuccis plantarum biſtortæ, centinodii, pyrolæ & aliis. Cæterum vomitus ſanguinis cum febre, ab interna inflammatione, nullus erit, vel una purulentus obſervabitur, ſi nimirum diſrupta vel ulcerata illa fuerit, adeoque non multo poſt lethalis.

Erit tamen ſummopere advertendum, an non ſanguis è venis aut arteriis egreſſus atque converſus in grumos, ventriculi cavum occupet, tunc enim acerba iſta atque adſtringentia medicamenta, nullatenus forent adminiſtranda; quippe quæ magis concretum ſanguinem coagularent & figerent; quin imo communicato inde illi acore non ſolum in fermentationem eundem adigerent præternaturalem, ſed etiam infractis & depravatis ſuccis ventriculi digeſtivis, ventriculum ipſum labefactarent, & chyloſin impenſè admodum vitiarent; quamobrem expediet, tum primum concretum ſanguinem diſſolvere & educere, poſtmodum oſcula venarum aut arteriarum occludere & coarctare.

Conjiciemus autem de grumis ventriculorum occupantibus, à pondere, laxitate, anxietate, & ciborum faſtidio, ſicut etiam ab aſſiduo vomendi conatu, aliiſque ſymptomatibus Epigaſtricam regionem moleſtantibus. Verum tamen utramque paginam adimplebit mixtura illa Sylviana, ad vomitum ſanguineum compeſcendum peropportuna, præter alia plurima diſſolventia, ex teſtaceis potiſſimum petita: at vero hæc convenient ſolum in anaſtomoſi & in ſimplici reſeratione vaſorum; etenim in eroſione, aut ulcere, a-

lia

ha omnino differentia eſſent adhibenda, ut propterea hic arguere liceat, Hippocratem non alium ſanguinis exitum memoraſſe quam ex ſola apertione venarum & arteriarum, ut dictum.

Adnotare inſuper convenit, quanam ex parte probabilius ſuſpicari fas ſit, ſanguinem prodire, num ſcilicet ex ipſomet ventriculo, aut gula, aut potius ex inferioribus aut collateralibus viſceribus, etenim pro earundem partium varietate, adhibere quoque convenit varia eaque ſpecialiora medicamenta, ſine ipſius ventriculi incommodo, qui non niſi ex conſenſu illarum ſanguine oppletur atque ad vomendum laceſſitur.

Hæc autem facile erit internoſcere ex eorundemet viſcerum affectorum læſione, tumore, dolore, excreti ſanguinis quantitate ac qualitate, aliisque ſymptomatibus adjunctis, & cauſis prægreſſis, de quibus fuſius in praxi.

Poſtremo vomitus ſanguinis, ex diſrupto Aneuriſmate, adhuc ſine febre lethalis eſt, quin imo momento temporis interimit, ut ſæpe obſervatum.

Difficultates in contextu ſunt ſolutæ, ſi quis plures deſiderat, legat Cardanum & alios in commentariis.

Aphoriſmus XXXVIII.

Deſtillationes in ventrem ſuperiorem, ad ſuppurationem perveniunt, intra dies viginti.

Contentum ſeu Intentio.

De defluxionibus catharralibus ad Pectus.

Connexio: Hic Aphoriſmus potius cum Aphoriſmo 26. hujus libri, quam cum præcedenti conecti videtur; ibi enim egit de ſuppuratione ventris inferioris, in hoc præſenti Aphoriſmo de ſuppuratione ventris ſuperioris.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur.

Quid nomine deſtillationum ſeu fluxionum hic intelligat Hippocr. hallucinatos pleroſque video, qui putant pituitoſos humores in

Google

cerebro collectos, ſenſim per glandulam pituitariam dictam, in os & guttur irruere, ac poſtea per tracheam delabi in pectus & pulmonem, ubi ſi diutius detineantur, forte quia per tuſſim, & anacatharſim educi non potuerunt, putreſiunt, & in pus verum, vel aliud æquipollens commutantur: Quamobrem deſtillationes hi authores ad catharros revocant, de quibus extant verſiculi illi:

Qui fluit ad pectus, dicatur Rheuma catharrus
Ad Fauces Branchus, ad nares eſto Coryza.

Quin inſuper exiſtimant illas potiſſimum à vaporibus è viſceribus naturalibus plus juſto excalefactis exoriri, qui ſua tenuitate ad cerebrum elati, ibique concreti (quo pacto experimur in deſtillationibus artefactis uſu alembici) ac denuo in ſeroſos humores redacti, ſponte ſua decidant, in ſubjectas partes, & præſertim in pectus & pulmonem, ubi niſi cito expurgentur & ſuppurentur ac proinde ſpurium empyema progignant, de quo hic Hippocrates.

At hæc recentioribus non arriſere, quippe qui figmenta dicunt, quæ de viſcerum naturalium excalefactione illi commenti ſunt, deque attenuatione, evaporatione, & concretione humorum cum & nec vias, per quas efferantur, nec meatus per quos in pectus decumbant patentes, hactenus Anatome detegere potuerit, quamobrem ad vaſa lymphatica opportunius confugere coacti ſunt, velutiquæ majorē conſenſum cum partibus inferioribus, tum gutturis, tum pectoris habere obſervantur. Verū mihi adhuc ſupereſt animadvertendum, ſolere in gravedinibus cerebrū exonerari, per corticales ſuas glandulas in nares, aures, collum, tonillas, & cæteras per guttur & fauces diſperſas, unde multoties copioſe ſeroſitates illæ expurgantur, & quandoque etiam raucedines, anginæ, tuſſes aliæque affectiones exoriuntur; quamobrem veriſimile admodum eſt, per conſentientes glandulas poſſe cerebrum, ſaltem ſecundum exteriorem ambitum humoribus gravatum, in ſubjectas partes exonerari, licet ductus, per quos illi deferuntur, lymphatici eſſe ſoleant, quorum intereſt exſuperantem lympham & alias humiditates referre è glandulis exceptas atque depoſitas, in quem ſane ſenſum audiendus Hippocrates, cum dixit *Lib. 1. de morbis. Pituita multa, cum confeſtim e capite, in ventrem ſuperiorem fluxerit, putreſcit, & pus evadit.*

Quandocunque igitur ejusmodi humores lymphatici aut ſeroſi, è ca-

è capite & cerebro in ventrem ſuperiorem, ſive in thoracem, decubitum fecerint, inquit Hippocrates, niſi cito alio deferantur, atque per urinas vel per urinam, vel per ſudorem exitum inveniant, infra viginti dies ſuppurari, id eſt maturari, concoqui & puriformem conditionem adipiſci, cum revera puris naturam ſubire nequeant, quod non niſi à ſanguine ſtagnante proficiſcitur, ut alias dictum. At vero neceſſe eſt, eos concoqui & maturari, ut expelli poſſint, ſiquidem coctionis beneficio craſſeſcunt, & impulſum per tuſſim à pectore ſuſceptum ſuſtinent & admittunt: nam tenues & fluidi cum ſunt, impellenti pectori cedunt, ac denuo in ejus cavum delabuntur, ſicut in omnibus liquidis impulſis experimur. Statuit autem vigeſimum diem, pro termino ejuſmodi maturationis, non quod ad illum præciſe diem, concoctio iſta & maturatio perducenda ſit, cum poſſit etiam, ſaltem in validioribus, & junioribus corporibus, multo citius promoveri, ſed quia infra hoc ſpatium, in occluſo pectoris cavo, facile ſtagnantes humores concoqui poſſunt, ac deinceps ad ſubſequentes dies, usque ad quadrageſimum expurgari, ut de pleuriticis alias docuerat Hippocrates. Verum tamen ut materia in pectore collecta, reipſa maturationem & concoctionem ſubeat, intra hoc ſpatium viginti dierum, novam aliam defluentem admittere non debet, alias concoqui & ſuppurari illa non poſſet: quin & nec ab inſpirato frigido aere, aut ab epotis gelidis & crudis ſorbitionibus recrudeſcere, frigidum enim pectori inimicum eſt, & coctioni officit, non proficit: quod profecto pleri que nulla ratione ſervantes, catharros etſi leves, in longiſſimum tempus protrahunt, & ſæpius etiam Empyci fiunt.

Neque in fine hujus Aphoriſmi omittendæ pilulæ quædam plurimum conferentes ad ejuſmodi deſtillationes reprimendas, potiſſimum ſi ſalſam & acrem conditionem referant, potenter enim illas temperant ac ſiſtunt, conficiuntur autem hoc modo: ℞. thuris maſculi ſeu olibani & maſtichis aa ℈j myrrhæ, opii, croci aa gr. vij ſucci liquirit ℥j. & cum aq. roſ. f. pilulæ ad magnitudinem piſi, quarum una ſumatur tempore ſomni.

Quæres: Cur ſanguis potius ſuppuretur, quam reliqui humores? ℞. quia conſiſtit in calido & humido. & ſic corruptio optimi peſſima, præſertim cum calidum & humidum exceſſerit: Alii humores

 non

non facile admittunt ſuppurationem, licet corrumpantur. Sed:

Dices I. Hippocrates *hoc lib. Aphor. 20.* dixit: ab Eryſipelate putredo & ſuppuratio Ergo humores alii ſynceri ſicut ſanguis, ita & bilis quæ cauſa Eryſipelatis eſt, ſuppurantur. Reſp. id non niſi à valde malignis & repercuſſis Eryſipelatibus fieri, quæ non tantum cutem, ſed etiam ſubjectam carnem adoriuntur & corrodunt.

Quæres II. Cur non omnes deſtillationes ad pectus ſuppurantur? Reſp. quia aliæ ſunt cum impetu, aliæ paulatinæ, hæ paulatim reſolvuntur, illæ ſuppurantur. Plures controverſias lege apud Cardanum *in commentario.*

Aphoriſmus XXXIX.

Si quis ſanguinem & grumos meiat, & ſtranguria (ſeu ſtillicidio urinæ) laboret, dolore ad hypogaſtrium (ſeu imum ventrem) & pectinem & perinæum (ſeu ad anum) pertinente, ad veſicã loca laborant.

Nota: *De hoc Aphoriſmo a nobis dictum eſt abunde lib. 4. Aphoriſmo 80. quo lectorem remittimus ne chrambem repetamus.*

Aphoriſmus XL.

Si derepente lingua incontinens fiat, aut aliqua corporis pars attonita ſtupeat, ſignum eſt melancholicum

Contentum ſeu Intentio.

De Cauſis Apoplexiæ.

Connexio. Poſtquam in penultimo id eſt Aphoriſ. 38. egiſſet Hippocrates de fluxionibus, quæ fiunt ad thoracem, In hoc præſenti Aphoriſmo, tractat de iis, quæ fiunt ad linguam, vel alias corporis partes.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur.

Di-

Dictio græca *ἀκρατὴς*, qua hic utitur Hippocrates, in linguæ vitio, ad melancholicos internoſcendos, magnum ſanè apud interpretes excitavit diſſenſum; quippe Leonicenus, *Incontinentiam*, Cardanus, *procacitatem*, alii *immobilitatem* expoſuerunt, Galenus vero, *in Commentario, eam vult eſſe, quæ ita infirma eſt, ut non poſſit integre vocem dearticulare, aut immobilem, & omnino reſolutam eſſe.* Ex his autem expoſitionem primam ſolum retinet, & commendat Mercurialis, ut proinde verbum *ἀκρατὴς* ſignificet linguam, quæ difficulter firmatur, & quando non oportet ſiſtatur, ob ſui imbecillitatem, nam quæ penitus ſubdit, reſoluta eſt, comprehenditur ſub ſecunda Aphoriſmi dictione, in qua dicitur, *aut aliqua pars corporis attonita ſtupeat*, alioquin aut idem his repeteretur, aut lingua non eſſet corporis pars. In hanc eandem ſententiam condeſcendebant reliqui tum priores tum poſteriores Interpretes. Verum Cardanus cunctos redarguens pro incontinenti lingua exponit, quæ plura loquitur quam deceat, ut propterea ſenſum Hippocratis cum eſſe dicat, melancholicum indicari, cum quis repente abſurda & turpia loquitur. Sed contra obſervat idem Mercurialis, ejuſmodi linguæ incontinentiam ſeu procacitatem eſſe potius, cujusvis alterius inſaniæ indicium, quam veræ melancholiæ. Et quidem attenta humoris melancholici conditione, nullatenus accidit, ut incontinentes & loquaces, melancholici ſint, multoque minus procaces & lubrici, abſurda & turpia loquentes. Sed & de linguæ immobilitate, non omnino dici poteſt Aphoriſmum eſſe intelligendum, nam etſi melancholici, taciturni plerumque ſint, ſolitarii, triſtes, cogitabundi, non tamen prorſus ſtupidi obſervantur, modo immobilitas hæc cum ſtupiditate confunderetur, quam adjecit in Aphoriſmo Hippocrates inquiens *Aut ſi aliqua corporis pars attonita ſtupeat* Ex his ergo colligere plane eſt, aliud quid per verbum *ἀκρατὴς* hic illũ voluiſſe ſub intelligendum, alias idem repeteret bis, per diverſa.

Veriſimilius itaq. per verbum *ἀκρατὴς* ineptitudinem, impotentiam, hæſitationem ſeu trepidationem interpretabimur, quæ certè accidentia ſunt, melancholicis familiaria, quæq, ut plurimum eoſdem invadunt & arripiunt, cumq. non tantum corpulentia & terreſtreitate, ſed potius halitu acido, & pontica conditione, perquam ſolent momento ferè temporis moleſtari, & ſtuporem ac eſtaſim ſeu congelationem pati ut in catalepticis, propterea non abs re adiectum in Aphoriſmo adverbium illud *ἀ*, *repente.*

 Et

Et quamvis Ariſtoteles in *Problematibus*, ſcriptum reliquerit, melancholicos in republica adminiſtranda, in carminibus pangendis, & in rebus philoſophicis extitiſſe optimos, hi potius meditando ac ſcribendo, quàm loquendo valere ſolent, quinimo de melancholicis, virtute, prudentia ac moribus, veluti à natura, non vero à morbo & cauſa morboſa alias ſumus interpretati.

Adjectum eſt autem in Aphoriſmo *derepente ſeu ſubito*, contractis & convulſis muſculis linguam componentibus, non quidem à quantitate humoris melancholici craſſi & tartarei, ſed à qualitate ejusdem acida corrugante ac figente, acidum enim quod in eo prævalet, non raro aberrans, cito cunctos meatus corporis pervadit, & nervos potiſſimum afficit, eorumque fibras coarctat.

Quod ſi non tantum vapore aut halitu, verum etiam craſſitie & lentore, capita & oſcula nervorum obſtruat, ſtupore ac paralyſi partes afficit, & ideo in Aphoriſmo dicitur, *aut aliqua corporis pars ſtupeat*; ſiquidem acidus humor, melancholicus dictus, quantitate exſolutionem, acore vero convulſionem inducit. Atque hinc etiam deducitur quare linguæ incontinentia ad impotentiam & taciturnitatem, non vero ad loquacitatem referenda ſit, ut ſcilicet Hippocratis mens in duo omnino diſparata, ac veluti oppoſita ſymptomata, ab uno eodemque humore provenientia deducatur. Quamquam etiam fieri poſſit, ut ab eodem acido & vitioſo humore degenerato ac vellicante fibras nervorum, non ſolum linguæ loquacitas, & muſculorum omnium commotio, ſed impetuoſitas quoque corporis univerſi excitari poſſit, veluti in Maniacis unde idem Hippocrates *Lib. 6. Aphoriſm. 56.* ſcribit: *In morbum melancholicum, in hæc pericula inciditur, ſtuporem corporis, vel convulſionem, vel furorem, vel cæcitatem ſignificat.* Refert Lucas Tozzius, Romæ virum quendam religioſum & valdè doctum, à perturbata vehementer imaginatione, cum metu ex imminenti famæ periculo adeo mente commotum eſſe, ut attonitus fieret, & vocem articulare nequiret, quinimo vix pedibus ſtare poſſet; poſt multos vero dies viribus & animo refectus convaluit, ſed adhuc mente hebes perſtitit, & in actionibus animalibus imbecillus; Quamobrem conſtat ſolere non raro melancholicos attonitos evadere & lingua ac voce titubantes fieri

Unde autem id illis accidat, facile quiſpiam deducet, ex humore

ipſo

ipſo melancholico acido, cujus maleficio ſpiritus animales, & nervi qui plurimi in linguam confluunt pro ejuſdem motu & loquela, acore infecti, inefficaces fiant & nequeant pro indigentia linguâ promptè ad varios motus peragendos ſollicitare. Sed & quod linguæ accidit, ſæpe etiam ad alios muſculos extenditur, adeoque impotentes ad corporis pondus regendum obſervantur, quo profectò fit, quare puſillanimes & repentino timore deprehenſi, aliquando repente concidant, & nec pedibus ſtare nec progredi poſſint. Notanter autem de linguæ trepidatione & titubatione, mentionem hic fecit Hippocrates, utpotè quæ proximior cerebro eſt, unde labes iſta melancholicorum, cumque lingua muſculis plurimis ſit referta, quandocunique in ſuis motibus fatiſcit, cæteras partes gravius affici poſſe pari vitio demonſtrat: & proinde ſubditur hoc eodem Aphoriſmo, *aut pars aliqua corporis ſtupida ſit, tale eſt melancholicum* id eſt morbo melancholico affectum, pariter illi *Lib. 6. Aphoriſm. 23. Si timor & mæſtitia longo tempore perſeverant, melancholicum eſt ſignum.*

Dices: Talis ſtupor poteſt etiam fieri à bile, quia celeriter movetur & tenuis eſt. Item poſt colicam bilioſam, fit paralyſis & ſtupor partium: Item homini ſummè irato adeſt incontinentia & ſtupor linguæ, Ergo à bile & non à ſolo melancholico humore fit. ℞. Stuporem non fieri cum calida ſeu tenuium partium ſit. ℞. 2. Paralyticos non tam fieri à bile, quam à bilis vehiculo pituitoſo, ſeu lymphatico acido humore nervos imbibente. ℞. 3. Illa linguæ titubatio in iracundis, non provenit à bile, ſed ab inopia ſpirituum ſeu illorum per motum iræ diſſipatione.

Reliqua vide apud Cardanum *in Commentario.*

Aphoriſmus XLI.

Si Senibus ſupra modum purgatis, ſingultus accidat (ſeu ſuperveniat) non bonum.

NOTA Hic Aphoriſmus eſt ſimilis illi quem ſupra Lib. 5. Aphoriſ. 4. abunde explicuimus, ubi indiſcriminatim & univerſaliter, de omnibus à medicamento cathartico ſingultientibus explanatus eſt: Mirum

Mirum proinde eſt, cur id ipſum Hippocrates repetat non bonum eſſe in ſenioribus, cum id ipſum potuiſſet ex antedicto Aphoriſmo faciliſime deducere · Quamobrem, jure merito & non ſine ratione à pleriſque hic Aphoriſmus omittitur, veluti inutiliter ab aliis quam ab Hippocrate hoc loco inſertus, Id ipſum & nos pariter facimus, hoc unicè dicendo, Hippocratem hic magis de ſenibus loqui, & convulſionis non meminiſſe, ſed ſingultum adduxiſſe, forſitan quod ſingultus ſit magis peculiaris ſenum affectus, & ideo etiam illis minus periculoſus, & ideo dixit *non bonum:* noluimus tamen hic comprehendere nimis ſenes aut decrepitos, in quibus ſingultus, utut cognatus ſenum morbus, illis non modo non bonus ſed lethalis foret.

Aphoriſmus XLII.

Si febris ſit, non ex bile orta, multa aqua calida capiti ſuperfuſa, febris ſolvit.

Contentum ſeu Intentio.

De Balneorum uſu in febribus.

C*onnexio*: Cum Hippocrates Aphoriſmo 40 hujus libri locutus fuiſſet de ſucco melancholico ſeu acido ſtuporem inferente: In hoc præſente Aphoriſmo loquitur de bile quæ febrem non facit, ejusque medelam proponit.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem non dividitur.

Febres omnes ex bile fieri, alias expreſſe docuit Hippocrates, præſertim vero *Lib. de natura humana & 2. ac 4. de morbis*, eas autem intelligere oportet, quæ ab humoribus vitiatis progenitæ dicuntur, quales ſunt, quæ antiquis putridæ & humorales appellantur, tertianæ, quartanæ, quotidianæ, exceptis hecticis, atque ephemeris, unde febres omnes hic ab Hippocrate memoratas humorales duntaxat interpretari licebit, contra id quod arbitratur Galenus *in Commentario.*

Et quamvis quotidianæ, ac quartanæ febres iisdem fieri credantur,

tur, à pituita vel melancholia putreſcentibus, non autem à bile, bene tamen juxta mentem ejuſdem Hippocratis, adnotat Proſper Martianus in Commentariis ejuſdem, & ante ipſum Mercurialis *hoc loco*, adhuc in ipſis bilem cauſam eſſe, cujus ſcilicet maleficio inſtar ſulphuris, cæteri humores effervescant & inflammentur, ut propterea rectè ſcriptum ſit ab eodem Hippocrate febres omnes ex bile fieri; quod ſcilicet ab hac ſolummodo reliqui humores in motum & commotionem febrilem adigantur. Et ſane quandoquidem etiam a recentioribus dicitur nuſpiam ſanguinem, lympham, ſuccum pancreaticum, aut alium quemcumque humorem, febrem parere poſſe, niſi per alterius acrioris humoris, qui bilioſi vel fellei cōditionem referat, mixtionem, in motum fermentativum adigatur & ſanguinem ad celerius circulandum provocet, & commoveat: id quod communiſſimum fuit vetuſtioribus omnibus etiam ante Hippocratis tempora, ut deducitur ex eodem in citatis locis.

Itaq; de iis ſolummodo febribus, ſcriptus videtur hic Aphoriſmus, quæ hecticarum & ephemerarum naturam ſapiunt, ad redarguendos ſcilicet Medicos illos, qui cunctis indiſcriminatim febricitantibus, capitis & totius corporis ablutionem commendabant, quemadmodum refert Celſus de Cleophanto *lib. 3 c. 14*. Quamobrem ejuſmodi lotionem convenire ſolum docet in Ephemeris & hecticis (potiſſimum ex laboribus, laſſitudinibus, cutis conſtipationibus &c.) minimè vero in putridis dictis & humoralibus febribus. Sed & advertit quoque perquam optime Mercurialis ex doctrina ejuſdem Hippocratis *2. Epidem. ſect. 6.* (ubi hunc quaſi Aphoriſmum paucis mutatis repetit) nec febrem propriè, & ſtrictè accepta, ſed calorem duntaxat excedentem, qualis in febre leviſſima hic intelligendum documento etiam *Galeni 1. Epidem. ægro 12 & 3 ejuſdem operis ægro 2.* quemadmodum ille ipſe *in libris Method. Medendi* pro curatione ephemerarum & hecticarum febrium, ex veterum more latius proſequitur & proponit. Sed & num Hippocrates propria, an potius aliorum prædeceſſorum ſententia id protulerit, adhuc plerique non irrationabiliter dubitant, cum aliter ipſe de febrium natura & cauſis ſenſiſſe videatur. Cæterū etſi calidam aquam capiti ſolummodo ſuperfuſam, febrem ſolvere fateatur non tamen exinde colligere eſt, ut reliquum corpus includat, ſiquidem antiqui in more habebant, non tantum caput, ſed etiam totum corpus abluere ac detergere.

Difficultates in contextu ſunt ſolutæ, plures legi poſſunt apud Cardanum *in Commentario.*

Aphoriſmus XLIII.

Mulier non ſit Ambidextra.

Contentum ſeu Intentio.

De Ambidextris.

C*onnexio* : Nullam video opportunam connexionem hujus Aphoriſmi cum antecedentibus: videtur ergo potius curioſitatis quam artis cauſa interpoſitus. Unde cum diu mente revolvi, quomodo unquam potuerit Hippocrati in mentem cadere, hanc ſententiam inter Aphoriſticas collocare, quæ nec doctrinæ gravitate, nec ſententiæ pondere, nec ad rem medicam faciendam utilitate, videtur tanto viro digna, quoque ſi unquam inter Aphoriſmos recenſenda viſa fuiſſet, certè ſermonis analogia inter eos qui libro quinto continentur, ubi multa de fœminis referuntur, reponenda fuiſſet. Sed & cum Galenus *in Commentario* ex quibusdam Authoribus exponat, ambidextrum hominem intelligi, qui ambabus manibus pro dextris utitur, quemadmodum fertur Homero fuiſſe Ariſtopaum, ſi idipſum fœminis adſcribere vellemus, plane conſtaret, non omnimode verum eſſe, cum licet nonnullæ fuerint, quæ dextræ manus opera, ad ſiniſtram etiam tranſtulerint non æque tamen bene, nec cuncta manuum miniſteria pari dexteritate, vi atque vigore illa peragere potuiſſe, valde dubium eſt. Pleraſque equidem novimus, quæ acum, forficem, glomum (atque adeo ſuere, incidere, glomerare, nere) ſiniſtra manu expedite nimis & agiliter tractarent, alia vero munia nullatenus, & non niſi dextra ſolum, nec è converſo, quamobrem etſi nonnulla manualia exercitia mulieres plurimæ ſiniſtra manu agant, non tamen illa eadem, nec reliqua omnia æqualiter dextra peragunt.

Sed nec Mares ipſi, qui lævi dextri dicuntur, æque viriliter ac pari robore, ſiniſtra ac dextra utuntur, cum plerique ſtrenue admodum ſiniſtra digladiari viſi ſint, ſcopum vero aliaque inſtrumenta bellica,

non-

non niſi dextra ſolum, prout una vel altera manu ad hujuſmodi opera peragenda uſum aſſiduitate contraxerint, ruſtici & agricolæ ingentia & ponderoſa nimis inſtrumenta promptiſſimè tractantes, calamum tamen in ſcribendo vix regere valent, tacendo alia exempla.

Quocirca rari admodum erunt, qui æque bene utraque manu omnia perſolvant, ut æquali dexteritate, vi, ac promptitudine, præſertim quæ majus robur exigunt.

Hinc non irrationabiliter factum crediderim, quare iſti Italicè *Mancini* vocentur, veluti mancam & deficientem alterutram manum habentes, ut propterea prout uſus & frequentior alterutrius manus exercitatio prævaluerit, aut lævi aut dextri magis, minusve præpotentes evadant. Unde licet Plato *3. de Legibus* & Ariſtoteles *2 de h. ſtor. animalium cap. 1 & 31 probl. 12* paucos viros, nullas vero fœminas ambidextras fieri dixerint, id tamen non ad virtutis imbecillitatem, & caloris inopiam, quæ ſiniſtro lateri ineſſe creditur, ſed ad defectum exercitationis ejuſdem, qui pares & æquipotentes in ſuis operibus obſervantur, quia pares in inſtando & incedendo uſum & exercitationem ab ortu ſubière. Et quidem plurimum in his valet aſſiduus exercitationis uſus, longo tempore comparatus.

Hac quippe Arte, Amazonidas, Sauromathas, & Scythicas mulieres, in ſagittis jaculandis, & bellicis inſtrumentis tractandis excelluiſſe refert Hippocrates *Lib. de aere, aquis, & locis*, quia a pueritia ea exercere conſuevìſſent. Experimur pariter artifices omnes, quia ab ineunte prima ætate, ſiniſtra ſimul & dextra manu, malleum, aſciam, ſerram, terebram, aliaq; artium inſtrumenta æqualiter tractare conſueverant, utraque manu deinceps, pro arbitrio uti ſolere, & ſi fortaſſis ſiniſtram potius quam dextram exercere conſueſcant illa potius quam iſta prævaleant. fuit aliquando, qui tam bene uſum ſcribendi ſiniſtra manu ſibi comparavit, ut non melius dextra characteres efformaret, non alia planè induſtria, quam aſſuetudine perpetua, à prima ætate puerili acquiſita.

Non multis abhinc annis vidi & maſculum & fœminam, pedibus peragendo quidquid a cæteris ſola dextra manu perfici ſolet, tantum valet contractus ab initio vitæ uſus & frequens ac iterata eorundem actuum exercitatio.

Cum igitur hæc ita ſint, non abs te verendum videtur ab alio

proſus quam ab Hippocrate ſententiam hanc, hoc loco fuiſſe inſertam, ut propterea ſi alius unquam inter adjectos Aphoriſmos dicendus eſt, de iſto planè ſuſpicari omnino licebit, ex jam allatis.

Cæterum qui ambidextras dictas volunt (ut memorat Galenus in hoc Commentario) *quæ parte uteri dextra genitæ ſint*; adeoque ambidextras fæminas non fieri, quod in utraque parte uteri minime generentur, tam longe à veritate declinant, & ob anatomes inſcitiam fallunrur, ut nullius penitus mereantur aſſenſum, cum non minus in dextra, quam in ſiniſtra uteri parte, progigni fæmellæ viſæ ſint *Hu adhuc magis à ratione alienum* (ſubdit in eodem Commentario Galenus) *alii ajunt de iis qui hermaphroditi nominantur, Hippocratem eſſe locutum, quaſi dicat mari quidem pudendum accreviſſe muliebre mulieri vero virile minimè.* Quandoquidem id remotiſſimum eſt ab Hippocratis mente nec ullateaus aptari poteſt huic Aphoriſmo, in quo de utriuſque manus dexteritate ſermo ſit quin & fæminis virile membrum, aut quid ſimile, ex elongata clitoride ſucceviſſe, ac foras prodiiſſe, non ſemel obſervatum, maribus vero muliebria pudenda nullatenus.

Hujus Aphoriſmi veritatem etiam negat Poeta, dum canit de mala muliere.

Cum tua Tiſiphone rabidas exarſit in iras,
Sævior in ſtygia bellua nulla domo.
Ambobus pedibus, conculcans obvia quæque,
Dextra manus monſtrat ligna, ſiniſtra ferit,
Ambi hæc dextra tibi ſi non ſit, & usque furentem
Job patiens tuleris, tu mihi manus eris.

Quæres: Cur Amazones ſibi dextram mammam curabant abſcindi? ℞. Ut eſſent robuſtiores, ut nempe ſpiritus & ſanguis, alias alendæ mammæ neceſſarius brachio dextro communicaretur.

Dices: Sunt mulieres viragines, quæ viris effæminatis ſunt robuſtiores, Ergo etiam fieri poſſunt ambidextræ Reſp. nego ſuppoſitum viros fieri poſſe effæminatos vel eſſe ambidextros

Quæres: Cur viri qui ſiniſtro brachio utuntur, dicuntur mali moris eſſe R. Quia fæminas imitantur, adeoque illis comparantur.

Plura & curioſa vide apud Cardanum *in Commentario.*

Apho-

Aphoriſmus XLIV.

Si Empyicis, cum uruntur, aut ſecantur, purum & album pus effluat, evadunt: Si vero ſub cruentum & faculentum ac fœtidum, pereunt.

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi Empyicorum.

Connexio: Cum Hippocrates Aphoriſmo 38. hujus libri egiſſet de ſuppuratione, quæ fit tum in inferiori tum ſuperiori ventre. In hoc præſenti Aphoriſmo agit de ſectione & ejus eventu, quæ in puris collectionibus fiunt.

Hic Aphoriſmus duas habet partes. quarum *prima* docet purum & album pus, ſi per ſectionem in ſuppuratis exeat, eſſe ſanitatis futuræ indicium: *Secunda* vero, quod ſi pus effluat, ſubcruentum & fæculentum ac fœtidum pereant.

Hippocrates alibi nempe *Lib. 6. Aphor. 27.* docuit Empyicos uſtos vel ſectos à pure affatim exeunte periclitari, nunc a qualitate puris exeuntis bonum vel malum eventum præſagit, & ait, ſi pus album & purum exeat, bonum, ſi vero ſubcruentum &c. exitum portendi. Cum enim pus album & purum prodit, neque materiam in pectore collectam pravam & deleteriam, neque ulcus ſordidum aut malignum deſignatur, quare facile fit, ut abſolius exitu, nulla in pectoris cavo relicta noxa reconvaleſcant ægrotantes, quod ſecus accidit, ſi pus inde prodiens, fœculentum & fætidum comparuerit, unde de ulceris pravitate, & de humoris ibidem collecti ac ſuppurati malitia judicare eſt. Subcruentum autem pus rebellem & contumacem humorem, non ſatis coctiom ſubjectum indicat, qui & ſanguinis è vaſis pulmonis profuſionem facilem & ſubitaneam timeſcendam arguit, unde periculoſior eventus: Id ipſum habet idem Hippocrates *in Coacis prænotionibus*. Verum quod in Empyicis tempore Hippocratis frequentiſſimæ ſectionis aut uſtionis opera peragebatur, nunc penitus quaſi exolevit.

Quoniam vero indiſcriminatim Hippocrates dixit *ſuppuratos*, anſam inde plerique arripuerunt, ut etiam Galenus meminit, de quibuslibet ſuppurationibus in quavis alia corporis parte habitis intelligendum. Nihilominus idem Galenus advertit, proprie ſuppuratos ab Hippocrate nominare eos, quibus inter thoracem & pulmonem acervatum pus eſt, quos urere conſueviſſe veteres adjicit ex Platone comico. Quin & ſubſequens Aphoriſmus de ſuppurato hepate ſcriptus, clare etiam deſignat ſpeciales hic memorare voluiſſe ſuppurationes, ut conſideranti patet.

Quæres I. Qua arte locum collectionis puris explorare poſſumus? ℞. præterquam quod locus affectus calidior reddatur, nempe à putredine & halitu puris; Hippocratem *Lib. de morbis 3* imitari poſſumus, qui terra Eritriade vel creta liquida ac tepida linteum tenue ablui jubet, eoque totum thoracem obvolvi, ut quæ pars primum reſiccari cœperit, in ea ſectio fiat, aut uſtio: Item cum æger in ſanum latus decumbit, ſentit aliquod pondus, premitur anguſtia, & tuſſi, dolor augetur, eo quod pendens tumor magis gravet, Denique, fluctuatio ac ſtrepitus puris, auditus in parte affecta &c.

Quæres II. Utrum ſtatim ac pus in thoracis capacitatem effuſum eſt, facienda ſit ſectio aut uſtio? Reſp. Negativè ſed potius cum Hippocrate in *Coacis* differenda eſt operatio ad decimum quintum usque diem à ruptione vomicæ, donec iterum, illud pus novam admittat coctionem, nam ſtatim poſt ruptionem craſſeſcit, & ſic ineptum foret ad eductionem. Quo autem in loco ſectio fieri debeat Reſp inter quartam & quintam coſtam.

Plura vide apud Cardanum *in Comment.*

Aphoriſmus XLV.

Quibus purulentum (ſeu ſuppuratum) jecur aduritur, ſi purum pus effluat & album, ſalvi fiunt; In tunica enim ipſis pus continetur: Si vero qualis amurca profluat, intereunt.

Nota

Nota: *Hic Aphoriſmus multum correſpondet cum Aphor. 40. libr. 6. & cum Aphor. 52. libri hujus.*

Contentum ſeu Intentio.

De Prognoſi Abſceſſuum in hypochondriis.

Connexio: Optime hic Aphoriſmus connectitur cum præcedente; quod ille de ſuppuratione pectoris ſeu ventris ſuperioris, hic vero de ſuppuratione hepatis ſeu ventris inferioris agat.

Duas habet partes his Aphoriſmus: *prima* docet, quibus per aduſtiones purulenti jecoris, pus purum effluat & album, ſalvi fiunt: *ſecunda* vero ſi veluti Amurca profluat, intereunt.

Simul ergo hic Hippocrates Aphoriſmum prognoſticum ab inuſtione ſuppurati hepatis proponit, & actionem boni vel mali eventus ſuperaddit, inquit enim ita affectos evadere ſi purum & album pus fluxerit, quia in his pus continetur in tunica, ſeu membrana exteriori jecoris, ſecus vero, ſi qualis amurca prodeat, quia è converſo pus internam jecoris ſubſtantiam pervaſit, & illius Parenchyma collæſit, id ipſum habet in *Coacis prænotionibus*, ubi de variis hepatis affectionibus agens, ſpeciatim de uſtis inquit: *quibus ſecundum jecur uſtis veluti amurca exit, mortale*: Non enim fieri poteſt, quin jecoris ſubſtantia intimius computruerit, ſi pus exinde prodiens putridum & concretum inſtar amurcæ, ſeu fæcis olei appareat, eo quod pravum ulcus ibidem genitum deſignet: ulcera autem in hepatis parenchymate excitata læthalia omnino ſunt.

Quæres: Utrum uſtio iſta hodierno tempore practicetur. ℞. ut ingenue fatear, nunquam vidi, & rarius etiam viſam audivi ab aliis.

Quæres II. Utrum ſectio & uſtio eodem tempore fieri poſſint; Reſp. quod ſic, ferro nempe incidente & acuto.

Quæres III. Utrum in omni hepatis parte, fieri poſſit hæc operatio? Reſp. negative; nam in parte cava, fieri non poteſt, ſed in Sima ſeu Gibba.

Quæres IV. Utrum mox hoc remedii genus adhibendum ſit? Reſp. quod non, ſed prius alia ruptoria, tum interna, tum externa eſſe tentanda.

Plu-

Plura hunc Aphoriſmum & prædictam operationem concernentia vide Cardanum in Commentario.

Aphoriſmus XLVI.

Dolores oculorum poſt meraci vini potum, & aqua calentis copioſa balneum, venæſectione curato.

Hic Aphoriſmus non connectitur ei, qui ſcriptus eſt *Libr. 6. Aphoriſm 31.* quæ enim hoc loco, unum poſt aliud proponuntur, ibi disjunctum ad dolores oculorum arcendos commendantur & quidem rationabilius. Hinc non immerito Galenus interſertum, atque adjectitium adeoque expungendum hunc Aphoriſmum opinatur. Neque præterea congruenter videtur ex mente Galeni & aliorum venæſectio poſt vini potionem & balneum inſtituenda in quocunque oculorum dolore, ex quacunq; cauſa indifferenter proveniente: nam ſi corpus venæſectione indiget & plethoricum eſt, non eſt, cur balneũ & vini potionem prius tentemus, at ſi non eſt plethoricum, venæſectione non indiget. Unde forſitan ſcriptus eſt hic Aphoriſmus ab Hippocrate, ut inde diſcamus quandoque methodum extraordinariam ordinariæ eſſe proponendam præſertim in caſibus temerariis & urgentibus.

Aphoriſmus XLVII.

Si Hydropicum (ſeu aqua inter cutem laborantem) tuſſis habeat, deſperatus eſt.

De hoc Aphoriſmo dictum abunde eſt ſupra in *Commentario Aphoriſmi 35. Libr. 6* ut proinde opus non ſit eandem chrambem hic repetere, cum igitur locum adeat, qui hujus Aphoriſmi expoſitionem deſiderat.

Aphoriſmus XLVIII.

Urinæ ſtillicidium ac mejendi difficultatem, vini meraci potus & venæſectio ſolvit; incidendæ autem ſunt interiores venæ.

Nota: *Hic Aphoriſmus quoque jam ſupra expoſitus eſt Lib. 6. Aphoriſ. 36. quo lectorem etiam remittimus:*

Pauca tamen pro claritate hujus addimus, quod nempe urinæ ſtillicidium plerumque fiat à craſſis & lentis ſuccis, meatum urinarium occupantibus, atque urinæ exitum impedientibus, ſive iſti cum ipſamet urina commixti ſint, ſive muſculo Sphinčteri ſeu Janitori impacti, cumque præter viſcoſitatem, acorem etiam reſerant, quia faciliimè fit, ut qui viſcoſi ſunt, acidi fiant, & è contra etiam accidit ut ſimul una urinæ exitum retardent, & ſtillicidium inferant, atque etiam muſculum ſphincterem vellicent & prorítent, unde poſtmodum ſtrangurta & dyſuria. Hac eadem de cauſa evenit, ut in horum ægrotantium urinis ſedimenta obſerventur ſemper fere mucoſa, cænoſa & craſſa His ergo ad diluendas ejusmodi viſcoſitates, ſumme confert vinum meracum, & largius una vice epotum, vel parcius ſed ſæpe iteratum; eo enim ſucci craſſi geniti diluuntur ac extenuantur, & forte imposterum gignendi impediuntur, ne fiant, ſi præſertim in reliquis victus ratio, & uſus ſex rerum non naturalium, in id ipſum concurrens conſulatur, deſumptus eſt hic Aphoriſmus *ex 2 Epidem.* & ut jam dictum etiam deductus eſt prædicto *Lib. 6. Aphoriſm 36.* & ideo à quibusdam plane hic omittitur.

Cæterum quod ſpectat ad venæſectionem, & ad ſelectionem venarum interiorum non tanti eſt, ut indifferenter prodeſſe poſſit, in omni urinæ ſtillicidio, niſi ſolum indirectè, ad deplendam ſeri copiam vel ad impediendam veſicæ inflammationem, ſi tamen id commodè fieri poſſit. Præterea notandum, quod inter alia remedia ſolvendi urinam balneum eſt, cujus tamen hic non meminit Hippocrates, ratio hujus eſt, quia non ita promptum videtur, neque omnes balneum ferre poſſunt. Plura remedia etiam extrema nempe catheteris applicationem &c. ſuadet & docet praxis & Cardanus *in Commentario.*

 Apho-

Contentum ſeu Intentio.
De Sphacelo ſeu Syderatione cerebri.

Connexio: Quemadmodum in præcedenti Aph. egit de gravi ac periculoſo morbo nempe angina Hippocrates, ejusque ſtatuit prognoſticon. Ita in hoc præſenti Aphoriſmo agit de Sphacelo, morbo cerebri graviſſimo. Hic Aphoriſmus duas habet partes in *Prima* dicit cerebro ſphacelato affectos intra triduum interire: in *ſecunda* ait eos ſanos fieri, ſi ultra triduum duraverint.

Verbum hoc *Sphacelari* cunctis Expoſitoribus, non modicæ fuit offenſioni. Attentâ ſiquidem preſſâ illius ſignificatione *ſphacelari* idem vertunt ac ſyderari ac corrumpi: cum autem bene noſcerent, non poſſe id Aphoriſticæ huic ſententiæ commodè adaptari, quia ex cerebro ſphacelato impoſſibile eſt patientem evadere, cum à corruptione interitus inevitabiliter ſubſequatur: propterea Galenus, primum mox alii deinceps ſphacelismum hic, veluti diſpoſitionem tantummodo ad ſphacelum & corruptionem, ſunt interpretati, ut accidit ex intemperie aut inflammatione, quæ gangrænam ac ſphacelum præcedere ſolet. At iſti minime adverterunt, difficulter admodum imo nullatenus internoſci poſſe internam hanc cerebri corruptionem, ut exinde quisquis etiam oculatiſſimus, prædicere queat, de interitu intra triduum, vel de convaleſcentia, atque ſalute, ipſo transacto ſubſecututa, prout ex hoc Aphoriſmo deducendum conſulit Hippocrates Nam quis unquam, etſi Lynceus id introſpiciet? ſed nec inſuper facile eſt, cerebrum inflammatione affectum, tam ſubito, transacto ſcilicet triduo conſaneſcere poſſe, quin potius contra facillimum ſit, ut ſola inflammatione, imo etiam ſola phlogoſi ſuccumbat inducta phrenitide cum acuta febre, ut documento Hippocratis, atteſtante quoque experientia paſſim obſervatur: unde ly triduum ut plurimum eſt intelligendum, aliquando enim ad quinque vel ſeptem dies extenditur teſte Hippocrate. A cauſis prætereà internis inductam, iſtiusmodi ſyderationem quomodo fieri poterit, ut quis probabiliter conjiciat, fuiſſe eo innumeris potius inflammationem, & non alias, quæ cæteroqui plures & variæ eſſe poſſunt: cum tamen rariſſime vel nunquam cere-

brum ſua ſubſtantia inflammationi ſubjiciatur, & in phrenitide potius meninges, quam cerebrum ipſum, inflammentur? hinc factum, quare Cardanus illud *concuſſum* id eſt à cauſis externis, contuſum, vulneratum, commotum interpretetur, unde cerebrum interius læſum magis patere poteſt ſenſibus, tumore, rubore, vel etiam livore & corruptione.

Et quamvis de cerebro concuſſo alibi verba faciat Hippocrates, nil tamen obſtat quin utrobique in eundem finem, idem conſideraverit, ut in uno cauſam externam, & ſigna, in alio prognoſim advertat: Siquidem ab ictu, vulnere & concusſione Aphonia primum, mox ſi corruptio ſubſequatur, mors ſit intra triduum ſucceſſura. Verum quæ in cerebri Sphacelismo contingunt, latius idem Hippocrates memoravit *2. & 3. de morbis* pluribus in locis faciunt ad hoc idem, quæ ipſemet *in Coacis prænotionibus* Celſus *Lib. 8 cap. 9.* & Galenus *2. de locis affectis cap. 7.* de cerebri Sphacelo edocent, qui videri poſſunt.

Cæterum ſphacelato cerebro, interitus imminet, ob affectæ partis dignitatem, & quidem intra triduum, cum diutinum tempus, læſa cerebri ſubſtantia ferre non poſſit: Poſt hoc tempus vero ægri evadunt, non quod illud gangræna id eſt inflammatione, liberetur, ſed quod concusſio tanta non fuerit, ut gangrænam & ſpacelum intulerit. Difficultates pleræque in contextu ſunt ſolutæ, plures vide apud Cardanum *in Commentario.*

Aphoriſmus LI.

Sternutamentum cietur (ſeu fit) ex capite, cerebro excalefacto, aut perhumectato ſpatio in capite inani: aer enim intus contentus foras erumpit: Strepit (ſeu ſonat) autem, quia per anguſtum ipſi eſt exitus.

Contentum ſeu Intentio.

De Phyſiognomia Sternutationis.

Connexio: Cum in antecedenti Aph. egiſſet Hippocrates de cerebri affectu præternaturam. In præſenti modo Aphoriſmo, de Symptomate ejusdem cerebri, naturali, nempe ſternutamento agit.

Hic Aphoriſmus duas habet partes: *Prima* docet ſternutamenti cauſam eſſe calidum & humidum. *Secunda* vero docet, ſtrepitum fieri propter aeris per anguſta tranſitum.

Conſiderat hic Hippocrates ſternutamentum veluti male affecti cerebri ſymptoma, per quod & qualitas morbi ejusdem internoſci queat, & ex ſuperantis humoris locus, & modus excretionis, cunctis enim notum, non tantum hac de cauſa, ſed ex multis aliis tum internis tum externis excitari ſternutamentum, ut propterea quæcunque, aut irritando aut gravando, tum nares & olfactus ſenſoria, tum etiam quæ cerebri meninges vellicant, & compungunt, valeant ad ſternutandum faceſſere, de qua re latiſſime Galenus *2. de ſymptom. cauſis cap. 1.* aliique Doctores. Quoties ergo caput & cerebrum ſecundum corticem ſeroſis & lymphaticis ſuperfluitatibus gravatur atque ad organa olfactus, per ſentientes meninges, illos protrudere potis eſt, ex anguſtis & occluſis meatibus, in pateutiores propellens, ſternutamentum inducit & ſonum edit. Quare ex illo cerebrum judicatur ſuperfluitatibus hujusmodi gravari, atque ad earundem expulſionem impelli, non ſine manifeſto plerumque levamine. Accidere autem illud dicitur ex calefacto cerebro, aut humectato inani ſpatio, quod partem cerebri anteriorem & cranium intereſt, ſiquidem niſi humor lymphaticus ac ſeroſus exinde exſtillans, concaleſcat, & acredinem & vellicationem contrahat, procul dubio ſternutamentum non fit, quemadmodum experimur in gravedinibus & coryzis, quæ tunc ſternutamentis ſociantur, cum materia per nares effluens acris & mordax eſt, quod etiam palam fit, cum in imminentibus catharris, ab humefacto capite, aerem calidiorem inſpiramus, & halitus odoriferos, aut ſolares radios affatim excipimus. Cæterum ſonitus in ſternutantibus fit, erumpente cum impetu e naribus veluti ex anguſtis locis, in apertum aere, ſive flatu, aeri analogo, concurrente in idipſum motu thoracis, vehementius exſpirantis; in multis enim ſimilitudinem magnam referunt ſternutatio & tuſſis ut bene explicat Holerius.

Denique ſternutamentum ut ſalutare ſit, & levamen cerebro, imo etiam pectori afferat, cum exitu fluitantis humoris, aut craſſioris muci eſſe debet; nam ſi inaniter contingat & iterato, ſine ulla humoris eductione malum omen eſſe conſuevit, ut in peſtilentiis tunc enim vel a maligno & irritante miaſmate fit, vel ſi quis humor ineſt ſternuta-

 menti

menti concuſſione, ob aëris exſuitionem internam, potius cerebri ſubſtantiam pervadit & apoplexiam infert.

Dices 1. Sternutamenta quæ ſiunt per tabacum & ſimilia, non habent calorem & humiditatem. ℞. Hippocratem loqui de ſternutamento à cauſis internis orto præterea negarut hæc & ſimilia non habere calorem & humiditatem quia v ℥. Calor piperis ad nares attrahit & ſternutationem excitat; neque etiam cerebrum unquam eſt abſque humiditate.

Dices 2. Excitatur etiam ſternutatio à frigore, Ergo non tantum à calore; ℞. Tanquam à cauſa externa concedo, tanquam ab interna nego, calor enim per ambiens frigus concentratur, qui expulſionem cauſat ut mox diximus.

Dices 3. Datur etiam ſternutamentum præternaturale, nimirum in morbis à maligna cerebri diſpoſitione, Ergo non tantum ſit ſecundum naturam ℞ Licet cauſa ipſius ſit præternaturalis, actio tamen ipſa cum fiat à natura robuſta, dicitur ſecundum naturam.

Plures controverſias vide apud Cardanum *in Commentario.*

Aphoriſmus LII.

Quibus Jecur vehementer dolet, iis febris ſuperveniens ſolvit dolorem.

N*ota.* Hippocrates lib 6. Aphoriſmo 40. hunc ipſiſſimum quaſi Aphoriſmum repetit, ibi quidem dixerat, dolorem in hypochondriis, febre ſuperveniente ſedari, in hoc vero Aphoriſmo, de dextro ſolum hypochondrio meminit, ubi Jecur jacet. Sed num revera de dolore Jecoris ſubſtantiam occupante, an poti⁹ partes eidem annexas, hoc loco intelligat, dubitari poteſt. Etenim non tam facile quis ſibi perſuadebit ſuperveniente febre, dolorem in Jecore inductum eſſolvi, ſi ipſius parenchyma affectum fuerit, tumore præſertim inflammatorio, qui per febrem potius exaſperetur, vel in ſuppurationem vergeret: Hinc non abs re puravit Mercurialis, legendum *circumdolet*, non dolet, ut partes dolentes Jecori circumpoſitas potius deſignaret, non proprias ejusdem.

Verum

Verum ſi dolor Jecur afficiens ex obſtructione ſit, prout ex ſenſu gravante & attollente ſolum, ut ex tenui materia conjicere licet, procul dubio tunc etiam febris ſuperveniens auxilio eſſe poterit, quippe per febrem, impactus ibidem humor craſſus & ſtagnans diluitur, meatus aperiuntur, & alio, id eſt, ad inteſtina, vel ad renes & veſicam ille deducitur, ac ſi fortaſſe ex adverſo renis fuerit, faciliime diſſolvitur & evaneſcit: Febris autem non debet præcedere ſed ſupervenire, ſi enim dolorem præcederet vel comitaretur, illum velut ab inflammatione, vel phlogoſi dependentem argueret, ita neque eundem ſolveret, ſed potius augeret, & mali morbi indicium foret, adeoque periculo non vacaret.

Aphoriſmus LIII.

Quibus ſanguinem è venis detrahere conducit, iis vere ſecanda eſt vena.

NOta: Hic ipſiſſimus quoque Aphoriſmus jam expoſitus eſt *Lib. 6. Aphoriſmo 47.* ubi tamen non tantum de venæ ſectione, ſed etiam de purgatione actum, Unde eo lectorem amandamus:

Hic ſolum pro diſtractione quadam addimus quosdam verſus curioſi cujusdam Poetæ venæſectionem indicantes:

Qui vivunt hilares, cantando, bibendo, jocando,
Et ducunt lætos, ſorte favente dies,
Candida ſi tacitas, ignorant pectora curas,
Si nox in ronchis, luxque ſedendo perit.
Quos duplices cœnæ, quos prandia longa fatigant,
Crapula queis cerebrum quotidiana ferit.
Quis tetro fornacem ſua viſcera farcit edendo,
Quique ſaginatis, eſt ſimulis ſuibus.
Convenit ambobus vaſorum ſectio: Venas
Huic lancetta ferit. Sus lanione perit.

Apho-

Aphoriſmus LIV.

Quibus inter ventriculum & ſeptum tranſverſum, pituita concluditur, & dolorem affert, in alterutrum ventrem viam non habens, ſis per venas in veſicam verſa pituita, morbi fit ſolutio.

Contentum ſeu Intentio.

De Morbis præcordialibus.

C*Onnexio*: Cum in præcedenti Aphoriſmo de hepatis dolore egiſſet: In hoc præſenti Aphoriſmo agit de dolore, qui hepatis dolorem facile mentiri poteſt ob affinitatem.

Quinam ſit iſtiusmodi locus, inter ventriculum & ſeptum tranſverſum, qui pituitam collectam continere valeat, illamque deinde ad veſicam deducere, ex anatome nondum patuit. Sunt tamen ex hypochondriacis nonnulli qui paſſim de fluctuante aqua, velut in utre concluſa, per eas partes conqueruntur, ac perpetim illam undantem & ſurſum & deorſum vergentem, exaudiunt, atque aliis manu commotam exaudiendam præbent, Sed num revera illa aqua ſit, vel aqueus & flatuoſus liquor, & ubi includatur, perſpectum non eſt, licet plures homines reperiantur qui de hoc ſymptomare & ejusmodi fluctuatione conquerantur & reddita copioſa prima liberantur.

Hinc ſuſpicari fas eſt, ut ſicut in hydropicis, non raro ſerum ad vias urinæ deducitur & quidem ſalubriter: Ita quoque in his pituita, ſive lympha craſſa, inter ventriculum & lienem, collecta, ac poſtmodum diſſoluta in veſicam delabi poſſit, & cum profectu patientis, ſiquidem ea parte, qua ventriculi fundum lienem reſpicit & colon inteſtinum, humores in hypochondriacis colligi ſolent, ſibi locum facientes. Quod autem Hippocrates dixit *per Venas*, intelligendum eſt vel de arteriis, vel de lymphaticis vaſis, cum olim apud veteres canales omnes corporis venæ appellari conſueverant.

Cæte-

Cæterum cum doloremaſſert collecta illic pituita, in vias urinæ efferri poteſt, quia tunc per fermentationem & ſui diſſolutionem fluidior reddita, vaſa illa ſubire poteſt, & foras educi, præſertim ſi lienem ipſum pervadat, indeque per renes egeratur, hinc diuretica in hoc caſu curando ſunt optima, minus utilia purgantia.

Plura de hoc caſu qui legere deſiderat videat Cardanum *in Commentario.*

Aphoriſmus LV.

Quibus Jecur aqua refertum eruperit in Omentum, his venter aqua expletur atque moriuntur.

Nota: Contrarius huic Aphoriſmo, habetur Aphoriſmus *14, lib. 6.*

Contentum & Intentio.

De Prognoſi hydropis.

Connexio: Cum in præcedenti Aphoriſmo egiſſet Hippocrates de pituitæ, à ſepto transverſo ad renes: In hoc præſenti Aphoriſmo ſimiliter agit de aquæ translatione, à Jecore ad omentum & inde abdominis cavitatem.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem non dividitur.

Qui per omentum & omenti meatus, in renes & veſicam pituitam in præcedenti Aphoriſmo memoratam deduci poſſe explicant, non inaniter moventur ex his, quæ in hoc Aphoriſmo ab Hippocrate, de aqua in hepate collecta, & per vias urinæ excreta referuntur; nam qua ratione Jecur aqua repletum poteſt per omentum exonerari, pari formiter quoque poterit, collecta inter diaphragma & ventriculum per eosdem ductus in veſicam deferri. Porro id experimentis frequenter comprobatur, ſed per quos ductus, huc uſque neſcitur.

Sagax autem & provida natura, ſcit mille ſibi parare vias, per quas ſeipſam exoneret.

Repletur hepar aqua ex vaſis lymphaticis illuc confluentibus, & plerumq; hydatides innumeras excitantibus, quæ ubi nimium diſtentæ amplius extendi non poſſunt, & aquam ſtagnantem continere in omentum, quod hepati & ventriculo ſuper incumbit illam exonerant: Undè omentum ipſum ſua natura adipoſum, ab ejusdem ſalſilagine acri & erodente dirumpitur, atque univerſam aquam in ventrem, id eſt in abdominis cavum effundit, & hydropem aſcitem dictum excitat. Exinde autem ſequitur ægri interitus, tum à gravi hepatis læſione, atque hydatidum eruptione, tum ab omenti eroſione, ubi ulcus inſanabile exoritur, tum denique a mala ejusdem lymphatici humoris qualitate ſalſa & erodente, quæ diuturna ibidem mora, reliqua adjacentia viſcera, præſertim verò inteſtina labefacit & mortificat, cum potiſſimum nullo aditu remeare is poſſit, aut per patentes ductus foras educi. Hinc antiquis in uſu fuit paracentheſis, quæ cum non minoris periculi fuerit obſervata, quam morbus ipſe, à recentioribus rariſſime adhibetur.

Controverſias ſuper hoc Aphoriſmo plures tradit Cardanus *in Commentario.*

Aphoriſmus LVI.

Anxietudinem, oſcitationem, horrorem, vinum pari aquæ portione temperatum, epotum ſolvit.

Contentum ſeu Intentio.

De Remediis anxietatum præcordialium.

C*onnexio:* Cum ſupra Aphoriſmo 48. hujus libri dixerit Hippocrates vini potum ſolvere urinæ difficultatem: In hoc præſenti Aphoriſmo vini potum extendit ad anxietudinem, oſcitationem &c. tollendam.

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur.

Quam in multis conferat vinum, præſertim moderato ſumptum, non

non eſt ut diutius hic ſuadeam, cum cæteroqui cunctis notum ſit ſummum eſſe medicamentum, imo medicamentorum omnium maximum de quo ſæpius Hippocrates verba facit, illiusque utilitates magnopere commendat. Speciatim autem hoc loco docet, medelam eſſe anxietudini, oſcitationi, horrori, quæ licet ſæpe morbi periculoſi non ſint, ſolent tamen non raro eſſe nimium moleſtæ, & ſæpius ſtomachi atque ventriculi male affecti ſymptomata, contumacem & fixam cauſam nervos proritantem indicantia, quæ niſi cito detergatur, & diſſolvatur, pejora planè incommoda ſolet afferre. Eſt autem anxietudo faſtidium illud, in imo ventre, quo ægri huc & illuc ſe jactare coguntur, cum ſitum commodum quieſcendi non inveniant, etiamſi lecto decumbant, id vero illis accidit, à fixo & glutinoſo ſucco plerumque acido & auſtero, qui ſimul vellicando, & tranſitum reliquis humoribus impediendo quandoque etiam per flatus diſtendendo, ingentem moleſtiam excitat, ut ægros loco ſtare non ſinant. Non diſſimiliter oſcitatio fit, cum in ipſa nervi quoque per ventriculum diſperſi, atque in inteſtina transfuſi pari ſorma ter laceſſiti, alios & alios ſibi correſpondentes commovent, & muſculos faucium, oris, & mandibularum, ad ſe trahendum proritant, quod plerumque accidit, cum inſomnes, diſſolutionem exactam ciborum minimè peregimus, nec vapores per cerebrum & nervos diffuſos convenienti ſomno diſcuſſimus. Horror denique ut alibi dictum à craſſis & acidis ſuccis in fermentationem indebitam adactis, prout in quartanis febribus provenit.

Porro his omnibus vinum & quidem meracum ſummopere conferre poteſt, diſſolutis nimirum & detractis ſuccis illis, craſſis & tenacibus, quorum cauſa ventriculus atque inteſtina afficiuntur. Et quidem ſubdit Hippocrates pari aquæ portione commixtum potandum eſſe, tum ut acidum illorum ſuccorum, retundatur, & tenacitas eorundem melius diluatur: tum denique nè totum in vapores exſolutum caput petat, & craſſitiem illam ſuccorum minus efficaciter detergat. Mixtio autem variari poteſt, pro varia vinorum conditione ac virtute.

De hoc vino aquæ nimium mixto canit Poeta:

In Cratere meo thetis eſt conjuncta, Lyæo,
Eſt Dea juncta Deo; ſed Dea major eo.

 Alius

Alius Poëta docet quale vinum ferat aquam.

- - - - non omne merum niſi cornua ſumat
Cenſo miſcendum, ventres cruciantibus undis: -
Omnis adulterii ſpeciem fugiamus & umbram.

Poſtremo dicit morbum ſolvere, id eſt non ſolum ſymptomata iſta delere, ſed etiam cauſam eorum abſtergere, concoquere & ſuperare.

Vinum lætificat cor hominis. Plura vide apud Cardanum *in Commentario.*

Aphoriſmus LVII.

Quibus in meatu urinario generatur tuberculum, ubi ſuppuraverit & eruperit, doloris fit ſolutio.

Nota: *Hic etiam Aphoriſmus alibi, nempe lib. 4. Aphoriſmo 82. ſcriptus & à nobis explanatus eſt, quare ad eum locum lectorem remittimus: in hoc enim præſenti Aphoriſmo, nihil additur, niſi dolor, qui in præfato 82. Aphoriſmo dicti libri non eſt additus.*

Aphoriſmus LVIII.

Quibus occaſione aliqua Cerebrum fuerit vehementer concuſſum, mutos protinus fieri eſt neceſſe.

Nota: *Huic Aphoriſmo correſpondet Aphoriſmus 24 hujus libri.*

Contentum ſeu Intentio.

De effectibus motus Cerebri.

Connexio: Cum ſupra Aphoriſmo 50. hujus libri de Sphacelo cerebri dixiſſet Hippocrates: In hoc præſenti Aphoriſmo concuſſionem cerebri indicat quæ vel eſt cerebri ſyderatio vel illi perquam affinis.

Hic

Hic Aphoriſmus ob brevitatem non dividitur.

Hanc ſententiam & latiori quidem ſermone exaratam habet Hippocrates *1. de morbis & in coacis prænotionibus*, ubi, *quibus cerebrum*, inquit, *concuſſum fuerit & doluerit, percuſſis, aut aliàs lapſis, hi ſtatim voce privantur*, & neque vident, neque audiunt & plerumque moriuntur. Experimento quoque confirmatam eandem proponit *1. & 7. Epidemiorum*, de fæmina quadam palma manus ab alia percuſſa, & in eo qui à Macedone lapide ictus fuit: Quamobrem ab externis cauſis, concuſſionem hanc induci oportere manifeſtè liquet, ut antea jam dictum: Illos autem Aphonos fieri neceſſe ſubdit, quia à cerebri concuſſione, non tantum ſpiritus tumultuariè commoventur & confunduntur, verum etiam mole ſua cerebrum conturbatur, & qua parte nervis originem tribuit, vel potius in iis elongatur, ingentem patitur perturbationem, ut propterea loquelæ, auditioni ac viſui impedimento fiat, cum nervi ad loquelam, auditum & viſum pertinentes proximè à cerebro ipſo dimanent. Contingit tandem hos plerumque mori, ſi non ſtatim, vel intra triduum quod ſummum, reſipiſcant, ſiquidem ultra hoc tempus, neque cerebri læſionem gravem fuiſſe argumento eſt, neque nervorum originem, ſtuporem & corruptionem ſubiiſſe, ut de corrupto cerebro ibidem dictum. Plura qui deſiderat legat Cardanum *in Commentario*.

Aphoriſmus LIX.

Corporibus humida carne præditis, imperanda fames eſt: nam fames ſiccat corpora.

Contentum ſeu Intentio.

De Remediis corporis humidioris.

Connexio: Cum in Aphoriſmo 56. hujus libri de utilitate potus vini dixiſſet Hippocrates: In hoc præſenti Aphoriſmo de utilitate famis agit.

Hic Aphoriſmus ob brevitatem non dividitur.

Non de qualibet humida corporum conſtitutione Aphoriſmus hic intelligendus, ſed de excedente, extranea & præternaturali: quippe moderate humidi atque innata primigenia & radicali, ut vocant humiditate præditi, ſicuti in ſiccam conſtitutionem deflectendi non ſunt, ita neque fame diuturna macerandi, id enim eſſet illos nullo modo in ſanitate tutari, ſed potius in morbos & quidem perniciosiſſimos transferre. Corpora itaque exceſsive humida & excrementis ſcatentia ſeroſis ſeu pituitoſis dictis, ut in meliorem conſtitutionem reducantur, exſiccatione egent, adeoque fame, ne in morbos humidos labantur, præſervanda ſunt.

Debent pariter hujusmodi corpora, in carnibus, imo in cunctis partibus, humidis ſuperfluitatibus ſcatere; nam ſi in una tantum aut in altera parte humida comparerent, nullatenus fame, veluti re univerſum corpus exſiccante tractanda forent: quamobrem jure optimo Hippocrates dixit, *corporibus humida carne præditis*, & quidem non ſolum muſcularibus & externis, ſed & internis quoque, imo etiam parenchimatibus viſcerum, ut ex illis ſuperfluæ undequaque humiditates abſumantur. Quin & ab articulis easdem exſolvendas eſſe docuit idem Hippocrates *Lib. de artic.* Hinc rheumatici, Tuſſiculoſi, Podagrici, hydropici & alii, plurimum ab illa juvari ſolent. Famem autem his dixit adhibendam, non omnem, ſeu ab omni cibo abſtinentiam, ſed moderatam ſolummodo ciborum ſubtractionem, præſertim eorum, qui humores adjiciunt; nam qui illos potius detrahunt atque abſumunt, commendari poſſunt.

Sub nomine famis, ſitim quoque comprehenſam intelligere licet; etenim proportionatè ad ſalutem conſervandam, qui modice edunt, parce etiam bibere debent, unde quibus detrahenda indicitur ciborum copia, diminuta quoque cenſetur potulentorum aſſumptio. Et quidem propoſuit hic ad exſiccanda humida corpora Hippocrates famem potius, quam cætera alia, ſive alimenta ſive medicamenta, quippe illa inſenſibiliter & citra viſcerum noxam, æqualiter corpus univerſum, in meliorem ſtatum revocare poteſt, reliqua vero omnia tam ex Prophylaxi quā ex therapeutice deſumpta, ut ſint exercitia, vigiliæ, diuretica, diaphoretica & cathartica medicamenta, vel non æque cunctis partibus opitulantur & magis offici-

ficiunt, quam proficiunt, ut bene etiam advertit Cardanus, qui etiam in aliis controverſiis legi poteſt *in commentario.*

Dices I. Fames juxta Hippocratem *libr 2. Aphoriſm 4.* calorem nativum debilitat Ergo nullatenus eſt admittenda. Reſp Fames immoderata ut dictum in contextu, concedo moderata nego

Dices II. Sitis magis ſiccat quam fames ergo hanc potius eſſe ſuadendam. Reſp Sitim quidem potentiſſime ſicare, ſed fames & facilius & tutius quam ſitis toleratur.

Aphoriſmus LX.

Ubi in toto corpore mutatio, & corpus refrigeratur & viciſſim calefit, aut colorem alium ex alio mutat, morbi ſignificatur longitudo.

Nota: *Hic Aphoriſmus explanatus videri poteſt lib. 4. Aphoriſmo 40 & 42.*

Aphoriſmus LXI.

Sudor multus, calidus aut frigidus ſemper fluens, humoris copiam ineſſe ſignificat: Hac igitur robuſto quidem ſuperne, debili vero infernè deducenda.

Nota: *Hic Aphoriſmus explicatus reperitur lib. 4. Aphoriſmo 41. niſi ſolum quod hic adjecta eſt ſudoris iſtius curatio, per humoris nimirum abundantis evacuationem, & quidem, in robuſtis corporibus per ſuperiora, id eſt per vomitum, in debilioribus vero per dejectionem, habito ſcilicet reſpectu ad tolerantiam patientis.*

Aphoriſmus LXII.

Si febres non intermittentes, tertio quoque die vehemen-

mentiores fiant, periculoſæ. quoquo modo autem intermiſerint, periculo vacare ſignificatur.

Nota: *Hic Aphoriſmus jam explanatus eſt Lib. 4. Aphoriſmo 43.*

Aphoriſmus LXIII.

Quibus febres longæ, his tubercula in articulis aut dolores fiunt.

Nota: *Hic Aphoriſmus explicatus reperitur lib. 4. Aphor. 44.*

Aphoriſmus LXIV.

Quibus longa tubercula, aut in Articulis dolores à febre fiunt, hi copioſiore cibo utuntur.

Nota: *Hunc Aphoriſmum explicatum habes lib. 4. Aphor. 45.*

Aphoriſmus LXV.

Si quis febricitanti cibum præbeat, valenti quidem robur, ægrotanti vero morbus fit.

Nota: *Vide Aphoriſmum 10. Lib. 2. & Aphor. 67. hujus libri, qui ambo ejuſdem cum hoc præſente ſunt tenoris.*

Contentum ſeu Intentio.

De Victu febricitantium.

Connexio Cum Aphoriſmo 59. hujus libri verba feciſſet Hippocrates de fame, utpote remedio humiditatis carnium. In hoc præſenti Aphoriſmo, verba facit de cibo, qui famis eſt remedium.

His

Hic Aphoriſmus ob ſimplicem concluſionem non dividitur.

Hic autem Aphoriſmus nequaquam de cibo, cuicumque ægrotanti exhibito ſed duntaxat febricitantibus & quidem acute ſcriptus eſt ab Hippocrate, nam in his ſemper gravior noxa petimeſcenda eſt à cumulatis excrementis & à naturæ diſtractione, nec inſuper de quocunque cibo, ſed ſolum de eo, qui ſanis offerri ſolet, unde procul dubio, damnum majus & gravius ſequitur, ſi forte febricitantibus offeratur; quippe ſicuti ſanis corporibus, is converſus in alimentum robur addit, ita febricitantibus, aut ſimili alio morbo affectis in malos humores transmutatus, morbum fovet, quod ſane cunctis notum eſt.

Id tamen peculiariter adnotandum, carnium eſum fortiores reddere animantes ut ſunt lupi, urſi, leones, accipitres, aquilæ aliæque carnivoræ: contra vero quæ herbis veſcuntur, ut pecudes debiliores ſunt. Et licet Cameli, Elephantes, Equi, plantis nutriti, fortes etiam obſerventur illæ tamẽ plantæ exaſciatæ ſunt & ſubſtantiæ longæ ſolidioris ac vegetioris, ut cardui ſiccati, ſchænanthi & ſimiles. Boves deniq; promiſcui paſtus, cum fæno veſcuntur & aridis herbis, fortiores obſervantur cum vero virentibus utuntur imbecilliores, quamquam & iſtæ ſolidioris quoque ſubſtantiæ ſint, ut lupini, rapa &c.

Quo autem tempore virentibus herbis, tum boves, tum equi paſcuntur, licet pingueſiant, non tamen æque bene vigorantur. Hinc commodum animalibus pro rata, & uſu propriæ paſſionis, dentes, mandibulas, muſculos temporales aliaque inſtrumenta, ad atterendos & conficiendos cibos, magna & valida vel minora & laxiora providit natura, ut conſideranti palam fieri poteſt. Hippocrates quoque docet *de vetere Medicina*, a primo illo ævo, homines victu beſtiarum fuiſſe nutritos tandem utpote inſuperabilis à natura humana temperatus eſt & reductus ad coctură & alias immutationes.

Hunc Aphoriſmum negat Galenus eſſe Hippocratis, cui tamen, obſtat Cardanus, & Galenum refutat. Vide hæc & alia plura in ejus *Commentario*.

Iratus quidam Poeta in Medicos hac vivendi regula ſuos patientes excarnificantes canit hos verſus

Multa vetant medici ſanæ ſeu noxia vitæ,
Hunc piſcem, has carnes, hæc fuge vina logi.

Dicunt non faciunt, monitor bibit ac edit omne
Quæque aliis vetuit, non vetat ipſe ſibi.
Sic enim non faciant Medici, quæ plurima dicunt
Nonne Phariſæos dicere jure licet.

Aphoriſmus LXVI.

Quæ per veſicam excernuntur, ſpectare oportet, an talia ſint, qualia ſanis ſubeunt: nam quæ his minimè ſunt ſimilia, ea morboſiora. quæ verò valentibus ſimilia, minimè morboſa.

Nota: *Similis prorſus huic Aphoriſmo eſt Aphoriſmus 79 huius libri.*

Contentum ſeu Intentio.

De Fundamentis Prognoſeos ab Excretis.

Connexio: Hactenus multa particulariter de urinis tradidit Hippocrates. In hoc præſenti Aphoriſmo ad urinam denuo redit.

Hic Aphoriſmus licet longus ſit, ob concluſionem ſimplicem non dividitur, licet alias commodiſſimè in duas partes dividi poſſet *Primam* nempe quæ docet excrementa eſſe ſpectanda *Secundam* quæ declarat, urinas ſanorum ſimiles eſſe ſalubres, Diſſimiles vero inſalubres.

Et hunc pariter Aphoriſmum ſuſpicatur Galenus, Hippocratis non eſſe, cum non habeat elocutionem Hippocratico ſtylo convenientem Sed & neque magnum quid, aut in arte reconditum, continere videtur, imo potius cunctis obvium atque manifeſtum.

Verumtamen habet quoque quidpiam, quod cautum redda[illegible] in iudicandis [illegible] & morboſis eo [illegible] nam [illegible], dum bene [illegible] adiect [illegible] non mag [illegible]

receſſum à naturali ſtatu feciſſe demonſtrant. Sic pleriſque inuſu eſt, cum bene valent, urinas mingere perpetuo crudas ac decolores, ſin ſtatu morboſo, tales quoque inſpiciantur meliores plane erunt, quam ſi ab illo conſueto ſtatu receſſerint. Sic contra alii aliis urinarum egeſtionibus ſunt natura affecti, ut eo modo bene, contra vero male ſe habeant.

De ejusmodi autem ſimilitudine, atque diſſimilitudine, excretorum in ſtatu ſano & morboſo meminit quoque idem Hippocrates *Libr. de offi. Medici, & initio Prognoſticorum*, & Galenus ex mente Platonis *9. de Plac. Hippocrat. & Platon cap. 1.* Conferri huc quoque poſſunt, quæ idem Hippocrates prodidit *6. Epidem. ſect. 7.* ubi quæ a Medico ſint in ægrotantibus conſideranda pluribus edocet, ſed præſertim, *qua & ex qualibus*, qualia fiant &c. Hinc etiam animadvertendum, quod iſta ſimilitudo & diſſimilitudo excretorum, non tantum in urina, ſed etiam in alvi fæcibus, ſputis, ſudoribus, mucis, ſordibus & aliis ſit facienda, potiſſimum tamen in urina, quia hæc in febribus potiſſimum & fidiſſimum ſignum obſervatur, exceptis febribus malignis, in quibus pulſus bonus, urina bona & æger moritur, ibi enim prævalet malignitas, licet urina ex ſe bona ſalutem indicet, malignitas tamen occidit.

Plura leges apud Cardanum *in Commentario.*

Aphoriſmus LXVII.

Et, quibus dejectiones, ſi reſidere (ſeu ſtare) permiſeris, nec moveris, ſubſident, veluti ſtrigmenta: quæ ſi pauca ſint, parvus morbus eſt: ſi vero multa, magnus: his alvum inferne purgari conducit: alioqui ſi non repurgata alvo ſorbitiones exhibueris, quanto plures dederis, tanto magis nocebis.

Nota: *Huc referri poteſt libri hujus ſeptimi Aphoriſmus 31. & 79.*

Contentum ſeu Intentio.

De Ramentis Excretorum.

Connexio Cum Hippocrates in præcedenti Aphoriſmo urinam conſideraſſet: in hoc præſenti Aphoriſmo, accedit ad fæces & alvi excrementa.

Hic Aphoriſmus duas habet partes *Prima* docet ſtrigmenta in febribus, morbum indicare magnum ſi multa fuerint, at parvum ſi pauca *Secunda* vero dicit, quod quibus talia adſunt, inferius ſunt purgandi.

Si quis unquam alius Aphoriſmus, certe hic non levem ſui ſuſpicionem præbet, fuiſſe ab alio, quam ab Hippocrate, huc inſertum propter nimiam prolixitatem & verborum multitudinem, nihil quidquam novi, utilis aut commendabilis in arte continens, ut propterea à Galeno & aliis commendatoribus adjectitius reputetur. Et quidem ſi ſtrigmenta, ſeu ramenta in excretis, ſive per urinam ſive per fæces conſiderat, quæ modica, modicum morbum, vel potius modicam morbi cauſam, & multa, copioſiorem ſignificant, cur eſt ut ſubſtantia aut ſuperſtantia obſervanda proponat, illaque ſtare, non autem movere præcipiat? forte quia ſub his conditionibus, maliriam minuant, vel adaugeant, & morbum leviorem vel deteriorem prænuntient? Plane ſi ab illorum præſentia & copia, morbus gravior portenditur, parum vel nihil referet, ſi ſtare vel moveri permiſeris, atque ea vel ſuperſtare vel ſubſiſtere obſerventur. Sed & neque conſonat, quod pro curatione ſubjicitur, conferre his alvi purgationem, ſi præſertim ſtrigmenta aut ramenta inteſtinorum, hic notata intelligantur, quippe quia non niſi in ferina ac protracta Dyſenteria comparere ſolent, in qua alvi purgatio tuta non eſt, quæ cæteroqui à multitudine ramentorum valida & copioſa deſiderare tur ut illa penitus depellerentur

Denique quod a ſorbitionibus, alvo non purgata [illegible] us damnum ſit ſubſecuturum, jam dictum eſt ſupra *Lib. 2,* [illegible] *ra impura quo plus nutrieris plus læſeris*. unde nihil [illegible] additum

Quamvis & hoc ſuam quoque patiatur limitationem, ut ibidem & alibi à nobis eſt animadverſum. Quin & Galenus *in Commentario* rectè admonet, neque omnes ab hujuſmodi ſorbitionibus lædi, neque prius eos purgare neceſſarium eſſe, atque adhuc minus, quibus aliquid urinis inſertum eſt, quod ſtrigmenta referat, Sed ſuper hoc legatur Galenus, licet Fonſeca hunc Aphoriſmum ob aliquam humanæ vitæ utilitatem & Hippocratis authoritatem tueatur.

Ita etiam ſentit Cardanus quem lege *in Commentario.*

Aphoriſmus LXVIII.

Quibus cruda deorſum ſubeunt, ab atra ſunt bile; ſi plura, major, ſi pauciora, minor morbus eſt.

Contentum ſeu Intentio.

De Cruditate excretorum.

Connexio: Egit Hippocrates in præcedenti Aphoriſmo de alvi dejectionibus, in præſenti Aphoriſmo de iisdem ſermonem inſtituit.

Hic Aphoriſmus duas habet partes: *Prima* docet cruda deorſum ſubeuntia ab atra bile fiunt. *Secunda* vero dicit, à multa atra bile, majorem, a pauca minorem morbum fieri.

Verum & hic Aphoriſmus adjectitius creditur, quippe qui à pleriſque expoſitoribus penitus omiſſus, ab aliis interpoſitus referatur: continet enim ſententiam vel nunquam praxi reſpondentem, vel falſitatis ream. Si tamen unquam id expertum, aliam planè cauſam recognoſcit cruditas excrementorum deorſum vergens, quam atræ bilis dejectio, de qua nos alibi abunde diximus & de ea controverſiæ ibidem legi poſſunt nempè lib 4. Aphoriſm 22 & 23.

Vel lege Cardanum *in Commentario.*

Aphoriſmus LXIX.

Excreationes in febribus non intermittentibus, liuida, cruentæ, bilioſa, fætida, omnes mala; commode tamen ſi prodeant, bona: Per aluum etiam & veſicam & quacunque corporis prodeat aliquid, ſi non purgatum reſtiterit, malum.

Nota. Hic Aphoriſmus eſt explanatus lib 4. Aphoriſmo 47 præter illam ultimam partem, quæ potius concordat, cum Aphoriſmo 12. libri 2. *Quæ in morbis relinquuntur, recidiuas facere conſueuerunt.*

Aphoriſmus LXX.

Corpora cum quis repurgare voluerit, fluxilia faciat oportet: & ſiquidem ſupra velit, aluus ſiſtenda: Si vero infra humectanda.

Nota: Hic Aphoriſmus reperitur explicatus lib 2. Aphoriſmo 10 niſi quod maioris explicationis cauſa, pauca quædam hic addat, de ſiſtenda alvo, ubi per ſuperiora purgandum eſt, & laxanda ubi per inferiora evacuandum: Ne nimirum quis volens purgare vomitu, naturam irritet per medicamenta ad infernam deiectionem & viceverſa.

Aphoriſmus LXXI.

Somnus & vigilia, modum ſi exceſſerint, morbus.

Nota. Hunc Aphoriſmum explanatum invenis lib 2 Aphoriſmo 3.

Aphoriſmus LXXII.

In febribus non intermittentibus, ſi externa frigeant, interna vero urantur, & ſitis detineat, eſt mortiferum

VI

Nota : Hic Aphoriſmus deductus eſt lib 4. Aphoriſmo 48.

Aphoriſmus LXXIII.

Infebre non intermittente, ſi labrum aut naſus, aut oculus, aut ſupercilium pervertatur, ſi non videat, ſi non audiat, quidquid horum agro debili, accidérit, lethale.

Nota : Hunc eundem Aphoriſmum habes explicatum lib. 4. Aphoriſmo 49.

Aphoriſmus LXXIV.

Albæ pituitæ, aqua intercus ſupervenit.

Nota : Hic Aphoriſmus in ſuperioribus libris ſparſim explanatus reperitur:

Hic tamen obiter & ſuccinctè adverte, quod aſcites hydrops differat à pituita alba ſeu cachexia, tantum ſecundum magis & minus: Hæc eſt in fieri, ille in facto eſſe, omnes enim hydropis ſpecies inter ſe ſunt cognatæ, unde quo magis depreſſus eſt ſanguis, & evectum ſerum ſeu lympha, eo facilius & cachexia & cachexiæ hydrops ſuccedit, in leucophlegmatia & anaſarca tamen, lympha magis ad coagulum ſeu pituitæ naturam diſpoſita, In aſcite vero copioſa & diluta, In tympanitide elaſtica ſeu halituoſa. Vide plura apud Cardanum *in Commentario.*

Aphoriſmus LXXV.

A Diarrhœa diſenteria ſeu difficultas inteſtinorum.

Nota : Hic Aphoriſmus quoque in ſuperioribus libris ſparſim explanatus eſt & in ſpecie hoc lib Aphoriſmo 23.

Palam prætereà eſt alvi profluvia inter ſe ita affinia eſſe, ut una ſpecies in alteram facile mutetur.

Vide plura apud Cardanum *in commentario.*

Apho-

Aphoriſmus LXXVI.

Dyſenteria (ſeu difficultati inteſtinorum,) ſupervenit lienteria (ſeu lævitas) inteſtinorum.

Nota: Hic Aphoriſmus reperitur explicatus lib. 6. Aphoriſmo 43. Vide Cardanum *in Commentario*.

Aphoriſmus LXXVII.

A Sphaceliſmo (ſeu à corruptione) oſſis abſceſſus.

Nota: Hic Aphoriſmus explanatus eſt lib 6. Aphoriſmo 45 Vide plura apud Cardanum *in Commentario*.

Aphoriſmus LXXVIII.

A ſanguinis vomitu tabes, & puris ſupernè purgatio.

Nota: Hic Aphoriſmus explicatus reperitur hoc libro 7 Aphoriſmo. 15.& 16.

Aphoriſmus LXXIX.

Qualia etiam quæ per urinas & alvum ſubeunt, & quæ per carnes abeunt, & ſicubi alias corpus à natura recedat, ſpectare oportet: Nam ſi parum parvus morbus eſt; ſi multum, magnus; ſi valde multum, lethale iſtud eſt.

Nota. Hic Aphoriſmus jam explicatus eſt hoc libro 7 Aphoriſmo 66, unde nihil ſuper eſt, niſi hujus libri ſeptimi

F I N I S.

LIBER

LIBER OCTAVUS

SEU

SECTIO OCTAVA

DE

APHORISMIS INTERJECTIS.

QUantumvis conſtitueram, hunc octavum Aphoriſmorum Librum pleroſque Aphoriſmos interjectos, adjectitios & repetitos continentem, exemplo aliorum expoſitorum, & ne chrambem rerum in prioribus Libris pluries repetitam, recoquerem, ſilentio & ſicco pede præterire; quoniam vero paucos repererim expoſitores, qui, ad quos nempe, hi ipſiſſimi, Libri hujus præſentis Aphoriſmi reduci commode poſſint, aut in quibus jam num explanati reperiantur, minimam mentionem feciſſent: Quamobrem judicaveram, ex rationibus in Præfatione hujus operis Aphoriſtici allatis, juventuti medicæ conſulere, atque omnes

Iiiiii hujus

hujus Libri octavi Aphoriſmos, partim ad apta priorum librorum loca reducere, partim ſi quis illorum ſit explanatione dignus aut explicatione nondum attactus, more hactenus ſolito exponere.

Aphoriſmus I.

Qui Seniores anno quadraginta phrenetici fiunt, non admodum convaleſcunt: minus enim periclitantur ii, quorum naturæ & ætati morbus fuerit familiaris.

Nota: *Hic Aphoriſmus ejuſque contentum & intentio explanata reperiuntur, Lib. 2. Aphor. 34. & 39.*

Aphoriſmus II.

Quibuscunque oculi in morbis lachrimantur voluntarie, bonum: quibus vero ſine voluntate malum.

Nota. *Hunc Aphoriſmum explicatum habes Lib. 4. Aphor 52.*

Aphoriſmus III.

Quibus in febribus quartanis, ſanguis è naribus fluxerit, malum eſt.

Nota *De quartana ſanguinis è naribus, eruptionibus, quod ea ægre judicent, ipſe Hippocrates dicebat 6. Epid. Sect. 2.*

Ratio autem hujus Aphoriſmi facile eruitur, quod *malum* dixerit. Sive enim quartana febris, ex ſucco veterum melancholico, ſive bile adusta in atram verſa, ſive à ſucco acido, viſcoſo aut glutinoſo recentiorum prodeat, in nullo caſu fluxus ſanguinis poteſt eſſe vere criticus, ſed potius ſymptomaticus & exitialis; per hanc enim, materia febrim quartanam cauſans, nempe humor melancholicus aut acido ponticus, craſſus & fæculentus, qui ſemper inferiora non ſuperiora in natura gravante petit, magisque fluxus figit quam excitat, neque proinde hanc viam ſuperiorem affectabit. Unde hic fluxus, ſive paucus ſit ſive copioſus ſemper nocet, quod ſane patet, cum quartanarios tali fluxu prehenſos ſemper fieri magis decolores ac tandem cachecticos imo hydropicos.

Plura vide apud Cardanum *in commentario.*

Aphoriſmus IV.

Sudores in diebus judicatoriis orientes, vehementes & veloces, periculoſi ſunt: & qui expelluntur ex fronte, veluti guttæ & aquæ ſcaturientes; & frigidi valde ac multi: neceſſe eſt enim ejusmodi ſudorem prodire cum violentia, & laboris exceſſu, ac expreſſione diuturna.

Nota: *Quemadmodum dictum in præcedenti Aphoriſmo excretionem ſanguinis per nares in quartana eſſe malam.*

Ita pariter in hoc præſenti Aphoriſmo dicitur humorum feroſorum ſeu lymphaticorum per ſudorem & habitum corporis, vehementem, velocem, & in diebus criticis factum eſſe malum, quoniam non tantum indicat febris vehementiam & magnitudinem, ſed etiam materiæ & cauſæ morbificæ copiam & violentiam, virumque reſolutarum debilitatem, ac caloris nativi proxime imminentem extinctionem, quæ ſemper repentinam, vehementem, velocem & immodicam

evacuationem, cum qua ſpiritus univerſi plurimum diſpenduntur & quitur. *omne enim violentum naturæ inimicum* atque repentinæ mutationes ab uno extremo ad aliud ſunt periculoſæ. unde Hippocrates *in Coacis Lib. 4* at ſudores ſi paulatim fiunt, juvant qui vero ſubito & affatim nocent.

Dices. Hippocrates & Galenus, laudant copioſam urinarum excretionem, præcipue die critico, atqui eadem materia eſt urinæ & ſudoris, Ergo ſi in uno laudabilis eſt excretio debet eſſe etiam in altero. ℞. Nego conſequentiam, quia diverſa eſt ratio, quia per urinas craſſa etiam expelluntur, quod non fit per ſudores, neque per urinas tot ſpiritus evacuantur, quam per univerſum ſudorem

Inſtabis: Excretiones quæ fiunt diebus criticis ſunt bonæ deinde, *nihil criticum debet eſſe paucum* teſte Hippocrate, Ergo ſudor multus die critico erit bonus ℞. Excretiones quæ fiunt diebus criticis moderatæ & cum euphoria ſeu tolerantia ſunt bonæ concedo Secus nego. ℞. 2. Nihil criticum debet eſſe paucum, nec etiam nimium, ſed medium tenere beati.

Plura vide apud Cardanum *in commentario*.

Aphoriſmus V.

Ex morbo diuturno, alvi fluor malum.

Nota: *Hic Aphoriſmus explicatus reperitur Lib. 5. Aphor. 11. & 14.*

Differentia tamen inter hunc & illos Aphoriſmos eſt, quod in hoc de omni morbo longo, ibi de tabe tantum agat Hippocrates. Rationes autem ibidem generaliter ſunt deductæ.

Plura vide apud Cardanum *in commentario*.

Aphoriſmus VI.

Quæcunque non ſanant Medicamenta, ea ferrum ſanat, quæ ferrum non ſanat, ea ignis ſanat, quæ ignis non ſanat, ea incurabilia judicare oportet.

Quamquam Aphoriſmus hic in Claſſem illorum Aphoriſmorum, qui in ſeptem prioribus Libris explanati ſunt, redactus non inveniatur, ſed inter cæteros hujus Libri octavi relatus, proindeque adjectitius & ſpurius ſimul cum iisdem creditus ſit, placuit tamen nobis ſingulariter præ cæteris ſeligere, utpote qui re vera ſupra reliquos (ſive Hippocrates, ſive alius quiſpiam ejus Autor ſit) aliquid memorabile, & magis magisque commendabile complectatur. Etenim quæ hactenus ad morborum fere omnium curationem explanata ſunt, hoc unico veluti per epitomen, admirabili ſane peroratione, videntur comprehenſa, ut hinc ſaltem noſcant medici, qua via & quibus mediis in arte progredi debeant, ut therapeiam univerſam explicant & abſolvant, quæ que fortaſſis uno remediorum genere mala cedere non obſervaverint, alio atque alio ſubigere adnitantur, quod primum, ac ſupremum eſt totius rei Medicæ opificium. Quod ſi neque his morborum contumacia & prævicacia ſubjiciatur, immedicabiles illi cenſendi ſunt, utpote artis miniſterio non ſubigibiles, & naturam omnino impotentem & abjectam arguentes. Et quamvis hic partem ſolummodo medicinæ chirurgicam amplexari, atque ad ejus claſſis morbos curandos pertinere videantur, cum *ferrum* & *ignis* non niſi in vulneribus, ulceribus, tumoribus aliisque ſimilibus adhiberi ſoleant; ſi tamen res exactius penſitetur, ad univerſam Medicinam faciendam eundem ſpectare non incongrue exiſtimabit, qui perpenderit cum Hippocrate omnem morbum ulcus eſſe, aut ulceris conditionem præſeferre, ſive præſens, ſive imminens, & ſive apparens ac conſpicuum, ſive latens & inconſpicuum illud ſit. Accedit quod

Lllllll 3 hæc

hæc gravis ſententia ad plurimos & numeroſos fere morbos, uiſi proficua eſt, quin & ſtatuta per ipſam ſeries & methodus applicabilium medicamentorum ex ferro & igne, ac igneis & ignitis rebus, veluti extremis & ſummis Medicinæ præſidiis deſumptorum, non poterit non eſſe plurimum cunctis Medicis fructuoſa.

Et quidem *Primo* ex medicamentis extrinſecus admotis, puta lituris, inunctionibus, cataplaſmatibus, cerotis, emplaſtris, & aliis ſimilibus; mox etiam ab internis aſſumptis cathàrticis, tum vomitum tum dejectionem, moventibus; itemque diureticis, diaphoreticis, incidentibus, attenuantibus, aperientibus, diſſolventibus, temperantibus, corrigentibus, roborantibus, cæteriſque, & tum cephalicis tum cardiacis, tum ſtomachicis, tum thoracicis tum hyſtericis, idque genus aliis, plurimi ac innumerabiles morbi tolluntur, ut ex Praxi Therapeutica & Pharmaceutica paret. Itemque *ferro* tum ſimplici tum candenti, diverſimode incidente, ſecante, terebrante, abradente, ſcalpente, ut in tumoribus, apoſtematibus, abſceſſibus, gangrenis, ſphacelis, fracturis, contuſionibus, calculo, cataracta, cancro, hernia, &c. Tandem *igne* tum actuali, ut vocant, tum potentiali, igneis ac ignitis rebus, & ignea vi uſtionem, rubificationem, veſiculas, eſcharam, aliudve ſimile excitantibus. Itemque thermis, hypocauſtis, laconicis, tum naturalibus, tum artificialibus, ex ſulphure, Mercurio, ſale armoniaco, camphora, gummi quocunque, ac ſpiritu vini, vel ſimplici vel medicato & aliis, fere omnes humani corporis morbi & affectiones indiſcriminatim abiguntur. de ferro ejuſque uſu canit Ovidius *1. metamorphoſ.*

Immedicabile vulnus
Enſe reſcindendum, ne pars ſyncera trahatur.

Quæres: Quid per moxam intelligatur? ℞. Eſſe lanuginoſam quandam ſubſtantiam, herbæ cujuſdam chinenſis vel japonicæ propaginem (alii lanaginem ex artemiſia ſubſtituunt) quam in conſ[illegible] mam redactam, & ſua baſi parti dolenti aptatam, & bac[illegible] ceis accenſam, & ſæpius repetitam, aduſtione facta & v[illegible] [illegible] Podagram curare dicunt, evaneſcentibus nem[illegible] [illegible] dius & debilius vel nunquam redeuntibus, v[illegible] [illegible] *118, & 124. Ephemeridum Anni ſexti Col*[illegible]

rum. Hanc moxam aliqui judicant, bubonibus peſtilentialibus apponendam cum utilitate.

Plura de hoc Aphoriſmo legere poteris apud Cardanum in hujus *commentario.*

Aphoriſmus VII.

Tabes iis maxime ætatibus fiunt, quæ à decimo octavo ſunt, usque ad triceſimum quintum.

Nota: *Hic ipſiſſimus Aphoriſmus explicatus reperitur Lib. 5. Aph. 9.*

Aphoriſmus VIII.

Qui ſecundum naturam ad tabem vergunt, omnia quidem vehementia, quædam vero etiam lethalia. Secundum autem erat, ſi eo tempore ægrotet, quo tempus ipſum morbo opem fert, quemadmodum febri ardenti æſtas, hydropico hyems: id enim, quod eſt à natura, victoriam obtinet: at ſplen plus affert timoris.

Nota: *Hujus adjectius Aphoriſmi rationes per longum & latum deductas invenies Lib 3 Aphoriſmo 1. & ſequentibus usque ad 23. & apud Celſum pag. 70. Lib. 26.*

Aphoriſmus IX.

Lingua nigra atq́ cruenta, cum quid horum ſignorum abeſt, non admodum malum ſignum: morbum enim minorem ſignificat.

Nota:

Nota: *Cum enim lingua nigra & cruenta ex febre ardente ſive ex urente originem ducat, cujus vi lingua impenſè exareſcit, & aduſtas fuligines à viſcerum incendio elevatas recipiens, camini inſtar nigredine illa ſingitur: proinde ſi hæc abſunt, minus malum portendunt.*

Aphoriſmus X.

Hæc igitur in febribus acutis obſervare oportet, quando quis moriturus ſit, & quando evaſurus.

Nota: *Vel hic Aphoriſmus nullus eſt vel ad alios in prioribus Libris de prognoſticis tractantes ſe revocans; alias per ſe conſideratus nihil docet nihil determinat.*

Aphoriſmus XI.

Teſtis dexter frigidus & convulſus, mortiferum eſt.

Nota: *Vix hujus fundamentalis ratio dare poteſt proinde melius eſt ſicco pede eundem proprie interjectum præterire & rejicere.*

Aphoriſmus XII.

Ungues nigri, & digiti manuum & pedum frigidi, contracti vel remiſſi mortem proximam eſſe ſignificant.

Nota.

Nota: *Hunc Aphoriſmum explicatum habes Lib. 4. Aphor. 41. 49. & Lib. 7. Aphor. 1.26 72.*

Aphoriſmus XIII.

Labra livida, aut etiam reſoluta & inverſa & frigida, mortifera.

Nota: *Hic ipſiſſimus Aphoriſmus explicatur in iiſdem locis, in quibus præcedens nempe duodecimus.*

Aphoriſmus XIV.

Aures frigidæ, pellucidæ, contractæ, lethales ſunt.

Nota: *Et hic quoque ad ea loca ſpectat quo duodecimus.*

Aphoriſmus XV.

Et tenebricoſa vertigine laborans & lucem averſans, & ſomno & ardore multo detentus, deſperatus eſt.

Nota: *Signa enim hæc ſunt apoplexiæ fortioris mortis prodroma.*

Aphoriſmus XVI.

Et qui paulatim rabie agitari incipit, et non agnoſcit, neque audit, neque intelligit, exitio proximus eſt.

Nota: *Hæc omnia ſigna ſunt vel apoplexiæ vel repentinæ mortis.*

Aphoriſmus XVII.

Morituris ſigna hac multo fiunt manifeſta, & venter attollitur, atque inflatur.

Nota: *Hic Aphoriſmus nec in ratione nec in experientia niſi aliqua alia addantur phænomena, fundatur, unde potius fuiſſet expungendus.*

Aphoriſmus XVIII.

Terminus vero mortis eſt, cum animæ calor, ſupra umbilicum, ad locum ſepto transverſo ſuperiorem aſcendit, & omnis humor exuritur: cum autem pulmo & cor, calore in mortiferis locis coacervato, humorem amiſerit, caloris ſpiritus conſertim exhalat, cujus ope totum cum toto compactum erat. Præterea partim per carnes, partim per capitis ſpiracula, unde vivere dicimus, relinquens anima corporis domicilium frigidum, & mortale ſimulachrum, una cum bile, ſanguine, pituita, & carne deditione reddit.

Nota: *Hic Aphoriſmus pura eſt deſcriptio moribundorum & morientium. Alii hos ultimos ſeptem Aphoriſmos reducunt ad Libr. 1. Aphor. 1. ubi occaſio præceps, ſeu tempus mortis hos omnes comprehendit, & ibidem ſimplicite explicati ſunt*

Nihil ergo amplius ſuper eſt, niſi omnium octo Librorum Aphoriſticorum.

F I N I S.

HIPPOCRATIS LEX.

MEdicina omnium artium præclariſſima eſt. Verum propter ignorantiam & eorum, qui eam exercent, & eorum, qui temere hos ipſos judicant, omnium artium prope infima cenſetur. Qui quidem error ab hac potiſſimum cauſa provenire videtur. Soli namque Medicinæ nulla pœna in Reb. publicis ſtatuta eſt, præterquam ignominiæ: Verum hæc non lædit eos, qui ex ea conflati ſunt. Simillimi enim hujusmodi Medici ſunt perſonis mutis, quæ in tragædiis introducuntur. Quemadmodum enim illi figuram quidem & habitum ac perſonam hiſtrionum referunt, hiſtriones autem non ſunt: Sic & Medici fama quidem & nomine multi, re autem & opere valde pauci. Quisquis enim Medicinæ ſcientiam ſibi vere comparare volet, eum hiſce niti oportet, Natura, Doctrina, Loco Studiis apto, inſtitutione à puero, Studio & Induſtria, atque tempore. Primum quidem igitur omnium Natura opus eſt. Natura enim repugnante, irrita ſunt omnia. Eadem vero viam ad optima commonſtrante, artis Doctrina contingit. Quam ipſam cum prudentia ſibi comparare oportet, ita ut à puero inſtitutio accedat, idque in loco à Natura ad diſciplinam accomodato. Amplius

plius autem & induſtriam adhibere oportet: eamque ad multum temporis, ut ſcilicet diſciplina in naturam verſa ac veluti ingenerata, feliciter & copioſe fructus proferat. Qualis enim eorum, quæ terra producit, conſideratio eſt, tales etiam Medicinæ cognitio. Natura enim noſtra, velut ager eſt: Dogmata Præceptorum, veluti ſemina ſunt. Inſtitutioni à puero cum eo convenit, quod opportuno tempore ſemina terræ committere oportet. Locus autem in quo Diſciplina contingit, eſt velut ambiens aër, è terra naſcentibus nutrimentum præbens. Studium autem, cultura eſt. Tempus poſtremo hæcomnia corroborat, ut perfecte enutriantur. His igitur ad Artem Medicam allatis, & vera ipſius cognitione comparata, tandem per urbes ambulando, non ſermone tantum, ſed & opere Medicos haberi convenit. Imperitia vero malus theſaurus eſt, & infelix, opulentia his, qui eam poſſident; tum opinione ipſa, tum revera tranquillitatis animi & lætitiæ expers, timiditatis & inconſiderantiæ nutrix. Et timiditas quidem impotentiam, inconſiderantia vero ignorantiam artis arguit. Duo enim ſunt, ſcientia & opinio. Quarum illa ſcire facit, hæc ignorare. Cæterum res ſacræ ſacris hominibus communicantur: prophanis id fas non eſt, prius quam ſcientiæ orgiis initientur.

F I N I S.

INDEX

Rerum & Verborum, Libris ſive Sectionibus octo Aphoriſmorum Hippocratis contentorum.

A.

Abdomen quid ſit, v. Anatomiam.
ejus craſſities in quo conſiſtat pag. 197
Abortus futuri ſigna è mammis 760
ejus ſigna è mammis 762
gracilium 780
mediocriter corpulentarum 784
ejus cauſa varia 786
Abſceſſus aquoſi an dentur 906
febrium prognoſtici 588
quid ſignificent 589
in febribus ubi fiant 544
unde præſagiendi ibid.
convaleſcentium 545
occulti 1002
uteri 701
Abſtinentia & victus tenuis morbis curandis commoda 27
quæ circa hæc ponderanda ibid.
Accidentia ab hypercatharſi 652
inflammationum viſcerum infimi ventris 821

INDEX

Acceſſio in morbis quid 32
Acetabula uteri quid 785
Acetabulorum uteri laxitas ac mucoſitas, unde dignoſci poſſit 787
ſignum mucoris in illis ib.
Acuti valde, quando purgandi & quomodo 478
Acutorum morborum prognoſis 132
Aer quomodo ſe habeat 277
illo mutato & conſtitutio hominis mutatur 275
quid faciat 270
juxta Hippocratem 276
quibus rebus ei noxius ſit 271
quot modis nos immutare ſoleat 286
Ægri quando in febribus cibandi 30
quomodo alendi 26
rei alicujus diuturno deſiderio pereuntes ſæpe ſanantur 206
exemplum ib.
Æger ſi non habeat appetitum, quale ſignum 80
Ægrotantes in commiſſis palpebris ut dormiant, & album oculorum detectum habeant, unde accidat 1035
cujus mali indicium 1040
Æquinoctia quot 38
Æſtatis & autumni declinationes 337
juventutis comparatio 376
Æſtate prima qui optime degant 372
qui ib.
quibus remedio ſit 377
Æſtuatio ventriculi in febribus 613
Ætas ad apoplexiam diſpoſita 1046
& morbi ad anni tempora collati 283
morborum ejus ab intra definitio quotuplex 24.409
quot 35
puerilis, quibus morbis obnoxia ſit 409
ſenilis quotuplex 434
Alimenta 36
Allium & amygdala contra ebrietatem remedia 659

Alvi

Alvi excretorum diverſitas ratione ætatis 265
fluxus quotuplex 214
ſpontaneus & ſymptomaticus quotuplex ib.
fluxuum ex fæcum mutatione prognoſis 112
fluxus & vomitus atrabilaris in principio 516
in muliere uterum gerente quid 752
profluvio unde 355
ſtricta non ſalutaris & cur 265
ſuccedentis humectationis in febricitantibus ex fluxu ſanguinis prognoſis 531
Amazones cur ſibi dextram mammam abſcindi curabant 1140
Ambidextræ 1138
Amnios & chorion 797
Angina unde 356. 388
prognoſis 994
ejus eventus 674
quotuplex 677
quando eveniat 404
tumoris expers lethalis 549
convulſiva 552
Animus ad aſpera aſſueſaciendus 254
ejus & animæ differentia 82
defectio 692
Anni diviſio 274
tempora ad gignendos & ſolvendos morbos vim habent 302
qualem referant calorem 310
totum temperatum eſſe an magis conducat ſicut in vere, an vero melius ſit, temporum varias eſſe mutationes & contrarias 282
quomodo ab Hipp. Aphor. IV. Sect. IV. dividatur 456
Antiqui, quantum ſanguinis emiſerint per venæ ſectionem 57
Anxietatum præcordialium remedia 1154
Aphtha idem quod oris ulcus 409
unde oriatur in infantibus recens natis 410

Aphtha remedium 412
Apoplexia quid 221
illorum diſtinctio 1046
quando fiat ib.
prognoſis 221
gradus quot ib.
unde 408, 1047
ejus cauſa 1132
an febre ſuperveniente ſolvi poſſit 222
remedia quæ ad ejus curationem tentanda 223
ſomni nepos 66
Apoplectici quomodo pereant 224
Apoſtema quo pacto dignoſci poſſit eſſe ruptum 680.
Appetitus quando varie 413
in morbis revertens vires reparat 185
reconvaleſcentium prognoſis 184
ejus in morbis alteratio 186
quotuplex 188
quot modis depravetur 190
ciborum quid 205
Aqua quotuplex 730
quanam leviſſima 731
mulſa ubi adhibenda 771
quando 772
Aquarum probationes 727
internoſcenda 729
diſtinctio quomodo facienda ib.
Aquilonares conſtitutiones quid faciant 350
Aquilonis deſcriptio 296
vires 297
quales in eo morbi oriantur 297
quando & quibus magis noceat 340
Ardores vehementes quid ex illis expectandum 1079
Arenula calculi ſigna 635
Aromatum ſuffitus 735

Aroma-

Aromata qualia hæc eſſe debent 735
an bene vel male olentia ib.
quid educunt ib.
Ars longa quid 3
quot partibus conſtet 7
Articulorum dolores unde 356
præſidia revulſoria 628
Arthritis & calvities eunuchorum 967
Aſſuefaciendum ſe vario cibo & potu à juventute 254
corpus & animus ad aſpera 254
Aſteriſmus quotuplex 461
quando oriatur 463
Aſthma unde 404
cur in ſenibus non curetur 218
in ætate conſiſtente unde 432
Athletæ qui dicantur 22
cur evacuandi ib.
Atra bilis quid 517
ejus humor deleterius quomodo generetur 517
Aurium dolores quando vagentur 396
conſenſus cum inteſtinis unde deducatur 535
humiditates in infantibus recens natis unde 412
contra illas remedium ib.
Auſter pluvioſus & mollis quid faciat 326
ejus deſcriptio 295
Autumnus aquiloniùs & ſiccus 344
quibus conferat 345
noceat ib.
quales gignat morbos 292
ejus morbi difficiles ib.
qui ad eum male ſe habeant 280
qui bene 372
Autumni tempus quomodo metiri debeat 313
per illud vagantur plerumque morbi acutiſſimi ib.

Autumni tempus quibus noceat 320
ejus & æſtatis declinationes 337

B.

BAlbi cur facile in apoplexiam incidant 985
illorum diarrhœa 982
Balbuties unde 984
Balneum quomodo oculorum dolores curet 980
Balneorum uſus in febribus 1136
Bibacitatis ſupervenientia 1067
Bibuli cur minus quam alii edant 144
Bilis an famem excitet 145
atra quid 517
Biliosæ dejectiones quæ 524
Boreas vide aquilo
Bubones idem quod tumores 594
qualem oſtendant febrem 595

C.

CAcochymia quid & quotuplex 96
in quo reperiatur 97
melancholica in capite effecta 1045
eſt ſomni nepos 66
Calculi in infantibus unde 420
ſigna arenulæ 635
Calidum ejus excedentis noxa 638
innatum quid 36
quid faciat 714
quibus utile 716 717
quotuplex 689
uſus ejus Medicus 710
Calor & frigus loci affecti indices 562
quid deſignent ib.
ejus, frigoris & caloris viciſſitudo 564

Calvities unde 971
  ejus & varicum comparatio 983
Cancri prognoſis 995
  quid ib.
  quomodo curandus 996
Canicularium dierum numerus 464
Capillorum defluvium unde 989
Capitis dolores unde 408
  quando vehementer fiant 338
Capita quot Medicus præmeditari debeat antequam purgans exhibeat 59
Caruncula urethræ 638
Cardialgia idem quod ventriculi morſus 613
  febrilis quid ib.
Caſtrati qui 968
Catharrus ſenum 213
  materia quæ 215
  ſomni filius 66
Cautela paracentheſeos 963
Cerebro acute & ſuave olentia infenſa ſunt & cur 829
Chirurgia quale in ulceribus ſignum ſalutare 713
Cholera in juvenibus unde 433
Chylus bonus vel malus ſanitatem vel morbum adfert 97
Cibus cur poſt illum aſſumtum quidam frigeant, quidam vero non 1069
  faſtidium ejus, quando mulieribus ſupervéniat 837
  quotupliciter intelligatur 887
  immoderatio 124
    unde 125
    circa illum nota ib.
    in paroxyſmis penitus non denegandus 31
  quando illis abſtinendum 45
  æger quando nimis utatur 87
  quotupliciter appeti poteſt ib.
    adjici vel detrahi poteſt 42

Coctio quid & quotuplex 54
quamodo alias dicutur ib.
Cœnandi apud veteres uſus qualis 732
Coloris, frigoris & caloris viciſſitudines 564
Colores menſtrui quo cognoſcantur & diſcernantur 760
ex illis cognoſcendum, quid mulier gerat 774
Comitiales morbi quando oriantur 494
Concoctionis & ſymptomatum vigoris differentia 183
Conſenſus aurium cum alvo 533
Conſtitutio in morbis quid 32
Conſtitutiones aquilonares quid faciant 359
auſtrina quid 360
Conſuetudo ad quid referenda 42
eſt altera natura 248
ejus vis quanta 250
quotuplex 213
ejus mutatio ubi fiat 254
Contraria contrariis curantur 147
Convulſio quid 997
ejus cauſa quotuplex ib.
unde oriatur 998
ejus & febris relatio 163
in muliebri profluvio mala & quomodo 818
aqua frigida large affuſa illam levat 726
ex elleboro quid 641
cur lethalis dicatur 644
vulnerum quid 646
quotuplex 647
ab hæmorrhagia 649
Convulſiones & dolores viſcerum convulſivi in febribus 615
febrium in ſomno 616
ſi à medicamento poto quid 1104
Corpus ad aſpera aſſuefaciendum 254
vomendum aptum 438
impurum quotuplex 97

Corpus

Corpus cibis non implendum 97
ſenum quotuplex 201
quando in morbis ad purgandum præparandum, & quando non 95
quæ illud extenuent 176
ejus partes 697
habitus quotuplex 784
Corpora quænam ſint, quæ verno tempore præſervari debeant, ne poſtmodum per æſtatem in morbos labantur 1019
Cotyledones idem quod acetabula uteri 785
unde ab illis abortus accidat 786
Coxendicum dolores unde 403
Criſis perfectæ ſigna quot 104
imperfectæ quot ib.
quid 105
ejus antecedentia & conſequentia 107
nota, quæ ante eam contingunt 108
quot partes habent 109
ejus prima pars perturbatio quando fiat 109.155
rationes cur noctu fiat 110
ejus tertia pars quando accidat 110
per alvum futuræ ſigna 627
febris inſidu 604
regimen 46
Critici dies quotuplices 155
quando ſint 156
diſtinctio in illis ſeptimanarum 158
Criticam aliquam mutationem in naturæ operationibus fieri probatur ex variis autoribus 153
Cruditas humorum unde cognoſci poſſit 54
Cucurbitulæ ubi adhibenda 804
quot earum genera 805
Cura menſium immodicorum 790
Curatio morborum quotuplex 261
univerſalis, & quænam 1058

Curioſitas quorundam volatilium 4
Cur quidam paulo ante mortem melius ſeſe habere videantur, ſi febris & ſymptomata videntur remittere 874

D.

Definitio ætatis morborum ab intra quotuplex 24
Defluxiones catharrales ad pectus 1129
Dejectiones ſyncera qua 115
Delirium quid 68
quando fiat 69
quotuplex ib
en febribus unde 587
quomodo illi ſuccurrendum 71
qua medicamenta in illo eligenda ib.
in febribus continuis eſt lethale 586
prognoſis 937
ab oſſis præciſione 1102
quotuplex 1139
eorum ſupervenientia phænomena 1162
Delinquentia quid 219
ejus gradus ib
Demerſi in aquam, ſi nondum extincti, quomodo in vitam referri poſſint 227
Dentes canini qui dicuntur 416
quibus accidant, & cur ib.
Dentientium ſymptomata 414
Dentitionis tempus 413
illius indicium 414
Depilatio in quibus ulceribus maxime adpareat 889
Determinatio circuituum unde 46
Diarrhæa balborum 982
pleuritidis aut peripneumonia prognoſtica 913
ejus remedium vomitus 921

Diar-

Diarrhœa quid in illa conſiderandum 921
gravidarum 752
tabidorum 683
quæ ſponte evenit unde 9
Diæta moderata poſt morbos adhibenda 189
ejus errores quando facilius noceant 44
Diagnoſis hæmophthiſicos 680
Dies caniculares 274
critici 153
quotuplices juxta veteres 604
Differentia animi & animæ 82
inter inteſtina craſſa & tenuia 932
Difflatio lymphæ quando major 43
Diſpoſitio ad pleuritidem 985
Diverſitas alvi excretorum ratione ætatis 139
Dolor faucium 115
quando æſtimandus 116
quid ad hunc requiratur 117
quid & unde eveniat 236
quotuplex 237
ſuppurationis ejusque index 239
quando fiat 241
inſenſilis 80
prognoſis 889
Dolores quotuplices 890
quid in illis conſiderandum 891
in illorum cauſa quæ advertenda 905
viſcerum convulſivi in febribus 613
unde oriantur 616
non una in parte concurrentes 235
Dyſenteria unde 405 317
prognoſis 885
quæ in illa peſſima ſigna 887
commoda & incommoda 1008
commoda 1022

Dyſenteria ab atra bile lethalis 322
non facile ſanatur 523
carnoſa 529
quæ in ea conſideranda ib.
unde lethalis ejus exitus præſagiendus 529
Dyſpnæa idem quod reſpirandi difficultas 586
in febribus continuis eſt lethalis 586
febrilis 618
Dyſuria unde 992

E.

EBrietas lethalis 614
quid per illam fiat ib.
quomodo eam convulſio ſequatur 655
quid illam prævertere poteſt 657
quomodo ſuccurrendum ne ægri in convulſionem incidant 658
contra illam remedia 659
Eff. ctus motus cerebri 1156
purgantium 60
Emeticarum præparationes 488
Emmoton quid 702
Empyematis prognoſis 624
Empyematici quinam 964
quid cum his agendum ib.
Empyicarum prognoſis 1141
Enæorema idem quod ſublimamentum 624
eſt index coctionis in urina ib.
Epilepſia prognoſis 232.614
quid 233
quibus propria ib.
differentia ejus quotuplex 234
ejus deſcriptio ib.
unde 356

Epi-

Epilepſia quando accidat 415
quotuplex 431
definitio 605
vocatur comitialis morbus, & cur ib.
quid illis, qui poſt vigeſimum quintum annum corripiantur expectandum 666
cur hi difficulter convaleſcant 667
ante pubertatem ab ea correpti quid ſortiantur 605
unde accidat 606
Errata victus collata 15
Errores diætæ quando plus noceant 44
Eryſipelas internum genitum ſi ad externas partes vertatur bonum, ſi introvertatur malum 957
an in illo venæ ſectio aut purgatio locum habeat 958
unde 956
quid occupet 582
ulceratum 1093
ſi mulieri prægnanti in utero fiat quid 778
Evacuatio extrema vitanda 12
eius ſcopus quatuplex ib.
quanam bona 61
quomodo fieri debeat 56
quid per eam intelligendum 148
menſium immoderata quando contingat 800
remedium 801
ſanguinis quid ex illa timendum 744
quomodo fiat 127
malorum humorum per quid facienda 89
quæ illam faciant laudabilem 61
Evacuationes quæ & quot in illis conſideranda 580
ſymptomatica quomodo dicantur 451
quomodo præadiſponantur 92
Evacuationum per alvum ſecundum pleraſque diſtinctio 223
tempus in febribus 177

Evacuatione ex ſubita tum puris tum aqua intercutem, qua de cauſa 964
mors certa immineat
Eunuchus à natiuitate talis an podagra hæreditaria laborare poſſit. 972
967
illorum arthritis & calvities ib.
podagra non laborant ib.
cur Hippocratis tempore podagra non laborarint 368
quotuplices 369
quinam inter illos podagra corripiantur 971
cur calvi non fiant 232
Euphoria idem quod tolerantia conſuetorum 511
Excrementa alvi nigra ſpante cauſa peſſima 519
in extenuatis à morbo 522
ſtatim exitialia 117
quænam inſpicienda ib.
circa illa nota quædam 128
juxta aſſumtarum qualitatem 113
illorum mutatio quotuplex 736
muliebria educenda, quæ & quot requirantur 1110
ſpumoſa quæ 196
Examen & conſtitutio infimi ventris 1162
Excreta ab illis fundamenta prognoſeos 10
Excretionum moduli variatio ib.
quæ in illa obſervanda 129
Excretio quid 130
triplex 1164
Excretorum ramenta 1165
cruditas 379
prognoſis 579
ſi illa difficulter educantur quid ib.
ſi facile 580
quænam male cenſenda 865
Experientia quid 775
Experimenta graviditatis per aſſumta 774
calorem

Experimentum periculoſum quid 5
Experientiæ plus credendum quam rationi 20
Extenuati extreme & ſi nigra dejecerint, quid illis expectandum 518
Extenuatio quotuplex 85
  quando mala 175
  ejus ſignum unde deſumi poſſit 176
Externa, quæ obeſſe apud ægrum debent 7
Extrema repletionis & inanitionis 11

F.

FAcultatum trium labor 442
Fames quotuplex 75
  quid 120
    naturalis juxta Ariſtotelem 75
    juxta recentiores 76
    unde oriatur ib.
    quotupliciter excedat ib.
    quid præternaturalis ib.
    ejus immoderatio 174
    an colorem nativum debilitet 1159
Fatalitas phthiſeos ratione ætatis 672
Faucium dolor & tubercula 115
  quando æſtimanda 116
  quid ad hæc requiratur 117
Febricitantium victus 1160
  ſudor 301
Febris & convulſionis relatio 163
  dupliciter bona, ſi ei convulſio ſuccedat 164
  mala ſi ei convulſio ſuccedat 165
  emergentium in illo mutationum ratio 168
Febris quæ & quot in illa ſignificanda ſigna 170
  quotuplex 393
  cur æſtate potiſſimum eveniat 394

Febris ſpaſmi remedium 596
qualis eſſe debeat 597
an liceat medicamentis id excitare 598
tertianæ exquiſitæ terminus 601
obſurdeſcentia in illa ſolutio 602
ſi ea detento ſuffocatio derepente ſupervenerit, nullo in faucibus adparente tumore lethale 549
repente collum interqueatur, nullo exiſtente tumore lethale 551
medica hypochondriorum 1010
Febres quibus periculoſæ 36
minus periculoſæ ib.
acutæ cur in ſiccitatibus extremis fiant 305
chronicæ unde oriantur 355
ardentes vel tertianæ quotuplices juxta veteres 393
in gravidis cur ſint periculoſæ 814
quartana inter morbos autumnales recenſentur 329
erraticæ quæ ib.
cujus temporis peculiares ib.
diuturnæ unde in pueris oriantur 423
acutæ in adoleſcentibus, unde 430
ardentes in juvenibus unde 431
illarum longitudo ex conſtantia paroxyſmi arguenda 540
en illis abſceſſus futuri 543
culpa glandularum ortæ 584
continuarum & intermittentium prognoſis 572
accidentia quid boni vel mali pronuncient ib.
continuæ quænam 573
intermittentes, an periculoſæ 572
illas conſequentia tubercula vel dolores 574
inæqualium prognoſis 582
ſi in illis partes externæ algeant internæ urantur, & ſitiant, quid pronuncient 582
in illis mortis imminentis ſigna 584

Febres in continuis reſpirandi difficultas & delirium lethale 585
abſceſſus prognoſtici 588
lachrymæ in illis prognoſticæ 589
illarum criſis infida 604
intermittentium typus 609
in illis rigores quotidiani quid 609
ſudor inanis 595
Febribus morborum cauſa tolluntur 164
ratio cur ib.
Filius ſomni quis 66
Fluxus alvi quotuplex 214
immodici differentia à fluxu bene ordinato 216
qui periculoſior hepaticus an ſpleneticus 1010
Fæminæ quæ mala per ſingulos menſes pati debeant 820
quibus ſuffienda 825
quid illis inditum à natura ſit 834
quantum ad conceptum aptiores 841
illarum podagra 972
quando illa laborant ib.
deliria 765
Fæces alvi ſpumoſæ in diarrhœa 1109
Fœtus unde 777
cui rei à Galeno comparetur 748
cur exitum ſuum quærat nono menſe 762
Fomentum qua ratione oculorum dolores curet 980
Fractura oſſium 936
Frigida aqua tumoris dolorem ſolvat 724
qualis eſſe debet 725
perfuſio, quomodo adhibenda 709
cui noceat 716
tuſſes movens 722
& deſtillationes 723
Frigidi effectus morboſa 722
quibus noceant partibus 721
excedentis noxa 601

Frigidi quomodo illis occurrendum 696
ejus noxa quoad certas partes 697
uſus Medicus 718
narcoticus in doloribus 724
ulteriores noxa 702
Frigefacientia cujus conditionis eſſe debeant 701
Frigidum quomodo noceat 698
mordax quomodo intelligendum 703
Frigus quibus maxime noceat 699
quid indicat 704
extremorum ſcilicet ſuperveniens morbis acutis 1053
à dolore 1105
Furores qui 386
quot eorum claſſes ib.

G.

GEmelli quomodo generentur 764
juxta veteres ib.
recentiores 765
Genitalium putredines quid 397
quando fiant ib.
Gibbi unde 1016
Gibboſi cur ante pubertatem moriantur 1017
Gibboſitas quotuplex 1017
Gingivarum prurigo & dolor unde 414
Glaucedo in ſenſibus unde 438
Glacies & nix; an ſint frigidiora aqua pura 723
Graciles poſt conceptionem quomodo tractandæ 784
quomodo alias omnes purgandi 468
Gracilium abortus 730
Gracilitas unde corporibus accidat 469
Gravedines, quando eveniant 407
Gravidæ an poti poſſint fluorem album 805

Gravidæ

Gravidæ quænam purgandæ 738
quare purgandæ 739
& qua ratione ib.
quibus medicamentis 445. 739
illarum morbi acuti 741
lethale eſt, ſi morbis acutis corripiantur ib.
venæ ſectio 743
quando purgandæ & quando illis ſecanda vena 447. 738. 746
in quo morbo 441
illarum diarrhææ 752
teneſmus. 1106
nota 834
Gravedines unde 389 - 340
Graviditatis experimento per aſſumta 771
colorem 774

H.

Habitus corporis quotuplex 230. 784
Hæmophthiſeos diagnoſis 680
Hæmorrhagia narium menſtruis carentium mulierum 750
Hæmorrhoides quid 909
unde 433
illarum prognoſis 914
quales eſſe debeant ib.
quot modis curentur 912
& varices quid per illas ſupervenientes ſignificetur 947
cur ſupervenire debeant ib.
Harmonia inter conſuetudinem & naturam, quæ & quanta 248
hujus teſtes quinam ib.
Hectica laborantes febricitant fortiter, & quomodo 176
Helleborus idem quod veratrum quotuplex 642
albus quid adferat ib.
an ab eo aſſumto vel alio medicamento vomitorio corpus movendum 493

Nnnnnnn u

Helleborus ejus doſis & præparatio 491
noxa 495
quibus noceat ib.
quomodo ex illo convulſio oriatur 496
Hepar, multaties inflammatur 1459
Horror & ſudor 1060
unde ib.
Humiditas alvi in juvenibus ex duplici cauſa fit 146
exuperans hæmorrhagia largiaris pediſſequa 331
Humidum quid per illud intelligatur 39
Humores an & quomodo turgeant 54
& corpus quando in morbis præparanda ad purgandum, & quando non 95
mucoſi in gravidis unde 787
illorum morbifica diſpoſitio, in quo conſiſtat 147
Hydropis prognoſis 917
ex tuſſi 990
quomodo illa ſolvatur 919
qualia ad illam curandam requirantur medic. 920
an in illa præparandi ſint humores ib.
an extenuatio in illa æque mala ſit, ac in aliis morbis ib.
unde ſæpe oriatur 481
eſt ſomni nepos 65
aſcites an à cauſa calida oriatur 908
Hyems aquilonia 322
ejus & veris commutata tempeſtas 328
placida quæ dicatur 330
auſtrina ib.
qui in illa optime degant 372
ejus & ſenis comparatio 376
Hypercatharſis idem quod ſuperpurgatio ad illam diſpoſita 193
Hypochondriorum medica febris 1010
dolores in illis unde ib.
ſuperveniente febre tolluntur ib.

Hyſtericus uſus ſternutatoriorum 755
vox græca quid notet ib.

I.

Ichor quid 248
Ikterus idem quod morbus regius 606
quid ſi febribus ſuperveniat ib.
in quibus & unde fiat 607
quando malus 608
*febribus ſupervenien*s 611
poſt ſeptimum diem ib.
ejus prognoſis 1006
flatibus carens 874
unde oriatur ib.
Ictus quid ex illis cerebro contingat 1082
ex illis innumera mala oriuntur 1083
Jecoris vulnus lethale 932
Ileos quid 1018
eſt idem quod volvulus 404
Immoderatio cibi 124
unde 126
ſomni & vigiliarum 72
ſacietatis & famis 74
Impuritas quid 96
quotuplex ib.
Inæqualitas temporis dierum morbifera 290
In educendo quid obſervandum 51
In hyeme appetitus comedendi duplex 38
Infantes cur a partu ſtatim ſugant 708
Inflammatio uteri in gravidis 778
quot modis terminari poſſit 670
Inteſtinorum difficultates & lævitates inter quos morbos numeranda. 408
Iſchiades idem quod coxendicum dolores ib.

Iſchiadici doloris longioris effecta interna 2050
externa 1051
Judicium difficile quid 6
excernendorum 215
boni vel mali ſignu 311
unde petendu ib.
morbi Medicis quid 541
Juvenes robuſti cur citius pereant, quam imbecilles 193
Juventutis & æſtatis comparatio 376

L.

LAbor, quid per illum intelligatur 86
Labores conſueti eorumque tollerantia 247
corpus cur robuſtum faciant 249
Lac virginum 765
quando generetur ib.
in quibus generetur ib.
quodnam ſit utilius, proli matris vel nutricis 770
circa quod tempus & quomodo effundi debeat 806
malum è mammis effluens cujus rei ſignum 807
quibus noceat 849
conveniat 850. ſeqq.
inter ejus ſpecies quodnam optimum 852
ad ejus coagulationem quid conferat 854
quot modis exhibeatur 855
Lachrymæ prognoſtica 589
quales eſſe debeant 531
Laſſitudo ſpontanea & ejus effectus 77
quid ſit & quotuplex 543. 78
quales patiatur differentias 78
quot ſpecies habeat ib.
quid excitare poſſit ib
unde oriatur 78

Lentores circa dentes prognoſtici 591
quid ib.
unde oriantur & quid præſagiant ib.
Lepra quid 389
Lethalitas vulnerum 929
Lethargus unde 408
in ætate conſiſtente unde 432
Leucophlegmatici an gommosa diarrhæa moriantur 1109
Lienis tumores unde 400
Lienoſi quinam dicantur 1008
Lienteria quid 485. 878
unde 405
prognoſis 877
quot modis obtingere poſſit 882
Lippitudines oculorum, quando vagentur 306
unde 326
quid 927
Livores unde 694
Locus quid 234
evacuandorum 49
Loca conferentia quot 51
non conferentia quot ib.
Lumborum dolor ad quid referatur 483
Lumbrici, quomodo alias dicantur 420

M.

MAgnitudo ſecundum quid conſideretur 267
corporum ad quid inepta 268
cauſa ejus quæ ib.
Mammæ ex illis futura abortus ſigna 760
inter illas & uterum conſenſus ib.
ſanguis in illis furorem notat 768
cur 769

INDEX

Mammas virorum & infantum lactificaſſe 786
Mater ſomnus pigritia 66
Matula medico eſt quaſi ſpeculum fidiſſimum 1114
Materia cruda, ubi minus purganda 54
Medicamenta quæ in paroxyſmo concedenda 31
    quæ in illis obſervanda regula 42
    purgantia ad quid conducant 200
    ſano corpori nocent 203
    cur noceant ib.
Media de robore corporis reparando 86
Medicamentum ex quo uteri geſtatio cognoſci poſſit 772
    epotum 981
Medicina quid 147
Medicus, qualis eſſe debeat 4
    ſcientia ejus in quo conſiſtat 45
    eſt naturæ miniſter 70
    cui juxta Galenum comparandus 47
    ejus officium 57. 651
        circa febricitantes 313
        ebrios 660
        purgandas uterum gerentes 833
    ad quid in reconvaleſcentibus reſpicere debeat 88
    imperare debet ægro, non æger Medico 205
    nec temere promittat ſalutem in morbo deſperato 225
    ſi ad civitatem aliquam accedat, quid ipſi conſiderandum. 370
Mediocritas in omnibus rebus laudanda 817
Medium tenuere beati 267
Melancholia quid juxta veteres 345
    recentiores 346
    ejus prognoſis 958
    & nephritidis prognoſis 987
Melancholici qui 953
    cur diu vivant 445
    quomodo purgandi 476

Melan-

Melancholici morbi quinam dicantur 1045
Mens quotupliciter ſumatur 82
quando laboret ib.
quomodo in ſtultis agrotet 82
quid 1090
laborantis ſigna 80
raro animadverti poſſunt & cur 82
Menſes gravidarum 831
immodici quantitate peccantes 817
illorum cura 799
immoderata evacuatio quando contingat 800
prognoſis 815
decolores & inordinati 758
illis rectè fluentibus catera quoque ad conceptionem deſtinata bene ſe habent 815
Menſtrua ſi abundent, quid 817
ex eorum ſuppreſſione quid ib.
large fluentia quid ex illis expectandum 818
ſuppreſſa quid exeitent 821
Menſura evacuandorum 55
Methodus medendi per contraria 146
ejus mutatio 260
eſt hac via regia omnis curationis morborum 260
Mictus cruentus & purulentus 630
quid notet ib.
cruentus 633
unde 634
noctu plurimus quid notet 639
Miſerere mei qualis morbus 1010
Modi reficiendi 83
Modulus evacuationum 9
offerendorum 41
victus in paroxyſmis 44
Mæſtitia unde 952

Morbi acuti qui 21
extremi 18
quid in illis faciendum 38
ſtatus cui aquipolleat 24
graviores quid expoſcant 36
chronici quid 85
quid acuti ib.
quomodo curentur 147
aſtivi quibus breviores 160
ratio cur ib.
autumnales, cur hodienum plures curentur 162
eorum cauſa febrium beneficio tolluntur 164
ratio cur ib.
unde ordinarie pendeant 178
eorum tempora 181
& quot 183
principium quomodo dicatur 182
poſt illos non ſtatim cibi immodice ingurgitandi & cur 189
ſed moderata diata adhibenda 189
congrui 192
ad anni tempora collati 213
quot modis ad anni tempora comparari poſſint 215
tempeſtati conſoni 305
quomodo in aſtate fiant acutiores 317
ex aſtate aquilonari & autumno auſtrino venientes 337
ex multis imbribus & ſiccitatibus venientes quinam 354
comitiales unde 356
ab anni temporibus invitati 379
aſtate evenientes 383
hyemales qui 406
loterales unde 407
qui & quot in infantibus recens natis oriantur 409
adoleſcentium quinam 428
infantum recens natorum 409
dentientium 413

Morbi

Morbi infantum 418
puerilium ad ætatem accedentium 422
puerilium 424
adoleſcentum 428
ultra ætatem provectorum 432
ſenum 434
acuti gravidarum 740
Morbus unde conjiciendus 547
quid ad ejus victoriam requiratur 210
quidam morbi quomodo dicantur 136
breves an facilius diſcernantur quam longi 137
præcordiales 1152
veſicæ & renum ſenibus contingentes quinam 894
Morborum acutorum certæ non ſunt prædictiones 132
triplex in illis reperitur contingens 136
acutorum gradus diverſi, & quo reſpectu 252
autumnalium acuties unde 314
vernalium pathologia 382
Morbis accidit acute lædere, & ægros affligere unde deducere illud liceat 133
Moriendi modus 872
Mors ſomni frater 66
ejus ſignum quale in ſtrangulatis 225
Moſchi uſus apud Hiſpanas fœminas 828
Motus quid 244
corporis quotuplex ib.
cerebri effectus 1156
Moxa quid 1174
Muliebria quid 737
Mulier quomodo ſterilitatem ſuam explorare poſſit 824
quot modis ſterilis eſſe & dici queat 831
quo pacto gubernanda ut concipiat 841
decolores & inordinatos menſes habens, quomodo purganda 759
medicamenta purgantia ib.

Mulier, quænam copioſius eiitus aut tardius fluant 760
Mutationes ſubita 256
morborum quo tempore fiant 257
temporum morboſa 269
juxta Philoſophos duplices 271
aeris duplices 272
morborum repentina quid pranuncient 565

N.

NArium hæmorrhagia menſtruis carentium mulierum 758
prodeſt ib.
cur 758
Natura quid juxta Veteres 279
Hippocratem 280
Neotericos 281
optimus Medicus 250
ejus actio in materiam quotuplex 240
occupata circa criſim, quid circa illam faciendum 45
quid illæ noceat 47
bene agens nunquam turbanda ib.
quomodo illa ſuccurrendum 49
morborum medicatrix 50
ejus miniſter Medicus ib.
Nephritici & melancholici qua ratione curentur 907
quinam intelligi debeant ib.
quomodo ſupervenientes hæmorrhoides illis conferant 907
illorum abſceſſus 1124
Nervorum imbecillitas unde 631
quid complectatur ib.
Nimium omne naturæ inimicum 257
Notæ de purgatione 90
circa præparationem purgantium 90 54

Noxa geſtati ſexus in gravidis 799
Nutritio cacochymicorum corporum 96

O.

Obeſitas cui debeat originem 230
quæ damna ipſi adſcribantur ib.
corporis cur conceptioni promovendæ impedimento ſit 789
remedia illis ad concipiendum apta 790
Obeſi & graciles 229
quibus morbis obnoxii 231
Obeſiorum ſterilitas 788
cauſa ob quam concipere non ſoleant 788
Obeſus corporis habitus quotuplex 789
Obſurdeſcentia in febribus ſolutio 602
cur ab hac febris ſolvatur 603
Occaſio quid 4
præcept ib.
juxta veteres 5
Oculorum vertigo quid 369
Offerendorum modulus 41
Officium Medici 757
Omentum per vulnus elapſum 1040
ſi excidat, quid ib.
Ophtalmia idem quod lippitudo oculorum quid 926
prognoſis ib.
curatio 926 978
quomodo curetur 978
unde fiat 326
ſicca unde 332
Orgaſmus idem quod turgens materia 53
quando accidat ib.

Oris exulcerationes quando fieri poſſint 397
Oſſa cur coaleſcere & nutriri non poſſuns 936

P.

963
Paracentheſeos cautela 30
Paraxyſmus quid 275
Pars affecta quotuplex 547
ad abſceſſus recipiendas apta 393
Pathologia morborum aſtivalium 432
ætatis conſiſtentis 398
autumnalium 413
dentientium 406
hyemalium 418
infantum 409
recens natarum infantum 428
juvenum 424
puerilium 422
puerilium ad pubertatem accedentium 434
ſenilium 382
vernalium 839
ſterilitatis fœmina 205
Patientis guſtus aliquid indulgendum ib.
ratio cur 411
Pavores infantum unde 913
Peripneumonia qualis morbus
laborans, ſi dejectione per alvum evacuetur, quotoplu-
ces mala afficietur 924
1077
an omnis periculoſa ib.
unde in illam pleuritis tranſire poſſit 710
Pernianum ſeu partium congelatarum cura 903
Petechiæ ubi pruriant ib.
an ſint morbus novus 340
Phthiſis quid 672
eſt idem quod tabes

Phthiſis ejus prognoſis 677.1086
fatalitas ratione ætatis 672
quo ætate fiat ib.
in adoleſcentibus unde 429
Phthiſicorum purgatio 474
quomodo hi purgandi ib.
medicamenta illos purgantia 475
diarrhœa 679
Phrenitides in ætate conſiſtente unde 432
Phænomena morborum quæ 33
quotuplicia ib.
Phyſiognomia ſternutationis 1148
Pigritia mater ſomni 66
Pituita ſomni filius ib.
Plenitudo cibi morborum familiaris cauſa 148
Plethora quid & quotuplex 96
Pleuritis qualis morbus 684
Podagra quid 725
unde 1042
quomodo exciteur 1043
illam levat aqua frigida large affuſa 725
fœminarum 972
puerorum 975
ejus paroxyſmi 1042
Potatio vini, quid ex illa oriatur 731
Potatores vini vel aquæ quinam diutius vivant 731
Potus quid 89
Porri vide verucæ
Præparatio purgantium 90
quotuplex 92
circa illam notæ 93 94
Prægnantium ſeu gravidarum purgatio 441
Profluvio in juvenibus diuturna unde 433
ſanguinis in pueris unde 423

Progno-

Prognoſis adpetitus reconvaleſcentium 184
- ex ratione & adpetitu 189
- apoplexiæ 221.1031
- anginæ 994
- abſceſſuum in hypochondriis 1143
- cancri 995
- dolorum 889
  - à ſitu 835
  - capitis 904
- deliriorum 947.1039
- dyſenteriæ 885
- doloris diuturni circa ventrem 1098
- empyematis 684
- empyicorum 1145
- epilepſiæ 232 664
- eryſipelatis 956
- febrium in gravidis 813
  - continuarum & intermittentium 571
- hæmorrhagiarum 1072
- gibboſitatis 1013
- hæmophthiſeos 1084
- hepatis inflammati 1038
- hæmorrhoidum 910
- hydropis 917.1133
- icteri 1066
- ilei 1073
  - à ſtranguria 1010
- leucophlegmatiæ 1107
- lienteriæ 877
- melancholiæ 951
  - & nephritidis 907
- menſium immodicorum 815
- oſſis nudati 1092
- peripneumoniæ 1078

Prognoſis pleuritidis 1075
pulſationis in ulceribus 1095
rupti abſceſſus interni 1070
ſinceræ dejectionis 1100
ſingultus 913
ſphaceli 1056
morborum chronicorum è ſtatu ventriculi 1063
ſyncopes 218
tetani 661
tremorum in febribus 960
tumorum 862
vitiorum urinæ in ſenibus 892
ulcerum 888
urinæ craſſæ 619
turbatæ 622
tenuis 625
vulnerum capitis 1103. 1081
ex tumore 860
in eſtinalium in ſpecie 955
hydropis ex tuſſi 990
ulcerum & ſpeciatim chronicorum 1013
ex oculis dormientium 1034
reſpirationis in febribus 1041
Proportio urinæ & alvi fæcum redditarum 639
Pruritus puſtularum 901
unde 902
Pubertas quid 665
Puer quis dicatur 834
Puerorum podagra 975
unde ſit, ut ex veneris uſu poſſint podagra laborare 976
Pulmo diſciſſus quid 934
ſanguinem ſpumoſum egerere debet 681
Purgantes in acutis 58
quid in illis adtendendum 61

Purgantes illarum præparatio 98
medius terminus 451
qualitas & modus 449
ſitis pediſſequa 503
Pruritus in ſenibus unde 436
Purgatio de qua intelligenda 92
vel vomitus contra cibi faſtidium 289
ſanorum 202
ſub diebus canicularibus 465
ſub & ante canem eſt difficilis ib.
phthiſicorum 474
melancholicorum 476
in acutis 478
lientericarum 485
illam promoventia & ſiſtentia 493
ejus diſtinctæ indicationes infra vel ſupra 501
ejus nota per alvum 509
Purgationes menſtruæ quid in illis corrigendis conſiderandum 758
decolores ib.
quid minentur 834
ſi ceſſent, quid tum expectandum 836
quomodo ceſſare debeant ib.
Pus unde fiat 239 944
ejus confectio, quæ habeat tempora 240
quale eſſe debeat 241
Putredo unde & quid 356
quotuplex 819

Q.

Quartana febris quotuplex 150
ejus in æſtate juxta tempora anni prognoſis 159
medica 870
Quid circa non educendis faciendum 51
Quæ per inferiora purgando 476
quomodo ib.

Quies

Quies quid 244
quotuplex 245
quid per illam fiat ib.
Quod paulatim ſit tutum eſt 258

R.

RAmenta excretorum 1164
Ratio victus ſenum & puerorum 36
lymphæ maxima, ubi adhibenda 40
Rationes morborum acutorum incertitudinis quot 134
Raucedines quid per illas intelligatur 214
unde fiant 214-340
quando eveniant 407
Recidiva morborum 102
quotuplex 104
unde oriatur 105
quomodo ei ſuccurrendum 106
Reconvaleſcentes à morbo voraces 185
plus appetunt, quam concoquere poſſunt & cur 188
Refectiva fluida quæ 98
Reficiendi ſeu alterandi modi 83
Regulæ quæ in victu obſervandæ 42
ſolerti medico in purgatione obſervandæ 455
Regimen criſeos 46
Relatio laboris & victus 119
Remedia extrema 18
quæ & quotuplicia 18. 19
ubi adhibenda 19
quæ juxta veteres 19. 20
recentiores 18. 20
quid in illis adhibendis ſit penſitandum 59
famis morboſæ 143
difficilium curatu morborum, quot & quæ 233
extrema quando optima 259
ad fugandas febres 397

Remedia contra morbos infantum recens natorum 412
anxietatum præcordialium 1154
corporis humidioris 1157
Renum ſanguiferarum vaſarum cauſæ quatuplices 634
Repetita determinata circuitum unde 46
Repletio ciborum quatuplex 327
quid per illam intelligatur 148
Res naturales quid limitent 42
Reſpiratio ad quid maxime neceſſaria 224
Reſpirandi difficultas in febribus continuis lethalis 586
quid 587
ejus differentia, & quæ intelligenda ib.
Revulſoria articulorum præſidia 628
Rigor quid 336
& quatuplex ib.
criticus 597
mortifer 577
ſi ægrum debilem invadat quid ib.
ejus fontes 867
unde in mulieribus & viris, 867
infebricitantibus unde 868
Rigores ſexto die evenientes mali 336
quotidiani in febribus quid 649

S.

SAnguis quantum veteres emiſerint per venæ ſectionem 57
ad omnes corporis partes movetur 214
præcedente tempore etiam movetur ſenſim, & quomodo 426
ſputio ejus in adoleſcentibus, unde 429
infra & ſupra excernens 324
immodice fluens narium 331
ſpumantis e pulmone ſignæ 681
unde egeratur 682
ejus vomitus mulieri gravidæ, qualis 747

Sanguis

Sanguis in mammis q id notet 768
in utero gerentibus unde prodeat 832
quantum in puella & maſculo toto geſtationis tempore retineatur 833
ejus extravaſatio 941
quomodo in pus vertendum 944
moram in cavitatibus debet contrahere 945
cur potius ſuppuretur quam reliqui humores 231
Sanies quid 241
Sanorum purgatio 202
Satietas quid ſignificet 77
ejus immoderatio 74
Satyriaſmus quid 420
Sectio & uſtio extrema remedia 956
Sedes nigra & variegata in genere 511
Secundina retenta 796
Senectus qualis ætas 215
quotuplex 216
Senes cur à morbis renum & veſicæ difficulter liberentur 893
minus edunt quam juvenes 141
ratio cur 142
valetudo illorum 209
cur minus quam juvenes ægrotent ib.
raro acutis morbis corripiuntur ib.
in illis non medicamentis cardandum 210
cur ſuis diuturnis commorantur ib.
illorum ad juvenes comparatio 211
catharri 213
obſtructi cur pejus habeant quam juvenes 206
Senis & hyemis comparatio 376
Senilis ætas quotuplex 434
Septenarii numeri magna autoritas in diebus criticis 156
Serum in ſenſu cur peccet 216
quale in ſenſibus ib.
Sexus geſtati in gravidis nota 594

Sexus geſtati quænam illa nota 795
Siccitates ſunt ſalubriores imbribus 350
quales intelligenda 351
Signa in febribus imminentis mortis 584
unde deſumantur ib.
quid ſi illa adſint expectandum 584
cur illa ſint lethalia 585
criſeos per alvum futuræ 627
affectæ veſicæ 636
veſicæ exulcerantis 637
flatus fœtus è mammis 806
fœtus è mammis comparata 808
ex quibus gravidam eſſe aliquam cognoſcitur 834
interpoſcere liceat, an vulnera lethalia 934
ſpuria, quæ accidentaliter superveniunt morbo, quænam ſint 33
de urinis à Medicis quibusdam memorata ſæpiſſime fallere, probatur ib.
criſeos quot 48
mentis laborantis 80
refectionis corporis quæ 186
certiſſima ſalutis vel mortis quæ & quot 189
quæ in ſignificanda febre obſervanda, & quot 170
boni vel mali judicii unde petenda 311
ex quibus uteri geſtatio cognoſci poſſit 804
an fœtus bene valeat 831
qualia in pleuritide 33
Similia ſimilibus curantur 147
Singultus ab hæmorrhagia 649
cur ex ea periclitentur ægrotantes 650
quando ſequatur 821
unde oriatur 813
prognoſis 913
remedium ib.
quomodo ſolvatur 916
an præter ſternutationem adhuc alia dentur illum ſiſtendi remedia ib.

Singul-

Singultus ad quam claſſem reducendus 1058
Sitis nocturna 732
unde oriatur ib.
ejus remedium 734
ejus organum ſeu ſedes 504
in animantibus unde deducatur 505
naturalis ubi excitetur 508
morboſa ubi ib.
Solſtitia quae 38
Somnus quid 64
quomodo fiat juxta neotericos ib.
eſt neceſſarius juxta ſententiam Ariſtotelis 65
quotuplex ib.
quae adferat emolumenta ib.
naturalis quid ib.
praeternaturalis quid 66
in deliriis 68
ejus habenda eſt ratio in morbis 70
immaderatio 72
differentiae 73
quo ſenſu malus ib.
morbum juvans & minus juvans 63
quid faciat 245
in vomitione quomodo educendus 494
Spadones quinam 968
cur perpetua valetudinaris 884
Spaſmi ſeu convulſionis remedium eſt febris 596
Sphacelus ſeu ſideratio cerebri 1147
ejus prognoſis 1056
Spirandi difficultas in ſenibus unde 435
Spumae cauſa in ſtrangulatis quae 215
quotuplex ib.
Sputum in pleuritide cruentum cur bonum 1087
Staturae procerae commoda & incommoda 267
Status aquilonius & auſtralis 358
Status

358
Status auſtralis commoda & incommoda inde provenientia 354
pluvius & ſiccior morbiferus 88
corporum quotuplex ſtatuatur 175
febricitantium 827
Steriles quibus medicamentis fœcundæ fieri poſſint 758
Sterilitas obeſiorum 841
an omnis curari poſſit 824
ejus explorandæ experimenta 756
Sternutamentum unde oriatur 756
ubi & cur excitandum ib.
ad illud excitandum remedia 727
Sternutatio quomodo facienda 758
quibus medicamentis excitanda 913
unde oriatur 755
Sternutatoriorum uſus hyſtericus 818
Stillicidium urinæ quando ſupervenire ſoleat 523
unde 228
Strangulati cur non redeant in vitam, ſi ſpuma circa os appareat ib.
qui ſint 224
illorum ſolutorum prognoſis 226
Strangulationis quotuplex cauſa 483
Stranguria idem quod ſtillicidia urinæ quando oriatur 483-523
unde 421
cur etiam pueris accidat 1010
ulcoſa 455
& dyſuria in ſenibus unde
Struma v. tubercula 99
Subſtantia corporis deperdita quot modis reficiatur 100
quotuplex ib.
ſpirituoſa quomodo reficiatur 101
humoroſa quomodo ib.
ſolida quomodo 225
humida quotuplex in ſtrangulatis 208
Suavitas in cibis quotuplex
Succi vitioſi in dentibus quid faciant, ſi cerebrum & nervos afficiant 415
Su,ct

Succi vitioſi quid ſi ad alvum vergant 415
Sudores critici 553
frigidi 557
cum acuta & continua febre conjuncti quid prænuncient 558
nocturni 567
Sudor loci affecti index 560
frigidus vel calidus continuans molus 569
febrium inanis 595
quid facere debeat, ut febricitantibus proſit ib.
qualis eſſe debeat 596
febricitantium 301
unde eveniat 302
Suffitus emmenagogi 735
quid educant ib.
ad quæ ducenda 737
Suppurationis ſigna ſalutis & mortis 687
futura ſigna 671
quomodo illis occurrendum ib.
ne illa fiant, quomodo Medicus poſſit prohibere 1006
Suſpenſi laqueo, ſed nondum penitus extincti, quomodo in vitam referri poſſint 227
Symptomata quando quieta 182
vigoris illorum & concoctionis differentia 183
Syncopes quid 219
ejus cauſa ib.
prognoſis 218
eſt pernicioſiſſima paſſio 220
quæ ad curationem ejus adhibenda ib.
unde oriatur 221

T.

Tabes quid 672
genera quot & quæ 370
quando eveniat 401
Tabidi, cur autumnus iis malus ſit 320

INDEX

Tabidi, illorum diarrhæa 683
fatalitas ex tempore anni 318
Temperamento ad anni tempora collata 279
Tempeſtatis conſtantia & inconſtantia 309
Temperies humidior comparata 812
Tempora morborum quam requirant methodum 24
quibus plus alimenti conſumatur 37
anni quos juxta quatuor Zodiaci puncta 38
quibus magis in febribus humectandum eſt 40
morborum 181
ex quibus ſignis internoſci illa poſſint 182
quatuor anni ſuas habent qualitates 291
anni ætatibus adſignata 372
Tempus purgandi 52.442
anni commodius ad emetica vel purgantia propinanda 456
vomendi 457
Tempeſtas ſicca cum pluvia comparata 356
Temporis dierum inaqualitas morbifera 290
Teneſmus unde & quando oriatur 403
gravidarum 1106
quid ib.
Terra motus quodam exempla 298
Terminus acutorum morborum 150
podagricorum 1025
motus 243
Titanus idem quod diſtentio nervorum 661
prognoſis ib.
exemplum ib.
quando illo correpti intereant 662
ejus ſigno lethalia qua 663
contra illum remedia ib.
& convulſiones frigus pariunt 705
our ib.
Thlaſia & Thladia quinam 968
Thlibia qui ib.
Thorexus 143

Timor

Timor unde	952
Tolerantia conſuetorum	252
Tonſillæ quid ſint	418
earum inflammationes, quibus accidant	ib.
unde oriantur	419
Tranſitus ex pleuritide in peripneumoniam unde cognoſcatur	1076
peripneumonia in phrenitidem	1078
Tremorum prognoſis in febribus	960
quomodo ardenter febricitantibus contingere queant	961
quid	ib.
quot genera	962
ubi contingant	ib.
Tremor & convulſio quomodo differant	963
an hic tremor lethalis	ib.
Traulosis quotuplex	983
Trichiaſis idem quod miltus pilorum	632
Tritaeophyes idem quod febres tertianarum naturam referentes	572
Tubercula ſaniem	115
quando aſtimanda	116
quid ad hac requiratur	117
quot ex cauſis oriantur	118
Tuberculorum & dolorum in febribus longis occaſio	576
quibus accidant	ib.
Tumor quotuplex	550
mollis quinam	863
crudus ſemper malus	864
Tumores & dolores abſque ulcere frigida aqua largo affuſa levat	724
dolores, ulcera & vulnera conjuncta & recurrentia	855
illorum prognoſis	862
quales eſſe debeant	863
præter naturam quot	240
quot modis terminentur	ib.
quot in corpore generentur	1070
Turgens materia quid	53
an per venæ ſectionem tolli poſſit	ib.

Turgens materia quando accidat 53
Turgentia in humoribus inducenda quotupliciter 445
Tuſſis unde 340
ſitus antidotum 392
ſicca quid & unde ib.
cur ab hac ſitu ſedetur 393
infantum recens natorum unde 410
remedium 412
Tympanitidis futura ſigna 481
Typus & phænomena morborum indicia 32
paroxyſmorum quid 33
febrium intermittentium 609

V.

Valetudo ſenum 209
Varices quomodo ſolvant gibboſitatem 949
illorum & calvitiei comparatio 988
Vbera cur primis menſibus non attollantur ſed in altimis 762
Venaſectio dolorum remedium 949
quomodo oculorum dolores curet 981
dyſuria remedium 992
an etiam in doloribus à calculo conveniat 993
ejus uſus in cephalalgia 865
modus juxta veteres 745
recentiores ib.
an purgatio gravidis ſit periculoſior 746
Venæ frontis ſectio ad quid proſit 186
Veneris uſus in quacunque ætate cumprimis pueris nocet 977
ratio cur ib.
Ventriculus diſſectſſus quid 930
cur lethalis 933
Venter quid per illum intelligatur 38
infimus examen & conſtitutio 356
ſuperior quid per illum intelligatur 457
quotuplex 460

Ventris dolores unde 1098
quotuplices 895
Venti 276
morbifici 294
quot juxta veteres ib.
principales ib
minus principales 295
eorum efficacia cauſa & origo 297
Ver auſtrinum 322
ejus & hyemis commutata temperies 328
autumni comparatio 312
Veratrum quotuplex 489
Vertebra occipitis unde 419
Vertigines unde 408
Vero quinam optime degant 372
Veſicæ ſcabies unde 633
affectæ ſigna 636
exulcerata 637
Veteres cur, antequam cucurbitulas adplicabant, religioſe prius corpus medicamentis purgabant 809
Verucæ quanam dicantur & unde 420
Victus quid 234
ejus gradus & diſtinctio 14
quotuplex ib
quibus conveniat ib.
ratio exacta quando admittenda 16
acutorum morborum 21
in vigore morbi, & quidem ſecundum eorum tempora 22
tenuiſſimus quis 25
à viribus æſtimandus 26
juxta morborum vigorem variandus 27
acutorum in quot claſſes dividatur 28
in paroxyſmis 29
quid in illo rite exhibendo ſit conſiderandum 32
ſecundum ætates 34
ratione hyemis & veris 37

Qqq qqq 3 *Victus*

Victus humidus quis 39
qua in eo obſervanda regula 42
ratione æſtatis aut autumni 43
Viæ per quas morbi expelluntur 49
Vigiliæ immoderatæ 72
ſupervenientia 1090
infantum recens natorum unde 411
remedium 412
Vinum ſaccharatum 1068
calefacit corpus & animam, id eſt ſpiritus 1069
cur citius aceſcat in ventriculo quam alii liquores 882
ejus potus qua ratione oculorum dolores ſolvat 979
an oculis noceat 982
eſt ſolutio famis 143
qualem præ cæteris rebus creatis habeat prerogativam,
& in quo illa conſiſtat 144
quotuplex ib.
quando dandum ib.
Virginum lac 765
Virilitatis & autumni comparatio 376
Viſcera glanduloſa, unde contaminentur, & quid exinde oriatur 836
Viſus hebetudo quotuplex 437
Vita quid 2
brevis 3
cur brevis ſit 2
quouſque ſumma cum inedia ſine cibo & potu ſuſtineri queat 122
Viſu & tactu Medicus ægros diligenter exploret, & cur 197
Vitiligines quid 389
Ulcera annua quid Chirurgis in illis faciendum 1014
illorum prognoſis 218
cur circumglabra dicantur ib.
hydropicorum 897
non ſunt in illis tuto excitanda 899
quid exigant 900
Umbilici inflammationes infantum recens natorum unde 411
Umbilici remedium 412

Vomi-

Vomitus qui ſponte evenit unde 9
contra cibi faſtidium adhibendus 189
cur æſtate faciles ſint 395
infantum unde 410
an dejectio magis debilitet 471
cruentus mulierum 747
ſi naturalis prodeſt ib.
mala phænomena 1958
quid per illum fiat ib.
bilioſus unde 1039
cruentus 1125
diarrhœa remedium 921
quando malus ib.
bonus 922
an ſemper malus 923
vox vomere quomodo ſumenda 1126
Volvuli unde 404
Vomentibus difficulter quid cavendum 472
Vomitoria ad ea diſpoſitis 468
non diſpoſitis 472
Vomitoriorum operationem promoventia & ſiſtentia 491
indicantia 498
quæ illa indicia ſunt 498
Urethra caruncula 638
Urina craſſa 619
ejus prognoſis ib.
unde oriatur 621
ejus ſtillicidia unde 356
turbata prognoſis 622
differentia ejus & jumentorum 622
quid ab hac ſequatur 623
tenuis prognoſis 625
contenta caruncula formia & pilaria 631
furfuracea 633
quid denunciet ib.
ejus & alvi fæcum redditarum proportio 639

Urina craſſa furfuracea 1112
ſedimenta ejus quaenam 1113
biliosa 1115
naturalis ſedimenti in illa ſitus, qualis eſſe debeat ib.
varians 1117
ſpumoſa 1119
oleaginoſa 1121
Uſus & utilitas frigidi in tetano 716
Uteri geſtatio quomodo dignoſci poſſit 771
inflammatio in gravidis 778
abſceſſus 795
flatus in gravidis 804
intemperate ſteriles ſunt 839
praeternaturaliter clauſus 811
os internum unde fiat durum 812
quomodo clauſura huic medendum 812
innumerabilium aerumnarum autor & cur 819
in gerentibus illum quid conſiderandum 832
gerentes uterum, & non gravida quomodo internoſcenda 837
ad quid conferat 839
frigidus, quare ad generandum ineptus ib.
quomodo eſſe debeat 841
Vulneris convulſio quid 846
nomine quid intelligatur ib.
prognoſis ex tumore 860
Vulnera fortia quaenam 861
quid illis fere ſemper ſuperveniat 862
ad evitandum in illis incommodum quid conferat 882
quot modis magna dici ſoleant ib.
in univerſum lethalia ſunt multiplici ratione 912
an ulcera, magis lethalia 915
Vulnerum inteſtinalium in ſpecie prognoſis 955
Vulneribus capitis quid ſuperveniat 1029
Vulnerati capitis ſigna 1030

F I N I S.